
NAZIONALE
13
11 K
13

R. P. IOSEPHI
GIBALINI
E SOCIETATE IESV
THEOLOGI,
DE PRINCIPIIS, ET LOCIS SCIENTIÆ CANONICÆ, ET HIEROPOLITICÆ,

LIBER VIII. ET IX. Totius Operis



TOMVS TERTIVS.





LVGDVNI,
Sumptibus Laurentij Arnaud, & Petri Borde.

M. DC. LXX.
CVM APPROBAT. ET PRIVILEGIO.





SERIES
CAPITVM, ET QVÆSTIONVM, aliorúmque titulorum tertij huius Voluminis.

DE PRINCIPIIS Scientiæ Canonicæ, & Hieropoliticæ.

Sol

DE PRINCIPIIS

PRINCIPIA, ET REGVLÆ

De Regulis

Alte

LIBER NONVS.

Series Capitum, & Quæſtionum.

DE



DE PRINCIPIIS SCIENTIÆ CANONICÆ, ET HIEROPOLITICÆ.

Totius operis LIBER VIII.

POSTREMA *hæc tractatio ad perfectam notitiam Scientiæ Canonicæ, quam molimur, & cuius naturam hactenùs hac priori parte descripsimus, necessaria omninò est: vix enim rem aliquam exactè cognoscere possumus, eius causis & principiis ignoratis, maximè cùm in scientiis principia, ex quibus procedit, sint eorum causæ quodammodò formales & intrinsecæ, non extrinsecæ dumtaxat: cùm autem scientia Canonica sit vera scientia, habeátque veras, & propriè dictas demonstrationes, vti ostendimus* lib. 1. *sua certa propria, & indubitata principia habeat, aut supponat necesse est, ex quibus suas deducat conclusiones, sicut habent reliquæ omnes veræ, & propriæ scientiæ, à quibus tum obiecto, tum principiis, & causis formalibus necessariò distinguitur, sicut & naturâ, alioquin si cum iis conueniret in obiecto & principiis, ab illis non distingueretur, sed vna & eadem cum illis foret, & prout varia illarum principia participat, aut supponit, aut ab illis mutuatur, cum illis quoque conuenit, aut ab illis prorsùs dissidet, vndè diuersam huius scientiæ cum illis reliquis confusionem, & dissensionem* eodem libro 1. *fusiùs descripsimus. Cuiusmodi igitur sint ista principia Canonica, & vndè haurienda sint, vt ex illis scientificè in hac notitia procedamus, inquirendum modò nobis est; diuersa enim sunt, neque fortassis passim obuia.*



CAPVT PRIMVM.

Quænam sint Principia Canonica in vniuersum.

QVÆSTIO I *Quid sit principium in notitiis, quid axioma, quid regula.*

QVÆSTIO II. *Qualia sint principia, & regula in Scientia Canonica.*

INQVIRO imprimis in vniuersum quid sint principia in notitiis tùm practicis, tum speculatiuis. Deindè idem quæram in singulari de scientia nostra Canonica, hunc enim progressum exigit scientifica methodus, quam quantùm fas est, perpetuò consectamur.

QVÆSTIO I.

Quid sit principium, quid Axioma, quid Regula in scientiis.

VOces istas, aliásque illis affines, vel homonymas, simul explicatas volumus; ad has enim tres vulgatas aliæ facilè reduci queunt.

Principium ex natiua significatione, eáque vniuersalissima, est cuiusque rei initium & exordium: hinc 1
illud Ciceronis *lib. 1. de natura deorum: Cuius rei princi*

principium aliquod est, eius necesse est esse extremum. & illud 3. *de finibus: Omnium rerum principia parua; sed suis progressionibus vsa augentur.* Hinc in castris prima pars ipsorum quam adibant ipsi Imperatores, & in qua solemni salutatione excipiebantur, dicebantur principia; quare *l. cum introisset, C. Theod. de veteranis. Cùm introisset* (nimirum Constantinus Magnus) *principia, & salutatus* esset à Præfectis & Tribunis, etiam acclamatum est: & simile quid habetur ex *leg. officiorum 1. sub fin. C. de re militari. nouella 1. Theodosij, & in constitut. de eod. in Iustin.* atque *alibi* de his acclamationibus & principiis, quæ erant in re militari, seu militia, quod in re ciuili prætoria: in his enim præfecti, & tribuni iura reddebant, & iudicia exercebant, ac querelas commilitares audiebant, & qui ipsi quandoque imperatores in iudiciis præsiderent, ingrediebantur. Hinc quoq; dicebantur mittere principia, id est soluere conuentum militarem, sicut principium missum, sicut & prætorium missum apud Liuium & Frontinum. Hinc apud Vopiscum protrahere aliquem ante signa, & principia: ea subeuntes Imperatores salutationibus, & publicis acclamationibus excipiebantur, vt in Constantino factum monebamus, & testatur Tertull. *lib. de corona milit. c. 12.* Ecce annua, vt votorum nuncupatio, quid videtur, *prima in principiis, secunda in Capitoliis,* vti Pamelius interpretatur principia Imperij, ita vt Tertullianus designet & tempus, & locum harum salutationum, nimirum Initium aditi Imperij, & Capitolium in quo fiebant hæ communes salutationes, cùm reuera Tertull. signet varia loca, in quibus solemniter Imperatori solitum erat acclamari, nimirùm, castra, eorúmque principia, & deinde ipsum Capitolium, addit enim Tertullianus: *Accipe loca, & verba,* quæ subiungit; erant enim verba concepta. Itaque non designat ibi tempus harum salutationum, & nuncupationis votorum, sed locum, nuncupantur siquidem vota hic solemnia pro salute Imperatorum, tum in castris & eorum principiis à militibus, tum in Capitoliis, à reliquo populo. Verùm redeamus in viam, cùm principium sit cuiusque rei & facti initium, solet vniuersalior ista significatio ad certas materias restringi, earúmque sub hoc vniuersali nomine diuersa principia distingui: quare passim

2 Definitur principium, id vnde primo aliquid est, aut fit, aut cognoscitur. Itaque quædam sunt principia rei, vel essentiæ, quam constituunt, alia actionis quà quodpiam producitur, alia denique cognitionis, quibus quidpiam cognoscitur. Ex his tribus volgaribus principiis, quæ omnia genera rerum complectuntur principia essendi, siue essentiæ, & existentiæ, considerantur à Physico, vel Metaphysico: principia agendi, vel producendi, à Physico item, aut Morali, si actiones illæ, & productiones sunt honestæ vel turpes, vel sint indifferentes, cum & malitiæ, & honestatis propter indifferentiam & libertatem agentis, capaces sint. Principia denique cognitionis siue rei cognoscendæ pertinent ad omnes artes, & scientias, in quarum notitias certas, aut probabiles, obscuras, vel euidentes influunt: atque in hac significatione principia dicuntur totius artis, & scientiæ, quibus reliqua omnia, quæ in ea traduntur, innituntur: vnde Tullius *lib. 3. de legibus. Vereor,* inquit, *vt non bene prouisa, & diligenter explorata principia ponantur, quia nempè ab illis cætera deindè consequuntur.*

3 De his, inquam, principiis agimus hoc loco, quod faciunt hi omnes qui artem aliquam, aut scientiam tractant vel docent. Ipso enim statim initio docent, quibus ex principiis, siue propositionibus suas conclusiones certò inferant: cùm enim artes & scientiæ, omnésque notitiæ, siue practicæ, siue speculatiuæ vel discursiuæ sint, vel ex simplici terminorum apprehensione, & penetratione procedant, certa aliqua principia supponant oportet; nam vel vtuntur propositionibus immediatis, hoc est quæ nullo medio cognoscuntur, sed in seipsis, vel ex seipsis, eo quod termini quibus componuntur, seipsis nullo medio connectantur, eiusmodi notitiæ pertinent ad intellectum, & ad habitum primorum principiorum, & mens vel in cognitione eiusmodi primarum & immediatarum atque indemonstrabilium propositionum consistit, vel ex illis transit ad alias, quas ex primis illis elicit, qui transitus discursus est, vti explicat S. Thomas, quia mens mouetur & currit à noto ad ignotum, qui est scientia, siue progressus scientificus: illæ verò priores propositiones dicũtur principia in toto hoc progressu, qui ab illis oritur & incipit. Illud verò principium, ne abeatur in infinitum, non pendet ab alio, aut tandem in vnum aliquod primum resoluitur. Et sanè, cùm in eo reperiatur, vt aiebat S. Thom. motus quidã mentis, & omnis motus oriatur ab aliquo immobili, & tendat ad aliquid immobile in quo quiescat, alioquin motus perpetuus foret, & continuus: motus cognitionis in discursu ab aliquo immobili incipiat necesse est, & ab aliqua notitia priori immediata, quæ vt talis cognoscatur, vel supponatur, quia aut indemonstrabilis est, & omnium prima, aut iam probata, & demonstrata supponitur, & tandem desinit in conclusione, vi prioris notitiæ elicita, in qua tandem quiescit intellectus, neque quidquam amplius circa eam quærit, v. g. vbi demonstrauit hominem esse sensitiuum, quia est animal, & animal sensitiuum existit, sensationem conuenire homini nouit, neque aliud circa conuenientiã, vel connexionem sensationis cum homine quærit, quam colligit ex connexione quam habet eadem sensatio cum animalitate, quam iam priùs certò nouit & demonstrauit. Itaque hæc propositio, Omne animal est sensitiuum, à qua tota notitia & motus intellectus incipit, est prima, & notior, atq; demonstrata supponitur. Est igitur principium, id à quo procedit notitia sensationis hominis, quam quærebat, & ad quam intellectus mouebatur. Eiusmodi igitur propositiones, ex quibus procedit intellectus in sua notitia discursiua, iure dicuntur prima principia cognitionis, eiusmodi tamen non nominantur nisi propositiones primæ, & immediatæ, vel quæ iam demonstratæ, & certæ supponuntur, alioquin semper vacillaret intellectus, nisi in aliquo firmo & immobili niteretur: quod maximè verũ est in primis demonstrationibus, & quæ non supponunt aliquas priores. De his igitur cognitionis principiis agimus hoc loco, & omnes Philosophi dum loquuntur de principiis artium, & scientiarum, alias significationes principiorũ modò non memoramus, cùm aliò, vt vides, pertineãt.

Quia verò istæ propositiones primæ, & immediatæ, totiúsque discursûs scientifici prima principia, certæ sunt & probatæ, dicuntur axiomata, quasi sua dignitate fidem, & assensum mereantur; immò & sæpiùs extranea dicuntur axiomata, de qua voce plura diximus hoc ipso opere cum Aulo Gellio noctium atticarum *lib. 16. cap. 8.* & aliis quæ repetere hoc loco nihil attinet.

Venio itaque ad regulæ vocem, quæ prout significat recti, & obliqui mensuram, & normam, ad quam mensuræ omnes exiguntur, explicata à nobis est *lib. 1. cap. 1. quæst. 1.* Est enim Græcis Κανὼν & γνώμων: scientiis verò & artibus sunt sententiæ quædam, & definitiones ad quas reliquæ ipsarum cognitiones aptantur & exiguntur, vt ex illis ipsarum veritas dignoscatur. Quare magnam omninò vtilitatem in omni scientiarum, & cognitionum genere afferunt: 4

ideóque

ideóque Vegetius *lib. 5. cap. 26.* generales quaſdam bellorum regulas recenſet, Hippocrates Medicus aphoriſmos præſcripſit, Geometræ habent ſua poſtulata, quæ Caſſiodorus petitiones dixit, concedenda Martianus Capella, Auianus receptas Pauli ſententias Gothis ſuis tradidit: alij Κυρίας δόξας ἀξιώματα.

Regula porro in hac ſignificatione definitur a Paulo *l. 1. de regulis iuris, quæ rem, quæ eſt breuiter enarrat, non vt ex regula ius ſumatur, ſed ex iure quod eſt, regula fiat. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, &, vt ait Sabinus, quaſi cauſæ coniectio eſt, quæ ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.* Hanc definitionem à Paulo datam ita obſcuram, & perplexam exiſtimauit Hotman. *lib. 2. obſeruat. 1. cap. 15.* vt neminem reperiri dicas hactenus qui ſententiam illius commodè intellexerit: quid enim eſt regulam, rem de qua agitur, id eſt litem breuiter enarrare, facti ſiquidem narratio, conſultorum vel oratorum eſt; regulæ verò ſunt Iuriſconſultorum pronuntiata, &, vt dicebamus, Κυρίαι δόξαι, atque, vt reddit Tullianus, ratæ ac firmæ ſententiæ: non igitur oratio quæ rem breuiter enarrat, ſed eſt potius ſententia quædam generalis ſiue vniuerſalis, quæ ex plurium legum mente à Iuriſconſulto notata, atque animaduerſa, paucis verbis ſummam quandam earum conſenſionem & tanquam harmoniam complectitur, definit Hotman. *l. c.* ita vt materia regulæ ſit mens & conſenſio legum diuturna Iuriſconſultorum obſeruatione notata; cauſa efficiens eſt acumen Iuriſconſultorum plurium legum conſenſionem, in ſummam quandam contrahentium; forma autem eſt ſententia ipſa, paucis, iiſque neceſſariis verbis ſummam illam expediens: finis verò facilior æquitatis ac iuris ciuilis cognitio. Quæ Hotmani definitio multò clarior Pauli deſcriptione eſt, & vt amplius explicetur, obſeruandum eſt, quid inter legem, & regulam interſit, quod nullum hactenùs aduertiſſe monet Hotmanus cùm ipſe Tribonianus pro regulis obtrudat leges ſiue ſcriptas, ſiue non ſcriptas, quæ omnium confeſſione leges ſunt, v. g. fœminas ab omnibus officiis ciuilibus remotas eſſe, illis non licere fideiubere pro aliis, aut poſtulare, aut iudices, agere: ea enim omnia populi Romani moribus aut variis ſenatuſconſultis inducta eſſe nemo ignorat, & ante natos Iuriſconſultos, ea in gente vigoiſſe. Sunt igitur Romanæ leges quæcunque ratione ſancitæ fuerunt, ſiue moribus, ſiue ſuffragiis, non verò regulæ à Iuriſconſultis collatæ; differt igitur lex à regula, quia lex à populo, certo iure, & omnibus communi conſtituitur; regula à Iuriſconſultis ex pluribus legum capitibus notatis, & inter ſe comparatis elicitur. Ita vt leges ſint veluti voces, & toni ſinguli, Regula velut harmonia, & concentus omnium illarum vocum ſingularum, quæ veterum definitiones appellantur, v. g. duæ cauſæ lucratiuæ, in eandem & rem & perſonam non concurrunt; ex quibus cauſis inficiendo lis creſcit. Ex iis cauſis non debitum aut ſolitum condiri non poteſt: noxa caput ſequitur: tot ſunt ſtipulationes quot res. Agnatione ſui poſthumi teſtamentum rumpitur: indiſtinctè datus tutor in totam litem datus videtur, & ſimiles aliæ definitiones receptæ omnium calculis.

5 Dices hinc ſequi Iuriſconſultorum reſponſa, Regulas iuris eſſe, & pro talibus habenda, quod vel de omnibus eiuſmodi reſponſis concedendum erit, vel aſſignandum quænam reſponſa regulæ ſint, quænam verò non ſint. Reſpondet Hotman. *cap. cit.* Reſponſa ita eſſe plerumque rebus ac perſonis finita, & circumſcripta, & vt aiunt Græci ὑποθετικά, quia de ſingularibus conſuluntur, Regulæ verò ſemper ad genus pertinent, & infinitæ ſunt ac θετικαί, & ideircò vniuerſales, & licet Iuriſconſulti reuocent ad genus vniuerſam conſultationem, & reſponſum θετικὸν faciant, non idcircò tamen continuò pro regula habendum erit, niſi Iuriſconſultorum diuturna approbatione adeptum fuerit auctoritatem.

Addebat Paul. in ſua definitione, ex Regula non fieri, aut ſumi ius, ſed ex iure potius regulam fieri; quæ verba torquent interpretes, vt videbis apud Dynum; nam & reſponſa ſapientum magnam iuris partem conſtituunt; & veteres, atque diu receptæ regulæ ad controuerſias diſceptandas ſapienter, & vtiliter afferuntur. Mens itaque Pauli eſt, cùm Regula ex vario, & multiplici iure, atque diuerſis legum capitibus colligitur, vt dixi, ius neceſſario eſt antiquius Regula, quæ ab eo naſcitur; quare ſi quando pro iure, & lege Regula afferatur, id non fit, inquit Hotman. quod ab illa ius tanquam ab ipſo fonte, & capite ſumatur: ſed tanquam riuus qui ex variis fontibus longè deductus, & ad vſum quotidianum paratus, ac deriuatus eſt, ſiue non principaliter, ſed ſecundariò. Siquidem regulæ ſunt tanquam loci communes ad vſum quotidianum inſtituti, & ad vitandum laborem, & faſtidium iuris altius repetendi ſemper parati. Itaque illarum beneficio, & labor, & moleſtia diuturna vitatur, & memoriæ non ſemper tenaci conſulitur. 6

Addebat Paulus ex Sabino, Regulam eſſe quaſi cauſæ coniectionem; ſic enim habent pandectæ Florentin. non vt aliam coniunctionem, nullo planè ſenſu: eſt verò cauſæ coniectio ex Aſconio cùm litigatores qui comperendinati ad conſtitutũ venerunt ſummatim, & quaſi per indicem cauſæ ſuæ argumentum, & ſtatum exponunt, & qua de re agatur breuiter enuntiant. Regula quidem non eſt mera cauſæ coniectio; quare dixit Sabinus eſſe quaſi *cauſæ coniectionem*, quia hæc coniectio hypothetica eſt certæ perſonæ, ac rei finibus contenta, regula verò ad genus vniuerſum pertinet; ſiue eſt vniuerſalis coniectio per modum quæſtionis, & interrogationis proponitur. Regula definitè quidpiam affirmat, aut negat, eſt ſiquidem definitio, deciſio, & ſententia in alterutram partem; conueniunt tamen in quibuſdam, nam ſicut cauſæ coniectio litigatoris omnia iura in ſummam aliquam contrahit & coniicit, ſiue in breue cogit ex Aſconio, ita regula plurium legum capita, breuiter, ſtrictimque complectitur, & eorum ſenſus ſententiam, veluti ſuccum elicit: ſiue leges plures, quæ ad eam cauſam pertinent, aut faciunt, in vnum coniicit, vt ex illis diſceptari, & definiri poſſit controuerſia de qua agitur, quare ſapienter monet Paulus in ſua definitione, Regulam, ſi vitioſa, ſit officium ſuum perdere. Eius ſiquidem officium eſt regere controuerſias, quod facere nequit ſi praua, & vitioſa ſit; quare vulgus interpretum malè ad exceptiones, Pauli verba referunt, quaſi exceptiones vitium regulæ demonſtrent, cùm potiùs illud à regula abeſſe oſtendant, moneántque ne cum Regula confundatur, quod exemplis demonſtrat Hotman. Communis Regula habetur ex Paul. *l. quod dicitur 130. D. de verb. obligat.* patrem filio vtiliter ſtipulari, & poſtea excipit ſtipulationes, quibus factum in perſonam confertur, quæ exceptio non vitiat Regulam, vt vides, ſed potius illam declarat, atque vt *ibidem* monet Paul. Regulam veram eſſe *in iis quæ ſunt iuris ... quæque adquiri patri poſſunt; alioquin ſi factum inferatur in perſonam filij, inutilis erit. ſtipulatio.* Similiter vulgaris illa Regula, tot ſunt ſtipulationes, quot res, vt tradita ab Vlpiano. *leg. quod dicitur 86. D. eodem.* vbi & exceptionem ſubiungit, quæ oſtendit Regulam *l. c. eum habere. vbi res exprimitur. ſtipulationes.* 7

Cæterùm si res non fuerint expressæ, vna est stipulatio. quod amplios explicat idem Vlpian. ibid. *l.29. Scire debemus* (inquit) *in stipulationibus tot esse stipulationes quot summæ sunt, sdeque esse stipulationes, quot species sunt. Secundo quod euenit in mixta vna summa, vel specie, quæ non fuit in præcedenti stipulatione, si non fiat nou..tio* (aut nun sit abolitio prioris) *sed efficit duas* (diuersas) *esse stipulationes. Quamvis autem placuerit tot esse stipulationes, quot res* (nominatim videlicet, vel disiunctim diuersis eppellationibus expressæ sunt) *tamen si pecuniam quis, quæ in conspectu est, stipulatus sit, vel aceruum peconiæ, non tot sunt stipulationes, quot nummorum corpora, sed vna stipulatio* (*quia sub vno nomine res plures hoc modo comprehenduntur:*) *nam per singulos denarios, singulas esse stipulationes absurdum est.* Et satè stipnlatori admodum esset incommodum pro singulis denariis litigare, stipulationem quoque legatorum constat vnam esse, quamvis pluta corpora sint, vel plura legata, (quia legata omnia stipulatus sum generaliter mihi præstari) iteque stipulatio plutium pactorum non est voa, *l.134. D. eodem* vbi Paul. *quoties pluribus specialiter pactis stipulatio vna omnibus subycitur, quamvis vna interrogatio, & responsum vnum subyciatur*, tamen perindè haberi, ac singulæ species in stipulationem deductæ *fuissent*; *sed & familiæ*, vel omnium seruorum vna stipolatio est, itemque quadrigæ, eut lecticanorum stipulatio vna est. (Quia coniunctum vna est.) *At si quis illud*, & illud stipulatus sit, tot stipulationes sont, quot corpora, (oisi videlicet res illæ vna coniunctione teneantur, & illa coniuoctio vnitatem efficiat.) Vides igitur hes exceptiones non vitiare regulam, sed illam declerare; quare singulæ fetè regulæ suas habent exceptiones, non dicuntur tamen ideircò vitiosæ, & non facete officium suum, quare per vitia non intellexit Paulus exceptiones, quæ aliud ferè non sunt quam explicationes, & declarationes, quibus regula vel empliatur, vel restringitur, ne ad quoscunque casus vegetur; cùm in omnibus oon teperiantur eædem circuostantiæ quibus commodè regula possit aptati: sed

8 Pergamus in explicaudo Paulo, ais enim Regulam *rem, quæ est, breuiter enarrare.* Nomine rei Hotman. intelligit ius: nam rei, qoæ est, enarratio pertinet ad ceusidicum, *l.1. c. de litis contestat.* Eaqoe oarratio est propriæ *causæ coniectio*, cùm litigatotes summatim id in quo causa consistit, exponunt, vti monebat Asconiue ex Agell. *lib.5. cap. 10. Cùm ad iudices conyciendæ consestandæque causæ venissent de lite Protagora cum Enaltho ob pactam mercedem ab Enaltho, qui in eius discipulatum se dederat.* Coniectio igitur causæ fiebat in contestanda lite, ait prætereà Paulue ius esse regula antiquius, ac proindè ius oon sumi à regula, sed regulam à iure, vti exposuimus. Obseruat verò sapienter Hotmanus duo esse genera regularum, quædam enim à veteribus iam olim ex plurium legum mente constitutæ sunt, quæ generalem quaodam definitionem, & sententiam complectuntur, quam omnes vulgò probarunt hactenùs, &, vt inquit Paul. *l.1. §. veteres 16. D. de adquirend. possession. veteres putauerunt*, inde frequentes illæ iurisconsultorum loquutiones, *Inter omnes conuenit, Placuit prudentibus, Ab omnibus receptum est, Post magnas varietates obtinuit, Receptum est propter vtilitatem publicam*, & aliæ similes quæ interdum in Digestis leguntor; eliquandò verò earum regularum authores prodnotur, vt Cato à quo regula Catoniaoa, Aquilius Gallus, Quintus Mutius. Mandabentur porrò memoriæ potiùs quàm litteris eiusmodi sententiæ. Vnde illud, *per manus traditum est, quod vulgò traditum est*, & similia, v. g. Licet vnicuique iuri suo renuntiare, Tutor in tem suam auctor fieri non potest, Omnia iudicia sunt absolutoria, Falsa demonstratio legatum non vitiat, & similes definitiones, vti vocantur *l. omnis 202. D. de regul. iuris*, vbi Iauolenus. *omnis definitio in iure ciuili periculosa est; parum est enim vt non subuerti possit.* Cuios regulæ ratio est, quie etsi constaret inter iurisconsultos de iuris antiqui regula, non tamen semper constabat, de earum ratione, vt ait Cuiacius *lib.17. obseruat. c.15.* sicut, ait, *nec nostri iuris Gallici veteris hodie causas nouimus omnes*, nisi è re, & incommodo quod obtigetit aliquo, quales sint, admoneamur: & prætereà oon exquirebant iurisconsulti edmodum rationes iuris traditi per manus, & satis erat eis noonunquam edicere. Alciat. *lib.6. paradox. cap.9.* tunc ait non esse tutum generaliter definire; qoia eiusmodi definitio in quibusdam deficit, & sæpè speciales causæ non continentur in generali definitione, quæ tunc non conuerteretur cum definito, neque esset, vt Græci dicunt, ἀντιστρεφὰ, huius porrò generis regulas appellarunt propric regulas iuris ciuilis, & constitutiones ciuiles, & auctorum sententias, quod notat Hotman. qui alterum genus esse ait earum regularum quas post Imperatores, Paulus, Vlpianus, Modestinus, Martianus, alijque iurisconsulti collegerunt, horum enim omnium libros regularum habemus in quibue etiam legum, constitutionum, senatusconsultorum, ec iuris prætorij sententiam peucis perstrinxeruot. Exemplum habes in libro singulari regularum Vlpiani in quo *tit.1.* legis Æliæ sententiæ, legis Papiæ, Popeæ, legis Futiæ, qoerum sententiæ breuiter referuntur, & explicantur, & aliæ similes *D. de diuersis regulis iuris*, quas tamen senteotiarum potiùs quàm regularum nomine donandas vult Hotman. Obseruo denique molta esse in iure singularia, quæ propter vtilitatem publicam contra strictam iuris rationem recepta sunt, quod attendeodum perpetuo est, vbi traditur regula eliqua vel definitio, vel sententia communis, quæ eatenùs valet, quatenùs per exceptionem non limitetur, & vt eit Fab. *lib. 2. cap.13.* præcepta καθολικὰ tarò reperiuntur, vt non labefactari, parte aliqua, aut subtui possint.

QVÆSTIO II.

Qualia sint principia, & regula Scientia Canonica.

PRincipis Scientiæ Canonicæ sunt primæ, & certæ 1
propositiones ex quibus suam conclusionem demonstrat Scientia Canonica, atque in ea parte reliquie scieotiis similis est, differt verò quia prima principia, & quasi semina Scientiæ Canonieæ sunt non modò principia naturalia, sed etiam reuelata, & fide certa ac oota. Positâ enim ipsotum fide, & cognita bonitate consequentiæ, gignitur ce propriis, & naturalibus viribus intellectus discursus Canonicus, sicut in teliquis notitiis, quarum tamen principie prima sunt tantùm neturalia, & non indigent lumine superioris ordinis vt certò cognoscãtur; quare, vt explicuimus *lib.1. c.4. q.1.* & alibi, totus ille discursus est oaturalis, quia ad essensum eo discursu genitõ, per se cõcurrit, ac requiritur iudiciũ saltẽ virtuale de bonitate consequentiæ. Quod totum vltimo resoluitur in lumen naturale intellectus, qui suapte vi absque ope extrinseca teducere potest discursum ad primas regulas naturaliter euidentes, vti philosophabamur, *l.c.* vt ostenderemus notitiam Canonicam esse neturalem, licet nitatur præmissis supernaturalibus, exẽplo ipsiosmet Theologiæ.

Licet

Licet itaque illa notitia pendeat ex principiis reuelatis, quorum vltimum iudicium reducitur in Deum, tanquam in primam causam, ac proindè ipsa quoque notitia conclusionis: sed quatenùs assensus est discursiuus pendet ex solo lumine intellectus, & illud iudicium consequentiæ, opus habet applicatione non quidem immediata, sed remotè per reuelationem ac lumen ad assensum primorum principiorum; itaque intellectus adhibita applicatione per fidem præmissarum, habet vim naturalem ad assensum conclusionis. Atque vt paucis concludam. Actus Scientiæ Canonicæ immediatè procedit ex ratione & discursu humano, conflato tamen ex assensibus ordinis diuini; & ratione quidem præmissarum habet principium supernaturale, quod tamen non concurrit immediatè ad eliciendum assensum conclusionis.

4 Scientia igitur Canonica eadem principia formalia communia scientiis reliquis habet, quæ sunt figura, & modus syllogisticus, & argumentandi modus: in iis enim eodem modo procedit quo reliquæ scientiæ naturales, quare & ipsa in ratione scientiæ naturalis etiam est, vti euicimus *lib.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 1. quod vt ampliùs iterum explicetur, obserua cum Gillio *lib.* 2. *tract.* 2. *c.* 4. *n.* 3. duplicem esse consequentiam in syllogismo quocumque, materialem vnam, formalem alteram. Materialis est cùm non tam attenditur ratio formæ syllogisticæ, quàm habitudo consequentis ad antecedens, vti videmus in propositionibus conditionalibus, v.g. si sol lucet, dies est, & si dies est sol lucet; in ea enim consequentia attendimus dumtaxat habitudinem inter solis lucem, & diem. Formalis consequentia attendit solam figuram, & modum syllogisticum, qui in quacumque materia à qua abstrahit, benè, & malè concludit; ideòque Aristoteles, dum de figura & modo disputat, ponit exemplum in A, & B, & non in vlla certa & determinata materia, quia nullam eiusmodi determinatam respicit figurâ & modus syllogisticus. Et in eiusmodi consequentia formali, semper certò, & necessariò, & euidenter concluditur, vel ineptè & ineuidenter, contingenter, & fallibiliter. Secùs verò contingit in consequentia materiali, cum causæ quæ assumuntur tanquàm medium conclusionis diuersæ sint, diuersimodè quoque causant consequentiam siue conclusionem. Aliæ verò causæ sunt necessariæ, aliæ, vt plurimùm, coniunctæ, aliæ indifferentes omninò. Iis itaque positis, effectus siue consequentia necessariò, vel contingenter, semper, vel vt plurimùm consequitur, si ipsarum natura penetretur, v.g. si est ignis calefacit: consequentia est necessaria, quia ignis natura sua est calidus, & calefaciens; si est mater, diligit filium, est consequentia moralis, & probabilis, non simpliciter, & euidenter vera; si est hyems, frigus est, consequentia physica est, si est Poëta, aut Philosophus, est pauper, non est euidens consequentia, sed probabilis; quare pro varietate circunstantiarum est maior, vel minor certitudo, probabilitas, aut euidentia consequentiæ materialis; quare euidentia consequentiæ formalis, & materialis non coniunguntur necessariò; nam in syllogismo topico ex propositionibus solùm probabilibus, aut etiam falsis potest esse euidens, & necessaria consequentia formalis, quæ aliquando in eodem discursu syllogistico simul cum materiali consistere potest, aut etiam non reperiri. In eodem itaque Theologico, aut etiam canonico reperiri debet euidentia consequentiæ formalis, atque etiam sæpiùs materialis, quæ tamen non est necessaria, alioquin non esset scientia; illa enim non reperitur vbi deest euidentia consequentiæ, nam si eiusmodi discursus non habeat consequentiam certam secundùm formam, minus certus erit eo qui concludit euidenter secundùm formam, immò non est simpliciter certus; ad hoc enim debet gigni certo ex vtroque principio materiali, & formali, si enim alterius principij certitudinem desideret, non est simpliciter certus, quia ad hoc necessarium est, vt quoties vni propositioni assentitur propter alias, debet esse certus de veritate illarum & de bonitate illationis: alioquin, si de illarum veritate, aut illationis dubitet, de veritate quoque suæ conclusionis omninò dubitabit; vndè sequitur euidentiam consequentiæ materialis non præsupponere necessariò euidentiam consequentiæ formalis, licet, vt monui, simul reperiri possint; sufficit enim euidens notitia connexionis medij termini cum passione, & propositionis conditionalis, cùm v.g. risibilitas sit connexa cum ratione hominis, & hinnibilitas cum ratione equi, optimè sequitur: si est homo, est risibilis: si est equus, est hinnibilis; quare si homo, vel equus coniungantur cum terminis, cum quibus coniungi repugnat naturaliter, erit tamen euidens, immò & necessaria consequentia materialis, non tamen formalis: si Bucephalus est homo, est risibilis, quia homo risibilis est. Ratio est, quia veritas rationis conditionalis consistit in veritate consequentiæ; fieri autem potest vt consequens, & antecedens sit incompossibile, propositio tamen conditionalis vera sit, ex S. Thoma 1. *part. quæst.* 25. *art.* 5. *ad* 1. omnis autem conditionalis vera, est necessaria ex eodem S. Thoma *in 6. metaph. lectione tertiâ*, ac proindè erit euidens cernenti connexionem antecedentis cum consequente. Hinc etiam sequitur, necessitatem illationis non tribuere certitudinem assensui, nisi ipsa principia materialia, sint vel necessaria, vel alioquin certa. Quod apparet in assensu parto per syllogismum secundùm formam idoneam, & probam, constantem tamen ex præmissis, vel solùm probabilibus, vel etiam falsis, sicut sola euidentia consecutionis non sufficit, vti diximus, vt assensus conclusionis sit euidens, nisi vtraque præmissa sit etiam euidens.

De principiis itaque materialibus dumtaxat disputamus hoc loco dum disputamus de principiis Scientiæ Canonicæ. Hæc porrò principia sunt duplicis generis generis. Quædam enim communia, & vniuersalia sunt, quæ ab omnibus demonstrationibus supponuntur, easque ingrediuntur, siue formaliter, & actu, siue virtute, quæ & veritates, & axiomata nominantur: v.g. impossibile est, idem esse, non esse, de quolibet est affirmare, vel negare: contradictoria simul affirmari, vel negari de eodem nequeunt, & cætera eiusmodi, quæ & paucissima sunt, & sola penetratione terminorum innotescunt. Alia verò sunt principia singularia, & cuique scientiæ propria, ex quibus etiam aliqua sunt prima, quæ reliqui in eadem scientia continent virtute, quia in illa tandem vltimò resoluuntur omnes demonstrationes, nempe in conclusionem per eiusmodi principia demonstratam, quam ingrediantur formaliter; in cæteras autem eiusdem scientiæ virtutes influunt: circa scientiam verò Canonicam sic statuendum esse censeo. 5

Primò principia communissima, quæ aut virtute ingrediuntur omnes demonstrationes naturales, ingrediuntur quoque discursus Canonicos, vt & theologicos: quod de istis ostendit Franciscus Mairunius *quæstione secundâ prologi*, igitur multò magis ingrediuntur Canonicos: scientia enim Canonica inferior est Theologia, deindè cum illa vniuersalissima principia dirigant, & regulent cætera omnia princi-

pia naturalia, debebunt etiam regolare propositiones teur latas, atque discursus ex iis constantes, ex suppositione, quod admittuntur; ex ea enim suppositione possunt ad hominem, aut per deductionem ad impossibile probari ex vniuersalibus principiis ad hominem illa admittentem: quamvis enim Theologia, & Scientia Canonica, non adhibeat illa per se, neque per se nitatur vllo principio naturali, illa tamen adhibet interdum pro rerum varietate, atque principium reuelatum declarat, & ad hominem illud admittentem, vt dixi, probat.

4 Secundò dico Scientiam Canonicam habere suas dignitates, & axiomata quæ virtute insunt omnibus principiis siue propositionibus, quibus nituntur eius demonstrationes, suntque hæ duæ: Quidquid in scripturis diuinis habetur à Deo reuelatū est, &: Quidquid Deus dixit, siue reuelauit verum est; altera propositio, & dignitas est: Quidquid Deus, vel Ecclesia sancit, & iubet auctoritate a Christo sibi facta, faciendum omninò est, ratio euidens est: nam illud principium habet rationem dignitatis simpliciter, in cuius virtute fulcitur omnis discursus illius scientiæ, & quo cōcesso pleraque probantur, & negato nulla alia restat certa probandi via: eiusmodi verò sunt duæ propositiones allatæ, nam omnis discursus canonicus nititur authoritate diuina per se, vel per Ecclesiam dicentis, & iubentis Christi, siquidem suam authoritatem contulit Ecclesiæ, & per illam sancit, & iubet quidpiam faciendum esse, ergo illud faciendum est. Itaque discursus omnia canonicus tandem resoluitur in duo illa principia, & per illa quiquid demonstramus: in hac scientia facilè resoluuntur, & ex illis concessis facile probatur, illisque principiis negatis nulla restat probandi via; sic enim probatur adorandum esse Spiritum sanctum, quia Ecclesia iubet Deum esse adorandum, & docet ex diuina reuelatione Spiritum sanctum esse Deum: quæ duo principia si negarentur, non liceret ostendere Spiritûs sancti diuinam adorationem. Demonstratur seruandam esse quadragesimam, quia Ecclesia ita edicit: Ecclesia habet auctoritatem ita iubendi; eam enim illi contulit Deus in scripturis diuinis; quocumque verò alio principio non contento in aliquo ex his duobus: Quidquid Deus dicit, verum est, Quidquid Ecclesia auctoritate sibi à Christo credita iubet, faciendum est, negato, non licet aliud assignare, in quo certò fundentur istæ demonstrationes, nisi eo modo quo omnes aliæ demonstrationes naturales procedunt. Ex quibus

5 Tertiò sequitur tandem demonstrationem canonicam resolui in aliquam propositionem fide creditam, siue supernaturalem; vndè tamen non fit eiusmodi demonstrationem esse supernaturalem, cùm id nequidem sequitur in Theologia, sicut probauimus *lib.* 1, *cap.* 4. vbi vtramque hanc scientiam naturalem esse, & modo naturali acquiri ostendimus, licet ab aliquo principio supernaturali pendeat, quæ nihil attinet hoc loco repetere.

Quartò itaque syllogismus canonicus constans ex præmissis solùm probabilibus, vel etiam falsis, aut etiam certis tantùm naturaliter, & euidentibus, non est nisi naturalis, & non est verè canonicus, sed vel ad Philosophiam, vel ad moralem pro ratione præmissarum, & conclusionis pertinet, ac proindè dici nequit verè canonicus, sed reductiuè tantùm, nisi tandem in aliquod principium solâ reuelatione cognoscibile, vltimò resoluatur, quæ omnia manifestò consequuntur ex dictis *cap.* 4. *libri primi*. Quia verò in his demonstrationibus præter principia reuelata, adhibentur quoque principia naturalia, & moralia, & quia Scientia Canonica non attendit solùm leges diuinas, & ius diuinum, sed prætereà leges naturales, atque etiam leges humanas constitutas ab auctoritate humana quidem, sed spirituali ex peculiari Dei institutione, ac proindè ex auctoritate quodammodò mixta, humana nimirùm, & diuina simul, idcircò præter duo illa principia vniuersalissima, Quidquid Deus dixit, & imperat, verum est: Quidquid Ecclesia iubet, auctoritate à Christo concessâ, faciendum est, habet deindè principia proxima, & iure naturali & humano, &, vt monuimus initio, considerat ius naturale, diuinum, & humanum, & triplicis illius iuris principia debet attendere, idcircò omnia Scientiæ Canonicæ principia ad tria illa reuocamus, vt certo ordine, in hoc libro de principiis huius notitiæ procedamus; sic enim manifestam totius huius scientiæ cognitionem comparabimus habebimusque vniuersalia, & certa principia circa omnes materias in quibus illa versatur.

6 Præter principia solent assignari regulæ in notitiis maximè practicis, & artibus: sunt verò regulæ *κυρίαι δόξαι*, ratæ quædam & firmæ sententiæ, atque vniuersales prudentum iudicio collectæ, quibus in dirigenda arte, & notitia practica vtimur. Quæ reuera non est propriè principium artis, & scientiæ, sed ex eo principio proximè nascitur, & operationes artis, atque notitias scientiæ dirigit, ac regulat. Quare Paul. Regulam in politia, & iure ciuili definiebat breuem quandam enarrationem rei ex qua non oritur ius, sed ipsa ex iure oritur, quam Hotmanus ita explicabat vt sit sententia quædam generalis, quæ ex plurium legum mente, à iurisconsultis notata, atque animaduersa, summam earum consensionem, atque harmoniam complectitur. Itaque, & vt ait Dynus *in Rubric. de Regulis iuris*, Regula est quæ ius alias in variis partibus constitutum breuiter enarrat, v. g. pisces occupantibus, & piscantibus, acquiruntur, quia in nullius bonis sunt, lapilli in mare inuenti, aues, feræ, bestiæ cedunt etiam capientibus propter eandem rationem, quia in nullius bonis sunt. Ex omnibus istis iuribus fit illa vniuersalis regula, Quod in nullius bonis est, id naturali rationi primo occupanti conceditur, vti habetur *l.* 3. *in princ. D.* de acquirendo rerum dominio. Itaque regula cùm plurima comprehendat, & non vnum dumtaxat casum singularem, debet efferri per signa, & verba generalia siue affirmatiua, siue negatiua, nempe vniuersaliter affirmando, vel negando omnia, vel per verba indefinita, quæ æquipolleant vniuersalibus, quia quandò eadem est ratio; & conditio indefinita, æquipollet vniuersali affirmatiuè, nam si testator instituat plures hæredes, & deindè damnet hæredem dare X. Titio, ea damnatio cadit in omnes, & singulos illos hæredes, quia eadem est conditio omnium; & omnes sunt hæredes, & accipiunt commodum à defuncto: quod si singulorum, quæ in vniuersali comprehendimus, non sit eadem ratio, & conditio, indefinita non æquipollet vniuersali affirmatiuè, nam legato omni marmore, non legatur omnis species ex marmore facta, vt statuit *l. Hæres*, §. 1. *D. de legat.* 3. & *lege prima D. de auro, & argento legat.* & *l. quæsitum*, §. *illud D. de legat.* 3. si legetur indefinitè lana, non continetur lana tincta, *l. sicut in primo, D. de legat.* 3. si autem legetur omnis, tunc vniuersali illo legatu comprehēditur lana tincta *l. pediculis*, § *liber. D. de auro & argento legat.* quia in quibusdam legatis non est eadem ratio & conditio singulorum, quæ signo vniuersali comprehenduntur in aliis, idcircò aliquandò indefinita æquipollet vniuersali, & comprehendit singularia comprehensa, aliquandò non comprehendit, siue vt alij loquuntur indefinita æquipollet vniuersali collectiuè, non distributiuè,

butinè, ex textu singulari *in l. si pluribus, D. de legat.* 2. *&* Glossa *ibid.*

In iure igitur Canonico regula est quoque breuis sententia, eaque generalis ex plurium Canonum & legum Ecclesiasticarum mente à doctoribus notata, collecta, & animaduersa, paucis, & breuibus verbis summam eiusmodi sacratum legum consensionem, & harmoniam complectens. Itaque in regula non est ius, neque illud constituit, sed constitutum supponit: Canon enim, & lex Ecclesiastica est quam Ecclesia constituit, aut qui in ea auctoritatem legislatiuam habet: Regula verò est, quam ex pluribus Canonum, & legum capitibus inter se comparatis Doctores, & Iuris Canonici interpretes eliciunt, vti de regulis iuris ciuili *initio* dicebamus: iuuant quidem regulæ ad definiendas controuersias, non quod ius, vt dixi, constituant, sed quia ex illo nascuntur, illúdque totum, & summatim exhibent, & repræsentant, suntque tanquam quidam loci communes ad vsum quotidianum, liberántque importuno labore repetendi ius, & voluendi Canones, ac leges Ecclesiasticas, magno labentis memoriæ subsidio. Eas itaque quisque priuatim sibi quoque colligere posset ad suum vsum, sed non habebunt eam auctoritatem quam habent, quæ omnium doctorum veluti consensu collectæ, & iam receptæ sunt. Ex quibus tandem tota hac disputatione tractatis vides, Scientiam Canonicam sua habere principia suásque regulas circa ius naturale, diuinum, & Ecclesiasticum, quæ tria considerat & explicat, de quibus principiis, & regulis in vniuersum disputamus paucis hoc loco.

De principiis iuris naturalis.

Cùm Scientia Canonica, quam molimur, ius naturale, quod primarium & fundamentum aliorum omnium iurium est, spectet, sed alio longè modo quàm Philosophus moralis, eiúsque iuris naturam *lib.* 3. descripserimus, non possumus huius scientiæ principia prosequi, nisi iuris quoque naturalis principia explicemus, quæ sunt prima & radicalia honestatis, & turpitudinis principia, quorum primum atque adeo laudis omnis & vituperij fons, est humana libertas, vt monet Arist. *lib.* 3. *eth. cap.* 1. sapienter enim ait Nazianz. *orat.* 31. *Bonum quod à natura proficiscitur, laudem non meretur, quod autem à libera voluntate animique instituto fluit, id demum laudem meretur: quia igni enim gratia est quod vrit.* Primo igitur de principio libero, & voluntario scientiæ Canonicæ tractandum est. Ipseque Aristoteles *loco citato* disputationem de natura voluntarij & liberi viris politicis ad sanciendas leges, præmia, & pœnas instituendas necessariam esse dixit.

CAPVT II.

Primum principium iuris naturalis est actio libera.

QVÆSTIO I. *Quid, & quotuplex sit voluntarium.*

QVÆSTIO II. *Quid sit potentia libera.*

QVÆSTIO III. *Quænam sit potentia libera.*

QVÆSTIO IV. *Circa quæ obiecta sit libera voluntas.*

QVÆSTIO V. *Quid officiat libertati.*

DIXIMVS *lib.* 3. ius naturale non posse reperiri in brutis cum defectu libertatis, non sint iniuriæ capacia, quod fusiùs ibidem demonstrauimus, vndè sequitur manifestò liberum esse primum principium actionis rectæ, aut prauæ, & consentaneæ, vel dissentaneæ rationi rectæ: de libero igitur, tanquam de primo principio iuris naturalis agendum nobis est hoc loco.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit voluntarium.

AB hoc ordiendum est, vt sensim ad liberi, quod aliquid inferius est, & voluntarium, vt magis latè patens præsupponit, naturam explicandam delabamur, ipsum imitati Philosophum. Quia verò ille definitionem voluntarij colligit ex oppositione quam habet cum violento, & inuito, seu inuoluntario, ideo de his quoque priori loco agendum est.

Quid sit violentum.

Est autem violentum ex c. 1. *lib.* 3. *Eth.* 1. cuius 1 principium est foris, in quo nihil is qui agit, aut patitur, confert, vt si ventus aliquò tulerit, aut homines potestatē habentes; per illam particulam *agit, aut patitur*, obseruat Philosoph. in efficiente, tū ratione actionis, tum ratione cessationis posse esse violentiam; si quis enim arreptâ per vim alterius manu, tertio colaphum impingat, violenta est illa percussio manui immediatè percutienti, & si eum vi agens operari vellet, aut ad id innato impetu ferretur, ab actione impediatur, reuerà per vim feriatur ab operatione. Quod autem additur in eadem definitione *nihil confert passo*, non modò negatiuè, sed etiam contrariè exponas velim; ita vt violentum sit contra internum impetum reluctantem, vnde fit vt in agentibus cognoscentibus omne violentum molestiam ingeneret, vt obseruat Aristoteles *lib.* 3. *Ethic. cap.* 1. *&* 2. *ad Eudem. c.* 8. atqui nihil affert talem molestiam, nisi sit contra internum impetum appetitus, vt pluribus tradit Vasq. 1. 2. *d.* 25. *c.* 2. Difficultas verò, quisnam sit ille internus impetus contra quem violentia committitur, Vasq. siquidem *cap.* 3. ait esse vim facultatis agendi, actu ad oppositum conantis, aut ita in actu proximo existentis, vt sequutura sit operatio, si non poneretur impedimentum, aut vim formæ informantis, contra cuius inclinationem alia forma quæ expellenda erat, manet; non verò esse appetitum subiecti, aut materiæ primæ, aut secundæ incapacis alicuius formæ substantialis, vel accidentalis: quia appetitus materiæ non rectè dicitur impetus, qui cùm proprius sit efficientis, tribui non potest formæ, qua mediante aliam expellit agens; vt si clauum clauo truderet, alioquin tenebræ violentæ erunt aëri, qui ad lucem, vt ad perfectionem, inclinationem habet. Cœlo quoque erit violenta quies, licet eius motus non oriatur à forma, imò materia informata careret violenter alia forma, ad quam habet naturalem appetitum: denique Christi humanitas in statu violento erit, cùm sibi conna-

turali subsistentia priuetur, nihilominus probabilius asserunt Ruin. *quæst. 4. de potentiis animæ.* Suar. *d. 3. metaph. sect. 6. num. 17.* & *in 1. aut tract. 1. sect. 1. n. 6.* violentum esse quod fit contra inclinationem, seu agentis, seu passi, & materiæ, quæ potest reluctari, quibusdam formis ab agente extrinseco inductis, quod significant illa verba definitionis Aristotelicæ, *cui nihil confert qui agit, aut patitur*: & sanè non video cur innatus appetitus dici non possit impetus, & cur quoties contrarius est formæ inductæ, non dicatur contraniti suo modo; vnde Scot. *in 4. dist. 43. quæst. 4.* in primo passo nihil violentiæ non dicit; quia non inclinatur contra id, cuius est absolutè receptiuum. Si itaque passum inclinaretur contra id quod recipit, violentiam pateretur ex Scoto. Vasquis rationes parum firmæ sunt; cùm enim lux non sit debita aëri, ille non contranititur tenebris, neque vna forma cum alia, qua caret materia, cui tunc non debetur, imò in illa tunc non potest esse; cùm igitur materia formæ, quam habet, non renitatur, etsi potentiam remotam ad alteram, hac expulsa, retineat, nullam violentiam patitur: immò fortassis materiæ vis inferri nequit, si nudè in sua entitate, & & quoad ambitum totius potentiæ receptiuæ spectetur, sed tantum quatenùs alicui formæ subest, aut certis dispositionibus repugnantibus formæ, quæ inducitur, est affecta; vnde vides quâ ratione negari de-
2 beat cum Molin. *1. p. q. 12. d. 1. A. 1.* potentia passiua violenta, aut admitti cum Caiet. *tom. 3. opusc. tract. 3. quæst. 1.* Quies autem cœlo neque naturalis est, neque violenta, quòd idem de motu dicendum est, etsi enim cœlum leuitate, & grauitate careat, ac proindè aptum sit ad motum circularem, ad quem, & ipsa figura confert, non sufficit tamen, vt obseruat Durand. *in 2. d. 14. q. 2. num. 6.* & *in 3. d. q. 7. num. 9.* vt dicatur naturalis, ac proindè vt quies sit illi violenta, sed solùm vt motus non sit violentus: est igitur natura cœli omninò indifferens ad quietem & motum, quod idem dico de motu, quo ignis in sua sphæra torquetur in orbem à vicino cœlo, quem malè violentum dicunt Vasq. *d. 25. cit. num. 14.* & Salas *tract. 3. d. 2. num. 3.* cum id neget Arist. *1. de Cœl. t. 15.* Cùm nullum violentum perpetuum dicat, & per hunc motum non malè afficiatur ignis, neque proindè illi reluctetur, sed indifferenter se habeat, ex quibus vides malè negari passim à Thomistis Caiet. *1. p. q. 1. A. 1.* & *tom. 3. opusc. tract. 3. q. 1.* Molin. *l. c.* & aliis passim potentiam neutram. Denique Christi Humanitas, quia personalitatem Verbi, propria nobiliorem habet, non patitur, nisi gratam violentiam, éstque in statu potius præternaturali, quam violento.

3 Hinc colliges quidnam propriè violentum dici possit. Primo actio non dicitur violenta agenti à quo procedit, cùm non sit ab extrinseco, & agentis potius sit inferre violentiam, quam pati, & ea actio, vel procedit à propria virtute agentis; atque ita naturalem eius propensionem sequitur, vel per virtutem aliunde communicatam, ita vt agens sit tantum instrumentum; quod si per artem humanam eleuetur, supponit quidem motum violentum in instrumento, quod rationem habet passi, non agentis nisi respectu actionis, qua deindè eum motum, & eleuationem naturaliter consequitur; si à diuina virtute eleuetur, actio erit supernaturalis, & non violenta. Si calor, v. g. diuinitùs frigefiat, cùm nihil per eam actionem ponatur in agente contrarium, non est violentia, etsi actioni naturali, quam esset eliciturus ignis aliam contrariam eliciat: terminus tamen actionis ab agente in ipsomet productus poterit esse violentus. Tertio passio & forma per eam in subiecto posita violenta esse potest. Quarto priuatio formæ violenta quoque erit, si ea sit contra naturalem appetitum, vt ait Suar. *d. 2. tract. 2. sect. 2. num. 8.* Quintò destructio rei non est violenta rei, quæ destituitur v. g. Angeli annihilatio, neque vlla alia desitio nisi respectu subiecti, in quo fit ea mutatio; violentum enim supponit subiectum, cui repugnet, & non esse non est propriè violentum, neque perpetuo non esse: alioqui non creare rem creabilem, esset violentia. Deinùm hæc violentia vel fit rei quando existebat, vel quando non est, quod intelligi nequit; itaque destructio est aliquid maius quàm violentia.

Circa alteram particulam definitionis Aristotelicæ 4
ab agente extrinseco, dubitant aliqui an eo agente contineatur Deus: Aluar. enim *d. 32. de auxil. concl. 2. rat. 24.* & *ad 4.* ait Deum esse principium internum, & intimum omni creaturæ, quare licet in ipsa quidpiam producat contra eius naturalem impetum, non infert tamen violentiam, quam Philosophus à principio extrinseco, quod in hoc casu nullum est, oriri debere contendit. Adde nullum fore renisum: omnes enim creaturæ magis inclinantur vt diuinæ bonitati, ac potestati seruiant, quàm lapis in centrum, idem censet Conrad. *1. 2. q. 6. art. 4.* Eodem tendit quoque Capreol. *in 3. distinct. 27. q. vnic. ad tertium, contra 3. concl.* negat enim motum, quo aqua tendit sursum à cœlo ipsi impressum, esse violentum, quia est à causa vniuersali & regitiua, vt loquitur, quæ causis particularibus, quas moderatur, extranea non est.

Respondeo tamen cum Vasq. *d. 25. c. 5.* Suar. *d. 2. sect. tract. 1.* Deum, quamvis sit intimè præsens omnibus agentibus creatis, esse tamen externum principium, ac proindè motum omnem ab ipso præter naturalem inclinationem rerum inferiorum impressum dici violentem, cùm tota ratio violenti in eo reperiatur, & quamvis ob supremum dominium, quod Deus habet in omnia, possit quò libuerit suas creaturas trahere, non tamen nisi inuitas: ex quo non video quàm aptè colligat Aluar. aliquid obniti diuinæ voluntati, & resistere, cùm ea tota resistentia superetur, neque impediatur ab innatis creaturarum inclinationibus, quò minùs ad fines intentos contra earum etiam naturales proprietates vtatur, quæ fuit Aug. mens, dum ait *lib. 26. contra Faust. c. 3.* Deum facere contra naturam: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ. Vnde vides Capreolum peius etiam negasse motum aquæ sursum esse violentum. Obseruat tamen Suar. *n. 6.* quando Deus eleuat creaturam ad formam supernaturalem tunc non inferre violentiam: quia ea forma non est propriè contraria formæ naturalis ordinis, neque proindè contra appetitum naturalem creaturæ: imò appetitus ille, quo obedientialiter subest appetitui primæ causæ, tunc expletur.

Quid sit inuoluntarium.

Violentum hactenùs definitum tum cognoscentibus, tum non cognoscentibus conuenit, ac proin- 5
dè latiùs patet inuoluntario, quod ad sola cognoscentia pertinet, & definitur, quod vel vi, vel ex ignorantia efficitur: cuius definitionis priorem partem, cùm solam violentiam contineat, iam satis exposuimus. Violentiam autem tollere voluntarium, seu facere involuntarium, manifestum quoque est, cùm non inuoluntarium sit directè oppositum voluntario,

luntario, & violentum habeat formalem illam oppositionem, quia actus voluntarius vel est formaliter ipsa actualis inclinatio voluntatis ad obiectum, vel aliquid ortum, aut imperatum à formali inclinatione voluntatis, quis enim non videt violentum, cùm fiat ab agente extrinsecè reluctante passo, directè & essentialiter opponi inclinationi internæ voluntatis, ac proindè constituere inuoluntarium contrariè voluntari oppositum? non enim disputamus de inuoluntario priuatiuo, seu non voluntario. Hinc vides coactum coincidere cum inuoluntario, quia coactio est vis illata contra internum appetitum elicitum simpliciter, vt qui merces proiicit non quia tam simpliciter appetit quam efficaciter.

Quanam ignorantia causet inuoluntarium?

6 Altera pars definitionis inuoluntarij ait illud causari ab ignorantia; omne autem quod ob ignorationem est actum, non sponte quidem est actum, inquit Aristoteles 3. *ethic. lib.* vbi & varias ignorantiæ species subdit, vt quænam ex illis sit causa inuoluntarij definiri possit, quod & præstitit S. Thom. *1.2. quæst. 6. art. 8.* & latè Suar. 1.5 *tract. 5. d.* 4. Est igitur alia ignorantia, quæ est causa operis quod non fuisset peractum, si scientia contraria ignorantiæ adfuisset, vt cùm quis venabulo transfigit patrem, existimans esse feram; non dicitur tamē causa operis per se, aut directè: cùm enim voluntarium ex cognitione procedat, potiùs ignorātia impedit actum voluntariū, quàm causet. Dicitur causa, quia remouet prohibens, nempè scientiam, quæ si adesset, non fieret actus habitâ ratione statûs & dispositionis præsentis in qua est voluntas, vnde aliqui addunt non futurum effectum positâ scientiâ, si voluntas mutata non sit. Demùm supponitur cognitio quidem obiecti attrahentis voluntatem, sed non est ignorantia conditionis retrahentis, quæ conditio si cognoscitur, non amatur obiectum, vt qui comedit carnes die prohibito, cognoscit hoc obiectum, quod vult, videlicèt comestionem carnium, sed ignorat prohibitionem, quam si sciret, non comederet, vnde vt comestio quidem carnium sit voluntaria, non tamen violatio præcepti; sut comestio ita conditiona. Alia est ignorantia quæ causa operis non est, quia etsi illi contraria notitia adfuisset, non destitisset agens ab opere, vt dum quis transfodit sagittâ inimicum, quem pro apro accepit, confixurus nihilominus esset alacriùs, si inimicum esse sciuisset, atque hæc ignorantia dicitur comitans, quia comitatur tantùm opus, & ad illud nihil planè confert, vnde & alij circunstantem appellant.

Secundò, diuiditur à S.Thom. *l.c.* & alijs passim in antecedentem, & consequentem: antecedens est quæ non est voluntaria, neque ex electione procedit, sed omnem voluntatis actum præuenit, neque depelli potuit. Vnde aliqui inuincibilem, inculpabilem & iustam nominant. Consequens ignorantia est volita, seu voluntaria, & consequitur aliquem voluntatis actum, quare & vincibilis dicitur, quia depelli potuit physicè, vel moraliter, ita vt etiam debuerit eam ignorantiam expellere, vt reuerà potuit. Est autem hæc ignorantia volita vel directè, ita vt aliquis vt liberius peccet, aut vt crimini suo excusationem prætendat, volt ignorare, & hanc affectatam vocant: vel est tantùm indirectè volita, ob non adhibita media, quæ ad scientiam comparandam fuerant necessaria præ socordia quadam, quæ si maxima fuerit, ita vt nullum studium depellendæ ignorantiæ fuerit adhibitum, dicitur crassa & supina: sin minus, est ignorantia simpliciter vincibilis, quæ sufficit ad grauem aliquando culpam, vt *alibi* in materia de peccatis excutiendum est.

Hinc colliges primò, cuius comparatione dicatur antecedens, aut consequens; non ratione actus quem causat, aut effectus eius, sed aliorum præuiorum actuum.

Colliges secundò, priorem diuisionem complecti hanc posteriorem. Nam ignorantia, quæ comitans, seu quæ non est causa operis, dici potest tum antecedens, tum consequens: hæc enim nomina non habet respectu actûs, quem comitatur, & quem, neque voluntarium, neque inuoluntarium facit, sed respectu alterius. Si enim omnem actum voluntatis præuenit, dicitur antecedens: si non fuerit directè, aut indirectè volita dicitur consequens, quia aliquo voluntatis actu posterior est.

Tertiò, diuiditur in ignorantiam iuris, & facti: prior versatur circa legem, præceptum & prohibitionem, quæ pro iuris diuersitate diuersa quoque est. Hanc vocat Aristoteles *c. 1. 3. ethic.* ignorantiam vniuersalium: posterior est de re prohibita; quamvis enim teneamus prohibitionem, nescimus tamen, an aliquod opus singulare eiusmodi lege prohibeatur: vocat Aristoteles particularem: factum enim est in particulari.

Quartò, diuiditur in ignorantiam prauæ dispositionis quæ est error, & puræ negationis, quæ est tantùm nescientia.

Ex omnibus istis ignorantiæ membris, ignoran- 7
tia comitans, & quæ non est causa actus, facit quidem non volitum siue inuoluntarium priuatiuum, non autem contrariè inuoluntarium: ea enim ignorantia dicitur comitans, qua posita eius contraria notitia, fuisset nihilominùs positus idem actus, qui non potest esse inuoluntarius ratione eiusmodi ignorantiæ, cùm non sit contra inclinationem voluntatis etiam futuram, non est tamen voluntarius, quia non procedit ex cognitione. Cùm tamen nihil sit volitum nisi cognitum; obseruat autem Aristoteles ob ignorationem agere, & ignorantem agere diuersa esse: qui enim cum ignorantia merè comitante agit, ignorans agit, non ex ignorantia. Ita Suar. *d. cit. sect. 2. num.* 11. quia ille etsi aliàs habiturus esset eam voluntatem, tamen nunc non operatur ex ea voluntate. Habet tamen ea triplicitet, primò quod habeat habitualiter tantum voluntatem occidendi inimicum, modò tamen nihil cogitet, tunc illa occisio inimici non est volita, neque in se, neque in alio, v. g. in venatione, cùm nullo modo præuisa sit, neque tenetur venationem simulare, ne sequatur hic effectus. Secundò si habeat simplicem complacentiam de inimico occidendo, & tunc esset obiectiuè volita occisio, non voluntaria actiuè, quia affectus occidendi non imperat eam actionem, sed affectus venandi. Quare non erit homicidium, sed eius affectus, vt si ab alio sagitta emitteretur. Tertiò, volo emittere sagittam, vt si fortè ibi sit inimicus, & tunc ea voluntas non procedit ab ignorantia, sed ab ignorantia communi, quia fieri potest vt ibi sit inimicus. Ignorantia quæ est causa operis & antecedens; atque inuincibilis facit etiam inuoluntarium propter impetum contrarium voluntatis, quæ reuerà quidpiam ageret, si scientiam huic ignorantiæ oppositam habuisset. Cuius rei indicium affert Aristoteles, dolorem quem concipit deindè ex facto, ab inuito enim factum est, pro quo dolet qui egit: ex quibus reiicias Solam, qui *tract. 3 d. 4. sect. 5. num.* 13. censuit actum ex ignorantia antecedente, hoc est causa operis, has enim voces confundunt modò

Theologi,

Theologi, esse inuoluntarium mixtum, quia etsi circunstantiæ ignorantia sit antecedens, tamen ipse actus absolutè voluntarius est, v. g. qui patrem occidit quem existimat feram, circunstantia quidem rei occisæ est inuoluntaria, ex ignorantia antecedenti, ipsa tamen occisio absolutè volita est. Verum repugnat Aristoteles & S. Thom. 1. 2. *q.6. art.* 8. Neque vrget hoc exemplum; occisio enim quæ reipsa peracta est, longè diuersa fuit ab ea quam animo destinarat venator. Ignorantia consequens, hoc est volita seu directè, seu indirectè est causa actus, non efficit inuoluntarium: quamvis enim videatur ex illa poni actus, qui positus non fuisset; quia tamen ea tota ignorantia volita fuit, & causa ipsa actus volita, ipse quinque actus voluntarius erit simpliciter, ac proindè culpabilis: quæ omnia indicantur ipso nomine ignorantiæ consequentis. Hinc Aristoteles 3. *ethic. c.5.* ait temulento vitia, quæ in ebrietate admittit imputari, quod ea prænouerit: quo loco aptè hanc ignorantiam agnouit Philosophus; quod malè negauit Vasq. 1. 2. *d.* 29. *num.* 3. Non definio tamen quænam ea iis ignorantiis peccatum augeat, vel minuat: id enim ad nostrum institutum modò non pertinet.

Definitur voluntarium.

Ex his colligit tandem *illo cap. 3. ethic.* Aristoteles definitionem voluntarij, cùm igitur inuitum sit quod vel vi, vel ignoratione agitur, spontaneum illud esse videbitur, cuius principium est in eo qui agit, particularia cognoscente in quibus est actio, vnde eruta est vulgata definitio: Voluntarium est, cuius principium est in ipso agente, sciente singula in quibus est actio. Cuius definitionis singulæ particulæ pensiculatiùs examinandæ sunt.

Prima particula continet actum, quæ vox in ampliori paulò significatione accipienda est, ita vt & contineat & ipsas omissiones, quæ si putæ & sine vllo actu præuio positiuo dari possunt, erunt etiam voluntariæ, quamvis à voluntate non pendeant, nisi negatiuè, hoc est non ponatur à voluntate sciente & præuidente actus ipsis oppositos.

8 Quæritur tamen, an euentus præuisus, qui sequitur omissionem voluntariam directè, aut indirectè, sit quoque omittenti voluntarius saltem remotè: nam Vasq. 1. 2. *d.* 24. *c.* 3. existimat omissionem quidem præuisam & consequentem causam positiuam voluntariam, esse quoque indirectè & remotè voluntariam; euentum tamen positiuum sequentem voluntariam omissionem, nequidem remotè esse voluntarium, si absit obligatio impediendi talem effectum, esse tamen volitum; ad id enim sufficit si voluntas quoquo modo in aliquid feratur, vt autem sit voluntarium, debet etiam pendere à voluntate vt à causa, vel morali, vel physica, quod in casu posito non contingit, cùm nulla sit dependentia physica euentus istius, à voluntate vt à causa influente: neque etiam moralis, quandoquidem nulla est obligatio. Exemplum affertur in eo, qui præuidet ex omissione aliqua submersionem nauis, quam tamen non debet prohibere: ea enim submersio neque physicè, neque moraliter ab eius voluntate pendet, ac proindè voluntaria etiam remotè dici non potest, sed solum volita, vnde apparet discrimen, inter omissionem sequentem actum positiuum voluntarium, & effectum ipsam omissionem consequentem: omissio enim medio actu positiuo, à quo est, pendet suo modo physicè à voluntate; actus autem sequens omissionem nullam dependentiam habet seclusâ obligatione impediendi. Confirmatur: quia alioquin omnia peccata essent Deo voluntaria, cùm ex omissione collationis gratiarum, aut alterius effectus præuideat infallibiliter sequutura; atque hæc videtur S. Thom. mens *art.* 3. *q.* 6.

Rectius tamen opinatur Salas *tract.* 3. *dist.* 1. *sect.* 5. *n.* 43. *& seq.* istum effectum indirectè, seu remotè, seu, vt ipse appellat, secundùm quid voluntarium: neque enim præceptum iuuat modum operandi naturalem & physicum, sed præsupponit actionem, quam imperat, aut prohibet, esse voluntariam. Si igitur obligat ad impediendum hunc euentum consequentem, omissionem, eum voluntarium esse supponit. Et sanè tam physicè per dependentiam, vt loquitur, negatiuam, est à voluntate, quam ipsa omissio quæ actum positiuum sequitur: aliud verò est teneri, & ea de causa peccare in non impediendo illo affectu, aliud est esse illum nobis voluntarium, quod voluit tantùm S. Thom. Neque probant, quæ ibi affert Vasq. quod enim ait Deum volitutum omnia peccata, non sequitur, cùm ea volitio significet quandam moralitatem, qua Deus non tantùm permittat, & non impediat peccatum, quamvis reuerà velit non impedire, ac proinde velit, vt aliquis loquitur cum Salas *l. c. & num.* 178. physicè tantum peccatum.

An voluntas possit pati violentiam.

Secunda particula definitionis postulat actum voluntarium esse à principio intrinsecu, ac proindè omnem violentiam excludit: sed quæritur an vis in voluntate possit reperiri? 9

Respondeo primò, voluntatem pati posse vim circa cessationem, seu priuationem actûs, quod aliqui vocant violentiam priuatiuam contra paucos Thomistas apud Vasquez *d.* 26. *c.* 5. fauet apertè Aristoteles dum 2. *ethic. ad Eudem. c.* 8. ait non fieri quietem quando aliquid extrinsecum motum contra impetum internum impedit. Et sane cùm natura sit principium motûs, & quietis, non erit tantùm contra naturam motus contrarius quieti naturali, sed etiam violenta erit quies opposita motui naturali, in re autem nostra non sumimus quietem, seu cessationem ab actu contra impetum innatum & non tantùm elicitum. Valent. 1. 2. *d.* 5. *q.* 5. *p.* 3. putat eam tantum cessationem ab actu fore violentam, in qua Deus negaret concausam ad amandum videnti intuitiuè diuinam essentiam, cùm non ea visio determinet voluntatem naturaliter ad amorem, si ab eo eliciendo impediatur, violenter impeditur, in aliis autem omnibus actionibus æquè videtur ex sua natura indifferens voluntas ad carentiam actûs, atque ad ipsum actum. Vasq. *d.* 26. *c.* 5. ait dari hanc violentiam, cùm illius cogitatione efficaci præuenitur, quam tamen voluntatis consensus Deo negante concursum non sequitur: Salas *tract.* 3. *d.* 2. *sect.* 6. *num.* 63. toties ait vim inferri quoad carentiam actûs, quoties subtractione concursus, vel cognitionis, vel quolibet alio modo impeditur actus, qui esset melior carentia ipsius: toties enim repugnat naturalis inclinatio voluntatis: vnde sequitur voluntatem sibi ipsi inferre violentiam, cùm sibi carentiam nobilissimi actus imperabit, cùm enim ea cessatio tunc sit à principio intrinseco voluntaria erit & non violenta. Dicendum est positâ in intellectu cogitatione efficaci, aut inefficaci, aut sufficienti, voluntatem nonnisi violenter ab omni actu impediri: quia cùm omnem intellectus operationem sequatur aliquis actus voluntatis, si ab eo impediatur voluntas, fiet quidpiam contra naturalem eius inclinationem, falsúmque est quod

atebat

aiebat Valentia æquè indifferentem esse voluntatem ad actum atque priuationem eius, præterquam in actu beatifici amoris: id enim verum tantùm est de actibus liberis, non de necessariis, vbi eorum principia posita sunt.

10 Secundò, nullus actus elicitus à voluntate illi violentus esse potest. Ita S. Thom. *q. 6. art. 4.* & alij communiter: neque enim potest voluntas elicere actum, & per illum tendere in obiectum, nisi inclinetur & propendeat ad id obiectum, cùm actus elicitus sit actualis inclinatio voluntatis, & ab ea vt à principio intrinsecè naturaliter prodiens, quamvis impediatur actus qui eliciendus fuerat si voluntas non fuisset necessitata, neque enim ille intentionalis veluti renisus voluntatis, quæ aliud factura erat, pugnat cum actuali voluntario & infert violentiam, si solam necessitatem consideres: quæ est ratio Aug. *lib. 5. de Ciuitate: Cupio velle, si volumus est, si nolumus non est: non enim vellemus, si nollemus.* Eadem habet Bernard. *init. tract. de gratia. & lib. arbit.* Anselm. *de lib. arbitr.* c. 5. & pluribus vrget Parisiens. *lib. de virtut. cap. 9.* Neque his obstat posse à Deo poni volitionem in voluntate sine eius concursu effectiuo, vti olim diximus; quamvis enim actum simul odij & amoris circa idem obiectum poneret, aut actum odij in voluntate iam ad amorem determinata, vel actu amante, nam cùm inclinatio naturalis voluntatis æquè sit indifferens ad amorem atque odium eiusdem obiecti, neuter actus erit contra eius inclinationem naturalem, neque proindè violentus: & quamvis sint inter se contrarij, poterunt, sicut & aliæ formæ, in eodem subiecto sine violentia persistere, quandiù seruabunt naturalem proportionem cum subiecto, quod hîc eueniet. Addit Valent. *d. 2. q. 1. p. 3.* posse etiam esse otiosum actum in voluntate, ita vt per illum non magis tendat in obiectum, quàm lapis, si illum recepisset, quod mihi non probatur, vti *alibi* dicetur.

11 Tertiò, posset tamen dici violentus secundùm quid actus elicitus imperatus, aut positus à Deo in voluntate propter oppositionem, non cum naturali inclinatione voluntatis, sed cum eius impetu elicito, & imperio, v.g. actui quo vult amare aliquod obiectum, actus odij eiusdem obiecti esset oppositus & ratione renisûs actualis voluntatis, & suo modo violentus. Ita Vasq. *d. 26. c. 2.* & fauet Aristoteles *1. magn. moral. c. 13.* Quibuscunque igitur exterior est causa aliquid contra naturam, aut præter voluntatem faciendi, cogi dicimus facere quæ faciunt.

12 Quartò, denique circa actus aliarum potentiarum imperatos à voluntate posse pati violentiam certum est; potentiæ autem quibus imperat voluntas sunt apprehensiuæ, appetitiuæ, & loco-motiuæ; duæ priores nequeunt simpliciter pati violentiam: intellectus enim vel vim sufferret recipiendo, & eliciendo intellectionē, vel aliam formā habendo: non primùm, quia omnis intellectio quatenùs oritur, aut oriri potest ab intellectu, conformis est eius inclinationi naturali; neque est secundum, quia formæ omnes quas concipere possumus infundi intellectui, sunt principia quædam intellectionum, quæ proindè nō possunt esse magis violenta, quàm intellectiones, ad quas ordinantur. Eodem modo philosophandum est de phantasia, & appetitu sensitiuo. Itaque soli actus imperati à voluntate potentiæ motricis poterunt esse violenti, in quibus tamen non semper reperitur violentia independenter ab omni inclinatione elicita, quia in motu progressiuo animalis repugnantia, quæ est cum motu contrario, oritur ab imperio elicito voluntatis, aut appetitûs: cum enim hic motus indifferens sit ad omnem loci differentiam, oportet vt motus ei contrarius ex eo tantùm opponatur, quod voluntas vel appetitus ipsum iam determinauit ad vnam aliquam loci differentiam, contra quam dum impellitur à motu contrario, fit violentia contra inclinationem illius motus in indiuiduo, & potentiæ hîc determinatæ, quamquam hæc inclinatio primam habeat originem ab inclinatione, & imperio voluntatis. Aliquando tantum vis motiua potest pati violentiam simpliciter independenter ab omni imperio elicito, cùm v. g. aliquid fit contra grauitatem naturalem ab externo, quia grauitas non subest imperio voluntatis.

Quæ singula cognosci debeant in actu voluntario?

Tertia particula definitionis vulgatæ exigebat vt actus voluntarius fieret à *cognoscente singula in quibus est actio.* Quæ cognitio nō est necessariò intellectiua, cùm voluntarium hactenùs definitum idem sit quod spontaneum, quod brutis etiam commune est, vt Aristoteles aptè innuit *3. ethic. c. 2.* & *lib. 2. ad Eudem.* c. 10. cùm à brutis multa fiant tanquam à principio intrinsecè cognoscente singula: aliqui tamen ab spontaneo seiungunt, & ad sola intellectiua restringunt cum Molin. *1. p. q. 41. art. 5. d. 1.* fauetque Aug. *lib. 15. de Ciu. cap. 9.* cùm dubitat an motus quibus bruta aliquid boni appetunt, vel malum euitant, dicendi sint voluntates. Cognitio porrò ista quæcunque tandem illa sit, influere debet vt causa seu effectiua, seu, vt veriùs, motiua & determinatiua ad voluntarium; cùm non omnis appetitus etiam rationalis sit potentia cæca, non potest nisi prælucente cognitione tendere in obiectum, vt passim docent omnes Philosophi, quod non impedit quominùs actus aliquis, aut eius omissio dicatur voluntaria in causa sua, etsi quando mandatur executioni, de eo nihil cogitetur, vt ait S. Thom. *q. 6. art. 3.* singula autem quæ cognoscenda monet Philosophus substantialia actus intelligit Vasq. *d. 30. c. 2.* accidentia seu circunstantias Val. *d. 2. q. 1. p. 1.* Salas *tract. 4. disp. vnic.* vtraque Philosophum indicasse existimarim vt ex *c. illo 1. 3. ethic.* vbi ea singula enumerat, satis colligitur: namquid, circa quid, & in quo significat obiectum ipsum actionis, cùm enim dicat aliquando ignorari quid agatur, non loquitur de ipsa actione sed de eius obiecto, vt apparet in exemplo quod affert Aeschili mysteria vulgantis, reus enim de causa actus excusauit, eo quod nesciret reticenda esse. Sanè cùm hæc singula cognoscenda dicat eo loco Philosophus, vt eruat rationem voluntarij, aut inuoluntarij, manifestúmque sit actum non dici simpliciter voluntarium ex cognitione circunstantiarum dumtaxat, sed eorum quæ ad actus ipsius substantiam pertinent, de iis maximè agere debuit. 13

Sunt autem substantialia, quæ definitionem, seu naturam tum geneticam, tum specificam actûs continent, vt quod sint actiones imperatæ, vel elicitæ circa finem, aut media, circa hoc aut illud obiectum huius speciei atomæ, vel alterius circunstantiæ sunt accidentia ipsi actui, non tantum genere naturæ, sed etiam moris: eas distribuit S. Thom. *q. 7. art. 3.* in tres classes, quarum prima complectitur eas, quæ ipsum actum attingunt, secunda eas quæ causam, tertia quæ effectum, & longè aliter enumerat tum ipse, tum reliqui vulgò Theologi, quam Aristoteles, qui, vt dixi, etiam illa expendit. Vasq. fusè *l. c.* pleraque substantialia inter singula recenset. 14

Ad actum ipsum pertinent circumstantiæ modi, 15
quam

quam disertè tradit Aristoteles: *Quomodo*, inquit, *hoc est, sensim an vehementer, quo potentia conatu?* hæc enim per modum qualitatis vestiuit ipsum actum, vt ait S.Thom. sicut locus, & tempus per modum mensuræ, hinc enim eius extensio durativa desumitur; quam circunstantiam omisit Philosopus: neque enim per *in quo* expressit, vt malè docuit Buridan. & Paccius, *in eum textum*: indicat enim ea vox *subiectum*, seu, *materiam* actui substantialem, non tempus.

Ad causam actus spectat finis, seu cuius gratia: non quatenùs est finis intrinsecus operi; sic enim esset quidquam maximè substantiale, sed finis operantis, atque ipsi operi extrinsecùs, vt aduertit Valent. *q.2.p.2.* quare hic finis non dat speciem actui. Deindè causa effectiua principalis non secundùm suam substantiam, sic enim pertinet ad aliquid principale, sed secundùm aliquam eius conditionem vt an coniugatus, an Religiosus, an laïcus sit: denique causa instrumentalis quibus auxiliis, quomodo: & quamvis moueant etiam ista speciem actionis moralis, qui enim hastâ obtusâ, ioco amicum feriendo, eum occiderit, aliam profectò actionem elicuit, quàm si ferro acuto confodisset. Alia eiusmodi sæpiùs tantum solam actionem vestiunt.

Effectum ipsum afficit circumstantia, quid hoc est, quantum aut quale, sine quo ipse idem specie effectus reperiri posset, alioquin erit quidpiam substantiale.

Obseruandum verò est circunstantias aliquandò esse secundùm vnam rationem substantiales actui, & secundùm alias accidentales, v.g. in sacrilegio rem subreptam esse sacram, est aliquid substantiale sacrilegio, non furto: hinc fit vt prout aliqua circunstantia ignoratur actus voluntarius secundũ eam tantum circunstantiam aut speciem quæ latebat agentem fiat voluntarius; non tamen simpliciter faciunt actum inuoluntarium, v.g. qui dat inimico vel pauperi eleemosynam, quam si sciuisset inimicum non dedisset, cum inimicitia ad rationem eleemosynæ se habeat indifferenter, ea actio erit voluntaria simpliciter. Neque enim ad id opus est nôsse omnes circunstantias: bruta enim pleraque ex enumeratis non norunt; illis tamen voluntarium hactenùs à Philosopho definitum verè conuenit, vti diximus.

Quotuplex sit voluntarium.

16 Diuiditur primò voluntarium à S. Thom. *1. q. 6. art. 2.* in voluntariũ perfectum & imperfectum. Perfectum est quod sequitur perfectam cognitionem finis, vt finis: quæ talis est, quoties ita actus aliquis apprehendit finem vt non subitò, sed ex deliberatione in ipsum feratur. Imperfecti cognitio finis est qua finis in ratione rei, non finis cognoscitur, neque media cum illo comparantur; quæ cognitio in brutis reperitur, in quibus consequenter quoque reperitur imperfectè voluntarium, vnde tamen non sequitur perfectè voluntarium & liberum coïncidere: omnia enim quæ S. Thom. exigit ad perfectè voluntarium reperiuntur in actu amoris beatifici, qui tamen necessarius est.

17 Diuiditur secundò in directè voluntarium, & indirectè. Primum est actio elicita vel imperata à voluntate, seu, quæ est à voluntate in quantum agente vt ait S. Thom. *ead. q. art.3.* aut in quod fertur voluntas per actum nempe positiuum, *ex q.77. art.7.* indirectè voluntarium est, quod poni potuit, & debuit à voluntate. & tamen positum non fuit. Quod voluntarium inquit Conrad. *art.3.q.6.* non est per actionem positiuam, sed per remotionem actionis, quæ potuisset illud impediuisse, ne factum fuisset, vel posset facere vt fieret, quod non fit, & tollere ipsum non fieri, vnde non est conditio *quæ non est*, vel proprietas realis actus alicuius, sed tantùm imputatio voluntatis; & fundatur non in actu, sed in potestate voluntatis: vnde aliqui colligunt voluntarium indirectum, non reperiri in brutis: in his enim non est potestas cohibendi actionem, cùm agere debent aut possunt. Sequitur etiam inde omne voluntarium positiuum, siue in se, siue in sua causa volitum, esse voluntarium directum: voluntarium autem negatiuum quodcumque volitum, esse indirectum: alij tamen voluntarium positiuum quod in sua tantùm causa volitum est, indirectum appellant, quod etiam vocant virtualiter, interpretatiuè, æquiualenter volitum, quò spectant aliæ diuisiones, quas dabit Azor. *lib.1 institut. cap.3.q.2.* in voluntarium propriâ voluntate, & alienâ, cum alterius nempè voluntas nostra reputatur, quo pacto mandans transfert suam voluntatem in mandatarium, & constituens procuratorem, in constitutum, aut etiam authoritate iuris, vt voluntas tutorum censetur pupillorum, aut quia vnus continetur sub alterius potestate, vt infantes sub patre. Voluntarium etiam vocatur vel actu, cùm quidpiam explicitè volumus, vel potestate, quando ex voluntate priori, vel vi voluntarij actus antecedentis aliquid gerimus etiam illius prioris obliti, durat autem illa præcedens voluntas quandiu non reuocatur, & manet aliquid ex ea, & tandiu manet affectus ex quo ad aliud incitamur.

Voluntarium mixtum.

Diuiditur tertiò in voluntarium simpliciter, & voluntarium mixtum, vt habet Philosophus *c. illo t. 3. ethic.* quædam enim actiones sunt, quæ propter metum impendentis mali, sine quo non fierent, habent aliquid violentiæ admixtæ, vt proiectio mercium metu naufragij: mercator enim absolutè non vult proijcere merces, imminente nihilominùs periculo eligit proiicere, potiùs quàm perire: vndè colligit Philosophus eam actionem magis esse voluntariam, quàm inuoluntariam: quia natura actionis pensanda potiùs est ex circunstantiis singularibus, quàm ex ratione vniuersali; atqui positis eiusmodi circumstantiis, libet proiicere merces. Demùm eiusmodi actiones sunt laudis, & vituperij capaces: igitur etiam voluntariæ. Antecedens probat Philosophus distinguendo triplicem ordinem eiusmodi actionum: primus est quando quis eligit malum, vt maius bonum acquirat, vt mortem pro tuitione Reipublicæ. Secundò quando quis ad euitandum maius malum aliquid turpe committit, sed leue. Tertiò dum aliquis timore insigne facinus patrat, vt Alcmæon qui iussu patris, matrem occidit, eo quod ipsius consilio bellum adiisset, in quo occubuit: ex primis actionibus sequitur laus, ex secundis potiùs commiseratio, ex tertiis summa ignominia. 18

Ex his omnibus vides quæ geruntur ex metu esse simpliciter (quomodo docuit S.Thom. *q. 6. art. 6.*) voluntaria, cum fiant à principio intrinseco sciente singula in quibus est actio, quia tamen repugnant alicui alteri, motui etiam elicito voluntatis sunt aliquomodo violenta, & inuoluntaria. Hinc colligit Sanch. *lib.4. de matr. d. 1. n. 6.* metum quemcumque etiam grandem non excusare à culpa in iis, quæ sunt intrinsecè mala, seu mortalia, seu venialia: cùm maneat integra libertas, & teneamur omnia potiùs subire, quàm venialem culpam admittere, contra Eustratium, & quosdam Iuristas relictos ab Azor. *lib. 1. c. 19.* quæ verò contra legem humanam positiuam fiunt 19

fiunt metu grâui, excusantur, quia ea non censetur obligare cum tanto periculo, sicut & quæ contra legem positiuam. Si enim fidei, aut religionis contemptu, aut aliorum scandalo fiant; metus verò grauis, seu cadens in constantem virum quinque conditiones habet, de quibus fusius Sanch. *loco allegato*, primo vt malum quod timetur sit graue in se consideratum, non tantùm collatione minoris, quamvis ad patientem fieri possit comparatio, secundò vt timeatur valdè probabiliter incurrere, tertiò vt qui minas intentat possit malum exequi, quartò, vt id sit solitus, quintò vt non facile occurri possit eiusmodi malo.

29 Alterum caput ex quo minui potest voluntarium & aliquo inuoluntario misceri, est concupiscentia, quæ est motus quidam appetitus sensitiui voluntatem impellentis, & aliquando vi sua abripientis, seu ad prosecutionem, seu ad fugam alicuius obiecti. Est autem duplex eiusmodi concupiscentia antecedens vna, & altera consequens, hæc posterior sequitur actum quo se ad appetendum bonum sensibile voluntas ipsa incitat, hancque concupiscentiam non minuere voluntarium apertissimum est; immò maximè inflammatæ voluntatis indicium est. Concupiscentia antecedens præuenit voluntatem, & eam mouet, atque impellit; ea autem facit simpliciter voluntarium, vt ait Aristoteles *loco citato*, cùm dicat alios inuitos agere, & violenter ob molestum, alios ob iucundum, cùm voluntatem reddat magis voluntariam, & intensiorem actum voluntatis, & actiorem conatum causet: atque ex ea parte, qua voluntarium est, inchoatio est, & pondus quo propellitur voluntas vehementer intendit; quia tamen sæpè obscurat cognitionem, quæ est conditio necessaria voluntarij, illud etiam quodammodò minuit, & minùs perfectum reddit, vnde minuit liberum, quod vnum probant argumenta Vasquis *d.* 28. neque sequitur ex imminutione liberi, decrementum voluntarij, quia vt obseruat Valent. *d.* 2. *quæstion.* 1. *part.* 5. ista duo non se habent vt genus & species: sed vt subiectum, & accidens; liberum enim voluntario vt subiecto aduenit; immò ex liberi decremento augmentum voluntarij inferunt, quia cùm decrescat liberum ex eo quod intellectus minori cum indifferentia proponit obiectum amandum, aut fugiendum: atqui voluntas maiori pondere fertur in illud, quod cum maiori determinatione, & minori indifferentia proponitur ab intellectu. Quod verò aliqui dicunt concupiscentiam ferre voluntatem in difficilia, & molesta, quæ auersaretur nisi vehementis cupiditatis æstu abriperetur, ac proindè esse in eo casu renisum quendam, & violentiam, secundùm quid, sicut contingit in metu, hoc non vrget; quia concupiscentia omnem illam molestiam absorbet, & difficultatem suauitate concupita ita diluit, vt nullus sit voluntatis renisus, aut vlla molestia, vt in metu, qui totum imminentis mali mœrorem relinquit, immò potiùs auget. Denique quod dicit sanctus Thomas *quæst.* 77. *art.* 6. concupiscentia minuit peccatum, quia decrescit voluntarium, liberum cum voluntario confundit.

QVÆSTIO II.

Quid sit potentia libera.

VOluntarium esse quiddam libero, & necessario commune iam diximus, siue habeat rationem superioris, siue generis, vt putat Vasquez, siue subiecti tantùm respectu accidentis, vt alij docent, qua de re inferiùs. Quia verò tota moralitas, in ordine ad quam humanos actus consideramus, non sumitur à solo voluntario, quod etiam brutis commune est, sed à libero, ideo eius seu potentiæ liberæ naturam, & modum agendi, reliqua disputatione loquemur. 1

Est autem potentia libera, quæ omnibus ad agendum necessariis, & prærequisitis semel positis potest agere, aut non agere, aut oppositum agere etiam in sensu composito. Quæ definitio omnia, quæ ad libertatem exigimus, continet. 2

Primò dicitur hæc potentia, *posse agere, aut non agere*, quibus verbis significatur indifferentia actiua ex eminentia facultatis & dominij in suos actus proficiscens: est autem indifferens, indifferentia prima obiectiua, quæ est in obiecto, quod vt indifferens ad terminandam prosecutionem, vel fugam, repræsentatur, & non necessitat voluntatem, eo quod habeat aliquod malum sibi admixtum, vel certè eo quòd non possideat totam boni plenitudinem. Obiectum itaque eo modo repræsentatum, indifferens appellatur. Secunda indifferentia est passiua, per quam passum formam aliquam, aut recipere, aut eâ carere, aut etiam contrariam admittere potest, cùm ex suâ naturâ ad nullam certam sit determinatum. Eiusmodi est materia prima nondum dispositionibus peculiaris formæ alicuius exigitiuæ affecta: ex se enim æqualem habet inclinationem ad quamlibet formam substantialem. Indifferentia denique actiua est dominium quoddam agentis in suos actus, vt eos ponat, aut non ponat per virtutem quandam internam, & non per vllam extrinsecam determinationem, licèt omnia ad aliquem actum eliciendum requisita adsint. Ex his indifferentiis duas priores reiicio à causa libera contra Ban. 1. *p. q.* 19 *art.* 10 *dub.* 1. *in* 3. *documento ad Nouit.* Comel. *ibid.* quamvis dein in excerptis ex 1. 2. *dist.* 3. *propos.* 5. sententiam mutârit, negátque priorem illam ab vllo vnquam Thomista propugnatam fuisse. Non dissentit etiam Aluar. *d.* 116. *conc.* 5. cùm ait prælucente iudicio indifferenti non posse non ferri liberè in obiectum voluntatem, etiam de potestate absoluta, quantùmque enim Deus illam adigat & propellat ad aliquem actum, erit tamen ille actus liber, si in intellectu perseueret indifferentia obiectiua. Sed facilè conuellitur hæc sententia, tum quia isti recentiores hanc tantùm indifferentiam admittunt circa ordinabilia ad finem, & cum eo non necessariò connexa, & tamen circa ipsum etiam finem vltimum, vt Deum cognitum abstractiuè vt summum bonum, liberas esse nolitiones dicunt: tum quia ipsimet aduersarij exigunt actum intellectus quem appellant efficax imperium, quia per illud intellectus tam potenter imperat voluntati acceptare propositum obiectum vt resilire nequeat. Ad quid igitur aduertentia indifferentiæ obiecti? Si iudicium quo intellectus iudicat hîc & nunc hoc esse amplectendum, quamvis naturæ indifferentis sit, & voluntas abripi se necessariò patiatur, quæ proinde à priori aduertentia indifferentiæ

B obiecti

obiecti non dirigitur. Itaque non satis secum consentiunt aduersarij. Secundò hac stante indifferentia obiectiua, potest necessitari voluntas: ergo in ea differentia non est libertas. Antecedens pluribus ostendi potest. Primò, quia ex aduersariis, si Deus ageret necessitate naturæ, tolleret omnem libertatem causarum secundarum, relinqueret tamen iudicium rationis de obiecti indifferentia: neque enim ex ea necessitate actionum primæ causæ, mutaretur natura obiectorum, quæ cùm sint essentialiter creata, habent necessariò bonitatem dilutam, & commixtam aliquâ malitiâ, aut saltem totam bonitatis amplitudinem non complectuntur, ac proindè nihil habent quo necessitent ad sui amorem, vel fugam, voluntatem, neque vt talia apprehendi ab intellectu nisi hallucinante, postulant. Secundò, falsò damnantur noui errores quasi reiicientes, exscindentésque humanam libertatem ex infamis Caluini placitis: neque enim illi negant indifferentiam obiectiuam, quam licèt diuina gratia, prouidentia, & decretum intactam relinquant, ab istis tamen nebulonibus libertatem euertere dicuntur. Exigit igitur præter eam indifferentiam aliquid aliud Ecclesia catholica ad libertatem, dum aduersùs Caluinistas, vt contra eius veros euersores agit. Tertiò, cùm libertatis vsus sit in electione, qua aliquid admittitur, vel repudiatur, quis dicat illam in actu formali intellectûs consistere, & non in voluntate? Denique potest Deus perseuerante iudicij indifferentiâ, voluntatem ad actum aliquem vi adigere; vnde enim id implicat repugnantiam? Cur enim non poterit Deus concursum denegare voluntati ad omnem actum? quamvis iudicium indifferens perstet in intellectu, aut certè ad vnum tantùm actum, ex oppositis concedere, aut etiam ad illum eliciendum sua infinitâ virtute potenter adigere.

4 Quæ verò afferunt aduersarij ex S. Thoma ex 1. 2. *quæst*. 17. *art*. 1. *ad* 2. & 1. *part*. *quæst*. 83. *artic*. 1. docent tantùm radicem libertatis petendam esse ex intellectu cum indifferentia obiectum repræsentante, quod nos non negamus, imò & pluribus stabilimus, sed dumtaxat illam indifferentiam, esse formalem ipsam libertatem, & quamvis quoties voluntas suo pondere fertur, toties actum liberum etiam & indifferentem exerceat, quoties obiectum illi cum indifferentia proponitur; potest tamen prælucente eodem iudicio de obiecti indifferentia in vnam partem determinari, ac proindè suæ libertatis exercitio priuari; quod sufficit vt negemus in ea indifferentia consistere formalem libertatem.

5 Reiecit secundò indifferentiam tantùm passiuam à causa libera, contra recentiores quosdam apud Suar. *lib*. 1. *de auxil*. *cap*. 2. *& cap*. 8. *numero* 4. & *proleg*. 1. *de gratia*. *cap*. 2. quod idem impudenter impingit Cumel. *Tom*. 2. *variar*. *disputat*. *disput*. 3. *propos*. 4. Bellarmino eo quòd *lib*. 3. *de gratia & lib*. *arbitr*. *cap*. 9. *ad* 3. dicat libertatem voluntatis in eo sitam videri quod propositis pluribus rationibus non necessariis, sinat se moueri potius ab vna quàm ab alia. Quibus verbis non asserit Bellarminus voluntatem se tantùm habere passiuè, sed sese determinando actiuè sinere se moueri ab obiecto, quod ob suam indifferentiam, vim non habet adigendi ipsam. Et *ibidem cap*. 10. multis confutat hanc indifferentiam passiuam. Nam passiuum indifferens ad recipiendum non determinatur à se ipso, sed ab agente, quod si necessarium sit, necessariò affectum imprimet, & necessariò passum illud recipiet: sin autem liberum, aget quidem pro suo arbitrio, sed si libeat agere non erit in potestate passi reluctari: determinatur enim semper ab aliquo extrinseco. Neque dicas passum iuuare, aut impedire actionem; id enim vel facit per resistentiam formalem, propter incompossibilitatem, quam habet cum forma producenda ratione propriæ naturæ, aut alicuius alterius, aut formæ & dispositionis qua affectum est: vel per resistentiam actiuam. Si primum dicatur necessariò aut iuuat, aut resistit, etiam respectu cuiuslibet agentis, nulláque ibi visitur indifferentia. Si autem reluctetur per actionem, iam ibi non est indifferentia passiua, & ea resistentia est merè naturalis, & respectu cuiuslibet agentis, quod tamen vbi fortius fuerit, vincet totam resistentiam passi, quod necessariò formam productam recipiet. Si itaque voluntas passiuè dumtaxat sit indifferens, ab aliquo extrinseco determinari debebit, quod cum natura libertatis statim non conuenire apparet.

Tertiò, itaque admittenda est indifferentia actiua per altum quoddam dominium, in suos actus exercendos, aut non exercendos, aut in hac, aut illa specie pro varia libertate exercitij, aut specificationis, vt *inferiùs* exponetur, ita vt ea facultas seipsam determinet & applicet, cum posset ad oppositum. Ita omnes qui definitionem allatam *superiùs* approbant, prætérque nostros auctores Sotus *lib*. 1. *de natura*. *& gratia*. *cap*. 16. Medin. 1. 2. *quæst*. 6. *art*. 1. *concl*. 1. Veteres, maximè S. Thom. & Scot. dabunt laudati Auctores, imprimis Suar. *prolog*. *cit*. accedunt PP. qui huius dominij meminere sæpiùs & in eo libertatem collocarunt, Amb. *lib*. 2. *de Iacob*. *cap*. 3. Augustin. *lib*. 1. *de lib*. *arbitr*. *cap*. 12. *lib*. 3. *cap*. 3. Tertullian. *lib*. 2. *contra Marc*. *cap*. 6. vbi ea de causa nos emancipatos dixit. Addo eos qui in eo dominio diuinam imaginem insculptam dicunt, Macar. *homil*. 15. Nyssen. *lib*. *de hom*. *opific*. *cap*. 4. & *orat*. *Catech*. *cap*. 5. Hieron. *epist*. 146. *ad exemplum Dei permissum est nobis facere quod velimus*: ipsæ denique Scripturæ satis indicant idem dominium *Eccles*. 15. *Ad quod volueris porrige manum tuam*: & *cap*. 31. *Qui potuit facere mala*, *& non fecit*. Vnde tandem Tridentin. *sess*. 6. *cap*. 5. *& Can*. 4. damnat eos, qui dicunt liberum arbitrium in actibus supernaturalibus nihil omninò agere, & merè passiuè se habere. Ratio enim perspicua est: nam si non habeat vim agendi, & non agendi, sed tantum verbi gratia vim agendi, omissio seu negatio actionis, non erit libera, sed per modum naturæ connexa, & omninò necessaria: si verò habeat tantùm vim agendi, semper erit actio, & omissio actionis nunquam sequetur, nisi ab aliquo extrinseco impediatur actio. Neque alia potest assignari distinctio inter causam liberam, & necessariam, nisi quia necessaria omnibus ad actionem prærequisitis stantibus, non potest sistere actum suum, sed necessariò agit: quod enim Victor. *relect*. *de puero veniente ad vsum rationis*, *num*. 5. ait dari causam quæ licèt non possit agere, aut non agere, non sit tamen necessaria quamvis etiam non sit libera, quod confirmat ex pueris, & amentibus & motibus primo primis, qui habent actus voluntatis indeliberatos, ac proinde non liberos, non tamen necessarios, cùm sint voluntarij. Confudit necessarium cum violento Victoria; & malè contra torrentem DD. vt ipsemet fatetur, nisus est. 6

7 Dixi. Secundò, causam liberam dominam esse suorum actuum positis omnibus ad actionem prærequisitis, quod difficultatem habet ex diuino concursu, qui est ex prærequisitis, eo tamen posito non potest non sequi actio, vt etiam obiicit Aluar. *lib*. 12. *de auxil*. *d*. 115. verùm facilè diiicitur, si diuinus concursus consideretur in actu primo, prout est

voluntas concurrendi cum libera voluntate. Hæc concurrendi voluntas in Deo conditionata est, neque quidquam ponit in voluntate creata, sed tantùm illi offert suam omnipotentiam paratam ad coagendum cum ea, vt voluerit, atque ita consideratus diuinus concursus est vnum aliquid ex prærequisitis, & potentiam creatam integrans ac incitans, eóque posito potest non esse actio: quia libertas creata potest non vti diuino concursu sibi præparato: si verò sumatur diuinus concursus actualis, est iam ipsa actio creaturæ, ab vtraque causa tum prima, tum secunda immediatè pendens, vnde eo posito non potest quidem non poni actio, sed necessitate tantùm consequente, quæ non tollit libertatem: neque enim Deus exhibet hunc actualem influxum, nisi quia vidit per scientiam mediam, creatam libertatem in eo ordine rerum positam, si habeat concursum indifferentem sibi paratum, eo in eam, aut aliam partem vsuram. Eius itaque nutui sese accommodat, non quasi actio voluntatis præcedat diuinam, sed quia Deus, qui penetrat omnes latebras humanæ mentis, præuidet esse ea se & sua libertate ita operabundam, atque adeò si sibi relicta posset sine indigentia diuini influxûs agere, illam hanc actionem elicituram. Hinc vides totum concursum diuinum in actu secundo spectatum non præcedere determinationem causæ liberæ, sed comitari: at verò in actu primo ita esse ex prærequisitis ad actionem, vt planè liberam & indeterminatam voluntatem relinquat, vti iam dictum est. Consule Suar. *d.* 22. *sect.* 4. *num.* 10. & Valent. 1. 2. *disp.* 8. *quæst.* 5. *part.* 4. §. 4.

8 Dixi tertiò, manere indifferentem ad agendum causam liberam, perseuerantibus omnibus prærequisitis ad actionem etiam in sensu composito, contra Aluar. *d.* 115. *cap.* 1. vbi ait intelligendam esse definitionem allatam in sensu diuiso, quod videlicet eiusmodi potentia retineat semper facultatem non agendi, si aliquid ex illis prærequisitis tollatur, atque ita ea simultas est potentiæ ad actionem & non actionem cùm possit successiuè & pro diuerso statu modò ponere actionem, modò non ponere; non habere autem potentiam simultatis, quasi verò vtrumque simul habere possit, cùm id apertè implicet, neque etiam posse alterutrum ex duobus iungere, cum prærequisitis ad actionem; quod est tantùm facere sensum diuisum; sed facilè reiicitur tota hæc noua & veteribus incognita expositio, quæ planum verborum sensum allatæ definitionis ita detorquet, vt planè naturam causæ liberæ destruat, cùm quidquid in ea definitione ponitur, æquè quadret in causam necessariam, ac liberam, si adhibeatur particula sensûs diuisi. Nam perpetuâ inductione constat, omnes causas naturales, & necessarias habere quoque potestatem non agendi stantibus omnibus ad actionem requisitis in sensu diuiso; hoc est si aliquod ex requisitis tollatur, omnes etiam habere simultatem potentiæ, possunt enim elicere actionem, & eâ carere, possunt etiam habere simultatem potentiæ ad assensum, & dissensum, vt ignis ad igniendum, & non igniendum pro varia dispositione materiæ, & aliis conditionibus. Itaque si nihil aliud concedatur causæ liberæ, à necessariis non dissidebit, neque cessabit ab actione, verbi gratiâ sublato aliquo ex prærequisitis, ex dominio, quod habeat in suos actus eliciendos, aut non eliciendos, sed necessariò defectu alicuius sine quo non potest elici actio. Itaque ea omissio non magis erit libera, quàm non illuminatio cubiculi à sole occlusis fenestris; ipsa quoque actio cum stantibus prærequisitis non possit non elici, erit quoque necessaria, vt *superiùs* arguebamus. Denique nunquam voluntas erit proximè libera, sed remotè dumtaxat, ac proindè nunquam actus erit formaliter liber, qui, vt talis sit, proficisci debet à potentia proximè libera, vt patet. Potentia autem, quæ non est completa, & constituta in actu primo ad agendum est tantùm remota, neque actu potest operari sine aliqua sui mutatione, acquirendo videlicet dispositionem aliquam, quam non habebat, aut amittendo aliquod obstaculum, quo impediebatur. Eiusmodi verò est quæ non habet omnia ad actionem prærequisita. Ergo si tantùm tunc potest non agere, non est proximè libera ad non agendum quando habet omnia requisita ad actionem, sed mutari debet & aliquid amittere, vt sit proximè libera ad negationem actionis, & tunc non est etiam proximè libera ad actionem, quia in illo priori, seu naturæ, seu temporis, propter defectum alicuius prærequisiti, nequit operari: alioqui nihil deesset ad operationem. Vt itaque fiat proximè potens ad actionem aliquid de nouo comparare sibi debet, & nunquam est nisi remotè libera, contra omnes Theologos & communem omnium sensum ac experientiam. Et sanè frustrà esset remota libertas, quæ nunquam ad exercitium reduceretur, id autem non posset, nisi fieret proximè libera. Debet igitur eiusmodi potentia ex eminenti dominio in suas actiones, vbi omnia ad agendum necessaria sortita est, illas profundere, aut cohibere ad arbitrium, & se in quam libuerit partem ex apprehensis per intellectum flectere, & determinare.

Quæritur verò quid sit ea determinatio ad vnam partem in voluntate, seu, vt alij loquuntur applicatio, & quomodo fiat? Argentin. *in* 2. *d.* 25. *quæst.* 3. *art.* 2. ait fieri per defectionem ab actu, ad quem ab vna ex rationibus mouebatur: tunc enim motus alterius est vegetior, sicut nauis, quæ trahitur à duobus vbi vni resistit, alterius partes iuuat: sic voluntas dicitur mouere se ipsa. Sed hæc sententia vel trahi tantùm passiuè ab obiecto voluntatem falsò supponit, aut in voluntate actionem aliquam, qua vni motioni resistat admittit, ac proindè ea determinatio non fit per solam cessationem ab actu. Durand. *in* 2. *d.* 24. *quæst.* 2. *num.* 8. agnoscit in voluntate quosdam actus necessarios, per quos deindè ad velle liberum sese determinet; cùm tamen posset cohibere: verùm quamvis ad primam appetibilis propositionem ab intellectu exurgat in voluntate prægustatio quædam boni illius, & motus quidam necessarius, ac indeliberatus, cuius meminit S. Anselm. *lib. de casu diabol. cap.* 12. cùm ait, voluntatem per suum actum primum non posse peccare, quia per illum se applicat ad volendum, & nondum vult: est enim ille motus veluti naturalis, quo propellitur ad obiectum potiùs, quàm ipsa liberè tendit, quamvis inquam, hunc actum non inficiamur, negamus tamen per eum sese determinare voluntatem ad actus liberos. Si enim ea determinatio necessariò ponatur, quomodò erit liber actus, qui non potest non poni per eam determinationē, neque ab illo præuio pondere, & impulsu aut notitia intellectus non habuit volūtas vt posset cohibere suum actum, sed à seipsa: ergo neque habuit determinationem à præuiis illis actibus necessariis, & quamvis voluntas velit volens, non tamē opus habet ad primam volitionē voluntariam alia volitione præuia: omnis enim volitio eo quòd fluat ex volūtate, est voluntaria formaliter per seipsam, licèt aliquādo vna volitio ab alia prodeat, cùm voluntas sibi ipsi imperet

alicuius obiecti volitionem, quæ posterior volitio habet se instar obiecti respectu volitionis prioris. Non est igitur vllus actus prævius necessarius ad actum, vt actus sit formaliter voluntarius, multò minùs vt sit liber, vt etiam ostendit Scot. *in 3. d. 18. q. 8. litt. L.* hic enim actus est liber, vel necessarius: si necessarius, quomodò actus per eum volitus, erit liber? Si verò sit ipsemet liber; vel id habet ab anteriore actu, de quo idem quæretur, atque ita in infinitum, vel seipso liber erit, & hoc idem de posteriore dici poterat.

10 Tertiò itaque nonnulli hanc determinationem voluntatis dicunt esse actum primum elicitum à voluntate, verum id quidem est de determinatione formali ad actus vlteriores tum elicitos, tum imperatos, sed cùm ille primus actus ita sit determinatio, vt etiam sit primus actus, quæritur per quid se determinet ad illum primum actum voluntas, quæ ante omnem actum sese applicare ad hanc potius quàm aliam volitionem intelligitur? Primus enim ille actus qui entitas quædam est, liberè efficitur à voluntate, ita vt ab ea omitti potuerit, & sit prorsùs contingẽs. Debuit igitur ad eum determinari voluntas priùs naturâ quàm eum elicere: est enim inintelligibile, effectum prodire ab agente priùs naturâ indifferenti, & indeterminato actualiter. Neque, vt olim fusiùs demonstratum est, indeterminatio potentialis cum determinatione actuali pugnat, imò perpetuò in omni ente contingente reperitur. Hæc igitur determinatio causæ, quam aliqui idcircò causalem vocant, quia est in causa libera ante omnem determinationem formalem, aliud mihi non esse videtur quàm ipsamet causæ liberæ entitas in actum primum, qui deindè rationem habet formalis determinationis, ita erumpens vt possit illum cohibere, aut alium oppositum elicere: si enim esset aliquid distinctum à potentia, vel esset aliquid ab ipsa prodiens, vel aliunde adueniens. Si primum, vel liber manebit à potentia, & tunc redibit eadem quæstio de determinatione potentiæ ad hanc liberam entitatem: vel necessariò fluet à voluntate, & actus eam consequens liber non erit, si aliundè, vt dicebatur, adueniat, vel necessariò imprimatur: & ita tollitur libertas, vel liberè, & tunc opus est aliqua actione libera potentiæ, de qua eadem quoque recurret difficultas. Est igitur ipsa entitas voluntatis quæ eadem manens & physicè immutata potest tendere in opposita, & sicut causa omnis necessaria, vbi completa est in actu primo determinatur ad agendum sine vlla sui mutatione: ita & causa libera se flectit ad opposita, & modò ad vnum primum actum determinat & applicat, modò ad alium sine vlla sui mutatione, & vult quia vult, seu quia se determinat ad volendum: hæc enim determinatio est causa primæ volitionis causalis; in actibus autem supernaturalibus non se applicat ad agendum nisi vbi gratiâ cõfirmata est imbecillis voluntas creata: quare frustrà aliqui metuunt, ne si eam determinationem causalem ante omnem formalem admittant, videantur fauere Pelagio: nam hæc determinatio supponit causam liberam completam, & in actu primo constitutam ad agendum, quod non habet voluntas respectu actuum supernaturalium, nisi beneficio gratiæ donatæ; tunc autem potest se ad actionem, vel non actionem determinare; quæ omnia pridem obseruauimus in explicanda diuina libertate, ex quibus ista lucem accipiunt, & vicissim reddunt.

11 Dixi quartò causam liberam esse indifferentem ad actum, vel negationem eius, aut ad oppositum, non quasi hæc omnia simul habere possit, sed vnum, vel alterum pro arbitrio, cùm ad nullum aliundè adigatur, sed ipsa pro sua potestate eligat. Indicaui autem his verbis duplicem libertatem, vnam exercitij, & contradictionis; alteram specificationis & contrarietatis. Prima est, per quam potest poni actus, vel ab eo cessari, quamvis oppositus poni non possit, vt in posteriore libertate, & actio, & negatio eius, & opposita actio, vti libuerit voluntati, ponuntur. Quare hæc posterior priorem includit, cùm non possit dari potentia ad actus aliquos oppositos, quin sit etiam ad non exercendum aliquem actum, cuius oppositus tum nequeat elici ab eadem facultate, & quia inter duplicem hanc facultatem, non est vllam mediam reperire, fit vt hæc diuisio sit adæquata.

Hinc elicies quod *superiùs* insinuaui cum Valent. *d. 2. quæst. 1. part.* 1. contra Vasq. *disp.* 23. *num.* 24. liberum non esse speciem voluntarij, sed accidens quoddam ipsi adueniens, cùm eadem omninò potentia, vt est principium influens in actum cum cognitione singulorum, sine indifferentia, sit principium voluntarium; vt autem in eundem prorsùs actum cum indifferentia influit, hoc est, ita agit, vt possit non agere, vel oppositum agere, est principium liberum. Hic autem tota indifferentia radicaliter oritur à varia notitia prælucente, quæ cùm sit accidentaria voluntati, denominationes etiam ab eadem potentia desumptæ erunt quoque accidentales, & non intrinsecæ essentialiter. Adde quoque cum Molin. 1. *part. quæst.* 23. *art.* 4. & *disp.* 1 *num.* 7. Vasq. 1. 2. *d.* 55. *num.* 13. Suar. *d.* 19. *n.* 5. 7. Becan. *hic c.* 3. *q.* 3. Less. *lib.* 13. *diuin. perfect. num.* 176. Salas *tract.* 7. *d.* 9. *num.* 49. Ægid. *d.* 2. *de actibus supern. dub.* 8. contra Hurtad. *d.* 15. *de anima sect.* 6. liberum esse tantùm denominationem extrinsecam in actu à potentia indifferente, seu agente, cùm posset non agere, vt olim annotauimus, cum de diuina libertate; ita vt idem actus numero possit esse liber, & necessarius, immutata physica entitate, & non seruata eadem moralitate, quod tantùm intendit S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 1. dum dixit bonum, & malum, ad quæ pertinet necessariò liberum, esse differentias essentiales actuum humanorum. Et sanè si dum voluntas exerit actum amoris, ei negaretur concursus ad actum odij, imò & adigeretur ad actionem, quis dicat tunc eam aliam speciem, aut etiam numero actum producturam? vnde enim peteretur ea diuersitas entitatiua? quod enim Suar. qui deindè *prolegom.* 1. *de gratia, c.* 5 *num.* 10. numerica entitate variationem aliquam fore suspicatus, si Deus adigat voluntatem nostram ad actum, ait tunc diuinum concursum fore efficaciorem, aut alterius etiam rationis, quàm modò sit, non vrget: quia influxus diuinus non esset efficacior in ordine ad actionem productam, quam modò sit, cùm actio & à voluntate, & à Deo simul coagentibus siue necessaria, siue libera sit, producatur. Erit igitur tantum efficacior quoad modum asciscendi sibi voluntatem veluti in consortium actionis: eam enim abripit, & suæ libertati non relinquit, quoad tamen entitatem actus siue specificam, siue numericam non immutat. Prout igitur potentia operans determinata est naturâ suâ, aut ab extrinseco, aut ex se indifferens, & vi suâ natiuâ sese ad vnum ex oppositis determinans, cum posset in aliud se flectere, dicetur operatio necessaria, vel libera. 12

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Quanam sit potentia libera.

1 DAri facultatem liberam, cuius *superius* naturam descripsimus, & quam liberum arbitrium nominamus, tam constans est Scripturæ, Conc. Patrum, Philosophorum, totiúsque vniuersitatis consensus, vt in ea adstruenda pluribus non sit immorandum, maximè cùm id accuratè præstiterint Bellarmin. *libro* 4. *de libero arbitrio, cap.* 15. *lib.* 5. *cap.* 4. *lib.* 6. *cap.* 10. Molin. 1. *part. quæst.* 14. *d.* 3. *in art.* 13. Valent. *ibid. disp.* 6. *quæst.* 6. *p.* 4. Suar. *prolegom.* 4. *de gratia, cap.* 4. Theophil. *disp.* 2. *moral. quæst.* 3. *art.* 1. contra Nouatores qui quàm imprudentissimè homini hanc facultatem Adami peccato periisse declarant: Caluin. enim *lib.* 2. *instit. cap.* 2. §. 4. *d.* 8. ipsum liberi arbitrij nomen repudiat, & in seruum commutat. Luther. *in assert. art.* 6. summam rerum suarum in hoc articulo verti existimat, licèt deindè solito sibi vertiginis spiritu sententiam mutarit. Peregregiè etiam mentitur Caluin. omnes veteres tam obscurè in hac parte locutos fuisse, vt nihil certi de eorum mente colligere liceat, Augustinum autem liberum arbitrium apertè non agnoscere: quod mendacium laudati authores; nube testimoniorum satis dispellunt, ex vno August. quem ille blatero acriùs pupugit: pauca verba reddo, *libro tertio de liber. arbitr. cap.* 3. *Voluntas nostra, nec voluntas esset nisi esset in nostra potestate: porrò quia est in nostra potestate libera est nobis, non enim esset nobis liberum quod in potestate non esset.* Et *Epist.* 89. *ad Hilar. Neque voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia non tollitur. Lib. de spiritu & anima, cap.* 48. *Dicimus vnam eandémque esse animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrij vt in sua substantia eligat communione quod vult.* Ad ea verò quæ Caluinus eiúsque combibones ex eiusdem Doctoris scriptis detorquere possent, ipse respondet *libro* 4. *contra Iulian. capite* 8. *Tu autem vir honestus & verax abstulisti verba quæ dixi, & dixisti quæ finxisti, ego enim dixi istam quæstionem ad discernendum esse difficilem, non autem dixi non posse discerni, multa minùs ego dicerem quod me dixisse mentiris, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur, & negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium. Redde verba mea, & euanescet calumnia tua.*

2 His omnibus accedit validissima ratio. Homo est rationalis, neque peccato Adami eam differentiam sui essentialiter constitutiuam amisit, ergo est quoque liber: quam consequentiam probant Suar. *libro quinta de auxil. cap.* 3. Vasq. 1. *part. disp.* 231. *cap.* 3. vbi etiam supponunt nullam fieri posse creaturam rationalem non liberam, ob essentialem nexum intellectus & libertatis contra Gabriel. qui *in* 2. *dist.* 23. *quæst.* 8. *litt. D.* censet creabilem esse voluntatem specie diuersam à nostra, libertate carentem, quæ eodem modo intellectum ad vnam tantùm partem determinatum sequeretur, atque appetitus sensitiuus phantasiam, quod est destruere naturam intellectus, & voluntatis: cùm enim intellectus sit potentia vniuersalis, quæ apprehendit amabilitatem obiecti & repudiabilitatem, voluntas quoque, quæ per intellectum mouetur, debet esse vniuersalis potentia, & prosecutiua omnis boni, atque mali auersatiua, atque cùm vtraque ratio simul ipsi ab intellectu repræsentetur, debet ad alterutram posse se determinare; alioquin hærebit suspensa: non enim ab intellectu, qui & bonitatem & malitiam obiecti refert, determinatur, vt patet, quæ est ratio sancti Thomæ *lib.* 2. *contra Gent. c.* 48. *& quæst.* 14. *de verit. art.* 1. *ad* 2. mouens, & motum debere esse proportionata; voluntatem autem moueri ab intellectu per formam vniuersalem, pugnantes rationes amabilitatis, & repudiabilitatis in eodem obiecto, vt dixi, referentem. Quare eandem vniuersalitatem quoque habebit voluntas, ac proinde omnis natura rationalis, vt etiam inductione constat, erit libera, vt ait Iren. *lib.* 4. *cap.* 9. & Damascen. *libr.* 3. *de fide, cap.* 14. Cùm itaque hanc naturam non sustulerit Adami culpa, neque etiam excidit libertate, nisi dicant diuinis decretis violari, quod expendetur inferiùs.

His ita constitutis quæritur, quænam sit hæc potentia libera?

Non est appetitus sensitiuus.

Appetitum sensitiuum in nobis aliquâ libertate pollere censuit Caiet. 1.2.*q.*74.*art.*4. quæ etiam sufficiat ad peccatũ veniale. Verùm passim reiicitur, quia omnes motus sensuales essent peccata venialia, contra communem PP. & Theologorum sensum, maximè Anselmi *lib. de concept. Virg. & de peccata origin. c.* 4. pueri quoque & amentes, in quibus hi sensus maximè vigent, peccati capaces essent, & pœnis destinarentur; quod omnes æquè rejiciunt. Deinde cum appetitus moueatur dumtaxat à prælucente sibi phantasia, cuius notitia est ad vnum determinata, & obiectum repræsentat cum indifferentia, sed vel vt bonum sensibile tantùm, vel vt malum sensibile, debet in bonitatem repræsentatam ferri & præcipitari appetitus, neque seipsum cohibere potest: vnde enim habet illud dominium? & quandiù eadem notitia phantasiæ perseuerabit, erit quoque idem motus in appetitu, neque desinet nisi mutatâ cognitione: tunc enim appetitus mutabitur; quod quandam vmbram & vestigium tenue libertatis vocauit Molin. 1. *p. q.* 14 *art.* 13. *d.* 12. in quem immeritò inuehitur Cumel. *tom.* 2. *var. dis.* 3. *prop.* 1. quasi bruto libertatem concesserit. Quod autem Caiet. existimat *l. c.* S. Th. admisisse leue peccatum in sensualitate, fallitur: nam S. Doctor eam culpam in ordine ad voluntatem, quæ non ita fuit diligens in præcauendis eiusmodi motibus, considerauit, à quo etiam ordine dicuntur vel primo primi, cùm exurgunt nihil opinantibus nobis, & omnem etiam leuissimam malitiæ moralis considerationem ac voluntatis consensum præueniunt: aut secundo primi, cum aliqua leuis malitiæ ipsorum existentia animum pulsat: aut denique consummati, cùm iam plenè adesse quis aduertit, & tamen illos directè vult, vel indirectè, eos patiendo libenter.

Hinc colliges, bruta omni prorsùs libertate carere, quod tamen aliqui hebetiores ipsis brutis negare sunt ausi. Cùm enim bruta solâ cognitione phantasiæ ad vnum determinatæ polleant eorum quoque, vti dixi, appetitum determinatum esse oportet: vnde igitur erit illis libertas? & ipsa experientia constat in eorum imprimis cupiditatibus, quæ semper eædem sunt, & circa eadem obiecta, vnde quoque fit vt iisdem perpetuò sint obnoxia passionibus: omnes enim lupi rapaces sunt omnes leones truces, quòd secùs in hominibus ob voluntatis libertatem, eiúsque in reliquas potentias, ipsúmque appetitum sensitiuum, dominium, accidit, vt obseruauerunt Ne- 4

mes. c. 2 *de homine*, Macar. *hom.* 15. Chrysost. *hom.* 12. *ad popul.* Adde bruta fore capacia laudis & honestatis, turpitudinis quoque moralis, ac demùm peccati, & mercedis, quod absonum est. Quæ autem obiici solent, leuia sunt, vel petunt difficultatem philosophicam de instinctu, quo ducuntur ad mirabilia quædam opera exercenda, quæ rationalem causam exigere videntur; vel cessationem ab opere quandoque inchoato, quæ tamen non reperitur nisi ob alicuius nouæ circunstantiæ occursum, mutato phantasiæ iudicio; vel denique obtruditur decantatus ille Asinus Buridani, qui fame & siti vexatus æquè ad oppositam auenam & aquam in æquali distantia ad vnum eorum se determinabit.

Respondeo cum Medin. 1. 2. q. 13. *art.* 2. hæsurum suspensum, donec ab vtroque determinetur, quod esse apertum ait Medin. in amente, qui præpositis duobus pomis non poterat ad alterutrum se determinare. Idem censet Theoph. *d.* 2. *moral. n.* 158. neque abest Sal. *tract.* 6 *d.* 1. *n.* 22. malè tamen addit æqualiter appetiturum donec adueniat extrinseca determinatio; vtrumque obiectum & æqualiter mouendum ad vtrumque, per eandem viam, sed possunt ita adhiberi obiecta, vt quando ad vnum accedet, recedat ab alio, quæ etiam ratio solutionem Valentiæ *d.* 2. *q.* 8. *p.* 4. infringit, videlicet primò vtrumque obiectum appetiturum per modum vnius; deinde ad vnum ea mero naturali instinctu se appliciturum, non per electionem quasi vnum alteri præferat, vt quando famelico apponitur auenæ cumulus: primò enim totum appetitum, deinde ab aliquibus granis consumere auspicatur, non quod hæc potiùs grana, quàm illa eligat, sed ex instinctu naturæ. Verùm si obiecta dissita sunt, atque ita constituta, vt accessio ad vnum sit recessus ab altero, ea solutio non valet, vt vides.

Non est etiam intellectus.

5 Durand. *in* 2. *dist.* 24. *quæst.* 3. *num.* 15. existimat intellectum per prius & principalius esse liberum quamvis deinde *numero* 22. de sola exercitij libertate loqui videatur; absolutè verò idem asserunt alij apud Picolomio. *gradu* 2. *cap.* 40. eo quòd tota libertas voluntatis non sit nisi per subordinationem ad rationem, quæ est, vt apparet, in intellectu, nec nisi participatiuè in voluntate. Communior sententia est Suar. *d.* 19. *sect.* 3. Bellarm. *lib.* 3. *de lib. arbitr. cap.* 6. *propos.* 5. ait hanc perfectionem non competere intellectui formaliter, cùm neque liber sit quoad specificationem, neque quoad exercitium, quæ est adæquata diuisio libertatis, vti *suprà* diximus. Et quidem de libertate specificationis res videtur manifesta, cùm intellectus naturâ suâ determinatus sit, vt vero assentiatur, & falso dissentiatur, ita vt si nulla harum rationum appareat in obiecto, hæreat suspensus, neque vllum eliciat actum assensûs, aut dissensûs quia caret obiecto, sed solùm inquirat veritatem, aut falsitatem, & tunc non cohibet suum actum ex dominio interno in illum, sed propter imperfectam obiecti propositionem, quæ non sufficit vt naturali impetu, quo inclinatur ad verum, in illud feratur: at verò voluntas est domina sui actûs, & à seipsa tantùm intrinsecè determinatur, non ab obiecti propositione, quamvis clara & euidenti: sicut eius etiam indifferentia non oritur ab obscura propositione obiecti, sed ab intrinseca & innata libertate: quod totum manifestum fit in diuino intellectu, in quo nulla nisi euidens & clara notitia est, & tantum in diuina voluntate est perfectissima, & summa libertas circa omnia obiecta creata quæ non nisi euidentissimè ipsi ab intellectu repræsentantur. Deinde ratio motiua intellectus est sola veritas & falsitas quæ simul reperiri nequeunt in eodem obiecto, cùm videlicet veritas consistat in indiuisibili, vnde fit vt non relinquat intellectum indifferentem. Ratio verò motiua voluntatis est amabilitas & repudiabilitas, quæ per diuersos respectus in vno eodémque obiecto possunt reperiri, ac proinde quamvis euidenter proponatur, relinquunt voluntatem indifferentem vt vel prosequatur obiectum, propter eius amabilitatem, vel auersetur propter adiunctam disconuenientiam, aut non plenam saltem amabilitatem, & bonitatem.

Iam verò exercitij quoque libertate carere intellectum ostenditur: quia actus qui non exercetur ex impetu naturæ, sed liberè, debet præeligi & præferri cessationi ab actu, hoc est, velle vnum præ alio, non autem intelligere. Quæ omnia confirmantur ex eo quòd probitas non sumatur ex cognitione & intelligentia, sed ea volitione, alioqui doctiores essent meliores.

Est sola voluntas.

Restat itaque vt reiectis aliis potentiis, sola voluntas libera sit, cùm sola, vt docuimus, sit domina sui actûs, & potentia ita vniuersalis, vt rationes eius motiuæ in partes oppositas simul in eodem obiecto reperiantur, ac proinde nisi penes potentiam sit facultas sese quo libuerit determinandi, id ab extrinseco, videlicet Deo, fieri necesse sit, atque ita omnia scelera Deo concedenda erunt. Hinc fit vt tum opera honesta, tum turpia vni tribuantur voluntati, à qua probi, aut improbi denominantur, vt latè Anselm. *lib. de concept. Virgin. cap.* 4. habet: atque hæc assertio tam firma est, vt ne quidem de potentia absoluta dari possit potentia libera alia à voluntate, vt docent Suar. *prologo primo de gratia cap.* 4. & Salas *tract.* 3. *d.* 1. *num.* 138. quia reliquæ omnes potentiæ vel sunt naturales, vel vegetantes, quæ cognitione non reguntur; quod tamen necesse est ad libertatem, quæ consistit in virtute quadam dominatiua in suum actum, vt illum eliciat, aut cohibeat positis omnibus requisitis ad actionem, quod sine cognitione fieri non potest: aliæ verò potentiæ ducuntur quidem cognitione, sed determinata; cùm tamen indifferens necessaria sit, vt sæpius monui, eiusmodi est appetitus sensitiuus. Restat itaque sola voluntas, quæ notitiam indifferentem sibi prælucentem exigit: iam enim cognoscitiuas omnes potentias apertè exclusimus. Neque recurras ad potentiam obedientialem: illa enim non est nisi ad agendum, aut recipiendum, & hoc loco receptiua non est vsui, quia potentia libera actiua est, etsi facultati alicui inderetur eiusmodi vis actiua, ea nihilominùs facultas libera non fieret alio modo quàm quia esset subiectum libertatis. Actiua autem facultas agendi, & non agendi quâ ratione alio modo quàm per receptionem communicatur potentiæ, quæ ea sua natura eo modo actiua non est; cùm debeat esse intrinseca, & non ea nutu alterius, quod tamen in potentia obedientialiter actiua contingere vides: ea enim non agit nisi vt instrumentum, & eo modo quo illam agere vult diuina potentia illam assumens.

Quandoquam

Quandónam sit expedita libertas?

7 Constat ex hactenùs assertis, soli homini inter hæc inferiora facultatem liberam competere, neque minùs certum videtur non in quolibet statu hanc facultatem expeditam esse, cùm alia de causa neque laudentur, neque etiam damnentur quæ fiunt à pueris & amentibus (de somniantibus enim nullus dubitat.) Accedit ratio à priori, quòd vsus libertatis nascatur ex notitia indifferenti proponente amabilitatem obiecti, & repudiabilitatem, ex qua fit vt voluntas sit domina sui actûs: hæc autem notitia non est nisi in sui compote: quamvis enim, vt statim dicam, aliqua ea ratio constet vel in somniantibus, vel in amentibus; ea tamen stabilis non est, & oritur potiùs ex cæco quodam phantasiæ illam determinantis impetu, quàm ex ipso rationis vsu naturaliter operantis genio; vndè vulgò omnes asserunt expeditam non esse libertatem nisi dum eo pleno rationis vsu pollet: distinguunt tamen aliqui duplicem libertatem physicam vnam, moralem alteram. Vna dicit dominium in actus exercendos, aut omittendos, vel hoc aut illo modo exercendos nullo habito respectu ad turpitudinem, aut honestatem moralem: libertas moralis dicit potestatem exercendi, aut omittendi actiones benè, vel malè, cum laude, aut vituperio. Priorem illam libertatem physicam pueris & amentibus concedit Victor. *relect.* 13. *quæ est de eo ad quod tenetur perueniens ad vsum rationis* 1.*p. rel. n.* 17. probat: quia qui incidunt in amentiam, non amittunt artes, quarum priùs periti fuerant, legunt, scribunt, ratiocinantur, cùm perfectos syllogismos forment: pueri quoque ante vsum rationis artes varias discunt, ad quæ omnia opus est cognoscant quid faciendum, quidve omittendum sit. Idem docuit Molin. 1.*p.q.*14 *art.* 13.*d.*2. & probabilius docet Theophil. *d.* 2. *moral. n.* 161. moralem libertatem semper cum physica reperiri, cùm principia naturalia & artificialia, & cognitio eorum quæ ad eam libertatem, quam physicam appellant, exigitur, multò perfectior sit, quàm cognitio principiorum moralium: quare si in intellectu amentis aut pueri est sufficiens notitia ad vsum libertatis physicæ, erit quoque ad vsum moralis, vnde ipsemet Victoria addit *n.*18. nunquam continget, vt quis possit iudicare de artificialibus, & non de moralibus, quæ & notiora sunt, & magis quodammodò menti à natura impressa. Quod autem affertur de artibus, quas pueri, & amentes exercent, nihil vrget, cùm scientiam & opera doceantur bruta ab homine: & quamvis rationes boni & mali moralis, atque boni & mali physici præscindi possint cognitione in eodem obiecto, & sæpè præscindantur negatiuè, cùm de aliqua per inaduertentiam non cogitamus, agimus tamen de præcisione quoad capacitatem, hoc est, an aliquis possit esse capax iudicandi de vna ex istis rationibus, & non de alia, quod fieri posse negamus. Superest inquirere quid sit plenus rationis vsus, quem libertas essentialiter præsupponit: non est enim tantum habere discursum aliquem & syllogismos formare, vt videtur censuisse Salas *tract.* 1. *d.* 5. *n.* 13. nam amentes & pueri non modò habent quosdam actus intellectus, vt *ibid.* rectè probat idem Salas contra Henr. *quodlib.* 6. *q.*9. sed esse discursum aliquem non tantùm casu, vt ex memoria ab præmissis ad conclusionem ordinatè procedendo, sed verè vi præmissarum assentiendo conclusioni: quod in plerisque somniantibus docet experientia. Si enim illis aliquid affirmantibus negetur, rectè idem probant, & ad sua principia sæpè conclusiones deducunt. Neque obstat quod ex præmissis aliàs cognitis, indè conclusionem deducunt, hoc enim sufficit ad verum discursum, habitus autem relictus à prioribus discursibus, nequit esse medium ad vllum omninò discursum: motiuum enim assensus conclusionis sunt præmissæ, aut actu elicitæ de nouo, aut actu recordationi actuali substantes, ac proindè verum discursum somniantibus, pueris, & amentibus tribuunt Victor. *relect. cit. p.*1. *n.*4. ex S. Thom. pluribus locis id optimè deducens. Perspicuus est S. Doctor 1.*p.q.* 84. *art.*8. *ad* 1. vbi aliquando dormientes syllogizare ait, prout magis, aut minùs sensus externi ligantur, & Vasq. 1.2. *d.*149. *c.*5. quare aliquid aliud præter discursum ad plenum rationis vsum exigitur, videlicet vt possit elicere intellectus operosissimas quasque operationes, & quæ licet entitatiuè non sint aliis perfectiores, exigant tamen illustrius quoddam, cuiusmodi sunt iudicia de amabilitate, aut repudiabilitate finis, de aptitudine mediorum, de bonitate, & malitia morali, de præferendo bono honesto vtili, & iucundo, maximè sensibili: hæc autem clara lux in amentibus ob vitium humorum obumbratur, in pueris ob nondum satis confirmata organa & inexperientiam languidiùs micat. Vnde Suar. 1.2. *tract.*3. *disp.* 8. *sect.*2. *n.* 2. negat, amentes etsi eosdem actus circa eadem obiecta, quos cordati eliciant, illos esse moraliter bonos, quia non operantur moti ab honestate obiecti, sed instinctu quodam vt bruta: dubitat tamen Sal. *tract.*7. *d.*3. *n.*573. in somno aut retineatur, aut penitùs etiam extinguatur ratio, prout profundiùs sensus soluuntur, aut ligantur. Neque quod de somno Salomonis obiicitur, quidquam vrget: si enim metuerit ille sibi sapientiam, quam postulauit, vt existimat Suar. *lib. de orat. cap.*19. *n.*17. aliquid extra ordinem rerum illi contigit: potuit enim Deus vel intellectum Salomonis independenter à sensibus roborare ad suas operationes perfectè eliciendas, aut internum sensum perfectè soluere, & depurare. Horum omnium ratio à priori est connexio intellectûs cum sensibus in hoc statu vnitionis. Hine sequitur, nullum esse certum terminum & ætatem, quâ primùm elucescat radius ille qui ad plenum rationis vsum, atque adeò libertatem sufficiat; pro diuersa enim humorum & organorum dispositione, maturior, aut tardior affulget sapientia. Passim tamen assignatur septennium, vt docet Sanch *lib.*1 *de matrim. d.*16.*n.*5. non tamen statim consummatur, sed sensim crescit illa lux, & aliquando est circa vnam materiam, & non circa alias, vt tradit Sanch *ibi.*1 *de matr. d.*8.*n.*13. contra Victor. *relect. cit.* 1.*p.n.*19. quia etsi principia moralia sint eadem circa omnes materias, tamen intellectus, cuius est ea applicare, non est semper æquè dispositus ad omnes materias, ac proindè circa eiusmodi difficilior erit applicatio horum principiorum. Hinc denique reiicias Pererium *disp. de somn. q.*9. agnoscentem plenum rationis vsum in somno, non tamen libertatis, quæ exigit solutos sensus, cuius tamen alia reddi ratio nequit, quàm quia ad plenum vsum rationis vigilia sensuum requiratur. Similiter peccauit Vict. *mem.* 3. *cit. relect.* dum dixit vti ratione & libero arbitrio, idem esse.

QVÆSTIO IV.

Circa quæ obiecta sit libera voluntas?

Necessitas, quæ in actibus voluntatis contingere potest, oriri debet vel ab aliquo principio à voluntate distincto, ipsam ad vnum determinante, siue 1

illud principium sit internum homini, v.g. intellectus, & appetitus sensitiuus, siue externum, nempe Deus, astra, & eiusmodi aliæ causæ, vel ab obiecti efficacitate, quod sua bonitate voluntatem abripiat, vel denique ex peculiari quadam dispositione, quâ voluntas in diuersis statibus afficitur: atque hos duos postremos necessitatis modos aduertit subtiliter in voluntate Caietan. 1. 2. q. 10. art. 2. neque licet ab vno ad alium argumentari, atque ex eo quòd voluntas naturaliter aliquando in quodpiam obiectum ratione dispositionis & status in quo est fertur, colligere, tale obiectum determinare libertatem voluntatis. De primo modo necessitandi voluntatem disputabitur *inferius*, de duobus postremis hoc loco. Et quidem circa

2 obiecti efficacitatem in allicienda voluntate sic statuendum est: nullum obiectum in hoc statu determinat voluntatem quoad exercitium: necessitatem verò specificationis bonum dumtaxat vniuersum, felicitas seu in communi seu etiam contracta, & particularis, ac Deus ipse inferunt: reliqua omnia bona particularia etiam inæqualiter proposita, & in suo genere simpliciter bona, secundùm aliquam saltem considerationem vtramque libertatem illibatam relinquunt.

Libertas quoad exercitium circa omnia obiecta in via.

3 Dixi primò libertatem contradictionis & exercitij manere circa quodlibet obiectum, quod asseruit quoque S.Thom. 1. 2. q. 10. art. 2. ex eo quòd possit voluntas in hoc rerum statu, de quo solùm agit, vti aduertit Medin. cognitionem cuiuscunque obiecti aduertere, qua cessante, cessabit quoque volitio, ex vulgari axiomate, & licèt nequeat impedire primam obiecti cognitionem, quæ alioquin prima non esset, si volitionem subsequeretur, potest tamen illam iam obortam impedire, addit Vasq. d. 39. n. 13. in exercitio amoris actualis circa quodlibet bonum, & beatitudinem in communi apprehendi posse aliquam molestiam, & incommodum, ratione cuius voluntas ab eiusmodi actuali amore cessare possit. Deinque experimur nos sæpius cogitare de beatitudine tum communi, tum etiam contracta, vt cùm de fruitione Dei, Deóque ipso qui plenum bonum est & obiectiua beatitudo, disputamus, & tamen nullum actum amoris elicere, quod etiam aduertit Scotus *in* 4. *d.* 49. *q.* 10. §. *quantum ad* 2. *articulum.* Ratio à priori est: quia nullum obiectum in hoc statu rerum ita proponitur, vt quamvis totam boni plenitudinem contineat, vt Deus, & beatitudo, applicentur omnimodè, & sufficienter, ita vt voluntas plenè totam boni latitudinem possideat, ac ita eius dulcedine perfruatur, vnde non est cur tanto impetu in bonum propositum abripiatur, vt sese cohibere non possit: secùs contingit in Deo clarè viso: tunc enim voluntas totam latitudinem sui obiecti sibi intimè & omni modo applicitam possidet, neque illam propositionem & applicationem obiecti impedire potest, aut vult, cum eius perfectio, sicut & reliquarum omnium potentiarum, in sui obiecti perfectissima possessione sit. Quare tunc agit vt natura, non vt libera, quam volontatis diuisionem famigeratissimam vocat Medin. *in* 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. Ex quibus omnibus conficitur libertas exercitij in hoc rerum statu manere voluntati circa quodlibet prorsùs obiectum. Quare displicet Durand. *in* 4. *dist.* 49. *q.* 8. *n.* 8. dum beatitudinem in communi necessariò amari amore simplicè, seu complacentia, non desiderio efficaci, contendit: quia omnem actum volitionis circa quodlibet obiectum in hoc statu cohiberi posse à voluntate rationes allatæ satis euincunt. Neq; dicas ex Aristot. 2. *physic.* finem in operatione comparari cum primis principiis in scientia, ac proinde sicut illis essentitur necessario necessitate etiam contradictionis primis principiis, apprehensis semel extremorum terminis & eorum inter se conuenientia, voluntatem quoque eâdem necessitate ferri in finem semel propositum.

Resp. enim in eo finis, & primorum principiorum analogiam consistere, quod vt principia per se immediatè, & non per aliud cognoscuntur, sicque causa conclusionis ex ipsis per discursum eruta, finis quoque immediatè propter se, & non propter aliud, in qualibet actionum serie appetitur, estque causa electionis mediorum.

Quod asserui de volitione & prosecutione boni, 4 dicendum quoque est de fuga & odio mali: nullum enim malum est quod ad sui odium voluntatem omnimoda necessitate adigat in hoc statu: imò addunt aliqui in omni statu manere libertatem exercitij circa odium mali præcisè, vim, & efficacitatem obiecti considerando, & ab amore boni, quocum necessariò aliquando connexum est, abstrahendo: in Beatis enim summus amor, quo Deum clarè visum prosequuntur infert eadem necessitate odium culpæ. Ratio verò huius conclusionis est: quis nullum datur summum malum, & quod aliquam boni guttulam immixtam non habeat. Quamvis igitur summa cum claritate cognoscatur quodlibet malum, apparebit semper aliqua ratione aut delectabile, aut vtile, ac proindè odium non excitabit necessariò.

Libertas specificationis à quibus obiectis violetur.

Dixi secundò libertatem contrarietatis, seo specificationis à tribus obiectis seu bonis impediri, bono videlicet in communi, felicitate tum lo vniuersum spectata, tum in particulari; ac denique Deo. Ratio est: quia in omnibus bis obiectis apparet sola ratio boni meræ & puræ, atque ab omni mali immixtione defæcata, solum autem & putum bonum, obiectum odij esse nequit, sicut neque malum vt malum, amoris: eóque referas quod alibi ostensum est, omnes vtique & singulis suis actionibus, felicitatem, aut aliquam eius particulam perpetuò insectari: Deum verò bonum esse omnino plenum, aut bonitatis plenitudinem nemo negarit; & quamvis tota ea bonitatis plenitudo non apprehendatur à viatoribus, quia tamen non apprehenditur diuina bonitas positiuè finita & terminata, sed tantum negatiuè, quia totam perfectionem diuinam nostris conceptibus non exhaurimus, finitas ista non refunditur in obiectum, sed in modum nostrum intelligendi, ac proindè nihil est in obiecto reuerà infinito, quamvis imperfectè & finitè concepto, quod terminare possit eorum fugæ, auersionis, & odij, alioquin ipsi etiam Beati odisse possent Deum clarè visum: quamvis enim videant infinitam eius bonitatem, non tamen nisi cognitione finitâ, & creatâ, quæ obiectum suum suâ finitate quodammodò finit, id est, non totum quantùm cognoscibile, neque infinitè, sed finitè cognoscit. Nouit tamen esse in Deo plenitudinem perfectionis infinitam, nolle creata, aut creabili cognitione commensurabilem, atque ita sua finita cognitione, non modò non finit obiectum, sed potiùs infinitum esse cognoscit: quod idem contingit viatoribus, qui Deum omnes boni, bonum, ipsum etiam bonum, vt loquitur Aug. esse agnoscunt, quamvis propter sui intellectus impotentiam illam immensitatem

tatem non attingant, plenissimam tamen plenitudinem esse nôrunt, ac proinde, solius amoris obiectum. Quæ omnia intelligenda sunt, quoties hæc obiecta enumerata secundùm se considerantur: per accidens enim quatenùs aut io sui assecutione, aut alia ratione, adiunctas habent molestias, & labores à quibus abhorret voluntas, odio haberi possunt. Ita Deum odere damnati, non vt Deus est, sed vt vindicem, & supplicia infligentem.

6 Difficultas tamen est de beatitudine in particulari, & contracta. Eam enim haoc vim motiuam voluntatis non habere existimant Durand. *q. cit. n.* 17. & alij quidam: verùm nullum hac in re discrimen obseruauit Scotus *in* 4. *dist.* 49. *q.* 10. §. *citato.* Ferrar. 3. *contra gent. c.* 63. Vasq. *c.* 3. *d.* 39. si enim idcircò beatitudo vniuersalis necessariò appetitur, quia in ea ioueniter omnis ratio boni, & nulla mali vel stilla, aut boni priuatio, cùm hæc eadem in beatitudine contracta, v. g. Dei clara visione reperiantur, eandem vim mouendi voluntatem habebit. Neque satisfacit Soto *in* 4. *d.* 49. *q.* 2. *art.* 8. *c.* 5. dum ait beatitudinem contractam ad visionem Dei, non proponi, nisi obscurè per fidem in hoc rerum statu, atque proindè voluntati libertatem contrarietatis relinquere; ita vt odio haberi possit: nam idem de Deo ipso à Viatoribus cognito dicendum foret. Deinde modus proponendi ad necessitatem exercitij inferendam iuuat quidem, non potest autem dare libertatem specificationis quandiu in obiecto sola ratio boni apparet, quamvis subobscurè: tunc enim nullam rationem ad quam terminetur actus auersio, habet voluntas: non potest igitur odisse, cùm nihil odibile ipsi proponatur.

Libertas vtraque quando maneat.

7 Ex his liquidò sequitur vltima pars conclusionis, nempè vtramque libertatem circa reliqua omnia bona manere: & quidem de libertate exercitij satis constat, cùm vniuersùm pronuntiarim eam à solo Deo clarè viso tolli. De altera autem libertate secundùm speciem actos sic habet: quoties bona particularia imperfecta sunt, & bona dumtaxat secundùm quid, nemo dubitat posse omnia eiusmodi bona terminare actum amoris, & odij, quod exponit S.Thom. *art.* 2. *q.* 10. solitudine visus quoque in idem obiectum quatenùs est coloratum actu fertur quâ parte verò non est coloratum, illud non attingit.

8 Addidi in assertione, hanc libertatem maoere quando bona proposita sunt plura, cáque æqualia, aut inæqualia, vel saltem inæqualiter proposita, contra Vasq. qui *d.* 43. existimat voluntatem posse quidem cohibere omnem actum circa bona inæqualiter proposita, aut aliter inæqualia, si tamen agat, debere ferri in bonum, vel maius vel efficaciùs propositum: si verò sint aut æqualiter proposita, aut alio modo omnimodè æqualia, non posse vnum præ alio amplecti: loquor autem de bonis, quæ habent rationem finis; quamvis enim idem sentiat hic auctor de bonis, quæ media sunt, id tamen alio loco discutietur. In præsenti autem difficultate tenenda est assertio posita: cùm enim obiectum voluntatis non sit tantùm summum bonum, aut maius, sed bonum simpliciter, quod tametsi est minus bonum, cur actio circa illud non elicietur à voluntate? Quamvis enim minus bonum, quatenùs minus est, & cum maiori collatum habeat aliquam rationem mali, non tamen sub illa formalitate appetitur à volontate, sed simpliciter quia bonum est, quamvis altero minus, illúdque voluntas prosequitur, quia bonum est, non quia minus est. Efficax autem illa propositio, quam affert Vasq. etsi multùm valeat ad trahendam libertatem, non tamen ad vim, cui obluctari nequeat, inferendam; vt enim rectè arguit Fons. 6. *metaph. cap.* 2. *quæst.* 5. *sect.* 15. obiectum proponi efficaciùs, aliud nihil infert, quàm vel cognitionem intellectus intensiorem firmioremque esse, vel clariorem, expressioremque, vel denique magis congruam & attemperatam voluntati in hit circumstantiis constitutæ, quàm sit cognitio qua aliud bonum simul proponitur. Verùm nihil istorum libertatem voluntati eripere potest. Nam vt voluntas feratur in bonum, sufficit si illud vt tale proponatur ab intellectu, quamvis remissa, & non clarissima cognitione, cùm sæpè amplectamur ea, quæ licet commoda & delectabilia sint, liquidò tamen propter alias causas respuenda & præstantioribus bonis posthabenda esse iudicamus. Congruitas verò cognitionis habet quidem infallibiliter consequentem voluntatis prosecutionem, non tamen necessariò, & quamvis certò sit volitura voluntas, habet tamen potestatem nolendi, & odio habendi, alioquin nunquam liberè bonum operaremur: bonum enim opus semper præit congrua cognitio ad eiusmodi opus inuitans, quâ positâ non potest voluntas ex Vasq. bonum ita propositum repudiare, ergo possit non amplecti, ergo nunquam habemus libertatem specificationis dum benè operamur, & quamvis tunc possimus non operari, non possumus tamen malè operari.

Libertas circa simpliciter bona.

Maior videtur difficultas in retinenda hac libertate circa bona particularia, quæ in certo genere simpliciter bona sunt, cuiusmodi sunt omnes perfectiones simpliciter simplices, quæ in Deo etiam formaliter, & non tantùm eminenter, analogicè tamen reperiuntur, vt esse, viuere, intelligentia, scientia, virtus, &c. hæc enim, cùm nullam admixtionem imperfectionis habeant, non videtur odio haberi posse secundùm se considerata, & secundùm suas rationes præcisas, nisi forrè quatenùs contractæ sunt ad creaturas & earum potentialitatem, & alios defectus omnibus creaturis intrinsecos participant, aut per accidens propter difficultates, quibus extrinsecus sepiuntur, quâ etiam ratione ipsum Deum & beatitudinem odisse possumus. Atque ita sentiunt Valent. *q.* 2. *d.* 2. *q.* 5. *p.* 5. Vasq. *d.* 39. & Suar. *d. 1. metaph. sect.* 6. & *d.* 19. *sect.* 8. *n.* 18. Cùm tamen hæc bona non sint omno bonum sed in certo genere dumtaxat, non videntur satis efficacitatis habere ad adigendam voluntatem ad sui amorem: vt enim carentia mali boonm quoddam est, quod sæpius actum prosecutionis voluntatis terminat, vt cùm indolentiam & remotionem tantùm mali, quo premimur, optamus: ita etiam carentia boni, malum quoddam erit, à quo resiliat voluntas. Et sanè scimus, damnatos optare non esse, & vitam suam odisse. Hanc litem composui vltimis verbis assertionis, vbi dixi, hæc bona secundùm aliquam saltem considerationem accepta relinquere libertatem; nam si sumantur quatenùs sunt bonum ipsius appetentis, sine quo ipsemet consistere nequit, & partes non modò beatitudinis, sed ipsius etiam fundamentum, cùm impossibile sit aliquem beatum esse, & non esse, non viuere, non intelligere, non magis hæc odio haberi possunt quàm ipsamet beatitudo. Atque id voluit S.Thom. 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. dum dixit, hæc naturaliter, & non liberè appeti à voluntate, prout est appetitus hominis, cuius hæc bona naturam constant: si verò accipiantur vt sunt tantùm bona quædam particularia, & alterius, immò & multiplicis boni priu-



priuationem habent adiunctam, sic odium terminare possunt. Qui verò ob miserias quibus conflictantur, suum esse,& vitam oderunt, illi non abominantur simpliciter esse, sed miserum esse, vt pluribus habet Valent. t. 2. *d.* 2. *q.* 5. *p.* 1. immò subtiliter aduertit Medina 1. 2. *in q.* 29. *art.* 6. dum damnatus desiderat non esse, desiderat esse, quia illud non esse apprehendit vt bonum, & vt medium, quo liberetur à misero esse, omne autem bonum in tantum est bonum, in quantum habet esse. Itaque in eo actu amat seipsum damnatus, quia vult sibi bonum, v.g. remotionem miseri esse, & tamen eodem actu tollit fundamentum sui amoris, nempè ipsum esse quod odit. Denique velle non esse, vt careat miseriâ, est velle esse quoddam, sed absque miseria.

In quo statu sit libera voluntas?

10 Alterum caput, ex quo perire libertas videtur, petì dicebamus ex variis statibus, in quibus afficitur variè voluntas, cuiusmodi sunt, dum primò agit, dum suum actum reipsa elicit, siue cum inchoat, siue in eo continuet, de quibus sic pronuntio:

11 Voluntas operans ex iudicio rationis Indifferente, libera est, tum ad primum actum, tum ad alium quemlibet subsequentem, etiam dum actu agit, tum vt inchoat actionem, tum vt in ea perseueret si libeat.

Actus primus voluntatis liber est.

12 Voluntatem non operari liberè nisi plenum rationis vsum habeat, *superiori quæstione* confirmatum est, vnde dixi hoc loco in statu, in quo iudicium de amabilitate, & repudiabilitate obiecti non prælucet voluntati, eam carere libertate, quod contingit in motibus indeliberatis, & primo primis: quoties verò fax illa rationis voluntatem cæcam illustrat, liberè agit etiã cùm primùm agit, quod negasse videtur Caiet. 1. 2. *q.* 9 *art.* 4. *&* *q.* 10. *art.* 2. Capreol. *in* 2. *d.* 24. *q.* 1. *art.* 3 *ad* 8. *contra* 5. *Conc. &* *d.* 25. *q.* 2 *art.* 3. *ad argumẽta Henrici contra* 1. *Conc. & ad argumenta Scot. contra* 2. *Conc.* ait primũ actum non procedere ex volũtate effectiuè, sed ipsi à Deo infundi, & ineptè affert primum motum grauium tribui generanti, sensûs enim illius vulgati axiomatis non est, eum motum immediatè prodire effectiuè à generante, vt patet. Tribuit etiam Suar. *d.* 19. *metaph. sect.* 8. *n.* 11. Ferra *lib.* 1. *contra gent. c.* 23. *& lib.* 3. *c.* 89. sed malè. Reliqui omnes nobis fauent: ratióque apertissima est, siue de primo omninò actu quem homo elicit vbi primùm ad plenum rationis vsum peruenit, siue de primo in qualibet actionum serie agamus. Necessitas enim voluntatis vel ab eius dispositione nascitur, vel ab obiecti efficacitate, vel denique ab aliqua causa extrinseca determinante, quæ solus Deus esse potest: atqui ex nullo horum oriri potest in nostro casu, supponitur enim voluntas sibi permissa habere prælucentem intellectum de indifferentia obiecti, amabilitate videlicet, & repudiabilitate eius, neque vlla perturbationum fuligine obscuratum, obiectum autem propositum, cùm plerumque sit bonum non modò particulare, ac proindè & imperfectum, sed etiam sensibile, vim non habet abripiendi inuitam voluntatem. Non est verò cur Deus libertatem in hac prima actione, & cùm exerceri potest, temeret, & violet, neque hoc patitur suauitas & honor, quocum disponit nos. Denique quæ afferunt aduersarij nullius momenti sunt, nempè primam cognitionem esse necessariam, ac naturalem cum voluntaria esse nequeat, ac proindè consequentem volitionem necessariam quoque fore: sed negatur ea sequela; libertas enim volitionis requirit duntaxat cognitionem de indifferentia obiecti, siue illa cognitio suscepta fuerit necessariò, siue liberè. Neque magis vrget, in motibus deueniendum esse ad aliquod principium fixum & immobile, nisi procedatur in infinitum, atque etiam in actionibus & motibus voluntariis in aliquo tandem necessariò sistendum. Nam sufficit vt sistamus in aliquo primo actu, vt progressus infinitus vitetur, neque opus est, illum actum esse immobilem immobilitate necessitatis, sed vt in sua serie sit primus per se ipsum formaliter liber. Denique cùm S.Thom. 1. 2. *q.* 9 *art.* 4. dicit voluntatem mouere seipsam ad mediorum electionem ex consilio præhabito, non verò ad intentionem finis, sed ab aliquo exteriori, intelligendus est primam cognitionem finis, quæ est intentionis subsequentis causa, non esse voluntariam, sed esse ab aliquo alio siue Deo, siue, vt alij loquuntur, bona fortuna. Sed à quocumque excitetur ea cognitio, relinquit liberam volitionem consequentem, quam voluntas posset non suscipere si liberet, vel, vt optimè interpretantur alij, S.Thom. ait voluntatem non se mouere ad finem, sed ad media, quia primum affectum finis non præcedit prior aliquis, quo quodammodò se moueat, & impellat voluntas in finem, sicut ad media se quodammodo per priorisaffectus intentionis, videlicet finis impellit. Eadem est Anselmi mens *in opusc. de casu diab.* Vide Sal. *tract.* 5. *d.* 1. *sect.* 5. & Fons. *lib.* 9. *metaph. c.* 2. *q.* 5. *sect.* 2. vbi obseruat aliud esse moueri voluntatem, aliud determinari: plurima quidem externa mouent voluntatem, & excitant, ipsa sola se determinat, & ad primum actum sese mouet motu excitatiuo, & impulsiuo, vt dicebat Vasq.

Maior videtur esse difficultas de prima volitione coæua voluntati: plures enim Thomistæ apud Suar. *lib.* 7. *de Angelis c.* 10. *n.* 13. negant voluntatem posse liberè operari eodem instanti, quo primum est, atque adeò Angelos non potuisse eodem instanti, quo primum conditi sunt, aut mereri, aut peccare. Verùm *alibi* contrarium ostendimus cum eod. Suar. *l. c.* & *lib.* 3. *c.* 8. Monceio *disp.* 6. *select.* & aliis, atque in diuina libertate manifestum est realem anteceßionem voluntatis nequaquam exigi ad volitionem liberam. Et sanè cùm eo primo momento quo producitur voluntas, intellectus ipsi prælucens possit habere notitiam indifferentem de obiecto (neque enim ad id semper opus est temporali deliberatione & consultatione) cur eodem momento non poterit liberè operari, rem enim operari, cùm primum est, patet in sole; operari autem liberè non requirit anteriorem existentiam operantis, sed solùm ita actu operari, vt si libeat possit non operari, aut aliud opus ponere, quàm quod reipsa ponitur. 13

Voluntas est libera, cùm agit.

Dixi secundò voluntatem etiam dum actu agit, esse liberam. Ita Suar *d.* 19 *metaph sect.* 5 o. Less. *c.* 3 *de grat.* Molin. 1. *p. d.* 4. *in. art.* 13. *q.* 14. & alij communiter, à quibus excipiendi non sunt Nominales, vt latè ostendit Vasq. 1. *p. d.* 68. *n.* 54. *c.* 8. Less. *de gratia c.* 5 *num.* 8. Azor. *lib. r. cap.* 2. *q.* 6. volunt enim solum Ocham, & eius sectatores voluntatem non posse simul, & semel actum elicere, & non elicere: hæc enim apertam inuoluunt repugnantiam. Probatur: quia alioquin nunquam suam libertatem exercet; neque enim dum egit libera est, sed fuit, neque antequam agat, alio modo libera est, quàm in ordine ad actionem, quam in tempore subsequenti liberè elicitura est. Et confirmatur, 14

fit,metut ex actu peccaminoso: sequeretur enim nullum peccare quando actum malum elicit, sed solùm tunc peccasse quandò se coniecit in necessitatem eliciendi actum malum. Sequela euidentissima est: quia cùm actus malus prodit à voluntate illum admittentis, necessariò prodit, si voluntas eo temporis momento caret libertate, atque id totum concedunt aliqui apud Parisiens. c. 10. *tract. de vitiis*, quo nihil insulsius dici potest, vt pluribus idem Parisiens. *eo loco* exagitat, tum quia nullus pœnam peccato debitam dicit, nisi propter actum malum elicitum; atqui si liberè non est elicitus, dignus pœnâ non est. Neque rectè recurrunt ad liberam eiusmodi necessitatis susceptionem, nam sicut idcircò actum liberum esse negant, quia dum elicitur, non potest non elici, ita illa coniectio necessitatis libera non est, quia quando est actu, non potest non esse: ergo neque mala est. Si vero liberam dicant esse eam necessitatem per anteriorem actum, de eo quæretur an sit liber, an non? atque ita vel progrediemur in infinitum, vel sistemus in aliquo primo actu, qui seipso sit formaliter liber, eo quòd ita exeat à potentia, vt possit non exire; vel impossibile fuerit peccare: quod idem argumentum valebit in studiosis operibus, quæ si libera non sunt, neque præmio, ac laude digna erunt. Fefellit autem aduersarios necessitas, per quam res existens necessariò est, quando est in sensu composito: quæ necessitas est tantùm consequens, & quam voluntas liberè suscepit, seu quæ actum voluntatis liberè elicitum subsequitur, vel comitatur, ac proinde non tollit libertatem, vt magis constabit *q. seq.* Aliud verò est, rem non posse existere, aliud rem existentem non posse esse existentē, sicut aliud est rem non posse esse prætetitam aut futuram; secundum enim possibile est in contingentibus; primum autem semper inuoluit repugnantiam, quia impossibile est rem posse non esse, quandò est in sensu composito: simul enim esset, & non esset, & isti termini, cùm sese mutuò funditùs destruant, inuicem componi non possunt. Potest igitur voluntas non elicere actum, quem actu liberè elicit: non potest tamen actu quem elicit, non elicere quandò elicit: sed hæc impotentia, vt vides, tantùm consequens est. Quæ omnia illustrantur exemplo diuinæ libertatis, quam rectè cum eiusmodi immutabilitate cohærere diximus, 1. *p.* & quamvis Deus ab æterno voluerit quod liberè vult, ac proindè semper fuerit in actuali volitione obiectorum quæ vult, ea tamen liberè prorsùs voluit, & nunc etiam vult liberè quod extra se vult: quis enim dicat eum necessariò, & non liberè velle conseruare mundum, quem actu modò conseruat? cùm igitur nostra voluntas eo instanti, quo actum elicit, ita illum eliciat, vt non supponendo quod ipsum eliciat, prorsùs indifferens sit, & indeterminata, neque ponendo actum aliter determinetur, quàm ex suppositione ipsiusmet actus, qui posito quòd eliciatur, non potest non elici, nihil apparet vnde eius libertatem petire dicamus. Distinguenda autem sunt cum Theologis allatis, in eodem temporis momento, quo ponitur operatio à voluntate, duo instantia naturæ, in quorum primo voluntas intelligitur suum actum, quo formaliter determinatur, antecedere tanquam causa effectum: nam inter hæc duo est semper prioritas naturæ; alterum instans naturæ, est illud, in quo iam intelligitur poni actus: apparet autem in primo instanti indifferentem manere voluntatem, neque banc indifferentiam amittere in sequenti instanti. Licet enim determinetur per actum, quem intelligimus ab ipsa voluntate sese liberè determinante fluere, ea tamen determinatio consequitur ipsammet libertatem, quam proinde non violat, immò non est nisi quoddam exercitium libertatis, vnam partem eligentis, cùm in alteram flectere se posset. Toto itaque illo instanti temporis, & in vtroque instanti naturæ voluntas operans, suam indifferentiam retinet. Instantia autem naturæ, vt hoc paucis moneam, non sumuntur penes durationem externam etiam exiguam, sed penes dependentiam, quoties vnum dependet ab alio in suo esse dicitur posterius natura illo, etsi simul tempore sint, quæ autem dependentiam non habent, sunt simul natura, seu in instanti naturæ eodem; quare instans naturæ dicitur instans à quo, non in quo.

Continuatio actionis libera est.

Ad extremum addidi liberam esse voluntatem, vt in actione semel elicita perseueret, vel abrumpat, si lubeat, neque cogi vel tantillum temporis in ea persistere. Ita Salas *tract. 5. d. 4. n. 35.* plures alios allegans Azor. *tom. 1. lib. 1. c. 2. q. 6.* Suar. *sect. 9. n. 8. d. 19. metaph.* & *1. 2. tract. 3. d. 5. sect. 3. n. 24.* Theoph. *d. 2. moral. q. 5. art. 7.* contra Nominales, qui vulgò existimant, non posse abrumpi actionem nisi post tempus insensibile consequens immediatè primum instans, ac proindè toto illo imperceptibili tempore necessariam esse actionem, neque bonam, aut malam. Vasq. ita interpretatur Nominalium mentem 1. 2. *d. 54. n. 16.* vt voluntas habeat quidem libertatem & dominium in suam actionem, quantum ex se est, naturam tamen actionis postulare, vt non duret solùm per instans. Cùm enim incipiat per primum sui esse, & non possit desinere per vltimum sui esse, sed per primum sui non esse, vt luculenter probasse se putat Vasq. 1. *p. d.* 219. *c.* 10. atque in vera & stricta philosophia, quæ continuum non compingit ex solis indiuisibilibus, duo instantia immediata reperiri nequeat, per aliquod tempus durare debet actio posita à voluntate. Verùm probatur assertio: quia ex contraria sententia sequitur hominem necessariò in suo peccato perseuerare, aut certè eliciendo, seu perseuerando in actu malo, non peccare, vnde Medin. t. 1. *q. 10. art. 4.* opinionem quam refutamus, ait sanam doctrinam non continere: neque satisfacit Vasq. dum ait manere quidem libertatem voluntati vt actionem abiiciat, sed naturam actionis id non ferre; quomodò enim potest esse libertas circa impossibile, & ad tollendam actionem quam ex sua natura poni necesse est? neque etiam rectè dicitur hominem peccare, quia se volens, & libens in eam necessitatem induerit; hinc enim sequitur peccasse quidem dum se eiusmodi necessitate prudens obstrinxit, non autem dum deindè actionem continuat elicere, quam interrumpere non potest, vt de peccato admisso ab ebrio, qui ante ebrietatem illud præuiderat. Deindè quidnam est quod voluntatem adigat ad continuandam actionem, cùm nulla facta fuerit immutatio, sitque illa ipsa quæ erat, dum fuit inchoata actio? frustra enim fingitur actionem non posse per vltimum sui esse desinere, nam in eodem instanti potest aliquid & incipere, & desinere, vt patet in momentis temporis, & actionibus substantialibus, quas omnes instantaneas vulgò fatentur, nam eodem instanti intrinseco incipiunt, quia tunc sunt, cùm immediatè antè non essent, & eodem instanti esse intrinsecè desinunt, quia tunc sunt cùm immediatè pòst futura non sint. Neque propterea res simul est, & non est, sed tantùm res ita est vt immediatè antè non fuerit, & immediatè pòst futura non sit. Sed de his plura *alibi.* Quare Suar. *l. c.* dixit, hanc sententiam quam impugnamus, falsam esse in omni philosophia & Theologia, nam non esse rei, cùm sit tota simul, debet

debet incipere intrinsecè, ac proindè res desinere extrinsecè, inceptio enim & desitio attenduntur in forma positiua, non in negatione quæ sicut non habet verum esse, ita neque veram inceptionem, aut desitionem. Deindè res impartibilis potest etiam extrinsecè incipere. Dicitur itaque nunc non est, & immediatè pòst erit, itaque illud instans erit vltimum non esse, & ipsius non esse.

QVÆSTIO V.

Quid officiat libertati?

HActenus libertatem circa omnia obiecta præter beatitudinem in communi, & alias quasdam beatitudinis illius partes veluti fundamenta, atque ipsum Deum, voluntati in quolibet statu, seu inchoet, seu continuet actionem, asserimus: quærendum restat, an ab aliqua causa distincta, siue interna, siue externa violetur, vt vndecumque libertatem illibatam & expeditam habeamus. De causis externis ita pronuntio, & primùm de increata.

1 Necessitas orta ex qualibet suppositione antecedenti, per modum causalitatis eripit libertatem voluntati, quæ posita ea hypothesi, non potest non agere, saltem in sensu composito. Hanc autem necessitatem inducunt Prædeterminationes physicæ: idcircò prorsùs repudiandæ, non verò præfinitio purè immanens, & ea præuisa futura saltem conditionatè determinatione creatæ voluntatis, neque præscientia, neque decretum de exhibendo concursu, aut ipsemet concursus, neque denique prædestinatio, aut reprobatio. Quare Deus ita suauiter nobiscum agit, vt illibatam prorsùs libertatem relinquat.

Incompoßibilitas libertatis, & suppositionis antecedentis per modum causalitatis.

2 Dixi primò omnem suppositionem antecedentem per modum causalitatis inferre necessitatem oppositam libertati, quam funditùs rescindit, hoc est quoties ponitur aliquid in voluntate independenter ab ipsa, vi cuius ita sequatur actio vt non possit non sequi, toties in illa actione interire libertatem. Dixi verò signanter, *vi cuius sequatur actio*; nam si se habeat tantùm disparatè ad actionem, aut concomitanter, & non induat aliquam rationem causæ voluntatis, quam ad agendum impellat, aut actionis quam producat, nihil confert ad tuendam, aut perdendam libertatem. Addidi prætereà ponendam esse hanc suppositionem independenter à voluntate, vnde appellatur antecedens, quia omnem voluntatis actum præcedit; si enim sequatur actionem voluntatis, erit voluntaria, neque libertatem lædet, cùm sit effectus actionis liberæ, cum prior illa & omnem voluntatis determinationem præcurrat, cùm ea inconsulta ponatur, & ipsammet determinationem causet: nam stante eâ suppositione, & in sensu composito, non potest non agere voluntas, neque cum potentia ita affecta potest coniungi negatio operis, ad quod per eam suppositionem determinatur voluntas, & apparet latum discrimen inter hanc suppositionem antecedentem, & species atque habitus, aliáque principia nostrarum actionum; hæc enim omnia subduntur libertati, quoad vsum & cum ipsa coniungi potest aut opus aut eius negatio, pro arbitrio vtentis illis principiis, cùm libuerit. Hinc magno consensu Theologi, si duos aut tres recentiores excipias (inquit Pennat. *lib. 1. propug. c. 19. n. 21.*) duplicem necessitatem inuexerunt, antecedentem ortam ea suppositione antecedente, & consequentem natam ex suppositione consequente. Theologis præiuit in concord. *c. 1. & 2. & lib. cur Deus homo cap.* 18. Anselm.

3 Iam verò necessitatem antecedentem seu ortam ex suppositione antecedenti ea posita, pugnare cum libertate, suadetur primò ea Anselm. *superiùs* allato, vbi clarissimo ore, vt loquitur Vvaldens. *lib. 1. Doctr. fid. cap.* 18. nostram assertionem pronuntiat, neque vllus est refugij locus: quod enim docuit sanctum Anselmum per necessitatem antecedentem libertati exosam, appellare necessitatem absolutam, & cadentem in res naturales, eo quod attulit exemplum motus cœlestis, & non eam quæ cadit in voluntatem, ineptum est; cùm enim Anselmus necessitatem antecedentem opponat consequenti, circa idem subiectum, illas comparat, alioquin non probaret quod intendit *illo cap. 18 lib. 2. cur Deus homo.* Christum fuisse liberè mortuum, quamvis eius mors, cùm prædicta fuisset, necessaria videretur; ait enim de futuris illis tormentis: *ideò enim necessitate fuerunt, quia futura erant: & futura erant, quia fuerunt: & fuerunt, quia fuerunt. Et si vis omnium quæ fecit, & quæ passus est, veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fecisse, quia ipse voluit. Voluntatem ergo eius nulla præcessit necessitas.* Quibus verbis apertè aliquam necessitatem consequentem nostram voluntatem, neque libertatem exscindentem, admittit, & antecedentem, quia in nostra potestate non est, libertati iniuriam ostendit. Præluxerat August. pluribus locis quæ congerit Vvaldens. *lib. 1. doctrin. cap. 25. & c. 23. lib. 5. de Ciuit. c. 10. lib. 3. de lib. arbit. c. 3.* ait: *Voluntas nostra, voluntas non esset, nisi esset in nostra potestate: porrò quia est in nostra potestate libera est nobis.* Idem habet *lib. 3. Hypognost. & lib. 1. retractat. c. 22. Quia in potestate nostra non est nisi quod nostram sequitur voluntatem.* Atqui tum suppositio antecedens, tum id quod ex illa fit, non est in nostra potestate, vt patet: ergo libera non est. Abstineo aliorum Patrum dictis, quibus non alia ratione fatum reiiciunt, quàm quia rescinditur libertas, si aliquid determinat voluntatem ad suam actionem. Mitto & illud decantatum Chrysost. *Hom. 12. in Epist. ad Heb. Deus non antecedit nostras voluntates*, ne nostrum lædatur arbitrium: quia enim aduersarij vt iudicium tanti Patris declinent, errasse eum in materia de gratia, & Pelagio præiuisse, per summam calumniam criminantur, *alibi* & sana Chrysostomi mens ostenderetur, PP. sequuti sunt pari consensione Theologi, quos dabunt, qui hæc fusius pertractant Suar. *lib. 1. de auxilijs c. 4.* Less. *de gratia c. 5. n. 11.* Penna. *lib. 1. prop. c. 19.* Theophil. *disp. moral. 2. n. 259.* qui omnes duplicem hanc necessitatem tradiderunt, consequentem autem negant tollere voluntatem, atque ideò appellant necessitatem extraneam, forinsecam, per accidens, vt Parisiens. *tract. de Vit. c. 10.* Bona. *in 1. d. 38.* necessitatem respectiuam, Argent. *in 1. d. 40. art. 3. ad 8.* necessitatem, quæ ea vi sermonis innascitur, Greg. *1. in 1. d. 50. q. 2.* necessitatem sequelæ & conditionalem S. Thom. *1. p. quæst. 19. art. 8. ad 1. & ad 3.* necessitatem conditionatam, *lib. 1. cont. Gent. cap. 6. & 7.* necessitatem consequentiæ, quia nimirùm quarta hæc necessitas solùm oritur ex eo quòd supponatur iam rem esse & fundatam, vt Anselm. & alij passim docent, in ea maximè impossibile rem simul esse, & non esse, & cùm aliquid ponitur, esse necessariò infertur, & consequitur esse, quamvis aliunde illud esse sit ex natura sua contingens & liberum. Quare in ea necessitate inuoluitur semper aliqua conditionalis, Necesse est rem esse, si est. Altera verò necessitas antece

antecedens appellatur à S. Thom. absoluta: & sanè cùm aliqua tandem necessitas pugnet cum libertate, neque id diffiteri possint aduersarij, quam aliam assignabunt, quàm absolutam, seu antecedentem, quæ in potestate voluntatis non est, vt loquebatur Aug. Certè S. Thom. vt plurima quæ ex illo afferunt laudati Auctores missa faciam, non alia de causa docet 1.2. *quæst.* 17. *art.* 7. *ad* 5. motus sensitiui appetitus præcedentes non subdi imperio rationis, consequentes verò subdi, quàm quia quod præcedit voluntatem ipsi ampliùs liberum non est. Et *quæst.* 6. *de malo art.* 1. ait nullam dispositionem mouere voluntatem necessariò, quoties eam voluntas remouere potest, quando autem naturalis est ea dispositio, & non subiacens voluntati, tunc necessariò mouet. Adde motus primo primos negari liberos à tota schola, non nisi quia indeliberati sunt. Existimant igitur omnes id quod præcedit nostras voluntates, aut ex aliquo ita præsupposito necessariò fit, non fieri liberè, cùm in nostra potestate non sit, vt fiat, quod illustrissimè docuit Med. 1.2 *in q.* 10 *art.* 4.

Huic nubi testium accedit grauissima ratio ex ipsa natura libertatis eruta. Causa enim libera omnibus ad actionem necessariis positis debet posse agere, vel non agere, vt constat *ex quæst.* 5. vbi varias responsiones Aluaris & aliorum reieci, & ostendi eam definitionem intelligendam esse etiam in sensu composito; atqui suppositione antecedenti stante, voluntas non potest non agere, vt fatentur ipsimet aduersarij: ergo cum ea suppositione non stat libertas, quæ consistit in dominio quodam potentiæ liberæ in suos actus, vti dictum nuper est; non fuit autem in potestate voluntatis eam suppositionem accipere, aut repudiare, eâ enim inconsultâ posita est, & ea stante necessariò agit, neque habet in suo arbitrio non agere. *Non enim* (inquit Aug. *lib.* 3. *de lib. arbit. capite* 3.) *liberum est nobis, quod in potestate non habemus.* Et lib. contra Secund. c. 19. *Si autem cogitur consentire, ita vt non sit in eius potestate aliter facere, non ergo voluntate peccat, quia non voluntate consentit.* Denique non alia de causa reiiciuntur hæretici tanquam libertatis humanæ osores, quàm quia nos necessariò agere ex diuina præscientia & decretis impiè comminiscuntur.

Prædeterminatio physica libertatem exscindit.

Stabilita semel incompossibilitate libertatis cum suppositione antecedente, & necessitate inde orta facilè fuerit ostendere eandem libertatem tolli funditùs per prædeterminationes physicas, hoc est, decreta diuina efficacia, quibus Deus actus voluntatis antecedenter ad præuisam eius omnem operationem decreuit futuros, vi cuius deinde decreti fiunt eiusmodi actus, ita vt non possint deinde non fieri, ne diuinū decretum irritum reddatur & cassum, ac proinde Deus suo tempore efficaciter præmouet & determinat voluntatem ad decretas actiones, siue immittendo aliquam qualitatem, siue per motionem aliquam virtualem, siue applicando causam secundam, siue extrinsecùs assistendo, siue complendo potentiam in actu primo. Varij enim sunt, & dissidentes aduersarij, vt videbis apud Aluar. *lib.* 3. *de auxil. d.* 19. has, inquam, prædeterminationes, siue pro actione Dei immanente sumantur, siue pro actione externa, & temporaria, qua actu in tempore voluntatem determinet; quod inducere ferream & adamantinam necessitatem contra Bann. 1. *part. quæst.* 19. *art.* 10 *dub.* 1. Aluarem *de auxil.* & alios eorum sectatores, paucis ostendo, omissis iis quæ latissimè nostri Scriptores tradiderunt, & quæ nos breuiter 1. *p.* annulimus contra decreta antecedentia voluntatis creatæ cooperationem præuisam diximus. Hæ prædeterminationes faciunt necessitatem antecedentem, ergo tollunt libertatem ex dictis. Prima propositio aperta videtur; ipsi enim aduersarij docent, positis eiusmodi determinationibus non posse non agere voluntatem & plurima Scripturæ loca congerunt, vt doceant nihil reluctari posse diuinæ voluntatis efficacitati, neque vllus probat Caietan. 1. *p. q.* 22. *art.* 4. dicentem actum humanum substantem diuino illi decreto efficaci iam exposito neque esse euitabilem, neque ineuitabilem: cum enim sint hæc prædicata contradictoriè opposita de eodem simul prædicari nequeunt. Denique si decretum est efficax habebit necessariò effectum; hanc autem necessitatem esse antecedentem constat ex ipsa terminorum expositione: oritur enim ex aliquo, quod ponitur inconsultâ voluntate, nam ante omnem eius futuram determinationem, factum est tale decretum, neque fuit in potestate voluntatis vt fieret, aut non fieret. Neque accusari potest quòd positum fuerit, aut non, tale decretum; quare si nequit agere sine illo, vt volunt aduersarij, & eo careat, negatio actus ipsi iure tribui non poterit.

Repones enim: si fuissem determinata ad amorem, illum elicuissem, non fui autem determinata, neque per me stetit: eam enim determinationem neque abiici, neque curare potui. Quid mirum igitur, si amorem non elicuerim? Si autem voluntas actum prædeterminatum elicuit, laudi verti ipsi non debet; non poterat enim non elicere, posita ea prædeterminatione ad quam ipsa merè passiuè se habuit. Huius argumenti vim nunquam hactenus feliciter declinarunt aduersarij: quod enim recurrunt ad sensum compositum, & diuisum sæpiùs reiectum est: quod addunt Deum determinare vt actus infallibiliter quidem, sed liberè fiat, pugnantia loquuntur; nam velle actum fieri absolutè non præuisa determinatione voluntatis, est velle fieri quidquid tandem contra obnitatur voluntas. Quæro enim an cum eo decreto possit coniungi negatio operis à Deo præuoliti? si non potest, necessariò fit, si potest, exposuit se periculo Deus ne suo decreto frustraretur.

Respondent alij, causam primam esse maximè intimam effectui in quem influit, & sicut ex suppositione causæ secundæ influentis non fit necessarius absolutè effectus: ita neque ex suppositione causæ primæ. Verùm hinc tantùm sequitur, causam primam agere liberè, seu effectum vt substantem actioni primæ causæ fieri liberè, quod non impedit quominùs voluntas beati, quæ applicatur à causa prima, & ita potenter abripitur, vt neque potuerit eam applicationem & determinationem sui non recipere, aut abjicere, eámque non sequi, non necessariò agat, & inuita; neque consortium causæ liberæ facit, vt effectus respectu omnium causarum, quibus prodit, sit liber, vt ex concursu causæ primæ cum omnibus naturalibus agentibus satis colligitur. Nugantur præterea, qui dicunt, eam solùm suppositionem tollere libertatem, & si sit antecedens, quæ ponit aliquid necessarium, non eam quæ blanditur solummodo libertati: quærimus enim an suppositio quæ independens est à voluntate & per modū causalitatis infert necessariò, effectui blandiatur tantùm, an necessiter? si enim blanditur solùm, potest voluntas illiciis eiusmodi non duci, & non ponere effectū, non remotè tantùm, sed etiā proximè & in sensu cōposito perseuerantibus eiusmodi blanditiis, quibus se inescari non patietur, quod tamen nolunt aduer-

tarij, quos non iuuat determinatio causæ secundæ ad actionem indiuiduam, quæ non tollit libertatem: quasi idem dici possit de determinatione quoad speciem. Est enim magna disparitas, vt aliàs dixi, dicitur enim Deus determinare ad indiuiduam actionem, non quod determinet ad exercitium actionis, sed quia ex infinitis numero concursibus, quos exhibere potest voluntati, vt illis vtatur si lubeat, hunc numero & non alium offert, vt si velit eo vtatur. Cùm itaque sese determinauit ad agendum voluntas, & ad arripiendum concursum diuinum sibi paratum, Deus hoc numero concursu cooperatur agenti voluntati, qui concursus, quia est eadem actio cum actione voluntatis, facit vt Deus dicatur ad actionum indiuiduationem determinare. Denique Bañes fatetur inextricabilem quidem esse hunc nodum cohærentiæ libertatis cum diuinis decretis prædeterminantibus, verùm credendum esse, licèt non intelligamus, & captiuandum intellectum in obsequium fidei, & alia similia habet. Verùm hoc est fateri se omnino premi difficultate, & quidem de fide est Deum non temerare nostras voluntates; sed de fide non est nostras actiones eo modo prædeterminare, quo fingunt adoersarij, qui implicatam difficultatem insolubilem protsùs suâ subtilitate reddiderunt.

6 Reliquæ partes assertionis prima parte stabiliæ sunt; ostensum enim est diuinam præscientiam esse speculatiuam, & supponere rei futuritionem, non facere, neque proindè aliam necessitatem quàm consequentem inducere; prædestinationem autem, & reprobationem aliam non habere certitudinem, quàm præscientiæ; ostensum prætereà est præfinitionem purè immanentem cùm non prædefiniat actus nisi in & mediis & causis congruis, neque vi illius teneatur Deus adigere voluntatem ad actum, si mediis exhibitis obsistat, quamvis per scientiam conditionatam viderit obsecuturam si ea media exhibeantur, non tollere libertatem. Decreta verò omnia antecedentia, & efficacia reiecta sunt, & sola concomitantia retenta, quæ rectè cohærent cum indifferentia potentiæ creatæ; denique concursus non alio modo exhibetur, quàm fuit definitus, & non est aliquid antecedens sed concomitans, ipsáque actio creaturæ.

Nulla creatura cogit voluntatem.

7 Hactenùs de causa increata, de creata verò dicendum est, neque cœlum, neque Intelligentias, neque deniquevllam aliam causam externam creatam cogere posse voluntatem. De cœlo olim contra temerarios fati assertores, & Iudiciarios, pluribus eius influxibus non subdi constitit, apertáque est ratio; ducitur ex animæ immaterialitate, & corporeitate astrorum, eorúmque influxuum: adde creberrimam experientiam qua plurimi se delusos à iudiciariis iure queruntur. Denique quæ contra huius artis inanitatem vulgò afferuntur, hoc referenda sunt.

8 Intelligentias quoque violentiam afferre voluntati, quandiu manet iudicium indifferens, & perseuerat debita obiecti propositio, dictum est *tract. de Ang.* indirectè quidem commouendo humores, turbando phantasiam, atque ita iudicium obscurando, vel obiectum subdocendo aliisque eiusmodi viis voluntatem cogere nihil vetat. Adde vniuersim olim dictum esse, Intelligentias nihil præter motum localem posse: omnes verò aliæ causæ creatæ externæ homini, sunt ipso inferiores, ignobilioresque, ac proindè tam altum dominium in humanam voluntatem, quale exigitur hoc loco, habere nequeunt; quare quæ vulgò circumferuntur de quarundam herbarum & lapidum vitibus, in inclinanda ad odium, aut amorem voluntate, fabulæ sunt, quamquam humores commouere possunt, vnde deindè inflammetur in aliqua obiecta appetitus sensitiuus, qui blandè deinde rapiat voluntatem, non negarim.

Nihil internum voluntati, eam cogit.

Restant causæ internæ homini, cuiusmodi sunt, peccatum originale, & actuale mortale, intellectus, appetitus sensitiuus, & habitus intensus: sed hæc omnia rectè cohærere cum voluntate libera dicendú est, & quidè noxam per traducem acceptam à parentibus libertum arbitrium & læsisse & excidisse impiè docent Caluin. & Lutherus, quos reiiciunt abundè Bellarm. *lib. de gratia & lib. arbit.* Becan. *c.2. q.9. &* 10. Pennot. *lib.2. propug.* & alij passim. Apertæ sunt Scripturæ & ipsamet experientia, & omnia quæ euincunt in nobis libertum arbitrium, eoincunt etiam remanere in hoc statu. Et ratio euidentissima est: cùm enim homo post peccatum sit rationalis, habeátque indifferentiam iudicij, necessariò & voluntatem liberam retinebit, hinc enim vnam esse radicem libertatis in homine, cuiúsque defectu bruta esse ad vnum determinata, *superius* demonstratum est: non diffiteor tamen amisisse peccato suo hominem vim ad opera supernaturalia, & circa etiam naturalia peccati, maiorem quandam difficultatem, eo quod rebellanti appetitui, qui sæpè sua fuligine rationem perturbat, aut suis illiciis suauiter, efficaciter tamen voluntatem pertrahit, obnoxius modò sit. Atque hoc vnum volunt PP. locis, quæ magnâ pompâ exaggerant Nouatores, quibus deplorant plagam quam etiam in naturalibus passus est homo in Adamo. 9

10 Idem euincit eadem ratio de peccato mortali quod & à libero suscipitur, & libertam potentiam relinquit, vt experientia satis superque testatur.

11 Intellectus, etsi facem præferat voluntati ad quamlibet eius actionem, illibatam tamen libertatem relinquere constabit alibi, vbi de imperio, & iudicio practico, & aliis actibus, quibus prælucet voluntati, agetur.

12 Appetitus sensitiuus eo quòd sæpiùs insecet voluntatem & blanditiis necessitatis sæpiùs abripiat, difficultatem facit & in alteram partem quandoque inclinat, vnde querelæ Pauli, & aliorum qui hominem viiij mancipium vocant. Vid. Aug. *in Psal.* 118. ad illud: *Tuus sum ego, lib.8. Confess. c.5.* & ipsum Senecam *lib. 1. de irac.* 7. & 8. libertatem tamen hæc omnis effrenis licet bestiæ commotio, non eripit, & inuita mandere frenum cogitur à voluntate si lubest. Gen. 4. *Subter te erit appetitus tuus.* Hinc crebrò monent Scripturæ & PP. vt appetitum coërceamus, & lupatis ferocientem infrenemus, vt Nissen. *hom. 1. de homin. procreatione*, vincula peccati, & concupiscentiæ non inici nisi volenti, fusè ostendit Bernard. *ferm.* 81. *in Cant.* neque huic seruituti suffragatur Paul. *ad Rom. 7.* dum ait: *Hoc quod non volo malum, hoc ago.* nam optimè exponit Chrysf. verbum, *non volo*, significare eo loco, *non probo*, non absolutam nolitionem, & repudiationem voluntatis: non amplectitur enim malum voluntas nisi volendo, non potest autem simul nolla, seu non velle, quod actu vult. Denique grauis lucta est spiritus & carnis, sed spiritus non vincitur, nisi vinci velit. Accedit ratio: quia appetitus inferior est potentia, & vt seruus ad dominum comparatus cum ratione, & voluntate, neque proinde nisi volentem trahit. Itaque, vt olim dixi, vehemens concupiscentia auget voluntarium, quamvis ob sæpè obumbratum iudicium minuat quandoque liberum.

Idem

13 Idem planè sentiendum de habitu intenso, qui parit quandam difficultatem, quoties in oppositum actum illi, ad quem inclinat habitus obstinatus, inclinatur: hinc tam multa afferri solent in contractam longo vsu consuetudinem, euius maximam tum in bonum, tum in malum vim esse experimur. Vide Alexand. *in protept. de consuetudine idola colendi*, Eucbetium *hom. 5. in Monach.* Chrys. *lib. 3. adu. vitæ monast. vituperator.* Denique Isidor. *lib. 1 Ep. 38.* in Græco codice consuetudinem vocat, tyrannum voluntatis, voluntatem tamen non eripit, quia non cogit intellectum cogitare de obiecto, ad quod inclinat, atqui remotâ cogitatione cessat actio voluntatis. Deindè vim voluntaris, & potentiæ, quam affiert, non immutat habitus, sed solùm eam ad actiones quasdam facilitat, quare manet quoad vsum in nostra potestate.

Dices aliquando habitum ita crescere, vt vis facilitatiua ad aliquam actionem, propter quam resistit, aut retrahit ab alia actione superet, aut æquetur potentiæ resistenti; atque ita tunc illam secum abripiet. Verùm respondeo, vires istas esse æquiuocas, & quantumvis intendatur entitas habitus, & pati proportione vis eius facilitatiua, non tamen vis restitiua inclinationi voluntaris, quæ habebit semper maiorem vim agendi, quàm habitus, etiam intensissimus resistendi; neque actiuitas, & resistiuitas crescunt pari gradu, vt patet in calore & frigore, hoc enim magis resistit, ille actiuior est, & virtus æquiuoca potentiæ, etiam minùs intensa pluribus gradibus habitus æquiualere potest. Denique potest voluntas expromere totam suam vim, & per partes resistentiam habitus exscindere.

PRINCIPIVM II.

Modus agendi voluntatis.

De modo agendi voluntatis.

2 ACTENVS principiom proximum humanarum actionum nempè potentiam liberam expusuimus, definiebamus enim alias actionem humanam eam, quæ homini ita propria est, vt per eam agat humano modo & rationabili, eámque *ibidem* ostendimus esse liberam; restat igitur ad ipsasmet actiones earúmque naturam specificam, nam ratio liberi superior est, & genetica, illustrandam delabamor. Quia verò actio humana laudis & vituperij capax, non est ea solùm, quæ est libera formaliter, seu quæ à potentia libera elicitur, sed ea quoque quæ denominatiuè & participatiuè libera est eo quòd à facultate libera imperante prodeat, vt docent actiones externæ; de vtraque hac actione agendum erit, addendum quoque aliquid de actionibus intellectus necessariis, vt voluntas humano modo agat: *superius* enim statuimus radicem libertatis & exercitij eius esse indifferentiam iudicij, seu obiectum, vt indifferens, atque adeò cum amabilitate & repudiabilitate, propositum. Denique hos actus intellectûs eum actionibus voluntatis comparabimus, vt totus processus agendi deliberatè, & modo humano, qui fundamentum sit turpitudinis, & honestatis euidentiùs colligatur. Atque hunc ferè ordinem se sequi asserit S. Thom. *q. 8.*

QVÆSTIO I.

Diuisiò actuum voluntatis.

MVltiplex est hæc partitio, nec modicam lucem toti reliquæ disputationi affusura est. 1

Diuiditur primò actus voluntatis, in positiuum & negatiuum: sumo actum negatiuum latâ & impropriâ significatione, non pro ootione, sed pro negatione volitionis, quæ negatio, actus non est, vt patet, sed eius carentia: quia tamen ea negatio libera est voluntati, & ab ea quodammodo pendet (non ponit enim actum, quem ponere poterat) ideircò actus voluntatis (improprie vsurpando nomen actus) pro eo omni, quod quacumque ratione pendet à voluntate, dicitur. Quamquam quæri posset hoc loco, an detur pura omissio, seu negatio actus, quæ nullum actum positiuum adiunctum habeat, sed *alibi* commodiùs id decidetur.

Diuiditur, secundò actus positiuus, de quo solum deinceps agemus, in actum prosequutionis, & fugæ, quibus aut obiectum complectimur, aut auersamur, de qua partitione tria quæruntur. 2

Primum an hæc diuisio sit materialis dumtaxat, an etiam formalis; aliqui enim Recentiores existimant quidem eum actum, quo solùm tendimus in bonum, esse entitatiuè diuersum ab eo, quo malum & incommodum refugimus, volunt tamen omnem actum fugæ esse simul actum prosequutionis quamvis omnis actus prosequutionis non sit simul fugæ, quia nullum malum odimus, nisi quia bonum aliquod affectamur, cui impediendo malum illud obest: cùm enim volitio sit quidam motus voluntatis, fieri nequit vt ab vno termino recedamus, quin accedamus in alium, vt in omni motu locali, & alio quoliber deprehendere licet; est enim motus acquisitio formæ: quare vel à forma veteri ad nouam, à minori gradu ad intensiorem, vel saltem à non forma ad formam sit transitus. Denique omnis actus voluntatis est tendentia in finem: finis autem volontatis est solum bonum, vt statim dicetur. Hanc tamen sententiam esse contra communem omnium sensum rectè notauit Vasq. quis enim dicat amorem esse odium, recessum esse accessionem? Argumenta autem allata probant dumtaxat sæpiùs eum odio mali, & fuga obiecti, alterius amorem & prosequutionem coniungi, sed non idcircò hos duos actus in vnum aut formaliter, aut etiam entitatiuè conflandos esse; imò, non video quid prohibeat aliquando solam fugam esse, nullâ accedente prosecutione; vt enim occurrit menti grande aliquod malum, statim ab eo resilit voluntas, etsi nondum in vllum certum bonum tendat, cùm ne de eo quidem cogitet intellectus; vt qui incautus serpentem presserit, pedem sustinet, & retrocedit, quamvis in nullam adhuc certam partem cursum destinet. Neque aliud suadent quæ de tendentia animi cum motu locali collata, dicuntur vulgò.

Alterum quæsitum erat, an prosequutio sit tantum circa 3

circa bonum neque possit versari circa malum, vt malum, & fuga è contrario ad bonum vt bonum tanquam obiectum terminari, nam vulgò Nominales ita opinatos esse existimant. Certè Gab. *in s.d.* 34. *q.*8. *art.*3.*dub.*1. sequitur communem opinionem S.Thom. q.8.*art.*1.S.Bonau. *in* 1.*d.*34.*art.*1.*q.*3. & aliorum passim, neminem intendere malum in sua operatione, quod asseruot Dionys.4. *de diuin.nominibus*, & alij Patres sæpiùs, imprimisque Aug *lib.*1.*confess.c.*6. ipséque Aristoteles 1. *Ethic. c.*1.*& lib.*8.& *cap.*5. quibus locis idcirco definit bonum, id quod omnia appetunt. Probat S.Thom. quia volitio appetitus est rationalis, appetitus autem omnis est inclinatio, quæ non est nisi in sibi simile & conueniens, hoc est bonum, quamquam appetitus rationalis, quia sequitur formam apprehensam, feratur non tantùm in bonum reale, sed etiam in bonum apparens, & apprehensum, cùm appetitus naturalis tendat tantùm in bonum reale, & naturæ appetenti reipsa conueniens. Accedit communis omnium gentium sensus: aliud verò est rem volitam esse malam, & id quod auersamur esse bonum, atque ita cognosci, & apprehendi, aliud verò nos auersari bonum cognitum quia bonum est, ita vt ratio motiua auersionis, sit ipsa mera ratio boni, & ratio motiua amoris, sit sola malitia quæ reluceat in obiecto: nam primum sæpiùs contingit vt in peccatis, quæ malitiæ appellantur; ea enim sic appellantur, non quòd peccator habeat pro ratione motiua sui peruersi amoris malitiam nudè sumptam, sed quia, vt obseruat Durand. *in* 2. *d.*43. *q.*5.*n.*10. qui ita peccat, etsi clarè apprehendat malitiam moralem, & turpitudinem actûs, illum tamen admittit, quia putat sibi esse bonum & commodum, ita suam explere libidinem, & suæ libertati indulgere; quod maximè contingit in omnium nefandissimo actu, quo quis Deum odit, non odio tantum abominationis, sed etiam inimicitiæ, & aliquid turpe, & contra diuinam legem admittit, quia scit id Deo, qui summum bonum est, & contrarias leges fixit, displicere atque molestum esse, quo certo dæmones in Deum perpetuò bacchantur, in eo tamen iniquitatis plenario facinore, bonum aliquod sibi fingit, in exsatianda rabie qua aduersùs Deum, quem sibi inimicum, & incommodum apprehendit, miser percellitur. Itaque in his omnibus intenditur malum non vt malum, imò, vt ait Bona. *l.c.* malum per accidens, aut consecutiuè, dumtaxat intenditur, quatenùs v.g. malitia est inseparabiliter annexa rei concupitæ, actui v.g. quo diuinæ legi aduersamur, & quem vt displicentem Deo, quem sic vlcisci cupimus, cogitamus. Idem asserendum est de odio quo aliquem prosequimur, quo vnico ferè argumento vtuntur aduersarij; odisse enim est velle malum. Verùm illud malum quod alij volumus, nobis commodum esse interpretamur, & quædam suauitas est hostem afflictum intueri.

4 Ex his solues quod tertio loco quæri poterat, an detur medius aliquis actus, quo voluntas versetur circa obiectum neque vt bonum, neque vt malum apprehensum, ac proindè qui neque fugæ, neque prosecutionis sit, sed ab vtraque hac ratione præscindat. Ita censuit Aug. *cap.*2.*moral.tract.*2. quod meritò reiicit Gab. *in* 2. *d.*17. *q.*8. *litt. B.* & reliqui passim; tam enim impossibile est dari actum sine obiecti aut malitia, aut bonitate, atque visionem sine visibili, cùm hactenùs demonstratum sit, rationem obiectiuam voluntatis motiuam, esse amabilitatem, aut repudiabilitatem obiecti, hoc est conuenientiam aut disconuenientiam, seu bonitatem, & malitiam, sicut visibilitas est ratio motiua visus, & qua sublata nequit obiectum visionem deinceps terminare, quod idem censendum pariter est de altero quodam obiecto neutro, & actu quem *ibidem* Ang. probabat circa illud obiectum neque possibile, neque impossibile apprehensum: etsi enim necesse non sit in obiecto voluntatis, ad quamcunque volitionem, etiam simplicem, apprehendere possibilitatem, vel impossibilitatem obiecti in actu veluti signato, in actu tamen exercito necesse prorsus est obiectum, vel possibile, aut impossibile obiici, sicut necessariò vt ens, aut non ens proponitur.

5 Diuiditur tertiò actus voluntatis in absolutum & conditionatum, de quo postremo est difficultas. Obseruandum verò est, duplicem dari actum conditionatum, alterum ex parte subiecti, alterum ex parte obiecti: prior nondum est elicitus à voluntate, sed est eliciendus, si ponatur conditio, v.g. Vellem obiectum si possibile esset: hoc sensu, Si possibile esset obiectum, elicerem actum volitionis, & prosecutionis circa illud, quem actum nunc non elicio, sed tantum iudico quid factura esset voluntas, circa tale obiectum posita conditione possibilitatis, quæ quia modò non est, eum etiam actum non elicit voluntas. Itaque de facto non vult illud obiectum voluntas, sed tantùm volitura est; quod illustrius est in actibus conditionatis intellectûs & visûs, Intelligerem si ita proponeretur obiectum: Viderem, si medium illustraretur, & si visibile esset in debita distantia; illis enim locutionibus non exprimitur vllus actus, qui reipsa fit in intellectu aut visu, sed tantùm qui futurus esset, positâ conditione quæ exigitur in obiecto. Alter actus conditionatus est ex parte obiecti quem Fons. *lib.*9.*metaph. cap.*2.*q.*5. partim absolutum, partim conditionatum, seu mixtum appellat, éstque reuera iam præsens, & elicitus à voluntate, quamvis non tendat in obiectum nisi prout tali conditione conuestitum, v.g. Princeps qui muralem proponit militi qui primus murum adscenderit, non tantùm voliturus est coronam militi, vbi ea se dignum præstiterit, sed modò vult, sed cum tali conditione, ita vt verè dicat, Volo dare Sempronio coronam, si hostes vicerit: hæc autem conditio quæ requiritur in obiecto aliquando possibilis est, atque vt talis apprehenditur, aliàs est impossibilis, atque ita cognita. De actibus circa obiectum conditionatum, quando conditio vt possibilis apprehenditur, nequit esse difficultas, cùm illi frequentes sint, & quoties versantur circa rem futuram, conditionem includant existentiæ ponendæ obiecti alicuius, atque in omnibus ferè contractibus & promissionibus reperiantur, Volo dare, si feceris. Quando verò conditio obiecti est impossibilis, vt quoties circa præteritum, quod vellemus non fuisse, aut circa futurum, apertam repugnantiam, in suis terminis inuoluens, vt, Vellem esse Angelus, aut Deus, grauis est difficultas, videtur enim esse hic actus conditionatus tum ex parte subiecti, tum ex parte obiecti, ac proindè exprimitur per *nollem*, aut *vellem non volo*, aut *nolo*, & Micudos *d.*14.*de Ani.sect.*1. qui aliquos eiusmodi actus præsentes esse agnoscit & conditionatos tantùm ex parte obiecti, ait exprimendos esse verbo indicatiuo, non optatiuo, alioqui enim denotantur nondum esse præsentes, sed fore positâ conditione, quæ quia nunquam ponetur, cùm sit impossibilis absolutè, & non tantùm secundùm quid, nunquam etiam ponetur actus: quis tamen rectè se loqui putat si dicat, Nolo peccatum esse admissum à me, quod, tamē posito, quòd admissum sit, non potest non esse admissum? quare exprimendi sunt hi actus per optatiuum *nollem*, aut *vellem*, vt fert communis loquendi modus, ex quo tamen non potest duci vllum argumentum, quidquid contra Vasq. contendat 1.*p.d.* 83.

83. n. 23. & t. 2. d. 43. c. 2. nam vox illa innuit tantùm non absentiam actus, sed impossibilitatis effectus, qui optatur: sicut de velleitate expressa per verbum *vellem*, passim reliqui omnes docent: est enim actus reipsa exercitus à voluntate, quamvis inefficax.

6 Vt verò tota hæc lis illustrius proponatur, & enodetur, observandum vlteriùs est, multiplicem posse esse hunc actum conditionatum. Primus est simplex quædam complacentia, aut displicentia; amor, aut odium, licet Vasq. 1. 2. d. 47. c. *art.* non conditionatum vocet, vt dicetur *infrà*, atque hunc actum dari reipsa constat in actu, quo pœnitens peccatum admissum odit, malum enim in quocunque statu cognitum displicet. Ita docent Suar. *lib. 7. de Angel. c. 12. à n. 14. & 3. p.* S. Thom. *d. 5. s. 3.* Bellarm. *lib. 2. de pœnitentia c. 8.* & qui Angelum potuisse peccare, appetendo æqualitatē Dei, docent cum Scoto *in 2. d. 6. q. 1.* vt Vasq. *d. 234. c. 2. 1. p.* Becan. *ibid. c. 4. q. 5.* Arrubal. *disp. 178. n. 18.* Gran. *d. 2. s. 3. tr. 13.* & alij Salas *l. 6. d. 15. n. 30.* Azor. *lib. 1. c. 20. q. 3.* Alter actus est ipso simplici odio vlterior, diciturque detestatio circa malitiam, & circa bonitatem desiderium, atque ad ipsam mali præteriti detestationem suo modo tendit, vt in eodem exemplo de actu pœnitentiæ vides: hæc enim detestatio non tantùm acerbum dolorem præteriti sceleris ingenerat, sed etiam prohiberet peccati admissi existentiam, si fieri posset, quod tamen non prohibet, quia factum infectum fieri nequit. Tertiò esse potest actus quidam approbatiuus desiderij futuri aut actus auersatiuus mali præteriti. Perstò semper in eodem exemplo peccatoris sua scelera detestantis, quia & frequentissimum & illustrissimum est, qui proponitur ab intellectu elicibilis, si obiecti possibilitas adesset; hic autem actus erit reuera exercitus à voluntate & versabitur circa impossibile sub conditione possibilitatis, circa actum videlicet elicibilem, si impossibilitas obiecti non prohiberet, quæ approbatio non est simplex complacentia, sed aliquid robustius; imperaret enim actum elicibilem, si obiectum permitteret. Valent. 1. 2. d. 2. q. 8. q. 2. ait hanc approbationem esse actum voluntatis absolutum, sed versantem circa actum, qui proponitur elicibilis, circa obiectum impossibile ab aliquo saltem qui apprehenderet illud obiectum vt possibile, atque ita non terminatur voluntas ad obiectum impossibile, & nihilominùs sufficit ille actus ad peccatum, cum per eum velimus actum possibilem circa obiectum malum: atque ita potuere angeli peccare, appetendo æqualitatē cum Deo quam norant esse impossibilem. Idem ferè habet Fonsec. *lib. 9. metaph. c. 4. q. 3. sect. 5.* cùm ait, voluntatem quidem actu absoluto velle se volituram, aut futuram suam volitionem talis obiecti si esset possibile. Quæ doctrina horum Auctorū vera quidem est, sed malè negant, voluntatem versari posse circa obiectum ipsum immediatè impossibile positâ conditione possibilitatis, vt hactenùs ostendimus, in amore, & odio simplici, & ex dicendis modo amplius constabit.

7 Tota igitur controuersia est de secundo illo actu, quem simplici amore, & odio vlteriorem diximus, quique non sit tantùm volitio volitionis futuræ, vt dicebat Fonsec. aut approbatio actus elicibilis, ab apprehendente obiecti possibilitatem, sed immediatè circa impossibile cognitum, & impossibile, sub conditione possibilitatis tamē versetur, & auersio seu fuga & detestatio nominetur circa malum, desiderium circa bonum, quique actus sit reipsa præsens in volūtate, & ab ea exercitus, ac proinde ratione subiecti absolutus, conditionatus autem ex parte obiecti, vti expositum est, sit denique suo modo efficax: hunc enim actum negant tum Valent. & Fonsec. allati, tum Salas *tract. 6. d. 1. n. 18.* quoad efficacitatem quam diximus habere hunc actum quantum est ex parte voluntatis, quæ illum reuera elicit. Caietan. ait *1. p. q. 63. art. 3.* impossibile per se, seu simpliciter non posse terminare vllū actum per se & simplicem voluntatis, nisi ratione alicuius coniuncti, &, vt loquitur, per accidens, atque ita Dæmones vellent Deum non esse, ratione coniuncti, quia nimirùm vindex est. Impossibile autem per accidens, quod absolutè possibile est, vt non peccasse simplici voluntate, appeti potest, atque ita potest aliquis per se & directè affectu velle non peccasse, id enim possibile erat. Conrad. 1. 2. q. 13. *art. 5. ad* 1. Caiet. tamen in eundem locum 1. 2. ait voluntate incompletā posse appeti impossibile, etiam per se, vt Deum suo regno exturbare, quo exemplo vtitur; hanc autem voluntatē non dicit incompletam, quasi sit indeliberata, & non sufficiat ad peccatū mortale, quod demùm asseruit Ferrar. *lib. 3. contra gent. c. 109.* sed quia non fertur ad ipsam executionem; idem habet Medin. *in art. 12. citatum*; additque *con. 2.* eum actū voluntatis esse conditionatum, eo quòd versetur circa impossibile sub conditione possibilitatis. Cæterum distinctio simplicis impossibilitatis assignata à Caiet. inepta est hoc loco; si enim impossibile per se appeti nequit, quia voluntas fertur in existentiā rei, quam nobis vel alijs volumus, cùm impossibile per accidens, vt sic æquè incapax sit existentiæ, æquè nequibit appeti. Deindè falsum est quod appetitur ob coniunctam sibi bonitatem aliquam, non appeti per se, & directè, nam reuera tendit in illud voluntas, licet non nisi ea bonitate affectum, atque ita damnati verè desiderant, Deum, cuius vindicem manum sentiunt, non esse. Vasq. 1. 2. d. 42. c. 4. concedit quidem voluntatem circa impossibile, sed non modò prorsùs inefficacem contendit, & non alia à simplicissimo affectu, deliberatè tamen, sed etiam conditionatam esse negat, cùm non versetur circa impossibile, si possibile esset: quia sicut intellectus non versatur actu circa verum, si sub aliqua conditione non esset, neque visus videt colorem, qui foret ea hypothesi: ita neque voluntas amabit bonum, aut oderit malum, quod non est, sed esset positâ conditione, vnde etiam infert, omnem actum præsentem voluntatis esse ex omni parte absolutum, & verbo indicatiuo non optatiuo exprimendum.

Dicendum tamen est, dari affectum conditionatum circa impossibile sub conditione possibilitatis, quod saltē volunt Auctores laudati initio huius difficultatis: & ratio euidentissima est, quia eiusmodi obiectum proponitur amabile, aut repudiabile, v. g. honestum est non peccasse, si posset fieri, conueniens erat non mori, vtile homini esse Angelum, si fieri posset. Sicut igitur, si reuerà poneretur conditio in obiecto, tunc voluntas illud amaret, aut odisset, ita nunc cùm proponitur cum tali conditionata amabilitate, & odibilitate, potest conditionatè amare, vel odisse. Ratio à priori esse videtur; quia conditio, quam in obiecto supponimus, tenet se tantùm ex parte possibilitatis, non bonitatis, aut malitiæ, hæc enim vera est, quare hæc propositio: Si hoc esset possibile, amarem illud, ita resolui debet: Si bonum quod apprehendit intellectus, quódque sub ea ratione apprehensum reuera bonum est, esset possibile, amarem illud, seu potiùs, Amo bonum, & volo mihi, si fieri possit vt eo fruar. Ex quibus apparet discrimen inter voluntatē & intellectum, aliásque potentias cognoscitiuas: nam hæ facultates non habent rationem formalem, & motiuam in obiecto proposito sub conditione, vnde actus ipsarum cōditionati nondū sunt actu exerciti, sed erunt positâ conditione, v. g. obiectum sub conditione intelligibilitatis, aut visibilitatis, nondùm intelligitur, aut videtur;

detur; sed posita intelligibilitate,& visibilitate intelligetur, & videbitur: donec enim ponatur hæc conditio, non est in obiecto ratio motiua intellectûs aut visûs: atqui in obiecto voluntatis códitiooato, à nobis exposito ponitur bonitas, quæ est ratio idonea ad mouendam voluntatem,& solum exigitur eius possibilitas, atque ita Vasquis argumentum euanescit.

9 Addo, hunc actum esse etiam efficacem, non quòd reuerà vllum opus ex eo sequatur (quamquam quod attinet ad peccati detestationem illam excludat, quandiù præsens est, omnem actum similem præterito, vt ait Suar. *tom.4. d.3. sect.3. num.6.*) sed quia ex natura huius actus, si obiectum esset possibile, sequrretur statim efficax electio mediorum, & eaecutio, sine alia vlla intentione, aut efficaciore voluntate: quare quod hic actus efficacitatem non habeat, non ex eo petendum est, sed ex natura & impossibilitate obiecti, sicuti sæpiùs contingit in causis secundis, & naturalibus, quæ licet totam vim, omniáque alia requisita ad productionem effectus habeant, impediuntur tamen sæpiùs alterius concursu causæ, aut incapacitate subiecti, atque ita habent efficacitatem in actu primo cum inefficacitate in actu secundo propter impedimentum extrinsecum.

10 Ab hac tamen efficacia neque intentio, neque electio dici potest hic actus, atque ea in parte tenenda est communis Aristotelis *lib. 1. Ethic. c.2.* & S.Thom. 1.2.*q.* 13. *art.5.* sententia, neque abnuit Scot. *in 2.d.6.q.1.* §. *Respondeo*, ibi enim duplicem ponit electionem efficacé vnam, alteram inefficacem, sed abutitur nomine electionis, hanc ab inefficacitate affectus firri mooebam,& verbo optatiuo exprimi hunc actum. Hinc denique qua ratione actus conditionatus dici possit, moraliter bonus, aut malus monebam; si enim sumatur pro eo tantùm actu intellectûs, quo indicat quid factura sit voluntas in eo euéto, v.g. si occurreret inimicus in ipsum inuolatem, existimo & præsagio, me id facturum, neque bonus neque malus est ille actus, cùm sit solius intellectus, & nihil dum egerit voluntas, quæ est prima radix meriti,& demeriti, sed sit tantum iudicium de futura volitione, quæ fortè non ponetur, quamvis plures habeat coniecturas de eius futuritione intellectus. Ita Suar. *lib.7. de Ang.c.* 22.ait. Si autem sumatur pro propositio quo voluntaa asserit se volituram obiectum posita conditione, vt eaponebat Fonseca, aut pro approbatione, qua sibi in actu futuro complacet, quæ erat mens Valentiæ, apertum est esse hunc actum aut boonm ab obiecto in quod semel vltimò & mediatè tendit. Denique iuxta nostram mentem, cùm sit tantùm simplex complacentia aut displicentia: sed actus quidam vlterior, & ex sua natura, atque in actu primo efficax maximi meriti, aut demeritis quare non rectè Suar. *l.c.* existimat Angelos non peccasse affectando diuinam æqualitaré, quòd ille affectus, etsi potuerit esse, fuisset leuis admodum, neque ita tum grauem culpam inuexisset.

11 Diuiditur quartò actus voluntatis in eum qui versatur circa finem, & qui circa media: quæ partitio adæquata est, omnémque volitionem complectitur. Sumo autem finem latè omninò pro eo omni, quod expetitur propter se, quia non expetitur propter aliud, vel quia etiam alia propter ipsum expetuntur: aliud enim est finis, aliud causa fioalis, vt enim aliquid sit causa finalis, debet non tantùm ad sui amorem, sed etiam aliorum mouere, vt autem sit finis, sufficit, si non ad aliud moueatur. Itaque non sola intentio versatur circa finem, sed etiam simplex voluntas, fruitio,& actus inefficax,& conditionatus: reiicio ab hoc loco actum quemdam neutrum, qui neque sit mediorum, neque finis, quem induxit Sala. *tract.6.d.1.* *n.109.* & *tract.1.d.6.n.31.* Scot. *in 1.d.1.q.3. littera A.* de cuius tamen mente plura Vasq. *d.* 32.c.1. & sanè disputauit tantùm Scot. de actu qui neque fruitio, neque vsus sit. Ratio huius sententiæ est. Quia potest apprehendi absoluta ratio boni, quod neque propter se, neque propter aliud amandum repræsentetur. Inpugnant hunc actum Suar. *d.* 23. & Vasq. *l. c.* & alij passim, quia non datur medium inter amabile propter se & propter aliud: sequitur enim mediata quædam repugnantia inter amabile relatè ad aliud,& amabile non relate ad aliud: litem ego composui distinctione allatâ de fine, & causa finali, omne enim bonum est finis vel medium, quamvis non sit medium, vel causa finalia, seu, vt loquitur Cairt. 1. 2. *q.8.pr. fat.* & *ibid.* Medin. appetitur semper aut vt medium, aut vt finis in actu signato formaliter, vel in actu exercitio, & virtualiter, quare rectè diait Val. *d.* 2. *q.3.p.2* totam hanc rixam esse de vocibus.

Diuiditur quintò in actum elicitum à voluntate, 12
& imperatum ab eadem, ab aliis verò potentiis elicitum, de quo posteriori actuum ordine *q.4.* dicetur.

Diuiditur sextò in actum soli homini proprium,& 13
affectus belluis ac etiam appetitui sensitiuo communes, cuiusmodi sunt passiones de quibus *d. seq.*

QVÆSTIO II.

De actibus elicitis à voluntate circa finem.

TRes enumerantur à D. Thom. *q. 8. init.* simplex voluntas, intentio,& fruitio. De voluntate nihil quærendum restat, docuimus enim versari circa bonum solum, atque circa finem, aut media, quæ duo disputat *ea q.* S. D. quæ autem addit reliquis *A.* vt & *q. 9.* pertinent ad voluntatem vt potentia est, non vt est volitio. Agendum itaque de reliquis duobus actibus restat.

Intentionis natura.

Intentio est efficax voluntatis prosecutio finis obtinendi, & idem aliquandò realis, & indiuisibilis actus cum electione mediorum.

Dixi primò esse actum voluntatis contra S.Bona. 1
in 2. d.38. art.2. q.2. asserentem complecti actum voluntatis & intellectûs, idque ipsum vocis etymon indicare; significat enim intentio non quamlibet tendentiam seu conuersionem in obiectum, sed conuersionem & tendentiam cum collatione quadam, & quietatione: quorum alterum est rationis, alterum voluntatis,& sicut ad motum progressiuum concurrit operatio visûs viam monstrantis, & pedis sese mouentis, atque totum corpus deferentis, ita intentio, ad rationis dirigentis actionem quæ lumen & oculus dicitur, *Matth. 6.* & voluntatis tendentiam, ea tamen omnis ratiocinatio, nihil aliud conficit quàm intentionem sequi actum rationis dirigentis, aut, vt loquitur Azor. *lib.1.c.25.* esse actum illius origine, non autem formaliter, neque aliud oculi similitudo qua vtitur Christus *Matth.6.* postulat: & sanè vt ait S.Thom. 1.2.*q.12.art.1.* solius voluntatis est tendere,& mouere tum seipsam, tum reliquas potentias in finem, prælucente tamen intellectu.

Dixi secundò esse actum efficacem, vt distinguerem ab aliis actibus quos voluntas etiam circa finem 2
obtinendum elicere potest, cuiusmodi sunt simplex amor, desiderium,& spes qui non sunt necessariò efficaces, sed sæpè languidæ quædam voluntates, vt eas vocat Parisi. *lib. de tentation. c.* 1. aut vt loquitur Scot.
in

in 1.*d*.47.*q*.7. remissæ, cùm intentio sit ea oatura sua efficax, & effectum; nisi impediatur, futurum connotet, vnde etectam voluotatem vocat Parisiens. & robustam. August. *lib.de gratia.* & *lib. arb.* Arist. 6. *ethic. cap*.9.12.& 13.propositum, quamquam intensio, & remissio oon semper arguant efficacitatem voluntatis; potest enim inteosissimè versari circa aliquid impossibile, & simplex amor possit iotensissimus esse, vt aduertit Vasq. *primæ secundæ, disputatione* 43. *numero* 23. & probat eaemplo Christi, qui intensè nolebat mori, cum summâ tristitia afficeretor, id tameo nolebat efficaciter. Efficax itaque est voluntas quâ non solùm volumus rem, sed illam etiam exequi, vel acqoirere omnioò volumus, ita vt si non seqoatur effectus, non stet per voluntatem, sed per impedimentom aliquod extriosecum.

3 Addidi tertiò, etiam huius actus indistinctionem ab electione, quod vt intelligatur, & dissidentes sententiæ facilè componantor. Obseruandum est finem, & vt finem, & non solùm prout qooddam bonum, appeti posse doobus modis: primò virtualiter tantùm & confusè, quatenùs videlicet appetitur in medijs, quæ propter ipsum eliguntur, etsi distinctè de fine tone non cogitetur, vt cum quis cogitat de pharmaco hauriendo, quamvis tameo de sanitate nihil cogitet: oon potest velle illam pharmaci sumptionem, nisi simol velit implicitè confusè, & virtualiter eligi media; quando enim qois efficaciter finem aliquem, vt sanitatem, intendit, licèt nullum adhuc medium occurrat, in expressa tamen finis intentione volitio quoque mediorum implicatur. Secondò possunt tum finis, tum media distinctè formaliter, & explicitè per seipsa immediatè volitionem terminare, vt qoi vult sanitatem misso sanguine, aut sumpto pharmaco aliquo singulari curare, & qui eligit sibi iouri cauterium ad carcinoma corandum, vult distinctè tum finem, tum media: his obseruatis.

4 Statim apparet non posse eligi media, qoin simul & eodem actu iotendatur finis confusè, & virtualiter, neque etiam Intendi finem sine implicita volitione mediorum, cùm finis vt finis dicat ordinem ad media, quæ etiam formaliter sumpta relationem necessariò dicunt ad finem: imò ratio volendi media, est bonitas finis, per ea comparabilis, aut bonitas relatioa, sicut de imagioe & prototypo dici solet: est enim perfectio propter quam imago adoratur relatiuè, & & non nisi propter prototypum adoratur, ita vt saltem confusè, & virtualiter simul prototypum attingatur in imagine: eadem est io assensu conclusionis, vt conclusio est virtualis tendentia in præmissas, quæ sunt medium assentiendi conclusiooi, quamvis diuerso actu attingantur distinctè & explicitè præmissæ & conclusio, neque in voum realem coalescere possunt, atque in hanc priorem assertionem conueniunt omnes, & ij qui maximè cootendunt esse distinctionem realem inter intentiooem, & electionem, vt Vasq. 1.2.*d*.33.*cap*.3. atque ita si placeret, expoonere licebit S. Thom. & alios qui identitatem horum actuum tuentur de volitione confusa: qui verò distinctionem malunt, de tendentia formali & explicita. Quare tota lis fuerit ferè de vocibus.

5 Sed dicendum præterea est, intentionem explicitam finis distingui aliquando realiter ab electione mediorum formali & explicita, ita Valent. *d.2.qu.*8. *part*.3. Medina *in* 1.2.*quæst*.8.*art*.3. Azor. *lib*.1 *cap*.25. Suar. *tract*.12 *de voluntario*, *d*.8. *sect*.3. contra Duran. *in* 1.*d*.38.*q*.3.*num*.8.9. *&* 10. Mend. *d*.14. *de Anim. sect*.3. & alij. Probatur primò, quia post intentum finem sæpè sequitur consultatio de medijs idoneis ad finis iotenti assecutionem, antequàm fiat eorum electio, quæ proindè posterior est etiam reali duratione iotentione. Secundò, quia præmissæ, & conclusio cognoscuntur explicitè diuersis actibus, alioquin non esset discursus, atqui præmissæ comparantor cum fine, & media cum cooclusione à S. Thom. *hic q*. 8. *art*. 3. & *q*. 9. *A. item* 3. & sicut præmissæ causant cooclusionem, quia sunt motiuum assensus eios, ita quoque finis bonitas, est ratio amandi media, atque inteotio causa electionis, ex qua etiam ratione motiui confirmatur hæc assertio, quia idem actus oon potest esse motiuum ad seipsum, & idem non est intentio & electio quæ causatur ab intentione vt motiua, ex quibus infringes quæ asserebat Durand. de motu in finem per media, & actu tendente in obiecta subordinata secundùm rationem materialis & formalis: si enim in vniuersum verum esset, hæc omnia fieri per vnicum actum, deberet oecessariò esse vnicus actus assensus principiorum, & conclusionum, ac proindè habitus scientiæ, & primorum principiorum, vnus idemque actus esset; idem etiam motus esset oecessariò io imaginem, & prototypum, quod tamen necesse non esse pluribus docet Suar. *tom*. 3.3.*p.d*. 81. *sect*. 8. Quod denique addit Mend. finem cuios, & finem cui, eodem actu attingi, falsum est; media autem à se habet, vt finem cui; neque enim media ita comparantur.

Nihilominùs negandum non est, aliquando eodem actu reali attingi explicitè finem, & media, vt voom obiectum adæquatum, ita vt finis non tantùm vt quo etiam, & vt ratio volendi, sed etiam vt quod attingatur: hæc sine dubio meos S. Thom. 1.2. 6
q. 8. *a*. 3 *q*. 12. *a*. 4. Medin. Caiet. Conrad. *ibid.* eamque communem fatetur Vasq. 1.2.*d*.33.*c*.1. tenentque ex recentioribus Valent. *d*.2.*q*.8.*p*.3. Azor. *quæst*. 7. *c*.25. *lib*. 1. Salas *tract*. 6.*d*.1. *sect*. 4. Becan. *tract*. 1.*c*.3. *q*.1. Suar. *tract.de voluntario d*. 8. *sect*. 3. non placet tamen illud quod *ibidem* addit *num*.9. actum inteotionis cùm realiter extenditur ad electionem, augeri per additionem oouæ entitatis, atque ita conflare vnum quid heterogeneum, sicut diuersæ partes habitus scientifici; coofluere autem in vnuio quia simul tendunt in vnum obiectum adæquatum, non placet, ioquam, hæc coagmentatio vnius entitatis ex partibus heterogeneis; tum quia reiecta est suo loco io gradibus intensionis, neque earum vnio explicari potest; tum quia hoc est reuerà admittere duos actus diuersos electionis, & intentioois, sed simul elicitos: cùm enim sint & entitate, & specie diuersi, non video quomodo sint vnus actus, vt asseruerat Suar. *conclusion*. 4. quod enim habeant obiecta subordinata, quæ vnum adæquatum constituere possint, oihil facit, si vna pars eotitate, & specie differeos in vnum obiectum, altera in alterum tendat, alioquin dices assensum præmissarum & cooclusionis esse vnicum realem actum, sed constantem ex diuersis partibus entitatiuis heterogeneis, specie diuersis; atque, vt nuper Durando obijciebam, eundem habitum esse scientiæ, & primorum principiorum, sed vnâ sui parte inclinare ad assensum principiorum, altera ad assensum conclusionum, atque ita per has partes heterogeneas, omnia conflabimus in vnam entitatem compositam, v. g. omnes habitus intellectuales io vnum, omnes habitus voluntatis in alterum: quid enim noa prohibebit? reperietur enim facilè aliqua vnio inter obiecta eiusdem potentiæ. Denique argumenta quæ probant electionem, & Intentionem aliquando esse vnum eundémque actum, aut nihil probant, aut maiorem identitatem, quam quæ ex vnione partium

heterogenearum exurgit, postulat, éstque omninò alia mens Authorum, quos in hac conclusione laudauimus, quod verò addit Suar. de habitu scientiæ inclinante ad diuersas specie conclusiones, simile non est. Nam totalis ille habitus constat ex partialibus habitibus specie distinctis, neque est vnus nisi vnitate ordinis, & per accidens, vnde neque ponitur in categoria nisi per suas partes, quæ non alio modo faciunt vnum, quàm per quandam subordinationem, vnde tandem vnio desumatur, non per vnionem aliquam in vnam entitatem confluentem, vti suo loco ostensum est.

6 Iam verò facilè probatur assertio contra Vasquem *d.*33.*c.*2.& Gregor.*in* 1.*d.*1.*q.*1.ex actu charitatis, qui vnicus cùm sit, simul in Deum & proximum tendit, ex PP.demùm & communi Scholæ sensu, quidni igitur poterit simul etiam vnico actu volontas ferri in medium & finem? sicut enim finis est ratio motiua volendi media, quæ non amantur nisi vel propter bonitatem finis in ipsis elucentem, vel propter bonitatem vtilem ad finis assecutionem, sicut ratio motiua ad dilectionem proximi est ipse Deus. Demùm subordinatio obiectorum facit, vt sæpè per modum vnius attingantur, vt in imagine, & prototypo sæpè contingit: id autem maximè verum est quandò vnum est ratio veluti formalis, & motiua propter quam aliud attingatur: tunc enim quod habet locum materialis, potest simul attingi cum eo quod est ipsi ratio formalis mouendi potentiam. Imò si ita concipiantur, & coalescant hæc obiecta, difficiliùs attingitur diuersis actibus, quàm vnico.

7 Vnum obiiciunt aduersarij, principia comparari cum fine,& media cum conclusionibus, vti concessimus, & tamen non possunt præmissæ & conclusio distinctè eundem actum terminare: ergo neque id poterunt finis & media.

Respondeo tamen in his exemplis disparitatem esse, ac proinde ab vno ad aliud non posse nos secundùm omnia argumentari: quamvis enim assensus conclusionum semper sit respectiuus ad assensum præmissarum, & hæc obiecta sint inter se subordinata, atque vnum illustretur ab alio; quia tamen habent diuersam euidentiam, atque cognoscibilitatem: præmissæ enim cognoscuntur in seipsis, & ex sola euidenti connexione extremorum, quæ statim intellectui penitius apparet dispicienti; conclusio autem ex se ignota & obscura, neque apparet nisi affuso lumine præmissarum, hoc est quia extrema conclusionis in præmissis cognoscuntur connexa cum medio termino, apparent quoque connexa inter se. Cùm igitur intellectus supponat cognoscibilitatem in obiecto, ab eoque moueatur, liberum ipsi non est cognoscere illud quod in sua cognoscibilitate pendet ab alterius cognitione, nisi altero eo priùs cognito, neque potest eodem actu plura obiecta, quamvis subordinata attingere, quando ea habent diuersam rationem obiectiuam motiuam, vt contingit hoc loco; nam intellectus noster qui non videt obiectiuam cognoscibilitatem conclusionis, & præmissarum intuitiuè in seipsis, sed vnam veritatem ab alia deducit, diuersam, vt apparet, veritatem, & rationem motiuam habet in præmissis, & in conclusione, quod autem non contingit in fine & mediis; quia finis siue attingatur simul cum mediis, & media cum fine, siue diuersis actibus, semper habent eandem rationem motiuam, eandémque bonitatem. Vndè vel vnico, vel diuersis actibus pro libito amari possunt. Ita Theoph. *d. moral.* 3 *num.*4.*quæst.*16.& *q.*17. addidit quoque hunc actum circa finem, & media posse esse indiuisibilem, ita vt habeant vnum obiectum adæquatum, & secùs diuidatur penes connotata, sitque inter illas partes mutua quædam prioritas à quo,& non in quo, quod fit quando finis intenditur dependenter à mediis certis, & particularibus, & media etiam certa eliguntur in ordine ad aliquem finem: ita vt neque intenderetur finis, si deessent ea media, neque ea media eligerentur, si deficeret ille finis, neque ad alium obtinendum, etsi essent idonea, dirigerentur, quæ omnia ostendi 5. *part. disp. de voluntate diuina*, & *prædestinatione* cum Henric. *d.* 23. *c.*2. & Granad. *tract.* 5. *contr.* 4. *d.*8. Molin. *disp.*1. *q.* 23. *art.* 5. *d.*2.§.*verùm*, contra Suar. *lib. de prædestin.c.*8.*n.*4.

Alter actus voluntatis est circa finem iam obtentum; dicitúrque fruitio, de qua S. Thom. *q.* 11. est autem suauiatio quædam & degustatio boni possessi: huius naturam *alibi* iam expressimus cùm de fruitione,& gaudio beatorum ageremus; neque enim delectatio de bono amato,& obtento aliud est quam eius fruitio. Est enim quies in obtento bono, vti ait Aug. 10. *de Trinit. c.* 10. *Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter seipsam delectata concupiscit, vtimur verò eis quæ ad illud referimus, quo fruendum est.* & S.Thom. *quæstion.* 11. *articul.* 1. ex ipsa notione nominis, quod à fructu arboris deriuatur, idem colligit; fructus autem est illud quod vltimũ ab arbore expectatur, & cum quadam delectatione percipitur. Ostendi autem *loc. cit.* fruitionem esse etiam appetitiuæ potentiæ, & non solùm possessionem boni, contra cuius sententiam non improbabilem dixit deindè Salas *tractat.* 6. *d.* 1. *num.* 94. Dixi quoque non esse solam passionem productam ab amore, aut intellectu, sed veram actionem elicitam, contra Scot. Dixi denique eius obiectum non esse assecutionem finis, sed finem ipsum iam obtentum contra Durand. qui obiectum fruitionis beatificæ statuebat visionem Dei, non ipsum Deum. Quæ verò addit *hac quæst.* S. Doctor, facilia sunt, videlicet propriam fruitionem esse circa finem vltimum, quia in eo vltimo conquiescit animus, neque ampliùs quidquam speratur, quæ fuit etiam Aug. mens *lib.* 1. *de doctrina christiana cap.* 33.& *c.*34. exponentis illud Christi, *Ego sum via. Ex quo intelligitur, quòd nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus in quantum via necessaria esse dignatus est, tenere nos voluit: sed transire è rebus temporalibus, quamvis ab illo susceptis, & gestis inhæreamus firmiter, sed per eas potiùs curramus alacriter, vt ad eum ipsum, &c.* Hic autem finis vltimus potest haberi vel reipsa, vel in spe: quare & diuersa fruitio eius esse potest perfecta, aut imperfecta, pro varia boni concupiti possessione, finis quoque non vltimi simpliciter, imò & mediorum potest esse fruitio: cùm enim hæc omnia bona sint, si diligantur, & possideantur, fruitionem, siue delectationem ingenerabunt. Verè enim Aug. *lib.* 1. *de doctrina christiana. c.* 33. *citato* vicissimè, dicitur, frui esse cum delectatione vti: cùm enim adest quod diligitur etiam delectatione secum necesse est gerat. Ait denique S. Thom. *Art.* 2 fruitionem imperfectam conuenire brutis prout imperfectam quoque cognitionem finis habent. Quæ omnia magis elucescent *d.*5. vbi de delectationis passione agetur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Actus eliciti à voluntate circa media.

TRes vulgò numerantur, electio, consensus, & vsus, quorum naturam paucis cum S. Thom. perstringemus.

Electionis natura.

1 Electio est, inquit Aristoteles 3. *ethic. cap.* 3. deliberatiua appetitio rerum earum quæ in nostra sunt potestate, quam definitionem colligit ex iis, quæ *cap.* 2. de distinctione electionis ab omnibus aliis actibus, & *cap.* 3. de consultatione disputarat. Cùm enim sequatur consultationem electio, vt fere ipsum nomen, quod significat vnum ex pluribus legi, vt ait *in capitulo* 2. Philosophus, & *cap.* 3. consultabile, ait idem esse quod eligibile: quod enim cæteris in consultatione prætulimus, id eligibile est, definit enim vnusquisque perquirere quónam ager modo, cùm in seipsum principium redigit, *& in id sui ipsius quod antecedit*, vulgò denique definitur *electio præconsiliata.*

2 Ex quibus apparet primò cuiúsnam facultatis actus sit electio, appetitus scilicet, connotans tamen in obliquo actum intellectûs, à quo dirigatur & quodammodò emanet, non quòd vtrumque actum in recto importet, vt videtur voluisse Bellarm. *lib.* 3. *de libero arbitrio. c.* 9. atque ita interpretor Nemes. *c.* 33. *de homine*, cùm ait, electionem ex iudicio & appetitu constare, sicut animal ex corpore & anima coalescit, ipsúmque Philosophum *in* 6. *ethic. c.* 2. dum definit electionem intellectum appetitiuum, vel appetitum intellectiuum, *& paulò superiùs* appetitum deliberatiuum. Sed *ibidem* rationem reddit, quia neque sine intellectu, neque sine mente est electio. S. Thom. *q.* 16. *a.* 1. ita exponit mentem Philosophi, vt dicat hunc actum esse materialiter à voluntate & formaliter ab intellectu, in quæ verba plurima commentantur parùm solidè eius discipuli. Sensus est, electionem quodammodò suam formalitatem accipere ab intellectu, quia ordo quam habet, & ratio actu dirigens, eius rationem formalem ingreditur, atque id fortè solùm voluit Bellarmin. & alij cùm dicerent, electionem integrari ex actu intellectus, & appetitus: quia nimirùm peculiari quodam modo, & simili essentiali connotat rationem, quæ tunc maximè vigere videtur, quando consultat medium cum fine, & plura media inter se, & cum operante confert.

3 Colligitur secundò, subiectum huius actus esse solum appetitum rationalem, & non sensitiuum, ac proindè in brutis non reperiri, cùm Ipsis neque sit consultatio, neque indifferentia, vt vnum pro alio assumant, quoties plura media sunt; aut si vnicum est illud vel suscipiant, si in eadem finis intentione perseuerent, aut si suscipere nolint, finis inquisitionem abiiciant, denique appetitus sensitiuus phantasiam, quæ ad vnum determinata est sequitur; quod autem de variis & mirabilibus animantium operibus, eorumque instinctu vulgò affertur, suo loco fusè dictum est, eum instinctum aliud non esse, quàm bruti phantasiam certo quodam modo ab authore naturæ directam, quod exponit S. Thom. *q.* 13. *a.* 2. *ad* 3. similitudine artium; sicut enim artefacta comparantur ad artem humanam, & quamvis ordinatissime procedant artis opera, vt vides in motibus horologiorum, non indicant tamen rationem in arte factis, sed in arte dirigente: ita omnia naturalia comparantur ad artem diuinam, & idcircò apparet ordo quidam rationalis in omnibus quæ mouentur secundùm naturam, non quod ordo & ratio eam causans sit in mobili; sed in suprema Sapientia & arte mouente, quæ diuina est. Affertur quoque Asinus Buridani qui æquali siti, & fame vexatus, proposita aqua, & auena in æquali distantia, cùm ad neutrum possit se determinare, peribit siti & fame, quod totum *alibi* concessi cum Medina.

Tertiò colliges cum Aristotele distinctionem huius actus ab aliis omnibus *cap.* 2. *lib.* 3. *ethic.* nam non est idem cum quolibet spontaneo: ea enim quæ à nobis repente fiunt, vt in motibus primo primis sponte fiunt, non tamen ex electione. Non est etiam aut ira, aut cupiditas, quia hi affectus sunt communes brutis: deinde tum cupiditas, tum ira officiunt electioni: cupiditas solius iucundi, aut molesti est, non electio: non est etiam voluntas seu intentio, quia ea est tum impossibilium, vt immortalitas, & eorum quæ per alios aguntur, vt si volumus histrionem vincere, finis denique non mediorum, cùm electio sit mediorum & eorum quæ in nostra sunt potestate. Denique opinio non est, quia versatur circa æterna, & impossibilia, neque boni, aut mali opinando sumus, sed eligendo. 4

Quartò *ibidem* assignat Aristoteles obiectum huius actus esse media, non finem; & de fine quidem simpliciter vltimo constat: cùm enim non possit referri ad aliud, non potest eligi ad aliud obtinendum: idem dici potest de fine vltimo in aliqua serie actionum, quamquam si ad viuum ista resecemus, dicat Valent. *q.* 8. *p.* 2. & fines particulares eligi posse, vsus tamen communis Philosophorum est, eam vocem solùm de mediis vsurpare. Dici quoque potest cum Vasq. *d.* 41. finem abstractum, & in communi non cadere in electionem, atque ita vocem *finis* vsurpasse Aristotelem hoc loco: finem tamen contractum ad materiam singularem, cadere in electionem. Secundò ea media possibilia esse debent, vndè negat Aristoteles *c.* 3. consultari de æternis, aut quæ casu contingunt, vt de auri inuentione, aut quæ sunt impossibilia, & ideò *cap.* 2. 6. *ethic.* ait non esse electionem nisi de futuris, non de præteritis, quis enim modo eligit Ilium expugnasse. Tertiò debent esse ea media in nostra potestate, aut aliquo tandem modo cum nostra actione coniuncta, alioquin amens est qui illa eligit. 5

Restat tamen inquirere an libera sit electio, etiam quando medium est vnicum, aut plura æqualia, & æqualiter proposita, aut inæqualia, an possit voluntas eligere quod libuerit medium ex æqualibus, aut ex inæqualibus minus? Si medium sit vnicum & efficax finis intentio perseueret, illud medium cogitur eligere voluntas, sed hæc necessitas est ex suppositione dumtaxat, ac proindè liberam actionem consequitur: posset enim voluntas, si vellet, deponere intentionem finis, quem si velit assequi, assumendum est medium, quod vnicum est; alioquin vellet efficaciter, vt supponitur, & non vellet efficaciter, quia nollet ponere id, sine quo nequit haberi finis. Neque dicas tunc electionem non fore meritoriam, quia erit necessaria: verùm necessitas ex suppositione, quæ sola hîc est, non tollit libertatem simpliciter, éstque laudi tribuendum, quod velit potius eligere medium illud vnicum, etsi molestum fo rtassis, quàm finis intentionem abiicere, vt posset: atque hæc assertio communis est. 6

Quando

7 Quando verò media vel sunt inæqualia, vel æqualia, potest etiam quod libuerit assumere voluntas, contra Vasq. *dist. quæst.* 3. & Azor. *lib.* 1. *cap.* 25. *quæst.* 7. & Pennotum quoad media inæqualia *lib.* 1. *propug. cap.* 27. sequimur verò Valent. *d.* 2. *quæst.* 8. *part.* 3. Becan. *tract.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 1. *num.* 11. Theoph. *d.* 2. *moral. num.* 179. Suar. *tract. de voluntario, d.* 8. *sect.* 4. & *lib.* 1. *de gratia, c.* 12. *num.* 15. & Salam *tract.* 6. *de* t. *num.* 49. Ægid. Kon. *d.* 2. *de Actib. supernat.* 6. & *dub.* 3. *num.* 72. & alios Thomistas communiter. Probatur, quia non apparet vnde necessitetur voluntas, non ab obiecto quod non est omne bonum, neque ab Intellectu, qui ait hæc omnia media esse quidem idonea ad finem, & nullum esse necessarium, ac proindè liberum esse eligere quod magis arriserit, neque dicit intellectus in hoc casu, nullum esse eligendum, quia omnia sunt æqualia, aut necessariò repudiandum quod minus est, siue materialiter in sua entitate, & natura, siue formaliter in ratione medij, & conuenientiæ cum fine, imò potiùs ratio dictat stultum esse desistere à finis assecutione, eo quod plura sint media æqualia ad eius acquisitionem, & ridendum esse illum qui fame periret, quia non potest eligere alterum è duobus panibus æqualibus sibi oblatis, aut confodi se pateretur ab hoste, quia cum pateant duæ viæ æquè commodæ ad euadendum, alteram præferre nescit. Et sanè, si nihil voluntas eligere potest nisi quod intellectus indicat melius, nunquam liberè eliget: quoties enim erit illud iudicium determinans, necessariò eliget; quando autem non erit, non necessariò eliget: hoc autem iudicium liberum non est, quia penderet à libera volitione, quæ iterum aliud iudicium præsupponeret, atque ita vel procedetur in infinitum, vel ad iudicium aliquod necessarium deuenietur. Denique in omni electione vel est vnicum medium, vel plura? Si plura, ea sunt vel æqualia, vel inæqualia; quandò vnicum est medium, necessaria est electio finis, intentione perseuerante, idémque dicendum esset in omni electione plurium; cùm tamen in illis duobus casibus videatur magna disparitas: mirum enim non est voluntatem sese ipsam adigere ad vsurpationem medij quod vnum est, si velit efficaciter finem: necessariò autem propositum finis abiicere, quia plura habet æqualia media, stultum esse videtur. Inæqualitas autem cogere non potest ad electionem melioris, quia nimis aptum est ad finem, etsi non sit aptissimum, neque assumetur, quia minùs vtile est, sed quia vtile, & idoneum fini obtinendo. His accedit hanc inæqualitatem vel esse materialem, & desumi ab entitate, & natura mediorum spectatorum in ratione rei, vel formalis, &, vt *suprà* monebam, desumpta à maiori conuenientia cùm fine in ratione medij: prior inæqualitas impertinens est hoc loco, & ostendi non potest quo modo cogat ad melioris electionem. Altera autem inæqualitas, cùm in eo cōsistat, quòd vno medio finis obtineatur aut faciliùs, aut breuiori tempore, aut suauiùs, aut perfectiùs, relinquit etiam liberam voluntatem, quæ potest nolle, tam facilè, tam citò, aut ita perfectè consequi finem. Quæ omnia confirmantur ex diuina libertate: Deus enim non semper eligit optimum, neque quod conducibilius esset obtinendo fini omnium suorum operum, nempè propriæ gloriæ amplificandæ, vt suo loco demonstratum est. Neque satisfaciunt aduersarij dum dicunt, in Deo neque esse propriam electionem, neque propriam consultationem: cùm enim Deus vnico intuitu videat, & finem, & idoneitatem mediorum ad finem, quam nos non nisi inquisitione, & fastidiosa consultatione perspicimus, cùm ex pluribus mediis idoneis assumit vnum, reuerà eligit. Eligit autem, vt dixi, aliquando quod non est optimum, & ex pluribus æqualibus, imò infinitis, vnum, vt ex pluribus mundis numero æqualibus, hunc, quem aspectamus, condidit.

8 Obiicit Vasq. definitionem Aristotelicam *electionem esse appetitionem præconciliati*, qui & *illo cap.* 2. & 3. *lib.* 3. *ethic.* atque *c.* 2. 6. *ethic.* satis apertè dicit nos semper eligere melius. Similia habemus ex Damasc. & Nemes. deinde electionem non fieri constat nisi ex iudicio rationis, quod non est nisi de meliori bono, non tantùm de vtili. Denique minùs bonum, malum est. Verùm hæc non vrgent, quia definitio eruta ex Philosopho aliud non fert quam iudicium præhaberi electioni; addit autem plerumque eligi, quod melius ea aliquo saltem capite apparet, falsum etiam est iudicium non haberi nisi de meliori, habetur enim de vtili, quamvis si plura sint media, & sagacior mens, media conferet inter se, & quæ sint aptiora disquiret, minus autem bonum, bonum est, quamvis minus. Dixi etiam commodè posse esse duplicem consultationem, alteram quâ disquiritur tantùm mediorum vtilitas ad finem, alteram qua quæritur vtilius cum intentione illud amplectendi, ex vehementi videlicet finis intentione, quæ quandiù perseuerat, atque ea consultatio, eliget voluntas necessariò medium vtilius, atque hoc vnum ad summum probant argumenta Vasq.

Consensus.

9 Si vocis huius consensus vim inspiciamus significabit quamlibet approbationem voluntatis obiecti propositi ab intellectu, est enim concordia quædam harum facultatum, vt obseruat Bonac. *in* 2. *d.* 38. *art.* 2. *quæst.* 2. vnde ait integrari ea illa intellectum & voluntatem; fert tamen communis scholæ vsus, vt hoc nomine significetur actus consequens consultationē, quo voluntas media proposita ad finis assecutionem approbat. Et sanè, cùm actus intellectus sit quodammodò naturalis, habeat autem voluntas in sua potestate vt obiecti proposito consentiat, aut dissentiat, ille propriè sententiam finalem, vt loquitur S. Thom. & consensum complet. Hinc elicit S. D. *quæst.* 15. *artic.* 3. versari hunc actum circa finem, quia cum sit applicatio appetitiui motus circa aliquid præexistens in potestate applicantis, & motus appetitus tendat naturaliter in vltimum finem apprehensum, ad ea autem quæ sunt ad finem liberè, vnde de illis habetur consultatio, ad quam deinde sequitur applicatio motus appetitiui, quæ est consensus, & non nisi de iis quæ sunt ad finem, sicut & consilium; ex qua etiam applicatione appetitus sequitur consensum non repetiri in brutis, quia, vt ait S. Thom *a.* 2. eius, qui non habet in sua potestate appetitum, non est illum applicare; bruta autem habent ea determinatione phantasiæ, determinatum quoque appetitum, quem proindè ipsa non applicant, quamvis verè appetant.

10 Difficultas vnica est circa distinctionem huius actus ab electione, nam Suar. *tract. de volunt. d.* 8. *sect.* 1. *num.* 3. & Val. *d.* 2. *quæst.* 10. *part.* 1. solâ ratione etiam penes connotata distinguūt: quatenus enim voluntas vult quod intellectus iudicat esse vtile, dicitur consensus; quatenùs verò vnum aliquid aliis præfert, dicitur electio. Fonsec. *in lib.* 9. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 8. *sub fin.* consensum ait esse quando vnicum est medium, electionem quando sunt plura. Vasq. *q.* 15. *ad art.* 1. consensum dicit simplicem affectum; ergo medium

medium, quod reliquis est prælatum, electionem autem efficacem effectum eius medij. Mihi quidem videtur distinctio sumenda penes efficacitatem, aut inefficacitatem, sed non esse restringenda ad vnicum aut plura media; nam in vtroque casu contingere potest, vt voluntas solùm approbet, vel omnia media si plura proposita sunt, vel vnum tantum, si vnum tantùm inuentum, ac proinde consentiat consultationi, non pergat tamen ad electionem, si ab ea deinde retardetur vel medij difficultate, vel aliqua alia de causa, & tunc est consensus sine electione: quandò verò simul & consentit voluntas mediis oblatis, & vnum eligit, potest esse idem realis actus electio & consensus, & per connotata distingui, quatenùs præcisè ex vi consensus non consequitur assumptio medij, sed ex vi electionis, à qua sententia non multùm abest S.Thom. *q.15.art.3.ad 3.*

Vsus.

11 Hic est vltimus actus voluntatis circa media, omissis autem pluribus huiusce vocis acceptionibus, quas dabit Gabriel *in 1 d.1. quæst.1 lit.A.* & maximè ea S.August. pro actu distincto à fruitione, vnde dixit summam esse peruersitatem vti fruendis, & frui vtendis *l.84. qq. quæst.30.* Vsus hoc loco significat, vt ait S. Thom. *quæst.16. ar.* applicationem rei ad operationem, quare tùm voluntati, tanquam primo mouenti, & applicanti reliquas potentias, tùm rationi vt dirigenti, tùm reliquis potentiis vt exequentibus, tum rebus exterioribus vt organis, & instrumentis tribuitur, propriè autem ipsi voluntati applicanti, quare non conuenit brutis, quæ cùm non habeant liberum dominium in suas facultates, non dicuntur eas applicare; est etiam tantùm circa media, illa enim solùm mandantur executioni à nobis; quare immediatè versatur hic actus circa internas has potentias, mediatè verò circa reliqua, quæ aliquo modo sunt subdita nostræ voluntati, vel tanquam instrumenta, vel vt materia & obiectum, vel quia nobis commoda sunt. Denique vsus est assumptio rei ad aliud, quare quod est vltimus finis, non potest esse obiectum vsus. Cùm ad aliud tanquam ad finem cuius gratia, & non tantùm vt finem cui (nam respectu eius, finis cuius gratia non habet medij vicem) referri nequeat.

12 Ex his colligitur vulgaris distinctio in vsum actiuum, qui est actus elicitus à voluntate applicante potentias ad mediorum vsurpationem, & vsum passiuum, qui est ipsa operatio potentiæ per voluntatem applicatæ, quem solum vsum passiuum omni actiuo reiecto admittit Vasq. *d.quæst.7. cap.2.* & Sal *tract.6. d.1 sect.7.* Eam tamen passim reliqui omnes admittunt cum S. Thoma *quæst.16.art.1.& 1.part.quæst.12. art.2.* & sanè antequàm potentiæ inferiores operentur, si humano modo accedat actio, applicantur à voluntate: quare illud decretum quo voluntas medij executionem ad finem obtinendum imperat, vsus actiuus rectè dici potest.

13 Hunc tamen actum non esse realiter distinctum ab electione efficaci, obseruat Suar. *tract.1. d. 9. sect.2.* & Valent. *d.2 quæst.11.p.2.& 3.* qui tamen aliquandò distinctionem realem horum actuum admittit, quando videlicet actualis executio non sequitur electionem, cùm tamen semper coniuncta sit cum vsu, & cum electio tendit tantùm in medium vt vtile, & non in executionem eius. Verùm omnis electio cum efficax sit, semper quantùm ex se est, adiunctam habet executionem quam absque vllo alio actu inuehit, nisi ponatur impedimentum, quo etiam posito vbi primum remouebitur, perseuerante eadem electione sine nouo actu, sed vi prioris causatur executio, aut certè actus qui priùs tantùm consensus fuerat, transit tunc mutatis circunstantiis in electionem, quæ non tendit in medium solùm vt vtile est (hoc enim totum habet consensus) sed in eius executionem. Quo argumento refellitur quoque quod dixerat Suar. electionem aliquandò ferri in medium abstractum, non determinando peculiares circunstantias loci, temporis, & modi, secundùm quas mandari debet executioni, imò id moraliter semper ita fieri. Verùm iam dixi hanc electionem non esse nisi consensum, cum omnis electio sit efficax. Identitatem porrò electionis vsûs optimè probant argumenta quibus Vasqez omnem vsum actiuum reiiciebat, videlicet altum esse apud Aristotelem, Nemesium, aliósque veteres philosophos de hoc actu silentium, sufficere electionem, & affectum efficacem medij, vt potentiæ inferiores applicentur ad opus, vt contingit in brutis quæ prosequutione appetitûs ad media determinati statim operantur. Distinguuntur tamen hi actus penes connotata, quia electio est tantùm efficax in actu primo, & nondum habet coniunctam executionem, quam vsus habet. Itaque in priori naturæ in quo electio, quia efficax est, concipitur vt potẽs ad causandam operationem potentiarũ inferiorum, dicetur electio, vt autẽ iam actu applicat potẽtias ad opus, & causat suo modo operationem, dicetur vsus; quæ distinctio essentialis non est, vt patet in omnibus causis, quæ non differunt essentialiter à seipsis secundùm actum primum, & secundùm se consideratis. Addit Suar. hanc distinctionem petendã esse à maiori, vel minori determinatione circunstantiarum. Verùm iam reieci electionem tantùm esse vsum, quando est cum determinatione circumstantiarum, quo etiam posito adhuc discrimen inter vsum & electionem ipsi realiter identificatam non valere, quia electio quidem quæ ad omnes, seu ad pauciores circunstantias determinata esset, esset quidem distincta ab ea, quæ esset magis determinata, non tamen ab vsu sibi opposito. Adde hanc diuersam determinationem, cùm habeat diuersum obiectum, arguere quoque diuersitatis actum, in quibus istæ extensiones ad diuersa obiecta realia satis intelligi non possunt sine aliqua additione, ac proindè neque sine diuersitate numerata.

QVÆSTIO IV.

De actibus imperatis à voluntate.

Quia sola voluntas est principium formaliter liberum, reliquarum tamen facultatum internarum actus aliqui liberi sunt, eam libertatem à voluntate participare debent, non quia ab illa eliciuntur, vt multis ostendit Vasq. 1.2. d. 34. contra eos qui imperium voluntatis quo reliquas potentias mouet per quandam coëfficientiam malè exponebant, sed quia per quandam sympathiam potentiarum, & propter radicationem in eadem anima eo ipso quòd voluntas vult alias potentias aut agere, aut otiari, agunt & ipsæ, & otiantur, quamvis illo voluntatis imperio, & nutu nihil internum sibi recipiant, quo compleantur; imò ne quidem obiectum, nisi aliquando per accidens cum sensibus externis. Obiectum quod demùm sit veluti fomes appetitus sensitiui, aut iuuet ad imaginationis, aut intellectus actus, liberè interdùm suppeditat voluntas; cæterùm intell- 1

tellectui aut imaginationi obiectum ipsa simpliciter loquendo ponere nequit, & sicut in exteriori imperio, seu ciuili, seu despotico, nihil seruus aut ciuis recipit à domino, aut magistratu, quo imperata exequatur, sed solo mandato, & nutu cognito, statim ad opus se accingit: ita reliquæ potentiæ ad voluntatis omnium principis mandata suas actiones exercent, quæ liberæ nunquam sunt, neque quoad exercitium, neque quoad speciem, nisi quatenus à voluntate determinantur, vt pluribus ostendit Fons. *lib. 9. met. cap. 2. quæst. 3. sect.* 2. cùm earum principia proxima, & formalia, non sint simpliciter libera. Videndum itaque est quarum potentiarum actus possint donari libertate, saltem per determinationem extrinsecam à voluntatis imperio, quod disputaui S. Thom. 1. 2. q. 17. *ab art.* 6.

Quomodo intellectus subdatur voluntati?

2 Ordior ab intellectu cum D. Thom. *art. 6. cit.* vbi consuetà distinctione libertatis quoad exercitium, & quoad speciem actus vtitur, atque exercitium actûs imperari semper, & libertati subdi asserit, vbi particula, semper, accipienda est pro, sæpè, &, vt plurimùm. Nam constat subitos omnes actus in intellectu reperiri omnem voluntatis deliberationem anteuertentes, qui proindè prohiberi nequeunt, vt quando sensus externos nullo consilio, & consensu voluntatis percutitur ab aliquo obiecto, quod etiam propter sympathiam imaginatio percipit, necessariò quoque illud intelliget intellectus. Secundò prima omnis intellectio, qua in serie alicuius actionis, intellectus præiucet voluntati, eius libertati subducitur; vt enim exercitium primæ illius intellectionis prohiberet, deberet eam præcedere, atque, cùm non feratur in incognitum, notitiam notitiæ, quam cohibet, præsupponeret, atque ita ea cognitio prima non esset, vt supponebatur. Itaque necessariò deueniendum est ad aliquam primam intellectionem necessariam, tum quoad speciem, tum quoad exercitium actus: quod enim dixit Gregor. *in 1. dist.* 11. *quæst.* 8. *ad argumenta contra* 2. *conc.* dari posse notitiam aliquam liberam sine præuia volitione, passim iure rejicitur, cum actûs libertas tota sit à potentia libera, quam esse vnam voluntatem *alibi* demonstratum est. Neque vrget quod obiicit de prima notitia reflexa, quam non esse necessariam experientia docet: neque enim qui de aliquo obiecto cogitat, statim habet notitiam de sua notitia, alioquin simul haberet infinitas notitias reflexas, quarum quælibet aliam se priorem, tanquam obiectum, supponeret. Cur enim quis sistet in notitia primæ notitiæ directæ, & non nouerit suam esse notitiam reflexam per aliam notitiam reflexam, atque ita in infinitum? Libera ergo est ea prima notitia reflexa; eam tamen non præcessit vlla volitio, alioquin notitia huius notitiæ reflexæ illam præcessit, ut voluntas feratur in incognitum, atque ita notitia reflexa esset ante directam, quæ tamen est eius obiectum, ac proindè ab ipsa præsupponitur: non vrget (inquam) vt pluribus habet Suar. *lib. 1. de Angelis. cap.* 35. *n.* 9. hæc obiectio: quia concedo hanc notitiam reflexam non posse liberam esse sine præuia volitione, eámque volitionem pendere à cogitatione de illa notitia, sed hæc cogitatio non suscipitur liberè à voluntate, sed in eam incurrit intellectus ab alio motus, quàm à voluntate, vt etiam contingit in qualibet prima cogitatione etiam directa, ad quam intellectum determinant causæ extrinsecæ, quas quatuor enumerat Vasq. *d.* 58. *c.* 3. Prima est Deus, qui excitat ad bonas cogitationes, non tantùm circa supernaturalia, sed etiam circa naturalia, hanc causam bonam fortunam appellauit Aristoteles *lib. 7. ethic. ad Eudem. c.* 18. ex interpretatione S. Thomæ 1. 2. *q.* 9. *a.* 4. de hac tamen Philosophi locutione plura Vasq. *d. cit. c.* 4. Secunda causa excitans, est Angelus commouendo humores, & species, & consequentem imaginationem & intellectum. Tertia sensus externi, qui casu etiam in obiecta occurrant. Quarta imaginatio, vnde excitetur, vt in somnis contingit, & vigilia sæpiùs, ita vt via excutere importunas cogitationes liceat, quod queritur Ambr. *lib. de fuga sæculi, cap.* 1. Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improuiso affusæ mentem animúmque confundunt, atque aliò trahunt, quam tamen præposuerit, vt queritur Aug. 7. *confess. c.* 1. Cassiod. *l. de Anim. c.* 9.

Quamvis autem prima, vt dixi, cogitatio subducatur libero voluntatis arbitrio, penitior tamen obiecti cogniti inuestigatio, & in ea cogitatione veluti defixio, imperari potest à voluntate, vt docet experientia; neque ad id exigitur distincta cognitio rei, quam inquiri imperat voluntas; sed sufficit si præcognoscitur aliquid aliud in eo obiecto latere cognoscendum, aut bonum esse totum se in eam conditionem defigere, quod explicat Molin. 1. *part. quæst.* 58. *art.* 1. *d.* 2. exemplo illius qui euoluit librum, vt in eo disputata intelligat, neque enim præcognouit quæ in eo inquirit. Adde etiam cùm aliquid confusè tantùm recordamur, nos penitiorem inquisitionem imperare, & cùm aliquid aliud occurrat, respuimus. Quod eleganter describit Aug. *lib.* 10. *Confess. cap.* 18. atque ita satisfit quæstioni propositæ à Boet. *lib.* 5. *de consol. met.* 3. de mente rerum causas, & diuina Prouidentia rationem inquirente: 3

Sed cur tanto flagrat amore
Rerum tectas reperire notas.
Scitne quod appetit anxia nosse?
Sed quid nota rescire laborat?
Etsi nescit quid cæca petit,
Optimè vero respondet:
Quis enim quidquam nescius optet?
Aut quis valeat nescita sequi?
Quóve inueniet, quisve reperta
Queat ignarus noscere formam.
Igitur quisquis vera requirit
Neutro est habitu, nam neque nouit,
Nec penitus tamen omnia nescit.

Existimant tertiò aliqui exercitium assensus conclusionis, cognitis præmissis vt sic non esse liberum, quod etiam nobis visum est, sed hoc alterius loci est.

Quoad speciem actus attinet ait S. Thom. *art.* 6. *quæst.* 17. quando vel nullum est motiuum assensus, aut dissensus, vel est euidens, non subdi voluntati; quando verò est tantùm inchoatum motiuum, & non sufficit, subiicitur voluntati, quia hæc est natura intellectûs, vt neque falso euidenti assentiri, neque vero cognito dissentiri possit, ipsáque docet experientia. Quis enim sibi imperare potest vt de meridie iudicet esse noctem, aut stellas esse pares vel dispares, quæ sunt exempla Epicteti apud Arian. *lib.* 1. *n.* 18. aut niuem esse nigram, apprehendet quidem aliquam speciem tenebrarum, & nigredinis; sed non coniunget cum die, & albedine, cùm nullam inter ipsas euidenter cognoscat esse connexionem: non potest etiam voluntas supplere defectum motiui, quod est connexio obiectiua extremorum, quam voluntas ponere, aut tollere nequit, neque intellectus sine eo motiuo actum elicere, sicut neque 4

visus

visus videre sine visibili: quæ omnia locum habent etiam in prima apprehensione, quia intellectus non potest apprehendere aliud quàm id cuius habet speciem, quamvis deinde in iudicio & connexione extremorum quæ per species repræsentantur, fallatur, atque ea de causa olim falsitatem ex prima mentis operatione reiecimus. Potest quidem apprehendere rem fictam, vt Chimæram, vt aurichalcum pro auro; ea tamen apprehensio, est vera apprehensio Chimæræ, & aurichalci.

5 Addebam verò cum S. Thom. vbi deest motiuum euidens assensûs, vel dissensûs, posse voluntatem flectere intellectum in alterutrum partem quam libuerit, & illud motiuum sufficiens reddere, quod tamen non ita accipiendum est vt possit quocunque motiuo tenuissimo semper exequi actionem, quam libuerit, manifesta autem est hæc assertio in assensu fidei, quem pia voluntas imperat intellectui, quem captiuat in obsequium fidei, quamvis nullum appareat medium internum connexionis extremorum propositionis reuelatæ, ipsáque diuina reuelatio, quæ vnum motiuum est in his actibus obscura sit. Hinc quoque sequitur pertinacia in tuendis erroribus, quorum nullum motiuum euidens dari potest, cùm nullum sit: hinc diuersum pro diuersitate affectuum iudicium, & æstimatio rerum. Vide Pelus. *lib. 2. ep. 146. & ep. 197.* Chrys. *hom. 50. ad popul.* Arist. *3. ethic. c. 4. lib. 6. c. 12. & 13. lib. 7. c. 8.* hinc denique acres in tuendis opinionibus contentiones, vt fusè docet Hilar. *lib. 10. de Trinit. init. Caeterùm* (inquit) *si non praeiret rationem voluntas, sed per veri intelligentiam ad velle id quod verum est, moueretur, nunquam doctrina voluntate quaereretur, sed voluntatem omnem doctrina ratio commoueret, essetque omnis sine contradictione verisimilis sermo cùm vnusquisque, non quod vellet id verum esse defenderet, sed quod verum est, id velle cupisset.*

Dominium voluntatis in sensum internum & externum.

6 Altera potentia cognoscens, est sensus qui duplex est: internus externúsque, atque hunc posteriorem docent omnes non subdi voluntatis imperio, nisi indirectè, & per accidens, quatenus potest voluntas aut obiectum externum subducere, aut per applicationem animæ, & facultatum internarum ad alia obiecta defixam attentionem, languidiorem sensûs externi actionem reddere, aut etiam prorsùs impedire, vt contingit iis qui alta aliqua rei cogitatione defixi, etiam apertis oculis nihil vident, quia vel spiritus sensationibus externis necessarij alio deriuantur, vel vires animæ, quæ limitatæ sunt, & necessariæ vt cum potentia externa concurrant, circa alia totæ occupantur. Extra hos casus si omnia necessaria sint ad actionem, illam eliciet sensus externus, inuita, & contranitente voluntate.

7 Sensus verò internus vbi ab externo qui obiectum quod percepit, illi renuntiauit, præmotus est, non subditur voluntati vt illud aut non percipiat, aut appetitui non referat. Denique quoties rei alicuius species & phantasmata inusta sunt imaginationi, non potest voluntas impedire quominùs ea res phantasiæ obuersetur, quoties ad eius vel perceptionem nouam, vel recordationem ab aliquo extrinseco, seu Angelo, seu dæmone, seu sorte aliqua & fortuna excitabitur: hinc frequentes piorum querelæ de difficultate frenandæ imaginationis & erratico volatu. Vide Method. fusè apud Epiphan. *Hær. 64.* hac de importunitate cogitationum disputantem: obrepunt enim circa nostrum intellectum insidénteque etiam non volentibus nobis sæpè innumeræ cogitationes de infinita curiositate se negotiis sordidis incidentes. Quapropter velle quidem vt neque cogitemus ipsa, in nobis situm est, verum efficere ac operari quo dissipentur, vt ne rursus in mentem nobis redeant, hoc in nobis non est situm, sed vt vtamur ipsis, aut non vtamur.

Appetitus sensitiui subiectio.

Potest quidem voluntas illecebris appetitûs sensitiui, quibus sæpè pellicitur, omninò resistere, vti *suprà* dictum est: an verò possit prorsus omnes eius commotiones & affectus, quibus molestiam facere pergit, excutere, imperando videlicet, ne affici circa aliquam rem perseueret, quærimus. Respondétque S. Thom. *1. 2. quæst. 17. art. 8.* hunc appetitum quatenùs est potentia quædam naturalis, & à corporeâ complexione in suis actionibus dependens, non subdi imperio voluntatis, quæ corporis temperiem & dispositionem mutare nequit pro libito: atque ita videmus pro diuersorum humorum prædominio diuersas propensiones ingenerari. Quatenùs verò appetitus est cæca quædam facultas, cui vti etiam voluntati contingit, debet proponi obiectum quod prosequatur, aut auersetur, à cognitione, catenus saltem subditur voluntati, quatenus cogitatio eam excitans subiicitur eidem voluntati. Addo etiam motum à phantasia appetitum, posse tamen ab absoluta voluntate, quamvis rebellantem & remurmurantem, cogi; quod sigillatim his propositionibus expono ferè ex Suar. *tract. de voluntate d. 10. sect. 2.* 8

Primò, nequit aut voluntas, aut intellectus immediatè mouere appetitum, aut ipsum determinare, nisi mediante iudicio phantasiæ, sicut neque ipse appetitus voluntatem, nisi medio eiusmodi phantasiæ iudicio, & rationis; quod pluribus ostendit Vasq. *prima secundæ, disp. 37.* quia neque voluntas, neque appetitus fertur in bonum, nisi cognitum. Ea autem cognitio debet esse proportionata, ersi appetitus sit rationalis, cognitio quoque mouens sit rationalis oportet: si appetitus sit corporeus, cognitio quoque sit corporea; aliíque omnes modi hanc motionem explicandi relati à Sal. *tract. 5. d. 1. n. 25.* improbabiles sunt. 9

Secundò, existente in phantasia & sensu, absoluto iudicio de obiecti propositi conuenientia, non potest impedire voluntas, vt appetitus erga illud non afficiatur; sicut neque oculo aperto, vt applicatum visibile non videat: quia omnis potentia naturalis, qualis est appetitus, vbi habet obiectum proportionatum, & debitè propositum, necessariò agit, & nisi aliquid circa ipsam, aut obiectum, aut applicationem mutetur, quod quando fiat solo voluntatis imperio non apparet, perget agere. 10

Tertiò, quoties voluntas non potest impedire apprehensionem imaginationis, non potest quoque impedire affectum appetitus sensitiui. Hinc fit primo vt plurimi exurgant motus sensualitatis deliberationem præuenientes. Secundò vt actiones, tum phantasiæ, tum appetitus durante reali præsentis obiecti, aut alteratione materiali corporis cohiberi nequeant. Tertiò, vt quando causa doloris, aut voluptatis appetitus sensitiui præsens est, non possit cohiberi voluptas, vel dolor. Quartò, vt quando interior mutatio phantasiæ fit, aut per alterationem humorum, vel spirituum vitalium, vel per operationem extrinseci agentis, vt Angeli, vel dæmonis, tam importuna sit, vt ipsi imperare non possit pro libito voluntas, quia actualem motionem obiecti, non po- 11

test impedire: ergo neque actum phantasiæ motæ, neque appetitus phantasiæ apprehensionem naturaliter, & necessariò sequentis; per accidens tamen vel indirectè aliis rebus attendendo, moderari tum apprehensionem phantasiæ, tum dolorem & voluptatem appetitus, ita tamen potest, vt ferè nihil agat.

12 Quartò quando imaginationis apprehensio, & actus appetitus non procedit ex actuali motione obiecti, potest voluntas ad aliud retrahere imaginationem, & motum appetitus coërcere, vt ipsa docet experientia, vbi tamen voluntas cessat agere, imaginatio & appetitus ad suos actus redire possunt.

13 Quintò quando voluntas efficaci & absoluto imperio vtitur, tunc appetitus, quasi remormurans obedit; hinc fit vt sæpè difficilia & molesta, à quibus abhorret appetitus, aggrediamur: hæc tamen motio appetitus non fit sine iudicio phantasiæ, quæ tunc necessitatur ad iudicandum obiectum vt conueniens. Dixi tamē *remurmurare appetitum*, quia fieri nequit vt stante etiam imperio absoluto, non sentiat aut dolorem, aut voluptatem, si obiectum sit præsens actualiter; sed vt non repugnet dolori, aut non pelliciatur voluptate, ita vt duos quosdā actus liceat distinguere tunc in appetitu, naturalē alterum, & alterū imperfectum, qui per *vellem*, aut *nollem* exprimitur; alter autem absolutus, quo appetit quod imperat voluntas, & ex illo actu sequitur motus, quem iubet voluntas, quamvis interdùm sequantur etiam aliqui motus in membris externis, ex alteratione materiali, quos tunc non imperat voluntas; imò quos nollet. Ex hac etiam repugnantia fit vt sæpè quamvis appetitus obediat, quantum ad substantiam actus, non tamen semper quoad conatum, & intensionem: quandiù enim non funditùs vincitur ea repugnantia, non agit toto conatu appetitus, & aliqui etiam effectus, ex illa appetitûs commotione sequantur inuita voluntate.

14 Hinc colligis, quomodò appetitus non obediat despoticè, hoc est, instar serui, qui ad imperium heri ne quidem mussat, sed politicè instar ciuium, qui sæpè seditiones concitant, tandem tamen ad Regis imperium coguntur; quod duplex imperium vsurpauit eleganter Aristoteles 1. *polit. cap.* 3. & 3. *de Ani. t.* 57. id explicat exemplo primi mobilis, quod licèt inferiorum sphærarum motum non impediat, eas tamen ita suo abripit, vt neque simpliciter ferantur, quò rapiuntur, neque etiam absolutè eo, quo ferret proprius earum motus, si solus esset.

Anima vegetans, & vis motrix quatenus obediant voluntati.

15 Facultates vegetantes directè, & per se non subiacent voluntatis arbitrio: quandiu enim obiectum habent, agunt, vt in vi nutritiua apparet, idque aduertit Aristoteles 1. *ethic. cap. vltimo.*

Vis motrix progressiua omnimodè subest voluntati, vt asserit Aristot. 2. *polit. c.* 3. & imitator Aug. 8. *confess. c.* 9. Ratio autem cur hæc facultas ita ad nutum obsequatur, & non appetitus, est, quia obiectum appetitus sæpè contrarium est obiecto voluntatis, quod est honestum, vnde exurgit pugna. Cùm enim voluntas aliquem affectum imperat, appetitus naturali pronitate in proprium suum obiectum præcipitat: hæc autem pugna non reperitur inter vim progressiuam, & voluntatem.

16 Dixi autem motum progressiuum subdi voluntati, quia alij quidem motus externi, siue ab eadem & vnica virtute motrice infusa toti corpori, siue peculiaribus facultatibus singulis membris insitis progrediantur, quod modò non disputo, non ita obsequuntur. Eos motus enumerat Aristoteles *lib. de motu animal. cap.* 8. pulmonis, cordis & partium obscœnarum: de pulmone mouent aliqui litem, quòd videatur impediri ad arbitrium respiratio, cùm tamen hic motus non expectet edictum appetitûs, vt in somnis apparet, tum naturalis est, tum aliqua ex parte volūtarius: quoad alia duo membra enumerata subscribunt Philosopho S. Thom. *a.* 9. *ad tertium. quæst.* 17. *c.* 1. 2. & de obscœnis partibus Aug. *lib.* 2. *de peccator. merit. cap.* 22. aduersùs dominam mentem, quasi suæ sint potestatis, sicut liberum est, excitantur, idque solùm foris in his habent frena virtutis vt ad immundas & illicitas corruptiones ea peruenire non sinant. Vide etiam *lib.* 14. *de ciuit. cap.* 16. *& sequent.* Cyprian. *serm. de conc. Inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantum vt rebellia membra, velit nolit, in motus nefarios audacter assurgant.* Rationem reddit S. Thom. quia ad harum partium motum quædam alteratio corporis & frigiditatis, & caliditatis requiritur, quæ rationis imperio non subiacet.

QVÆSTIO V.

Actus intellectus necessarij ad actiones liberas voluntatis.

VOluntatem indigere præuia intellectûs face, omnes æquè consentiunt, & docet eleganter Bern. *tract. de gratia & lib. arbit. init. Voluntas est motus rationalis & sensui præsidens, & appetitui. Habet sanè quocumque se voluerit rationem comitem & quasi pedissequam, non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absque ratione moueatur, ita vt multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est quasi per eius ministerium, contra eius consilium, siue iudicium.* Quare meritò reiiciuntur Vasq. 1. 2. d. 35. & Suar. *lib.* 2 *de orat. c.* 12. quidam contemplatiui qui voluntatem operari posse feriante prorsùs intellectu existimarunt; éstque receptissimum illud principium, voluntatem non ferri in incognitum etiam diuinâ potestate, de quo consule Suar. *d.* 23. *met. s.* 7. & Theologos *in* 2. *d.* 1. *aut d.* 25. Salas *tract.* 2. *d.* 5. *sect.* 1. Et sanè nequidem Deus ipse, se ipsum, aut alia à se distincta amaret, nisi se & alia intelligeret, vt Anselm. *in Mon. c.* 48. optimè argumentatur, neque potest voluntati applicari obiectum cùm aut distans, aut etiam absens plerumque sit, nisi per applicationem intentionalem; vnde Aristoteles voluntarium definiuit, quod est à principio intrinseco cognoscente singula. Non placet tamen Vasq. *disp.* 55. *cit. capite tertio* dum, vt probet hanc maximam esse veram etiam respectu diuinæ potentiæ, supponit non posse infundi à Deo amorem voluntati creatæ passiuè circa illius productionem se habenti, quasi admisso eo casu, quem non esse impossibilem cum pluribus Theologis olim diximus, sequatur necessariò voluntatem amaturam, & volituram sine cognitione, id enim falsum est: neque enim magis tunc vellet voluntas, quàm vellet, aut videret lapis, cui inhæreret volitio, aut visio; quamvis enim voluntas sit principium vitale, vt tamen viuat formaliter in actu secundo, & tendat in suum obiectum, instrui debet omnibus quæ essentialiter requirit actio qualibet vitalis, cuiusmodi est cognitio respectu volitionis. Hæc autem cognitio non est ratio formalis

malis motiua voluntatis, sed tantùm conditio, sine qua obiectum quod reuerà mouet voluntatem secundùm esse reale, & non fictum, non moueret nisi apprehenderetur, atque ita applicaretur, & fieret præsens voluntati, quæ, sicut & reliquæ potentiæ, exigit sui obiecti existentiam, & quandam cum eo coniunctionem, quæ alia esse nequit quàm intentionalis. Itaque non potiùs cognitio est causa formalis motiua voluntatis, quàm reliquarum potentiarum approximatio, applicatio & existentia obiecti, quod *alibi* fusiùs dictum est. Consule Suar. d.23. *met. sect.* 8. Reiicienda est etiam opinio Salas *tractat.* 2. *disputat.* 5. *sectio.* 3. Molin. *prima parte. quæstion.* 19. *articul.* 2. *disp.* 3. & aliorum existimantium cognitionem obiecti esse partialem causam effectiuam volitionis, concurrentem cum voluntate, dicendúmque omninò cum communiori Scholæ sensu, quem tradit & confirmat Vasq. *prima secundæ. disputatione* 36. intellectum non alio modo conferre ad volitionem, quàm proponendo obiectum: atque his ita constitutis, quærimus quinam actus intellectus necessarij videantur ad modum agendi liberum: & deliberatum, & quæ sit horum actuum natura, seu proprietas quantum ad hoc: nam physicam eorum essentiam exponere alterius est instituti. Quatuor verò vulgò nominantur hi actus, apprehensio, iudicium practicum, consilium, & imperium. Denique suppono, cognitionem requisitam ad volitionem esse intellectualem, neque ootitiam solitua sensua sufficere, sicut nuper diximus, appetitum sensitiuum non moueri etiam imperante voluntate, nisi phantasia eiusmodi voluntatis iussu obiectum ipsi proponat. Neque abnuit sanctus Thomas cùm *prima secundæ quæstione* 10. *articulo* 3. *ad tertium* dicit voluntatem moueri à bono apprehenso per sensum; nam ita appellat bonum materiale, quod primò occurrit in sensus: quod *ibi* opponit bono vniuersali per rationem apprehenso.

An simplex apprehensio sufficiat ad volitionem?

2 Negat Salas *disp.* 5. *section.* 2. *numero* 15. *tract.* 1. Valent. *disp.* 2. *quæstion.* 4. *part.* 1. Suar. *disp.* 23. *met. section.* 7. & *tractat. de voluntate, disp.* 6. 55. & alij communiter, neque repugnat Vasquez *disputatione* 44. *capite* 2. & 3. nam nomine apprehensionis intelligit iudicium simplex, quo conuenientia, & disconuenientia obiecti sine vlla compositione, aut diuisione, qua dicatur hîc & nunc id esse faciendum, quamvis & hoc etiam iudicium ad aliquos actus exigat, neque aliud etiam voluit Scot. *in* 2. *d.* 6. *q.* 1. *in resp. ad argumenta maximè ad tertium*: ait enim ad volitionem sufficere apprehensionem sine diuisione & compositione, modò tamen apprehendatur obiecti conuenientia: quare totam hanc controuersiam de nominibus & vocibus esse dixit Koninc. *disp.* 2. *de act. supernatur.* Hæc apprehensio vel includit iudicium in se, vel illud causat; cùm enim intellectus sit potentia necessaria, non potest non ferri in id quod ipsi verum apparet; in hoc autem casu obiicitur ei obiectum vt bonum, iudicabit igitur vt bonum. Requiri itaque hanc apprehensionem de conuenientia, aut disconuenientia, seu, vt alij appellant, iudicium saltem simplex; ex eo probatur, quòd cùm obiectum appetitûs præcognitum esse debeat, & sit tantum bonum vt bonum, debet ab intellectu præcognosci bonum, vt bonum; quod maximè verùm est, cùm agitur de intentione efficaci finis: cùm enim ea ad existentiam obiecti, & eius possessionem tendat, cognitionem de obiecti bonitate, & possibilitate prælucentem habere necesse est, idque etiam in brutis, quod tamen malè nobis aliqui obiiciunt, docet eorum æstimatiua, quæ obiectum vt conueniens repræsentant, quacunque tandem ratione sine iudicio componente id fiat, quod alterius instituti est penitiùs disquirere.

An verò hæc apprehensio de conuenientia obiecti, seu etiam iudicium speculatiuum sufficiat, quæri solet vlteriùs: nam practicum iudicium exigi putat Konin. *d.* 1. *citat. dub.* 5. Suar. tamen *loco citato* aliud vult, & alij communiter S. Thom. sequuti *quæst.* 9. *art.* 1. vti & Philosophum 3. *de Anim. quæst.* 46. vbi dicitur ante actionem præire syllogismum practicum, qui ex præmissa vniuersali, & altera particulari eliciat conclusionem practicam, alioqui non sequi actionem. Itaque non sufficit iudicium de amabilitate obiecti, nisi etiam dicat hîc & nunc esse amandum à voluntate. Ratio est: quia idcircò requiritur præuia cognitio, vt obiectum applicetur suo modo voluntati; hoc autem fit solùm cùm vel formaliter, vel virtualiter indicat intellectus rem cognitam esse bonam, & conuenientem voluntati, vel absolutè, vt fit in iis, quæ sunt absolutè bona, vel comparatiuè, & ex suppositione, vt posito quod blandienti concupiscentiæ acquiescere lubeat. Atque in his ferè non dissident Auctores. 3

Quale sit iudicium practicum, necessarium ad volitionem?

Maior controuersia est, quale sit hoc iudicium practicum: nam aliqui volunt esse determinatiuum voluntatis, ita vt eo stante non possit non sequi volitio: dictat enim intellectus, hoc positis omnibus circumstantiis esse amplectendum, neque ampliùs liberum esse voluntati ab eo, quod proponitur cum ea determinatione resilire. Hancque putant esse Philosophi mentem *loc. citat. ex libr.* 3. *de Anim.* vbi ait posito illo syllogismo practico, omne dulce gustandum est; hoc autem dulce est: ergo necessariò sequi actionem nisi prohibeatur. Et sanè cùm voluntas potentia cæca sit, non potest ferri nisi in illud quod ipsi repræsentatur; tunc autem obiectum amandum proponitur, & sicut indifferentia iudicij est prima radix indifferentiæ voluntatis, ita iudicij determinatio voluntatis determinationem infert; iudicium autem quo de agimus planè determinatum est, cum dicat omnibus pensatis, hoc obiectum esse amandum, quod ne faciat voluntas, cum cognitionem præuiam perpetuò supponat, debet dari aliud iudicium, quod dictet, hoc pensatis omnibus non esse amandum; atque ita vel erunt duo iudicia contradictoria simul in intellectu, vel voluntas tendet in incognitum. Ita sentiunt Medin. 1.2. *q.* 9. *art.* 1. *dub.* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de gratia, & liber. arbitr. cap.* 8. Zumel *tom.* 2. *vari. r. d.* 4. *sect.* 1. *concl.* 4. & alij Thomistæ, qui dicunt hoc iudicium exprimi his verbis, *fac hoc*. Verùm illud reiiciunt Suar. *disp.* 23. *met. sect.* 7. Koninc. *loc. cit.* Vasq. *dis.* 49. *cit.* Pennot *lib.* 1. 1. *prop. c.* 23. & 24. Less. *de gratia, cap.* 5. *num.* 15. Fons. *lib.* 9. *met. cap.* 2. *quæst.* 3. *sect.* 3. Sal. *tract.* 5. *disp.* 5. *d.* 2. *num.* 18. Primò quia si illi iudicio nequit repugnare voluntas, libera non est. Probatur consequentia. Ea causa, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, aut agere, non est libera, vt ex superioribus satis demonstratum manet: atqui voluntas posito hoc iudicio, quod est vnum ex necessariis ad

actionem, necessariò agit, & non potest non agere, ergo libera non est; vnde vlterius sequitur nunquam liberè agere, & esse tantùm liberam in actu primo, nunquam autem in actu secundo, & in ipso suæ libertatis vsu, atque exercitio, non esse expeditam, sed perpetuò determinatam. Cùm enim non possit quidquam velle sine hoc iudicio, alioquin, si non esset ad omnem actionem necessarium, non esset ad vllam (argumenta enim aduersariorum, aut nihil probant, aut de omni volitione æquè probant) si hoc iudicium eam omninò determinet, nunquam ita agit, vt possit tunc absolutè non agere, stantibus requisitis ad actionem, ergo liberè non agit. Adde hanc necessitatem grauiorem videri ex eo quòd illud iudicium determinans voluntatem sit omninò necessarium, nam si est liberum supponit præuiam aliquam volitionem, quæ & aliud simile iudicium practicum & determinans supponet, & ita vel deueniendum fuerit ad primum aliquod iudicium, necessarium etiam independens à voluntate, aut progrediendum in infinitum: quod enim ait Zumel, mutuam prioritatem esse inter intellectum & voluntatem, quòd voluntas pendeat ab intellectu in genere causæ formalis, & intellectus à voluntate in genere causæ efficientis & finalis motiuæ, neque improbat Pennot. c. 14. n. 4. falsum est, si enim intellectus applicat suâ cognitione obiectum voluntati, necessaria ea applicatio seu cognitio applicans omni omninò ratione actum voluntatis tendentem in eiusmodi obiectum, & ipsius applicationem præire debet, cùm impossibile sit actionem esse priorem applicatione obiecti, ad quod tendit. His adde sublatâ indifferentiâ iudicij excindi radicem libertatis; atqui omnem iudicij indifferentiâ tollunt aduersarij: nam negant posse agere voluntatem quandiu iudicium determinatè iudicat & non dictat hoc esse faciendum, vbi autem ita pronuntiauit, parendum omninò esse: vbi igitur est voluntatis ad vtrumlibet indifferentia? Neque dicas intellectum esse indifferentem, vt aliis circunstantiis positis aliud præcipiat, & aliter iudicet, quia cùm non sit in potestate voluntatis, vt aliæ ponantur circunstantiæ, non est etiam in illius potestate, vt aliud iudicetur. Demùm æstimatiua bruti positis aliis circunstantiis aliter quoque iudicaret: ergo æquè liber erit brutorum appetitus.

Respondent iudiciū proponere voluntati obiectū cum amabilitate, & repudiabilitate voluntatis esse, quod non sinat se moueri ab vna parte, sed ante illud iudicium, quod demùm necessariò sequitur, sed cōtra hanc resistentiā passiuam, qua sinat se moueri, aut non moueri voluntas nihil agendo, multa congerit Pennot. *cap.* 14. Hinc sanè efficitur peccatum voluntatis non esse nisi quod ante iudicium istud practicum non passa sit se moueri ab obiecti repudiabilitate, non autem in eo quòd posito eo iudicio, obiectum quod repudiandum fuerat, fuerit amplexata: deindè si voluntas poterat sinere se moueri abiecto ante istud iudicium, poterat etiam illud velle. Non moueri voluntatem ab obiecto; est voluntatem tale obiectum velle, & potuit elicere actionem sine iudicio, & inchoatè, vt ita dicam, volitionem. Cur igitur non poterit etiam deinceps velle sine tali iudicio?

5 Secundò sequeretur in omni peccato includi infidelitatem, & hæresim: quia, qui verbi gratia admittit furtum, habet præuium hoc iudicium omnibus pensatis, Hîc & nunc mihi furandum est, quæ propositio est hæretica: nam huius propositionis sensus alius esse nequit, quàm vel honestum esse, vel necessarium, vel conducibilius, hîc & nunc furari aut certè ita statutum esse, hoc postremum supponit præuiam volitionem quæ tamen concipi nequit, priora illa faciunt propositiones omninò falsas. Quomodò autem omnis peccans erret, *alibi* dicetur, non enim errat falsum iudicando, sed non considerando aut aduertendo ad ea quæ id temporis cogitanda fuerant, & quibus reuocatus fuisset ab actu turpi: Philosophus autem non facet contrariæ sententiæ: asserit enim tantùm sequi actionem vbi in re practica aliquid conclusum fuerit ex maiore vniuersali, & minore particulari: sed loquitur de consultatione, quæ instituta est ex intentione efficaci, vt omninò eligeretur quod melius appareret. Demùm agit de incontinente, in quo vt plurimùm consultationem, aut syllogismum practicum allatum sequitur actio, ad quam ex vi cupiditatis abstrahitur.

Quod autem afferebant, voluntatem non ferri in incognitum, atque, vbi cognitio determinata est, indifferentiam sibi non seruare, concedo vltrò; nego tamen dari vllum iudicium ita determinatum, vt simul non ostendat repudiabilitatem, & amabilitatem obiecti, quamvis alteram ex his rationibus sæpè languidiùs proponat, pluráque in alteram partem motiua suggerat: aut potiùs dico, simul esse duo iudicia, quorum alterum amabilitatem obiecti, & in his circunstantiis, alterum repudiabilitatem proponat, licèt non fortassis æquè clarè & potenter. Hæc autem iudicia contradictoria non sunt, quia licèt sint de eodem obiecto, non tamen procedunt per eadem motiua, vt de opinione & scientia actuali per diuersa media circa eandem conclusionem dici solet. Manet igitur indifferens voluntas, sicut & iudicium prælucens indeterminatum est. Iam verò voces illæ quibus hoc iudicium exprimi solet, nempè, hoc amandum est, hoc ama, non significant necessarium esse, omnibus pensatis hîc & nunc, hoc amplecti; id enim in omni peccante falsum est, vt dixi, & in Deo in quo etiam iudicium practicum de re facienda, decretum eius præcedit, hunc sensum habere nequit, quo etiam admisso, non tamen propterea sequeretur voluntatem determinari ab eo dictamine, cùm plurima proponantur vt necessaria ad finem obtinendum, à quibus tamen abstinet voluntas: mauult enim ipsa finis assecutione carere, quàm quæ ad id exiguntur suscipere. Alius igitur sensus nō est, quàm inesse in obiecto sufficientem bonitatem, siue ea sit honestas, aut iucunditas, aut vtilitas, vt illud amplectamur: aut certè ex suppositione, vt dicebat Fonsec. quod huic, aut illi affectui indulgendum sit, v.g. quod sit prosequenda honestas, abstinendum ab hoc obiecto: si verò dandum aliquid sit cupiditati, amplectendum bonum delectabile, quamvis inhonestum. Atque ita manet plena indifferentia, & dominium voluntati, vt agat, aut non agat. Causa verò cur potiùs oderit, quàm amet, aut potiùs non amet, quàm amet vel è contrario, alia quærenda non est quàm libertas voluntatis, qua etiam eo iudicio prælucente fertur in quam libuerit partem. Denique quod Vasq. d. 44. obiiciebat amorem beatificum sequi ex simplici propositione obiecti summè amabilis non efficit quod ille intendit eo loci, simplicem obiecti propositionem, aut, vt alij dicunt, saltem iudicium speculatiuum sufficere ad volitionem, quia hæc clara & quidditatiua intuitio iudicio & discursui æquiualet: probat tamen non esse necessarium illud iudicium, quod modò impugnamus. 6

Consilium

Consilium, seu consultatio.

7 Huius actus naturam tam scitè expressit Aristoteles 3. *ethic.* atque eius vestigia sequens S. Thom. q. 14. vt nihil addendum videatur.

Statuit igitur Philosophus, quódnam sit consultationis, quæ inquisitio quędā practica est, obiectum.

Primò nullus consultat de æternis, vt de mundo, aut diametri & costæ commensurabilitate, neque de necessariis, quæ semper & eodem modo fiunt, vt solstitiis, neque de iis, quæ licèt stata tempora non habeant, oriuntur tamen à causis necessariis, & naturalibus, cuiusmodi sunt imbres & siccitates, neque de fortuitis, & casualibus, vt thesauri inuentione, sed de iis, quæ ab homine fieri possunt, atque non quæ ab aliis, sed quæ à nobis ipsis fieri solent. Cùm enim consultatio sit practica & de agibilibus, vnde inquisitio Mathematica est cōsultatio; agibiliū autem causæ sint vel physicæ, vel morales: physicæ sint vel æternæ, vel necessariæ, vel fortuitæ de eiusmodi causarum effectibus, nemo sapiens consultauerit, cùm nostra de eiusmodi agibilibus inquisitio nihil cōferre valeat, vt ponantur, aut non ponantur. Causæ autem morales sunt mente prædita, eæque vel ipsi consultantes, vel alij, de illis quæ ab aliis solùm fieri possunt, etsi possunt in consultationem, ob sui indeterminationē cadere, sed non in nostram, quis enim cōsultat quomodo Scytharum, aut Lacedæmoniorum respublicæ gubernentur. Itaque de iis tantum, quæ iuxt in nostra potestate, vt fiant, aut non fiant, & hoc vel illo modo fiant, instituimus consultationem, vel solì, vel, si res maioris momenti sit, aliis in consilium vocatis; vnde S. Thom. q. 14. a. 3. obseruat consilium dici quasi considium, quod plures ad deliberandū considere soleant.

8 Non consultamus autem de omnibus per nos agibilibus, nisi aliquam aut in seipsis, aut in modo quo fiunt habeant certitudinem, aut indifferentiam: si enim eodem modo fiant, consultatio inutilis foret. Itaque neque de modo scribendi, & etiam formandis characteribus, neque de aliis, quæ circa sciētias certa sunt, aut in artibus cōmuniter fieri solent, consilium inimus, quamvis circa artefacta, cùm ipsis sit maior indeterminatio, sæpius instituatur consultatio, addit S. Thom. neque de rebus parui momenti *art.* 4. quia non multùm interest hoc, an illo modo fiant. Aristoteles 6. *ethic c.* 2. excludit quoque à consultabili præsentia & præterita: ea enim sunt iam determinata, neque aliter fieri possunt; nam Agatho Poëta ait *ibid.* apud Philosophum, ne Deus quidem facta reddere potest infecta. Deinque non consultamus de fine, sed de mediis, quia fines dubij non sunt; neque enim quærit, an debeat sanare Medicus, & Rhetor an persuadere, & moderator Reipublicæ, an optimis legibus ciuitatem temperare: sed quomodo fines istos & scopos sibi propositos attingent. Monent tamen hîc interpretes, & *in art.* 2. *q.* 14. S. Thom. difficultatem, quia quando sese offerunt plures fines, quis ex iis præhabendus sit inquiritur; quare respondet Valent. *d.* 2. *q.* 9. *p.* 2. consultationem reuerà haberi posse de finibus; communem tamen huius vocis in Schola receptum morem non ferre vt vsurpetur nisi de mediorum ad finem vtiliuminquisitione, Vasq. *disp.* 44. *c.* 2. ait finem abstractè sumptum, siue in communi, cuiusmodi est beatitudo, seu benè esse, siue in singulari, vt honestas temperantiæ, fortitudinis, &c. non vocari in consilium, sed tantùm prout ad singularem materiam contrahitur. Nemo enim quærit an sit habenda temperantia, an acquirenda fortitudo, sed tantùm in hac materia, hoc tempore, hoc loco, & in bis circustantiis, sit exercenda temperantia. Alij volunt nullum finem, vt sic esse materiam consultationis, alioqoin induceret rationem medij. Quando enim quæritur quis ex pluribus finibus sit præhabendus, referuntur ad aliquid vlterius, cum quo fit comparatio, & cuius bonitas, aut desiderium, facit vt vnus ex finibus propositis præhabeatur: ac proindè rationem finis amittat. Præferenda videtur hæc secunda responsio Vasq.

9 Horum verò omnium ratio ducitur ab Arist. ex eo quòd consultatio tendat ex suâ naturâ in electionem, cui facem præfert, & consultabile idem sit quod eligibile: quod enim consultando visum est melius, aut saltem vtile ad finem, id eligimus si intentio finis fuerit efficax, & perseueret, neque illam incommoda quæ occurrunt in vsurpandis mediis, cogant abiicere, eligibile autē, vt nuper diximus, est duntaxat id quod à nobis præstabile est, aut cum nostra saltem actione coniunctum est, vt quæ per nostros amicos fiunt, ad ea enim conferre aliquid suadendo impellendo, & iuuando possumus.

10 Hinc etiam fit vt consultatio non sit infinita, neque ex parte principij, neque ex parte termini, vt ait S. Thom. *art.* 6. quia incipit post finis voliti intentionem, & desinit in aliquid, quod nos statim exequamur. Denique ex eo quòd tendat ad opus, consultatio, fit vt præcedat modo resolutorio, vt ait Aristoteles, si per plura posse fieri videtur (scilicet finis) per quod illorum facillimè optiméque fiet perquirimus; si verò per vnum, quónam modo per illud fiet, & illud idem per quid efficietur consideramus; idque facimus donec ad primam perueniamus causam, quæ quidem in inuentione est vltimum: qui namque consultat, is quærere videtur, dictóque modo perinde, atque designandam lineam resoluere, & mox: *idque quod vltimum est in resolutione, primum esse constat in generatione.* De hoc ordine resolutorio plurima Caiet. *in art.* 5. *q.* 14. sensus Philosophi, & S. Thomæ est consultationem resoluere eo modo, quo Mathematicus qui figuras in lineas, ex quibus componuntur, resoluit, hoc est, composita in partes & simplicia, quibus coalescunt; & eo modo consultans procedit. Nam à fine, qui in esse rei est effectus mediorum, procedit ad media, & hæc deindè media singillatim: demùm confert inter se, & considerat, & resoluit vsque ad primum, à quo est incipienda executio, & vltimum, in quo est finienda. Vnde addit quod est ordine resolutionis vltimum, in ordine generationis seu executionis esse primum & è contrario, vltimum in resolutione, primum est in executione: quia in illa simplicium etiam partium quodammodò componentium inuestigatione, seu medinrum inter se & cum fine comparatione, inquiritur, quidnam sit proximus, & immediatius finì, quo posito statim acquiratur finis, tum quomodò illud ipsum haberi possit, atque de hoc iterum idem quæritur donec ad primam actionem, à qua inchoari debeat executio, deueniatur, atque ita vbi desiit consultatio, incipit demùm executio.

11 Hinc magno consensu recepti sunt ab omnibus Theologis, & Philosophis duo ordines, alter intentionis, seu resolutionis, alter executionis, seu generationis, qui licèt variè procedant, in eundem finem tendunt, idémque motuum habent, vt optimè ostendit Vasq. 1. *p. d.* 39. *n.* 53. *&* 54. contra Suar. qui, vt *alibi* dictum, voluntatis, qua Deus decreuit gloriam electis finem ait esse misericordiam secundùm ordinem intentionis, & secundùm ordinem executionis, iustitiam. Rectè tamen obseruant idem Vasq. 1. *part. disp.* 32. *numero* 20. & Suar. *lib.* 1. *de pred. c.* 8. *num.* 16.

hunc duplicem ordinem non repetiri nisi respectu finis & mediorum, non autem inter finem cuius, & finem cui, quia finis cui, est subiectum finis cuius; non autem aut medium, aut proprius finis, ad quem alter referatur.

Imperium.

12 Actum quendam in nobis esse, quo nobis ipsis quæ agends sunt imperemus, quem proindè imperiom monasticum vulgò appellant, omnes æque consentiunt, & similitudine Romani Imperatoris, qui vnico verbo omnes latè prouincias suæ ditioni subditas commouet, explicat Aug. *l.50 homiliar.homil.16* .verùm in huius natura exponenda, multi sunt Interp. *in* 1.2.*q*.17.*a*.1.2.& 3.

13 Quidam enim existimant, esse actum voluntatis iubentis aut prohibentis, quod ab intellectu præcognitum est, quia quidquid tandem omnino voloat Imperator, nisi edictum, quo vult sobditos obligare, accedat, cogitatio ea vim legis oon habet. Ita Castro *lib.de lege pænali, c.* 1. & 2. verùm hæc sententia aduersarium habet S. Thom. qui *q*.17.*a*.1. euidenter ait imperium esse actum rationis præsupposito voluntatis actu; quibus verbis soluit argumentum modò allatum: quælibet enim omnis notitia, imperium non est, sed ea tantùm quæ intimat volitionem principis prohibentis, aut imperantis, aut certè quæ dirigit ex voluntate superioris: intimatio enim locutio, insinuatio, & eiusmodi alij actus, quibus voluntas superioris tanquam regula proponitur inferiori capaci rationis, pertinent ad intellectum, vt patet.

14 Volunt igitur alij, imperium esse actum intellectus, qui tamen neque sit apprehensio, neque iudicium, ac proindè neque notitia; sit tamen impulsus, quo post electionem factam, potentiæ exequentes inferiores moueantur ad opus: & his verbis exponitur, *fac hoc*. Ita Soto *lib.1.de iust. & iure quæst*.1. *art*.1. Sal. *tract.* 6. *d.* 2. *num.* 23. & 46. & *tract.* 14. *d*.1. *num.* 34. Granad. 1. *part.com. tract.*5. *d.* 3. *sect.* 1. & 2. Med. *in art*.1.*q*.17.1.2. neque abnuit Valent. *d*.2. *q*.1 *a.p*.1. qui omnes probant ex Aristotele 3.*de Ani. art*.46. vbi ait intellectum speculatiuum nihil præcipere, & 6.*ethic.c*.10. distinguit sagacem qui bene iudicat à prudente, qui benè imperat. Deinde quia imperium exprimitur per verba, quæ non sunt enuntiatiua, neque iudicio correspondentia: iudicium enim sic exprimeretur, hoc faciendum est, amandum est. Latè tamen hunc actum impulsus à iudicio distinctum, tum à nobis, tum à Deo reiiciunt Suar. *lib*.1. 1.*de prædest.c*.16. & *lib*.1.*de leg.c*.14. & *alib*. sæpiùs Herice *d*. 22. *c*. 4. Vasq. *d*. 49.1.2. quos sequuti sumus *prima part.tract*.1.*d*.5.*sect*... cùm enim omnis actus intellectus tendat in verum, quod est adæquatum illius obiectum, erit necessariò iudicium vel apprehensio; imperiom autem supra enuntiationem addit tantùm ordinem ad inferiorem, sicut & ratio ad superiorem. Accedit hunc impulsum superfluum omninò esse, cùm bruta absque eo exequantur, & in Deo fingi non possit, vt olim statuimus, ne subordinationem quandam per modū causalitatis in diuinis actibus agnoscamus, & electio sine eo imperio, semel posito iudicio, & bonitate mediorum, atque consensu æquè elici possit, atque simplex amor & intentio, sine vllo præuio imperio reipsa elicitur. Aristotelea autem nihil fauet aduersariis: vltrò enim concedimus, intellectum, quandiù speculatur, non imperare, quia imperium sequitur effectus, non autem quodlibet iudicium: sagax autem distinguitur à prudente, non quasi prudens præcipiat tantùm, & nihil iudicet, sed quia sagax versatur imprimis circa facta, ex quibus quid deinceps agendum sit coniectat, quibus deinceps coniecturis vtens, prudentia iudicat quid reipsa in his, aut aliis circunstantiis sit agendum, atque ita omninò faciendum esse imperat.

Nonnulli itaque confundunt imperium cum iudicio practico antecedente electionem, & determinante voluntatem ad electionem, & reliquas potentias ad executionem, ita vt illi iudicio nequeat obniti voluntas. Ita ferè Thomistæ. Verum determinans hoc iudicium, & impulsum, vt aliqui appellant, nuper reiecimus, vt superfluum omninò, & voluntatis libertatem exscindens. Et prætereà pugnant hoc loco Thomistæ cum suo Magistro, qui *q*. 17. *art*. 3. imperium sequi electionem, & præire vsum affirmat: illi verò præuium faciunt electioni. 15

Suar. itaque *d*. 19. *met. sect*. 7. *num*. 12. & 13. existimat post factam electionem, & præstitum consensom à voluntate, oriri in intellecto propter sympathiam potentiarum iudicium & notitiam de consensu præstito, quia cùm operans nesciat se consensurum antequàm consentiat: futurus enim consensus est aliquid liberum, & contingens, vbi consensit scire debet se consensisse: opus igitur est, vt innotescat operanti præstitus iam consensus, hinc iuuatur & prouehitur operatio futura. Adde necessarium videri eiusmodi notitiam præstiti consensus ad eius recordationem, quæ alioquin haberi non posset; volitio enim & consensus nihil imitit intellectui, si non cognoscatur, neque iudicium quod præiuit electionem, & consensum potest illum repræsentare. Vt igitur eius obiectum meminisse liceat, debet propter sympathiam potentiarum, dum exprimitur hic consensus, imprimere sui speciem intellectui, & illi ac proindè toti operanti innotescere: hæc autem notitia exhibiti consensus, aliquando speculatiua est, aliàs practica: quando enim consensus est tantùm simplex amor mediorum aut finis, neque ad opus progreditur, notitia eius mera speculatio est, aut potiùs scientia quædam approbationis; quando verò consensus desinit in electionem, quæ semper efficacitatem importat, & & tendit reipsa ad opus, tunc ea notitia est practica, quia dirigit opus futurum, & potentiam exequentem, atque appellatur imperium à D. Thom. qui illud, vt monui, collocat post electionem, aut consensum priùs saltem naturâ elicitum, & antecedere vsum putat. Est itaque imperium de mente Suaris eo loco, notificatio consensus præhabiti operanti, vt per eum opus subsequens dirigatur: hunc tamen actum, vt inutilem reiicit Vasq. *d*. 49. *num*. 19. Salas *tract*. 13. *d*. 8. *num*. 68. qui addit etsi ea notitia aliquando contingat, id tamen neque necessarium, neque perpetuum esse. Ipse denique Suar. *lib*. 1. *de prædestinat. cap*. 16. *num*. 13. hunc actum non esse necessarium ad executionem concedit, redditque optimam rationem ex natura potentiæ exequentis, quæ non mouetur ab obiecto cognito sicuti voluntas, estque solum instrumentum quod ad nutum applicantis mouetur. Quare si vbi facta fuit electio ex iudicio præhabito, atque ea perseuerante applicante potentiam, suum opus sine alia inquisitione exequitur. Ex quibus etiam reiiciuntur Conimbricens. *d*. 8.*ethic.q*.2. statuentes imperium in notitia practica, qua intellectus potentiæ exequēti denūtiet, quid ab intellectu iudicatū & à voluntate probatum fuerit: potentia enim exequens nō applicatur ab intellectu, & à volūtate, quæ in sua quidem operatione dirigitur ab intellectu prælucente, & 16

proponente

proponente obiectum, quæ propositio non est locutio, neque intimatio: locutio enim fit ad audientem, quod non conuenit voluntati, quâ ratione argumentatur etiam Suar. *lib.1 de legib.c.4.*

17 Existimo igitur cum Herice *d.21.c.4.* duplex apud S. Thom. Imperium intellectus statui, intellectus, inquam, nam nemo dubitat actus quosdam aliarum potentiarum, imperari à voluntate, quod contingit quoties finem illi præstituit, quod etiam facit in actibus à seipsa elicitis, cùm præter bonestatem quam habent ex obiecto, aliam ipsis ex fine inducit, vt dum actum obedientiæ elicit ex diuina charitate, aut humill sui ipsius sensu. De hoc autem imperio modò non disputamus: aliud enim non est quàm finis intentio, à qua actus vnius virtutis dicitur ab alia imperari, vt suo loco exponetur ampliùs.

18 Imperium igitur intellectûs, aliud præcedit electionem, aliud ipsam consequitur, & vsum vrget. Primum ist iudicium practicum, eo quòd susceptum sit ex intentione finis comparandi & in ordine ad opus, éstque ipsa consultatio de bonitate mediorum. Quia tamen non determinat prorsùs voluntatem quæ sæpè quod vtile proponebatur reiicit, exprimitur per indicatiuum, *Hoc tibi faciendum est*: quandò tamen efficaciter mouet voluntatem iudicatâ mediorum vtilitate, quamvis non determinando, aut cogendo, imperium optimè dicitur, & per verbum etiam imperatiuum, *fac hoc*, exprimitur. Hæc est aperta mens S. Doct. *art. 1. q. 13.* Alterum imperium electionem factam subsequitur, & antecedit vsum, éstque iudicium de re facienda, per volitionem, consensum, atque electionem approbata; quod iudicium, quia adiunctum habet actualem vsum, seu applicationem potentiarum inferiorum ad opus, ab ipsa voluntate, rectè imperium dicitur, & verbo imperatiuo exprimitur; & quia præsupponit actum voluntatis, dicitur imperium actus rationis ex præelicito actu voluntatis à S.Thom. *art.1. cit.* vbi & addit, hunc actum non dici iudicium præcisè quatenùs est ab intellectu, sed quatenùs est à voluntate saltem remotè, & præsuppositiuè: *Quia* (inquit S. D.) *secundum mouens non mouet nisi in virtute primi, quod primum mouens in nobis est voluntas.*

19 Quærandum verò superest, an hic actus intellectus quem propriè imperium vocamus cum S. D. & medium facimus inter electionem, atque vsum, sit actus distinctus à consilio, seu consultatione, quoties eam excipit reipsa electio & vsus: si enim consultatio desinat in merum consensum, & approbationem vtilitatis mediorum finis propositi ab intellectu, neque ad opus vlterior progressus fiat, manifestum est præuium illud iudicium, non esse proprium illud imperium, quod quærimus, & medium electionem inter, & vsum collocamus, quódque propriè per verba imperatiui modi exprimi potest. Quandò verò consultatio adiunctam habet electionem & vsum, perseueratque iudicium de bonitate medij electi, & approbati à voluntate applicante potentias ad opus, quæritur an hic actus ad dirigendam actionem externam sufficiat, an aliquis alius exigatur actus, qui dicatur imperium.

20 Videtúrque mihi probabilius sufficere iudicium de bonitate mediorum, perseuerans post factam electionem, neque vllum alium, actum exigi. Cùm enim actio externa, & vsus tum passiuus, tum actiuus postulet tantùm cognitionem quæ prælnceat voluntati, vt aptè potentias applicet, cognitio quæ habita fuit in consultatione, & quæ tum singula media, tum eorum vsurpandi rationes, cum omnibus loci & temporis circumstantiis attigit, si perseueret, erit quàm sufficientissima: & quamvis S. Thom. *art.3.q.cit.* statuat imperium inter electionem & vsum; non exigit tamen actum distinctum à iudicio practico consilij & & consultationis, sed tantùm eum actum, vt prævius est electioni, & solam bonitatem mediorum attingit, vult non vocari proprium imperium, vt *superiùs* monuimus, vt verò post electionem factam perseuerat, & iam ex applicatione voluntatis actionem externam dirigit, appellari, & esse imperium. Ita nos olim scientiam practicam in Deo statuebamus esse ipsammet scientiam simplicis intelligentiæ, per voluntatem diuinam immobilem, seu per decretum applicatam ad directionem operis externi; sic notitis, & ideæ omnium attinm, actu practicæ fiunt, quia scilicet ex præelicito voluntatis actu, potentias externas ad formationem operis præconcepti dirigunt. Atque hoc totum illustrauit Aureol. *in 2. d.4. q. 7. art. 3.* cùm ait iudicium practicum ex enuntiatiuo, copulante se ad illud voluntate, fieri imperatiuum, & cùm anteà exprimeretur per solum indicatiuum, hoc est, amandum tibi est, deindè explicari per imperatiuum, *Ama hoc.* Idem enim actus qui enuntiabat quid faciendum videretur, accedente consensu voluntatis sese determinantis ad obiectum propositum, & ob eam causam potentias externas mouentis, transit in imperium sine vlla mutatione, cum nihil reale aut acquirat, aut deperdat, sicut idem actus qui erat necessarius accedente aduertentia rationis sufficienti fit liber. Vide Theoph. *d.3.moral.n.435.*

QVÆSTIO VII.

Progressus actionis deliberatæ.

EXplicatis omnibus actibus tum intellectûs, tum voluntatis, qui in modo agendi humano occurrunt, facilè fuerit totum progressum actionis deliberatæ colligere, quod præstitit Val. *q.12. p.5. sub fin.* minutiùs partitus ego paucis rem totam comprehendo. Primò enim occurrit intellectui obiectum, à quocumque tandem moueatur intellectus ad primam notitiam obiecti, quam sequitur statim in voluntatē simplex amor, & complacentia in bono proposito, tum inquisitio quædam maior, & illustrior consideratio, de bonitate, & repudiabilitate finis, ad quem attentiorem cogitationem sequitur libera finis intentio, quæ cùm efficax sit, & ad opus feratur, cōsequentem habet consultationem seu consilium de mediis an vnicum suppetat, an plura, quæ & inter se, & cum fine conferuntur, & quid primo, quid vltimo loco vsurpandum sit, quodnam sit propinquius frui, quodnam remotius, quæretur. Quod iudicium vbi voluntas suo consensu approbauit, si perseueret intentio finis, eligit vel vnicum illud medium quod occurrit, vel ex pluribus quod libuerit, atque præuio semper, & prælucente eo iudicio de mediis, & ratione ea vsurpandi, per vsum actiuum applicantur potentiæ. Actus vero rationis eas ex determinatione rationis dirigens nouam denominationem accipit, diciturque imperium, quo tandem, & actione potentiarum externarum finis acquiritur. In quo iam comparato acquiescit animus, illiusque suauitatem iam diu per simplicem amorem degustatam, totam haurit, & illo frui dicitur. Itaque hæc est series actuum humanorum, prima obiecti propositio, simplex amor, efficacior, & illustrior cogitatio de fine, intentio, consultatio, consensus, electio, imperium, vsus tum actiuus, tum passiuus, fruitio.

PRINCIPIVM III.

Affectus appetitus sensitiui, & passiones subduntur voluntati.

QVÆSTIO I. *Quid & quot sint passiones & affectus appetitus sensitiui.*

QVÆSTIO II. *De amore & odio.*

QVÆSTIO III. *De desiderio & fuga.*

QVÆSTIO IV. *De spe & desperatione.*

QVÆSTIO V. *De audacia & timore.*

QVÆSTIO VI. *De gaudio & tristitia.*

QVÆSTIO VII. *De ira.*

1 NOs communes affectus vulgò nomine passionum appellant à consequente corporali transmutatione, vt ait S.Thomas 1.2. *q.*22. *art.*1. & 3. & *q.*24.*art.*2. qui obseruatis variis passionis acceptionibus *art.* 1. *q.* 22. quod & pridem fecerat Nemes. *cap.*16. & deindè latè præstitit Septali. *sect.*2. *problem. quæst.* 15. hoc nomen potiùs conuenire dicit parti appetitiuæ, quàm apprehensiuæ *art.*2. *q.*23. *cit.* quia per passionem agens trahit ad se patientem. Anima autem magis per vim appetitiuam ad rem seu obiectum, quod vt in se est attingit, quam per apprehensiuam, quæ non fertur in obiectum, nisi secundùm similitudinem eorum quam in se habet, aut prout illis in se suscipit. Quæ ratio æquè procedit de appetitu rationali, quàm de sensitiuo: & sanè vtrique communes esse hos affectus ostendemus, tamen propter transmutationem corporalem quæ proximè ex appetitu sensitiuo consequitur, id nomen de solo appetitu irrationali vsurpatur, & non de intellectiuo. Vt idem S.D. *q.*22.*art.*3. monuit, & pluribus illius locis congestis confirmauit Ferrar. *lib.*1. *c.*8. & latè Anteol. *in* 3. *d.*15. *q.* 7. *art.* 1. imò id nomen expressius reddere Græcam vocem πάθη monuerat pridem Aug. *lib.*9. *de ciuit. c.* 4. ipse autem vocat *ibidem* animi motus, cuius nomenclaturæ rationem reddit *tract.q.* 6. *in Ioann.* quia in his est quædam animi contractio, aut dilatatio, accessus, & recessus, *Diffunderis* (inquit) *animo cùm delectaris; contraheris animo, cùm molestaris, progrederis, animo, cùm appetis; fugis animo, cùm metuis.* Hinc ventis aliqui conferunt, qui animi oceanum concitent, eáque de causa fortassis *prouerbior.cap.* 21. Sapientem cor regis mari seu aquarum diuisionibus comparasse, rectéque obseruauit Viuez *lib.*3. *de anima*, vt in maris motibus, alius remissus est, alius concitatior, ita in his motibus maximam esse diuersitatem.

2 Quantum verò ad bonitatem, & malitiam, totámque moralitatem actuum humanorum, quam spectamus hoc loco, conferant hi motus, perspicuum est, cùm vna ferè virtutis cura in his moderandis sit; & idcirco Zoroaster pennas quibus concitetur anima in bonum, aut malum dixerit. Iambl. autem *lib. de myster. apud Clem. lib.*2. *stromat. c.*9. & Porphyr. *l. de abstinent.* clauos, quibus anima non modò corpori tanquā affixa est patibulo, sed etiā, vt ego interpretor, suis obiectis. Denique ad virtutes homini insitas has passiones affirmant passim omnes. Lactant. *lib.*6. *c.*15. Maxim. *serm.* 1. *ex variis c.* 66. Nyssen. *orat.* 2. *de beatitud.* in hac enim moderatione hominis regnum collocant Damasc. *lib. de duab. Christi voluntatibus*, & Chrys. *homi.*13. *ad popul.* & in belluas dominium Philo *lib. de agricult. sub init.* Synes. *orat. de regno*, Chrysost. *orat.* 1. *de de hom creat.* & latè Chrys. *orat.* 5. Et quamvis ea communi sensu loquamur tantùm de passionibus appetitus irrationalis, eæ tamen rationis imperio bonitatis, aut malitiæ moralis capaces sunt, sicut actus quidam externi, vt ait S.Thom. 1.2. *q.*25. *art.* 1. & *art.* 3. *ad* 1. rectè distinguit inter passionem antecedentem, & consequentem rationem: antecedens enim vitio caret, etsi rationem obnubilet, & quia minuit libertatem, minuet quoque bonitatem, aut malitiam: consequens verò vel ex naturali quadam redundantia concitatæ rationis, ac voluntatis consequitur, & neque minuit bonitatem, neque auget malitiam actus; sed est iudicium concitatæ voluntatis, vel eam liberè consequitur, quia ad eam affectionem seipsam prouocat voluntas, & addit aliquid bonitatis & malitiæ. Et sanè cùm pertineat ad bonum hominis, vt ex rationis regula componantur actus etiam membrorum externorum, quidni & actus appetitus sensitiui flecti ad eandem normam debebunt? Atque hæc causa est, cur Theologi disputent de passionibus, quarum tractationem plures aliæ scientiæ sibi vendicasse videntur. Nos autem non naturam physicam earum, nisi quatenùs ad bonitatem & malitiam conferunt, consideramus præeunte S. Thom. hac 1.2. à *q.*22. *ad* 49. quas paucis quæstionibus includemus.

QVÆSTIO I.

Quid & quot sint passiones?

PAssiones sunt motus appetitus tum rationalis, tum sensitiui ex boni vel mali cognitione, quos aliqua præternaturalis corporis commutio sequitur, quare tum brutis, tum homini etiam sapienti communes sunt. Variè diuiduntur; vulgatus tamen numerus retinendus est, sex enim in appetitu concupiscente, quinque in irascente constituuntur. & variè inter sese, tum in contrarietate, tum in prioritate, ac dignitate comparantur. 1

Passiones sunt appetitiones vitales.

Reiicio imprimis Stoïcos, qui apud Tull. 4. *Tusc.* & Plutarch. *lib. de virtute morali* passiones dixerunt tantum iudicia quædam, seu opiniones boni & mali, quod idem affirmauit Chrysost. apud Galen, *lib.* 4. *de placit. Hipp. & Plato.* c.4. quibus subscripsisse videtur Adam. apud Gregor. *in* 1.*d.*1.*q.*2.*art.*2. vbi contendit aliquam volitionem esse assensum, & nolitionem dissensum, & quamvis non omnis cognitio sit volitio, aut nolitio, has duas tamen diuersarum facultatum operationes aliquando inter se identificari: quæ non sunt pluribus refellenda, cùm diuersitas potentiatum, diuersitatem quoque actionum necessariò inferat, nisi omnia miscere velimus; & quamvis cognitio boni, aut mali causent hos affectus in appetitu, malè dicuntur tamen hi affectus iudicia, aut opiniones, nisi sensus causalis sit, quem fortassis voluerunt Stoïci. 2

Reiicio secundò Geruasium *tract. de notitiis. Cap. de appetitu rationali* & Ocham. *in* 3.44. & *quodlib.*2.*q.*17. negantes gaudium & tristitiam esse actus voluntatis, aut appetitus, sed tantùm aliquid ad appetitionem 3

conse

consequens: cùm, enim per gaudium & tristitiam vetè circa suum obiectum, vitaliter versetur appetitus, sunt veri eius actus, & ab illo, neque ita progerminant à præuiis actibus, vt ab illis eliciantur, & non potentia in qua tantùm recipiantur. Cùm enim sint vitales tendentiæ potentiarum in obiecto, ab iisdem potentiis elici necesse est. Quod etiam inde ostenditur, quod non semper ab eiusmodi actibus isti posteriores, quos solùm passiones appellant, nascuntur; quod tamen necesse foret, & posito odio tristitiam progerminaret, atque ex amore detestatio: sunt enim causæ naturales, quæ necessariò suos habent effectus. Cùm tamen Beati oderint peccatum, & de eo non tristentur, & damnati cupiant plurima bona, quæ etiam vbi assequuntur, nullam detestationem pariunt; vndè colligimus non à prioribus actibus resultare has passiones in potentia, sed ab ipsa potentia elici, vbi per priores actus in suum obiectum mota est. Libertas etiam passionum satis hanc resultantiam excludit, nam necessariæ essent, si ita essent. Restat itaque vt hi affectus sint veræ appetitiones vitales, seu actus vitaliter eliciti ab appetitu attingente suum obiectum, quamvis aliqua serie, & ordine, ex quo fiat vt alij alios consequantur, vt inferiùs constabit.

Dixi autem esse actus vtriusque appetitus, tum rationalis, tum sensitiui. Quod de motibus subreptitiis rationem præuenientibus malè negat Ocham. *quodlibet*. 2. *q*. 17. in fine, eo quod omnis actus voluntatis debeat esse liber, quæ est manifesta petitio principij & contra experientiam, quæ docet ex primo boni obiecti veluti occursu conciliari voluntatem, antequam aduertat ratio motus illius naturam, eumque aut abijciat aut retineri imperet. Non placet etiam quod Caieta. 1. 2. *q*. 6. & 8. *art*. 1. *in dub*. 3. vndecim istos motus infra enumerandos, ita velit elici à voluntate, vt non sint distincti ab aliis actibus ei propriis, qui sunt volitio, nolitio, fruitio, consensus, electio, intentio, & vsus: nam manifesta distinctio ex natura horum actuum superiùs explicata, & passionum inferiùs ostendenda, satis patebit: & quamvis omnis actus voluntatis sit nolle, aut velle aliquid, & nullus detur actus neuter, vt *ibid*. Caietã. *in* 2. *dub*. rectè asserit, non tamen sequitur omnes volitiones inter se identificari, sicut neque omnes nolitiones, quamvis etiã nihil impediat aliquos ex illis actibus cum affectionibus coïncidere, vt fruitionẽ cum delectatione, non tamen omnes, vt ex diuersitate obiectorum, quam hi omnes actus habent æque in voluntate, atque in appetitu sensitiuo videre est. Quod autem ait Caiet. quæ sunt in inferioribus dispersa, vniri in superioribus, non ita intelligendum est, vt quocumque modo, & vbique aptandum sit, neque vt quo potentia superior est, eo pauciores habeat actus, aut vt actus potentiæ inferioris habeant sibi vnum tantum in superiori respondentem, sed solùm quod potentia superior plura attingat quam inferior: atque ita pluribus aliquando inferioribus æquiualeat, non verò quod attingat per vnum duntaxat actum. Quare omnes hos actus à voluntate elici agnoscunt, & distinctus à reliquis quos superiori disputatione explicui, & homini seu rationali naturæ proprios esse dixi & secernunt, & inter sese distingunt eadem ratione, qua dum eliciuntur ab appetitu sensitiuo. Quod satis docet sympathia harum facultatum: experimur enim similes in vtroque appetitu motus, circa eadem obiecta materialia, quamvis diuerso modo in ea ferantur: sicut etiam in potentiis cognoscitiuis contingit: quamvis enim intellectus, & imaginatio idem obiectum materiale attingant, diuersas tamen cognitiones eliciunt propter diuersum modum attingendi obiectum: ab animabus separatis, & dæmonibus, & Angelis, constat elici hos eosdem actus proportionatos illis quos appetitus irrationalis in nobis producit, immò illustriùs moltò in voluntate, quàm in appetitu plerique ex his motibus apparent, vt in spe & desperatione manifestum est, & in ira quoque, quæ est appetitus vindictæ, ob iniuriam illatam, & in audacia, quæ elicit obfirmatum propositum comparandi finem, & insurgendi in difficultates oblatas. Horum enim actuum causæ, ratio, & totum denique obiectum distinctiùs ab intellectu quàm à sensu cognoscuntur, vti obseruat Suar. 1. 2. *tract*. 4. *d*. 1. *sect*. 12. *n*. 11. Intellectus autem immediatè mouet voluntatem & non appetitum sensitiuum, qui licèt ex consortio cum ratione, aliquam nobilitatem accipiat in homine, non tamen vt feratur aut extra proprium obiectum, aut alio modo qui corporeus non sit, aut facultatem corpoream superet. Quare cùm obiecta horum affectuum illustrius multò attingantur ab illo quàm imaginatione, voluntas nobiliores hos affectus suscipiet quàm sensus, qui solius imaginationis cognitione concitatur. Hinc Aug. *lib*. 14. *de ciuit*. *c*. 6. ait hos motos nihil aliud esse, quàm voluntates, cupiditatem nimirùm & lætitiam esse voluntatem in consensionem eorum quæ volumus, metum, & tristitiam voluntatem in dissensionem ab his quæ nolumus, vnde concludit: *Et omninò pro varietate rerum quæ appetuntur, atque fugiuntur, sicuti allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos, vel illos affectus mutatur & vertitur*. Vulgò tamen hanc disputationem, videntur restringere Doctores ad passiones appetitûs sensitiui, tum quia, illæ notiores sunt, tum quia ab illis proximè, & immediatè causantur perturbatio, & commotio corporea præternaturalis, à qua nomen passionis deductum fuisse monuimus; atque ita interpretor Aristotelem si quando visus est solas sensitiuas passiones agnoscere, & concludit Gerson 3. *p. operum tract. super. Cant. initio primi sympsalmatis*. vel denique quia ea perturbatio, & efferatio, quam idem nomen passionis apud sacros scriptores qui ferè in malam partem vsurpant, vti etiam Stoici apud S. Thom. *q*. 24. *art*. 2. significat, ab appetitu ferè sensitiuo nascitur. Idcircò aliqui videntur negasse voluntati hos motus, quo sensu Nyssen. *l. de opifico hom. c*. 18. eas tribuit non diuinæ imagini, sed illi quod cum brutis nobis commune est. Sic denique interpretor vulgatam passionis definitionem à D. Damasc. *lib. de fide c*. 22. esse motum appetitûs sensibilis ex imaginatione boni, & mali: nam, vt dixi, notiores passiones definiuit.

Hinc sequitur primò de passionibus, alias esse elicitas à voluntate quæ spiritualis est, alias corporeas à corporea facultate productas, quare vtrasque nomine passionis indiscriminatim designamus. 4

Subiectum passionum.

Sequitur secundò subiectum inhæsionis passionum esse tantum voluntatem, si spirituales sunt, atque adeò ipsam animam, cui identificatur, aut saltem implantatur voluntas, si ab ipsa distinguatur realiter, corporearum autem esse appetitum sensitiuum, quia cùm sint actiones quædam immanentes, recipi debent in potentia à qua eliciuntur, & quia facultas appetitus immediatè à seipsa, & per seipsam afficitur, & tendit in bonum, aut malum, in se recipere debet eam tendentiam, seu attingentiam vitalem; quæ est ipsamet appetitio, quam vocamus modò passionem: quare reiiciendus est Picolomini *grad*. 1. *c*. 9. statuens passiones esse tantùm effectiuè, & elicitiuè à volun- 5

tate;

tate, non autem subiectiuè in illa, nam non potest affici, aut moueri in obiectum, nisi in se motum recipiat aduersùs obiectum, quod fatetur pertinere ad voluntatem, cùm actus, & obiectum ad eandem facultatem pertineant: quare si actus sit immaneos, quia est vitale exercitium, & tendentia potentiæ in eadem facultate, ad quam spectat obiectum, recipietur etiam ipse actus. Neque fauet Auctor de operibus carnis apud Cyprian. *in fin. prolog.* cùm carnis affectus ab anima quæ corpore tanquā malleo, & incude ad omnia turpitudinum idola efformanda produci dicit, ita vt caro sit officina spiritus, qui per ea omnia peragit, quasi in appetitu inferiori voluntas hos motus ponat, (vt aiebat Picolomini) significat enim tantùm hic Auctor carnem sensu & spiritu, seu animam destitutam, nullius malitiæ inuentricem, aut peccati dictatricem esse.

6 Sequitur tertiò passionum corporearum sedem & subiectū esse illam corporis partē, cui appetitus sensitiuus insidet; quā partem existimo esse cor, non cerebrum, aut iecur: neque enim volo appetitum concupiscentem, & irascentem esse duas facultates re, etiam & sede distinctas: quare qui locant irascentem in corde, & concupiscentem in iecore, displicent, sicut & Nemesio *c.20.* ex Galeno malum in ore ventriculi ob morsum aliquem ratione deciduæ flauæ bilis ægri sentiunt; reiicio etiam Sal. *tract.9.d.1. n.10.* qui per totum corpus diffusam hanc facultatem probat ex insectis. Denique non probantur qui omnes affectiones includunt cerebro, sicut neque illa partitio Platonis apud Apuleium *lib. de Plat. dogmate*, qui mentis optimam portionem rationabilem in capitis arce posuit, iram ad cor deduxit, cupidinem verò inferius abdominis, sedes, vt popinas quasdam, & latrinarum latebras, diuersoria nequitiæ, ac luxuriæ tenere voluit. Relegauit autem longiùs à sapientia hanc partem, ne importuna vicinitas rationem constitutam desuper cunctorum saluti, in ipsa cogitationum vtilitate turbaret. Nostra verò sententia Aristotelia est, quam fusiùs firmare alterius est instituti: sufficiat nos omnes motus, quos hi affectus concitant in corde, quod modò dilatatur, modò constringitur, modò desilit, & subsilit, modò languet, atque deliquium patitur, experiri. Hinc animus corde exprimitur in sacris Literis, & ratione tam diuersorum affectuum cor profundum dicitur, quod variis veluti exedris distinctum describit Maca. *Hom.* 15. vbi & Christi palatium esse asserit; impium autem cor lupanar dæmonis *Hom.* 17. Hinc noluit Deus quondam sibi in sacris cerebrum, & cor offerri, quia, vt ait Philo *lib. de sacrific. Abel. & Cain.* cor est sedes omnium affectuum, tum bonorum, tum malorum; cerebrum autem eorum prima origo. Dæmon tamen eam partem appetit, & apud *Clem. 7. strom. cap. 3.* sibi nequidem superficie cordis litari expostulat, atque in Themisthila ciuitate Mexicana quotannis supra 20. millia corda puerorum puellarúmque sibi sacrificari curabat, vt scribit Ioan. Zamoraga Archiepisc. I. Mexican. an. Christ. 1500. ad Capitulum generale Minorum. Hinc aliqui dicti ὁλοκάρδιοι & qui epigraphem capsulæ condentis cor Francisci primi apposuit, ibi totum Franciscum condi dixit, quia fuisset ὁλοκάρδιος.

7 Sequitur quartò brutis inesse passiones sicut & appetitus nisi fortè aliquæ supponant vsum rationis, vt inuidia, verecundia, & si quæ aliæ eiusmodi, illæ enim sunt tantum similitudinariè, reliquæ autem veræ sunt contra Sen. *lib. 1. de ira c. 3. & 4.* cum enim in illis sint veræ istæ potentiæ, erunt etiam veri illarum actus: quæ ratio à contrario euincit non esse hus motus in naturis sensu destitutis, quare ineptè Erasm. apud Scalig. *lib. 1. de plant.* eas tribuit plantis; quam similem fatuitatem tribuit Manichæis Augustin. *lib. de morib. Manich. c. 17.* neque quædam sympathiæ, odia, & amores quæ in plantis aduertuntur id ipsum probant, sicut neque quidam motus quibus prehendentes fugiunt, & se se dilatant, aut constringunt, vt de Aglaphili scribit apud Photium *Cod.* 223. Diodorus, de pudica habet Scalig. *exercit. 181. n. 18.* & aliis; Duret. *in historia plantarum c. 13. 14. & 15.* hæc enim postremæ sunt zoophita quædam, sunt tamen in homine plures quàm in brutis, vt ostendit late Niss. *cap. 18. lib. de homin. opificio.*

Sequitur quintò homini etiam sapienti passiones insidere, qua de re contra Stoicos longa fuit olim lis, sed de nomine, vt obseruat S. Thom. 1. 2. *q. 24. art. 2.* quia Stoici passiones solùm appellabant animi affectus quoties limites rationis excedebant, vnde etiam perturbationes, & morbos dicebant: Peripatetici autem, vti ad mediocritatem vi cohibentis rationis temperati erant, negabant esse morbos; qua de re vide Salam *tract. 9. d. 2. sect. 2.* Theophil. *in mor. A. d. 3. 4. n. 18.* Ratio est, quia sunt motus implantati naturæ constanti ex duplici parte, rationali, & irrationali: quare cohiberi possunt non exstirpari, & valent ad virtutem plurimum. Quapropter & in Christo fuerunt, & in apathiam istam Stoïcam à Pelagianis inuectam in Ecclesiam, acriter disputat Hieron. *Ep. ad Ctesiphontem & alibi* sæpè. 8

Commotio corporea consequens passiones.

Sequitur sextò ratio illius particulæ, quam addidi in definitione, nimirum passionem esse motum appetitûs, ex quo sequitur aliqua mutatio præternaturalis in corpore; ex eo enim quòd in corde tanquam in subiecto partiali remoto inhæsionis insideant hi affectus, sequitur illius varia commotio, quæ in externas quoque partes pertineat, & latentes affectus prodat: quam varietatem in vultu depingit Chrys. *hom. 35. in Matth.* in oculis Philo *lib. de Abraham.* sensuum pentapolim describens, estque constans Medicorum assertio quotidiana experientia confirmata, plurimos corporis morbos, ex animi passionibus nasci, vt docet Galen. *lib. de exercitio parua sphæra.* & latè Tiraq. *lib. de nobilit. c. 31. n. 291.* vt iure Alexand. *sect. 2. problemat. init.* velit, Medicum non solum corporis, sed etiam animi curam gerere. Huius autem commotionis causam reddere difficilè hactenùs existimatum est. Stoici ex illa corporea mutatione insulsè prorsus colligebant passiones esse animalia quædam, quæ in hominis corde stabularentur apud Sen. *Ep. 106. & 113.* neque satis idoneè excusantur à Lipsio *lib. 2. phisiol. Stoica differt. 4. & 5.* Similem fatuitatem Basilidis sectatores apud Clem. *lib. 2. stromat. c. 9.* commenti sunt, passiones esse προσαρτήματα, quasdam nimirum appendices & in essentia spiritus appensos animæ rationali, atque ita illi aduasci diuersi generis adulterinas naturas, vndè fiat vt non solùm animalium, sed etiam plantarum æmuletur motus, atque ita hominem instar equi Durij in vno corporum diuersorum spirituum exercitum habere insinuatum. Medici nonnulli apud Hieron. à Rua *controuers. 4. schol. 1. parte ad 3.* dicunt sanguinem ad voluntatis imperium eodem modo moueri, quo brachium, aut pes, aut similis eiusmodi pars moueatur, motu vt loquuntur animali, quia videmus moueri ex imaginatione & appetitione præuia: vndè vlteriùs colligunt, sanguinem esse partem supposito coniunctam cum reliquis viuentem, & eâdem animâ informatam. Ve- 9

rùm

rùm passim reiicitur ea sanguinis animatio. vt suo loco docuimus,& suadet eius fluiditas, qua per venas in corpus,sicut aqua per sulcos in oleta deriuatur, vt dixit Aristoteles *lib. 2. de partib. c. 3.& lib. 3. c. 5.* Vnde etiam non esse continuum reliquo corpori manifestum fit, neque eius vi imaginationis & appetitionis diuersa agitatio ostendit participem esse animæ, qua cæteræ partes informantur; alioquin idem dicendum esset de pluribus excrementis,quæ metu,alióque simili affectu egeruntur, vt de sepia suum attramentum metu perculsa effundere notauit Aristoteles *l. 4. de part. c. 5.* deindè doceant,qua ratione pars animata ad concitationem alicuius affectus discurrat per corpus, & in extremas partes proueniat,cur potiùs in istas,quàm illas.

10 Secundò tribuunt alij soli phantasiæ, & imaginationi, verùm illam non esse immediatè & proximè actiuam in corpus,sed tantùm remotè mediâ appetitione quàm concitat, & cuius ope ipsum sanguinem & spiritus variè cier, iam olim docuimus, & in rem præsentem optimè obseruauit Aureol. *in 3. d. 15. q. 7. art. 1. in fine & in 2. d. 24. q. 7. propos. 2.* Atque ita vniuersim sentio de omnibus affectibus externis, quos passim imaginationi tribuimus: non enim prodeunt ab illa nisi mediatè, & mouente appetitionem, à qua commouente spiritus & sanguinem, proximè fiunt, vt obseruat Vales. *lib. 4. controuers. c. 6.* & asserit Dandin. de quodam, cui sudabat ad libitum, vola manus *digress. 39. in 2. de anim.* & de oscitatione ad aspectum alterius oscitantis, vt habet etiam Fracastorius, *de sympath. cap. 23.* Quod autem aliqui volunt cum Gerson. *consid. 20. tract. de passio.* imaginatum formam, seu speciem per radiationem quandam, esse sui ipsius diffusiuam instar luminis alterius sibi similis productiui, atque ita ad exteriores partes pertingere, & illis varios colores aut notas inurere, quod cognitioni immediatè spiritus tingenti, in prolis formatione tribuerunt quoque Conimbricenses *lib. 2. de Gen. c. 4. q. 30. art. 2. alibi* reiectum fuit: quia neque species, neque cognitio physici vllius coloris aut notæ, alteriúsve qualitatis, & alterationis actiua est, neque species, aut per irradiationem, aut per spirituum vehiculum, à phantasia in externas partes defertur,neque species obiecti habet eandem vim physicam quam haberet obiectum,si immediatè applicaretur, etsi quoad affectus conciliandos æquè valeat, quandoquidem ipsum obiectum non aliter id præstat, quàm prout media cognitione & phantasiatione applicatur appetitui.

11 Tertiò nonnulli veteres id tribuunt cordi cognoscenti obiectum, tum phantasiæ, tum appetitûs. Ita referunt, neque improbant Fracast. *l. de sympath. c. 16.* & Septal. *ad sect. 7. problem. q. 2. in primo modo dicendi*, nullam tamen notam huius cognitionis in corde nisi illius qui ratione tactûs omnibus corporis partibus congruit, & multò minùs licebit illi adeò sublimem cognitionem tribuere, vt non modò eadem cum phantasia percipiat, sed ipsius etiam phantasiæ sensationem, quod est iudicium superioris, & nobilioris multò cognitionis, cùm nunquam lædatur imaginatio ex læsione cordis, sed solius cerebri,neque cognitione multa defatigetur cor, in quo etiam formantur spiritus vitales, non animales, qui cognitioni maximè deseruiunt, & quamvis docuerim aliàs,cor solùm esse partem principem, & reliquas esse tantùm eius veluti vicarias, non sequitur tamen nobilissimas omnes actiones ab illo fieri,ad illum enim principatum sufficit, si sit fons vitæ reliquis omnibus,& subministret quæ necessaria sunt ad actiones suas. Quam verò absurdè ait Fracastor. ipsam quoque intellectionem ad cor pertingere quod cor iudicet bona, & mala quæ prius nouit intellectus,nam cum intellectio non sit actio partis alicuius organicæ, soli animæ inexistit,neque magis cordi communicatur, quàm aliis partibus, quibus omnibus inest eadem indiuisibilis anima cum suis omnibus accidentibus,sed sic dicetur intellectio ad extremos pedum articulos pertingere.

Quartò rudent alij totam hanc commotionem tribuendam esse appetitui cor concitanti, & sanguinem, atque spiritus, qui in eo laborantur: sed explicandum restat, quomodò vis appetitiua hos motus in corde cieat: deindè quomodò in partibus à corde dissitis eædem fiant commotiones, cùm nulla sit intermedia potentia, cui propter sympathiam & radicationem in eadem anima, hæc spirituum diffusio, & externarum partium affectio iure tribui non possit. Tertiò quomodò spirituum à corde in remotas partes transmissio subita, & momentanea fit, vt experientia videtur euincere? Quartò cur hi spiritus in partibus sibi vicinis non imprimunt eandem affectionem quam in remotis? 12

Quintò quomodo in certam partem, v. g. faciem diriguntur spiritus, & qua vi porriciantur? Quibus non satisfacit Valesius *lib. 2. contr. c. 15.* cum per quandam illustrationem specialem spiritus animales ad sensoria transmitti dicit, & quam aliquis in hunc locum transferre fortasse posset: explicandum enim erit quænam sit illa. virtus specialis implantata facultatibus istis corporeis, & quomodo motum corporeum spirituum ferè momento cieat, & in certas tantùm partes dirigat. Quare tandem Sal. *d. 2 tract. 9. n. 6.* ait moueri hos humores vel à Deo, vel à seipsis, vel ab anima: sed preterquam quod nihil certi pronuntiat ea responsio nulla ex parte vera esse potest, nam, Deum ad hunc effectum euocare, cùm omninò causæ proximæ sint, est fateri apertam ignorantiam: humores autem & spiritus qui inanimati sunt, seipsos in vnam potiùs quàm aliam partem concitare quis dixerat? Anima autem seipsa immediatè præstare inde euincitur, quod nunquam hi motus aduertantur, nisi præuiâ imaginatione, & appetitione. Quod si velit Sal. animam medio appetitu, hos motus ciere, iam respondet idipsum quod quærimus hactenùs quomodò scilicet appetitus qui cordi implantatur tum ipsum cor moueat, tum ipsas partes externas & remotas afficiat. Denique Hieron. à Rua *controuers. 4. scholast. q. 1. ad 5.* in idem incidit incommodum, cùm ad facultatem irascibilem in corde locatam recurrit, nam quomodo, id queat præstare in partibus dissitis adhuc explicandum manet.

Nihilominùs perstandum est in communi sententia initio allata, dicendúmque causam huius corporeæ commotionis & alterationis, tum in corde, tum in partibus ipsi vicinis, ac etiam dissitis, esse appetitum sensitiuum, & corporeum cordi tanquam proprio subiecto implantatum. Pono autem imprimis totam hanc alterationem, de qua agimus, fieri immediatè, & proximè per motum sanguinis, humorum ac spirituum, quare illius motionis causa proxima assignanda est. Constat autem hanc motionem non fieri per vim motricem progressiuam animalis, quæ voluntati despoticè obediat, & ab illa immediatè concitetur, sed à quadam vi motrice vel externa partibus motis, vel ipsis implantata, quæ non est immediatè subiecta voluntati, nisi interueniat operatio aliqua sensitiua, nimirùm imaginatio & appetitio, vt constat in pluribus aliis motibus naturalibus, & non animalibus ac progressiuis, vt sistole è diastole cordis, ac cerebri, & pulmonum motu: deindè motus de quibus agimus nun- 13

quam

test impedire: ergo neque actum phantasiæ motæ, neque appetitus phantasiæ apprehensionem naturaliter, & necessariò sequentis; per accidens tamen vel indirectè aliis rebus attendendo, moderari tum apprehensionem phantasiæ, tum dolorem & voluptatem appetitus, ita tamen potest, vt ferè nihil agat.

12 Quartò quando imaginationis apprehensio, & actus appetitus non procedit ex actuali motione obiecti, potest voluntas ad aliud rettahere imaginationem, & motum appetitus coërcere, vt ipsa docet experientia, vbi tamen voluntas cessat agere, imaginatio & appetitus ad suos actuaredire possunt.

13 Quintò quando voluntas efficaci & absoluto imperio vtitur, tunc appetitus, quasi remurmurans obedit; hinc fit vt sæpè difficilia & molesta, à quibus abhorret appetitus, aggrediamur: hæc tamen motio appetitus non fit sine iudicio phantasiæ, quæ tunc necessitatur ad iudicandum obiectum vt conueniens. Dixi tamē *remurmurare appetitum*, quia fieri nequit vt stante etiam imperio absoluto, non sentiat aut dolorem, aut voluptatem, si obiectum sit præsens actualiter; sed vt non repugnet dolori, aut non pelliciatur voluptate, ita vt duos quosdā actus liceat distinguere tunc in appetitu, naturalē alterum, & alterū imperfectum, qui per *vellem*, aut *nollem* exprimitur; alter autem absolutus, quo appetit quod imperat voluntas, & ex illo acta sequitur motus, quem iubet voluntas, quamvis interdùm sequantur etiam aliqui motus in membris externis, ex alteratione materiali, quos tunc non imperat voluntas; imò quos nollet. Ex hac etiam repugnantia fit vt sæpè quamvis appetitus obediat, quantum ad substantiam actua, non tamen semper quoad conatum, & intensionem: quandiù enim non funditùs vincitur ea repugnantia, non agit toto conatu appetitus, & aliqui etiam effectus, ex illa appetitûs commotione sequantur inuita voluntate.

14 Hinc colligis, quomodò appetitus non obediat despoticè, hoc est, instar serui, qui ad imperium heri ne quidem mussat, sed politicè instar ciuium, qui sæpè seditiones concitant, tandem tamen ad Regis imperium coguntur; quod duplex imperium vsurpauit eleganter Aristoteles 1. *polit. cap.* 3. & 3. *de Ani. t.* 57. id explicat exemplo primi mobilis, quod licèt inferiorum sphærarum motum non impediat, eas tamen ita suo abripit, vt neque simpliciter ferantur, quò rapiuntur, neque etiam absoluiè eo, quo ferret proprius earum motus, si solua esset.

Anima vegetans, & vis motrix quatenus obediant voluntati.

15 Facultates vegetantes directè, & per se non subiacent voluntatis arbitrio: quandiu enim obiectum habent, agunt, vt in vi nutritius apparet, idque aduertit Aristoteles 1. *ethic. cap. vltimo.*

Vis motrix progressiua omnimodè subest voluntati, vt asserit Aristot. 1. *polit. c.* 3. & miratur Aug. 8. *Confess. c.* 9. Ratio autem cur hæc facultas ita ad nutum obsequatur, & non appetitus, est, quia obiectum appetitus sæpè contrarium est obiecto voluntatis, quod est honestum, vnde exurgit pugna. Cùm enim voluntas aliquem affectum imperat, appetitus naturali pronitate in proprium suum obiectum præcipitat: hæc autem pugna non reperitur inter vim progressiuam, & voluntatem.

16 Dixi autem motum progressiuum subdi voluntati, quia alij quidem motus externi, siue ab eadem & vnica virtute motrice insita toti corpori, siue peculiaribus facultatibus singulia membris insitis progrediantur, quod modò non disputo, non ita obsequuntur. Eos motus enumerat Aristoteles *lib. de motu animal. cap.* 8. pulmonis, cordis & partium obscœnatum: de pulmone mouent aliqui litem, quòd videatur impediri ad arbitrium respiratio, cùm tamen hic motus non expectet edictum appetitûs, vt in somnis appatet, tum naturalis est, tùm aliqua ex parte volūtarius; quoad alia duo membra enumerata subscribunt Philosopho S. Thom. *a.* 9. *ad tertium. quæst.* 17. *c.* 1. 2. & de obscœnis partibus Aug. *lib.* 2. *de peccator. merit. cap.* 22. aduersùs dominam mentem, quasi suæ sint potestatis, sicut liberum est, excitantur, idque solùm iuris in his habent frena virtutis vt ad immundas & illicitas corruptiones ea peruenire non sinant. Vide etiam *lib.* 14. *de ciuit. cap.* 16. & *sequent.* Cyprian. *serm. de conc. Inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantum vt rebellia membra, velis nolis, in motus nefarios audacter assurgant.* Rationem reddit S. Thom. quia ad harum partium motum quædam alteratio corporis & frigiditatis, & caliditatis requiritur, quæ rationis imperio non subiacet.

QVÆSTIO V.

Actus intellectus necessarij ad actiones liberas voluntatis.

Voluntatem indigere præuia intellectûs face, omnes æquè consentiunt, & docet eleganter Bern. *tract. de gratia & lib. arbit. init. Voluntas est motus rationalis & sensui præsidens, & appetitui. Habet sanè quocumque se voluerit rationem comitem & quasi pedissequam, non quòd semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moueatur, ita vt multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est quasi per eius ministerium, contra eius consilium, siue iudicium.* Quare meritò reiiciuntur Vasq. 1. 2. *d.* 35. & Suar. *lib.* 2. *de orat. c.* 12. quidam contemplatiui qui voluntatem operari posse feriante prorsùs intellectu existimarunt; éstque receptissimum illud principium, voluntatem non ferri in incognitum etiam diuinâ potestate, de quo consule Suar. *d.* 23. *met. s.* 7. & Theologos *in* 2. *d.* 1. *aut d.* 25. Salas *tract.* 2. *d.* 5. *sect.* 1. Et sanè nequidem Deus ipse, se ipsum, aut alia à se distincta amaret, nisi se & alia intelligeret, vt Anselm. *in Mon. c.* 48. optimè argumentatur, neque potest voluntati applicari obiectum cùm aut distans, aut etiam absens plerumque sit, nisi per applicationem intentionalem; vnde Aristoteles voluntarium definiuit, quod est à principio intrinseco cognoscente singula. Non placet tamen Vasq. *disp.* 35. *cit. capite tertio* dum, vt probet hanc maximam esse veram etiam respectu diuinæ potentiæ, supponit non posse infundi à Deo amorem voluntati creatæ passiuè circa illius productionem se habenti, quasi admisso eo casu, quem non esse impossibilem cum pluribus Theologis olim diximus, sequatur necessariò voluntatem amaturam, & volituram sine cognitione, id enim falsum est: neque enim magis tunc volet voluntas, quàm vellet, aut videret lapis, cui inhæreret volitio, aut visio; quamvis enim voluntas sit principium vitale, vt tamen viuat formaliter in actu secundo, & tendat in suum obiectum, instrui debet omnibus quæ essentialiter requirit actio qualibet vitalis, cuiusmodi est cognitio respectu volitionis. Hæc autem cognitio non est ratio for-

malis

malis motiua voluntatis, sed tantùm conditio, sine qua obiectum quod reuerà mouet voluntatem secundùm esse reale, & non fictum, non moueret nisi apprehenderetur, atque ita applicaretur, & fieret præsens voluntati, quæ, sicut & reliquæ potentiæ, exigit sui obiecti existentiam, & quandam cum eo coniunctionem, quæ alia esse nequit quàm intentionalis. Itaque non potiùs cognitio est causa formalis motiua voluntatis, quàm reliquarum potentiarum approximatio, applicatio & existentia obiecti, quod *alibi* fusiùs dictum est. Consule Suar. d.23. *met. sect.* 8. Reiicienda est etiam opinio Salas *tractat.* 7. *disputat.* 5. *sectio.* 3. Molin. *prima parte, quæstion.* 19. *articul.* 2. *disp.* 3. & aliorum existimantium cognitionem obiecti esse partialem causam effectiuam volitionis, concurrentem cum voluntate, dicendúmque omninò cum communiori Scholæ sensu, quem tradit & confirmat Vasq. *prima secunda, disputatione* 36. intellectum non alio modo conferre ad volitionem, quàm proponendo obiectum: atque his ita constitutis, quærimus quinam actus intellectus necessarij videantur ad modum agendi liberum: & deliberatum, & quæ sit horum actuum natura, seu proprietas quantum ad hoc? nam physicam eorum essentiam exponere alterius est instituti. Quatuor verò vulgò nominantur hi actus, apprehensio, iudicium practicum, consilium, & imperium. Denique suppono, cognitionem requisitam ad volitionem esse intellectualem, neque notitiam solius sensus sufficere, sicut nuper diximus, appetitum sensitiuum non moueri etiam imperante voluntate, nisi phantasia eiusmodi voluntatis iussu obiectum ipsi proponat. Neque abnuit sanctus Thomas cùm *prima secundæ, quæstione* 10. *articulo* 3. *ad tertium* dicit voluntatem moueri à bono apprehenso per sensum; nam ita appellat bonum materiale, quod primò occurrit in sensus: quod *ibi* opponit bono vniuersali per rationem apprehenso.

An simplex apprehensio sufficiat ad volitionem?

5 Negat Salas *disp.* 5. *sectiоn.* 2. *numero* 15. *tract.* 7. Valent. *disp.* 2. *quæstion.* 4. *part.* 1. Suar. *disp.* 23. *met. sectiоn.* 7. & *tractat. de voluntate, disp.* 6. 55. & alij communiter, neque repugnat Vasquez *disputatione* 44. *capite* 2. & 3. nam nomine apprehensionis intelligit iudicium simplex, quo conuenientia, & disconuenientia obiecti sine vlla compositione, aut diuisione, quæ dicatur hîc & nunc id esse faciendum, quamuis & hoc etiam iudicium ad aliquos actus exigat, neque aliud etiam voluit Scot. *in* 2. *d.* 6. *q.* 1. *in resp. ad argumenta maximè ad tertium:* ait enim ad volitionem sufficere apprehensionem sine diuisione & compositione, modò tamen apprehendatur obiecti conuenientia: quare totam hanc controuersiam de nominibus & vocibus esse dixit Konine. *disp.* 2. *de act. supernatur.* Hæc apprehensio vel includit iudicium in se, vel illud causat; cùm enim intellectus sit potentia necessaria, non potest non ferri in id quod ipsi verum apparet; in hoc autem casu obiicitur ei obiectum vt bonum, iudicabit igitur vt bonum. Requirit itaque hanc apprehensionem de conuenientia, aut disconuenientia, seu, vt alij appellant, iudicium saltem simplex; ex eo probatur, quod cùm obiectum appetitus præcognitum esse debeat, & sit tantum bonum vt bonum, debet ab intellectu præcognosci bonum, vt bonum; quod maximè verum est, eùm agitur de intentio-

ne efficacі finis: cùm enim ea ad existentiam obiecti, & eius possessionem tendat, cognitionem de obiecti bonitate, & possibilitate prælucentem habere necesse est, idque etiam in brutis, quod tamen malè nobis aliqui obiiciunt, docet eorum æstimatiua, quæ obiectum vt conueniens repræsentant, quacunque tandem ratione sine iudicio componente id fiat, quod alterius instituti est penitiùs disquirere.

An verò hæc apprehensio de conuenientia obiecti, seu etiam iudicium speculatiuum sufficiat, quæri solet vlteriùs: nam practicum iudicium exigi putat Konin. d.2. *citat. dub.* 5. Suar. tamen *loco citato* aliud vult, & alij communiter S. Thom. sequuti *quæst.* 9. *art.* 1. vti & Philosophum 3. *de Anim. quæst.* 46. vbi dicitur ante actionem præire syllogismum practicum, qui ex præmissa vniuersali, & altera particulari eliciat conclusionem practicam, alioqui non sequi actionem. Itaque non sufficit iudicium de amabilitate obiecti, nisi etiam dicat hîc & nunc esse amandum à voluntate. Ratio est: quia idcircò requiritur præuia cognitio, vt obiectum applicetur suo modo voluntati; hoc autem fit solùm cùm vel formaliter, vel virtualiter indicat intellectus rem cognitam esse bonam, & conuenientem voluntati, vel absolutè, vt fit in iis, quæ sunt absolutè bona, vel comparatiuè, & ex suppositione, vt posito quod blandienti concupiscentiæ acquiescere lubeat. Atque in his ferè non dissident Auctores. 3

Quale sit iudicium practicum, necessarium ad volitionem?

Maior controuersia est, quale sit hoc iudicium practicum: nam aliqui volunt esse determinatiuum voluntatis, ita vt eo stante non possit non sequi volitio: dictat enim intellectus, hoc positis omnibus circumstantiis esse amplectendum, neque ampliùs liberum esse voluntati ab eo, quod proponitur cum ea determinatione resilire. Háncque putant esse Philosophi mentem *loc. citat. ex libr.* 3. *de Anim.* vbi ait posito illo syllogismo practico, omne dulce gustandum est; hoc autem dulce est: ergo necessariò sequi actionem nisi prohibeatur. Et sanè cùm voluntas potentia cæca sit, non potest ferri nisi in illud quod ipsi repræsentatur; tunc autem obiectum amandum proponitur, & sicut indifferentia iudicij est prima radix indifferentiæ voluntatis, ita iudicij determinatio voluntatis determinationem infert; iudicium autem quo de agimus planè determinatum est, cum dicat omnibus pensatis, hoc obiectum esse amandum, quod ne faciat voluntas, cum cognitionem præuiam perpetuò supponat, debet dari aliud iudicium, quod dictet, hoc pensatis omnibus non esse amandum; atque ita vel erunt duo iudicia contradictoria simul in intellectu, vel voluntas tendet in incognitum. Ita sentiunt Medin. 1.2. q.9. *art.* 1. *dub.* 2. Bellarm. *lib.* 4. *de gratia. & liber. arbitr. cap.* 8. Zumel *tom.* 1. *variar. d.* 4. *sect.* 1. *concl.* 4. & alij Thomistæ, qui dicunt hoc iudicium exprimi his verbis, *fac hoc.* Verùm illud reiiciunt Suar. *disp.* 23. *met. sect.* 7. Konine. *loc. cit.* Vasq. *dis.* 49. *cit.* Pennot *lib.* 1. 1 *propos.* 13. & 24. Less. *de gratia. cap.* 5. *num.* 13. Fons. *lib.* 9. *met. cap.* 2. *quæst.* 3. *sect.* 3. Sal. *tract.* 5. *disp.* 5. *d.* 1. *num.* 18. Primò quia si illi iudicio nequit repugnare voluntas, libera non est. Probatur consequentia. Ea causa, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, aut agere, non est libera, vt ex superioribus satis demonstratum manet: atqui voluntas posito hoc iudicio, quod est vnum ex necessariis ad

actionem, necessariò agit, & non potest non agere; ergo libera non est; vnde vlterius sequitur nunquam liberè agere, & esse tantùm liberam in actu primo, nunquam autem in actu secundo, & in ipso suæ libertatis vsu, atque exercitio, non esse expeditam, sed perpetuò determinatam. Cùm enim non possit quidquam velle sine hoc iudicio, alioquin, si non esset ad omnem actionem necessarium, non esset ad vllam (argumenta enim aduersariorum, aut nihil probant, aut de omni volitione æquè probant) si hoc iudicium eam omninò determinet, nunquam ita agit, vt possit tunc absolutè non agere, stantibus requisitis ad actionem, ergo liberè non agit. Adde hanc necessitatem grauiorem videri ex eo quòd illud iudicium determinans voluntatem sit omninò necessarium, nam si est liberum supponit præuiam aliquam volitionem, quæ & aliud simile iudicium practicum & determinans supponet, & ita vel deueniendum fuerit ad primum aliquod iudicium, necessarium etiam independens à voluntate, aut progrediendum in infinitum: quod enim ait Zumel, mutuam prioritatem esse inter intellectum & voluntatem, quòd voluntas pendeat ab intellectu in genere causæ formalis, & intellectus à voluntate in genere causæ efficientis & finalis motiuæ, neque improbat Pennot. c.34.n.4. falsum est, si enim intellectus applicat suâ cognitione obiectum voluntati, necessaria ea applicatio seu cognitio applicans omni omninò ratione actum voluntatis tendentem in eiusmodi obiectum, & ipsius applicationem præire debet, cùm impossibile sit actionem esse priorem applicatione obiecti, ad quod tendit. His adde sublatâ indifferentiâ iudicij exscindi radicem libertatis; atqui omnem iudicij indifferentiam tollunt aduersarij: nam negant posse agere voluntatem quandiu iudicium determinate iudicat & non dictat hoc esse faciendum, vbi autem ita pronuntiauit, parendum omninò esse: vbi igitur est voluntatis, ad vtrumlibet indifferentia? Neque dicas intellectum esse indifferentem, vt aliis circumstantiis positis aliud præcipiat, & aliter iudicet, quia cùm non sit in potestate voluntatis, vt aliæ ponantur circumstantiæ, non est etiam in illius potestate, vt aliud iudicetur. Demùm æstimatiua bruti positis aliis circumstantiis aliter quoque iudicaret: ergo æquè libet erit brutorum appetitus.

Respondent iudicio proponente voluntati obiectū cum amabilitate, & repudiabilitate voluntatis esse, quod non sinat se moueri ab vna parte, sed ante illud iudicium, quod demùm necessariò sequitur, sed cōtra hanc resistentiā passiuam, qua sinat se moueri, aut non moueri voluntas nihil agendo, multa congerit Pennot. cap.14. Hinc sanè efficitur peccatum voluntatis non esse nisi quod ante iudicium istud practicum non passa sit se moueri ab obiecti repudiabilitate, non autem in eo quòd posito eo iudicio, obiectum quod repudiandum fuerat, fuerit amplexata: deinde si voluntas poterat sinere se moueri ab obiecto ante istud iudicium, poterat etiam illud velle. Non moueri voluntatem ab obiecto; est voluntatem tale obiectum velle, & potuit elicere actionem sine iudicio, & inchoate, vt ita dicam, volitionem. Cur igitur non poterit etiam deinceps velle sine tali iudicio?

5 Secundò sequeretur in omni peccato includi infidelitatem, & hæresim: quia, qui verbi gratia admittit furtum, habet præuium hoc iudicium omnibus pensatis, Hic & nunc mihi furandum est, quæ propositio est hæretica: nam huius propositionis sensus alius esse nequit, quàm vel honestum esse, vel necessarium, vel conducibilius, hic & nunc furari, aut certè ita statutum esse, hoc postremum supponit præuiam volitionem quæ tamen concipi nequit, priora illa faciunt propositiones omninò falsas. Quomodò autem omnis peccans erret, *alibi* dicetur, non enim errat falsum iudicando, sed non considerando aut aduertendo ad ea quæ id temporis cogitanda fuerant, & quibus reuocatus fuisset ab actu turpi: Philosophus autem non fauet contrariæ sententiæ: asserit enim tantùm sequi actionem vbi in re practica aliquid conclusum fuerit ex maiore vniuersali, & minore particulari: sed loquitur de consultatione, quæ instituta est ex intentione efficaci, vt omninò eligeretur quod melius appareret. Demùm agit de incontinente, in quo vt plurimùm consultationem, aut syllogismum practicum allatum sequitur actio, ad quam ex vi cupiditatis abstrahitur.

Quod autem afferebant, voluntatem non ferri in incognitum, atque, vti cognitio determinata est, indifferentiam sibi non formare, concedo vltrò; nego tamen dari vllum iudicium ita determinatum, vt simul non ostendat repudiabilitatem, & amabilitatem obiecti, quamvis alteram ex his rationibus sæpè languidiùs proponat, pluráque in alteram partem motiua suggerat: aut potiùs dico, simul esse duo iudicia, quorum alterum amabilitatem obiecti, & in his circumstantiis, alterum repudiabilitatem proponat, licèt non fortassis æquè clarè & potenter. Hæc autem iudicia contradictoria non sunt, quia licèt sint de eodem obiecto, non tamen procedunt per eadem motiua, vt de opinione & scientia actuali per diuersa media circa eandem conclusionem dici solet. Manet igitur indifferens voluntas, sicut & iudicium prælucens indeterminatum est. Iam verò voces illæ quibus hoc iudicium exprimi solet, nempè, hoc amandum est, hoc ama, non significant necessarium esse, omnibus pensatis hic & nunc, hoc amplecti; id enim in omni peccante falsum est, vt dixi, & in Deo in quo etiam iudicium practicum de re facienda, decretum eius præcedit, hunc sensum habere nequit, quo etiam admisso, non tamen propterea sequeretur voluntatem determinari ab eo dictamine, cùm plurima proponantur vt necessaria ad finem obtinendum, à quibus tamen abstinet voluntas: mauult enim ipsa finis assecutione carere, quàm quæ ad id exiguntur suscipere. Alius igitur sensus nō est, quàm inesse in obiecto sufficientem bonitatem, siue ea sit honestas, aut iucunditas, aut vtilitas, vt illud amplectamur: aut certè ea suppositione, vt dicebat Fonsec. quod huic, aut illi affectui indulgendum sit, v.g. quod si prosequenda honestas, abstinendum ab hoc obiecto: si verò daudum aliquid sit cupiditati, amplectendum bonum delectabile, quamvis inhonestum. Atque ita manet plena indifferentia, & dominium voluntati, vt agat, aut non agat. Causa verò cur potiùs oderit, quàm amet, aut potiùs non amet, quàm amet vel è contrario, alia quærenda non est quàm libertas voluntatis, qua etiam eo iudicio prælucente fertur in quam libuerit partem. Denique quod Vasq. d.44. obiiciebat amorem beatificum sequi ex simplici propositione obiecti summè amabilis non efficit quod ille intendit eo loci, simplicem obiecti propositionem, aut, vt alij dicunt, saltem iudicium speculatiuum sufficere ad volitionem, quia hæc clara & quidditatiua intuitio iudicio & discursui æquiualet: probat tamen non esse necessarium illud iudicium, quod modò impugnamus.

Consilium

Consilium, seu consultatio.

7 Huius actus naturam tam scitè expressit Aristoteles 3. *ethic.* atque eius vestigia sequens S. Thom. q. 14. vt nihil addendum videatur.

Statuit igitur Philosophus, quodnam sit consultationis, quæ inquisitio quędã practica est, obiectum.

Primò nullus consultat de æternis, vt de mundo, aut diametri & costæ commensurabilitate, neque de necessariis, quæ semper & eodem modo fiunt, vt solstitiis, neque de iis, quæ licèt stata tempora non habeant, oriuntur tamen à causis necessariis, & naturalibus, cuiusmodi sunt imbres & siccitates, neque de fortuitis & casualibus, vt thesauri inuentione, sed de iis, quæ ab homine fieri possunt, atque non quæ ab aliis, sed quæ à nobis ipsis fieri solent. Cùm enim consultatio sit practica & de agibilibus, vnde inquisitio Mathematica est cõsultatio; agibiliũ autem causæ sint vel physicæ, vel morales: physicæ sint vel æternæ, vel necessariæ, vel fortuitæ de eiusmodi causarum effectibus, nemo sapiens consultauerit, cùm nostra de eiusmodi agibilibus inquisitio nihil cõferre valeat, vt ponantur, aut non ponantur. Causæ autem morales sunt mente præditæ, eæque vel ipsi consultantes, vel alij, de iilis quæ ab aliis solùm fieri possunt, etsi possunt in consultationem, ob sui indeterminationẽ cadere, sed non in nostram, quis enim cõsultat quomodo Scytharum, aut Lacedæmoniorum respublicæ gubernentur. Itaque de iis tantum, quæ sunt in nostra potestate, vt fiant, aut non fiant, & hoc vel illo modo fiant, instituimus consultationem, vel solì, vel, si res maioris momenti sit, aliis in consilium vocatis; vnde S. Thom. q. 14. a. 3. obseruat consilium dici quasi considium, quod plures ad deliberandũ considere soleant.

8 Non consultamus autem de omnibus per nos agibilibus, nisi aliquam aut in seipsis, aut in modo quo fiunt habeant certitudinem, aut indifferentiam: si enim eodem modo fiant, consultatio inutilis foret. Itaque neque de modo scribendi, & etiam formandis characteribus, neque de aliis, quæ circa sciẽtias certa sunt, aut in artibus cõmuniter fieri solent, consilium inimus, quamvis circa artefacta, cùm ipsis sit maior indeterminatio, sæpius instituatur consultatio, addit S. Thom. neque de rebus parui momenti *art.* 4. quia non multùm interest hoc, an illo modo fiant. Aristoteles 6. *ethic.* c. 2. excludit quoque à consultabili præsentia & præterita: ea enim sunt iam determinata, neque aliter fieri possunt: nam Agatho Poëta ait *ibid.* apud Philosophum, ne Deus quidem facta reddere potest infecta. Denique non consultamus de fine, sed de mediis, quia fines dubij non sunt; neque enim quærit, an debeat sanare Medicus, & Rhetor an persuadere, & moderator Reipublicæ, an optimis legibus ciuitatem temperare: sed quomodo fines istos & scopos sibi propositos attingent. Mouent tamen hic interpretes, & *in art.* 2. q. 14. S. Thom. difficultatem, quia quando sese offerunt plures fines, quis ea iis præhabendus sit inquiritur; quare respondet Valent. d. 2. q. 9. p. 2. consultationem tenerà haberi posse de finibus: communem tamen huius vocis in Schola receptum morem non ferre vt vsurpetur nisi de mediorum ad finem vtilium inquisitione, Vasq. *disp.* 44. c. 2. ait finem abstractè sumptum, siue in communi, cuiusmodi est beatitudo, seu benè esse, siue in singulari, vt honestas temperantiæ, fortitudinis, &c. non vocari in consilium, sed tantùm prout ad singularem materiam contrahitur. Nemo enim quærit an sit habenda temperantia, an acquirenda fortitudo, sed vtrùm in hac materia, hoc tempore, hoc loco, & in his circunstantiis, sit exercenda temperantia. Alij volunt nullum finem, vt sic esse materiam consultationis, alioqoin induceret rationem medij. Quando enim quæritur quis ex pluribus finibus sit præhabendus, referuntor ad aliquid vlterius, cum quo fit comparatio, & cuius bonitas, aut defectium, facit vt vnus ex finibus propositis præhabeatur: ac proinde rationem finis amittat. Præferenda videtur hæc secunda responsio Vasq.

9 Horum verò omnium ratio ducitur ab Arist. ex eo quòd consultatio tendat ex suâ naturâ in electionem, cui facem præfert, & consultabile idem sit quod eligibile: quod enim consultando visum est melius, aut saltem vtile ad finem, id eligimus si intentio finis fuerit efficax, & perseueret, neque illam incommoda quæ occurrunt in vsurpandis mediis, cogant abiicere, eligibile autẽ, vt nuper diximus, est dumtaxat id quod à nobis præstabile est, aut cum nostra saltem actione coniunctum est, vt quæ per nostros amicos fiunt, ad ea enim conferre aliquid suadendo impellendo, & iuuando possumus.

Hinc etiam fit vt consultatio non sit infinita, 10 neque ex parte principij, neque ex parte termini, vt ait S. Thom. *art.* 6. quia incipit post finis voliti intentionem, & definit in aliquid, quod nos statim exequamur. Denique ex eo quòd tendat ad opus, consultatio, fit vt procedat modo resolutorio, vt ait Aristoteles, si per plura posse fieri videtur (scilicet finis) per quod illorum facillimè optiméque fiet perquirimus; sin verò per vnum, quónam modo per illud fiet, & illud idem per quid efficietur consideramus; idque facimus donec ad primam perueniamus causam, quæ quidem in inuentione est vltimum; qui namque consultat, is quærere videtur, dictóque modo perinde, atque designandam lineam resoluere, & mox: *idque quod vltimum est in resolutione, primum esse constat in generatione.* De hoc ordine resolutorio plurima Caiet. *in art.* 5. q. 14. sensus Philosophi, & S. Thomæ est consultationem resoluere eo modo, quo Mathematicus qui figuras in lineas, ex quibus componuntur, resoluit, hoc est, composita in partes & simplicia, quibus coalescunt; & eo modo consultans procedit. Nam à fine, qui in esse tei est effectus mediorum, procedit ad media, & hæc deindè media singillatim: demùm confert inter se, & considerat, & resoluit vsque ad primum, à quo est incipienda executio, & vltimum, in quo est finienda. Vnde addit quod est ordine resolutionis vltimum, in ordine generationis seu executionis esse primum & è contrario, vltimum in resolutione, primum est in executione: quia in illa simplicium etiam partium quodammodò componentium inuestigatione, seu mediorum inter se & cum fine comparatione, inquiritur, quidnam sit proximior, & immediatius fini, quo posito statim acquiratur finis, tum quomodò illud ipsum haberi possit, atque de hoc iterum idem quæritur donec ad primam actionem, à qua inchoari debeat executio, deueniatur, atque ita vbi desiit consultatio, incipit demùm executio.

Hinc magno consensu recepti sunt ab omnibus 11 Theologis, & Philosophis duo ordines, alter intentionis, seu resolutionis, alter executionis, seu generationis, qui licet variè procedant, in eundem finem tendunt, idémque motiuum habent, vt optimè ostendit Vasq. 1. p. d. 59. n. 53. & 54. contra Suar. qui, vt *alibi* dictum, voluntaria, qua Deus decreuit gloriam electis, finem ait esse misericordiam secundum ordinem intentionis, & secundùm ordinem executionis, iustitiam. Rectè tamen obseruant idem Vasq. 1. *part.* *disp.* 32. *numero* 20. & Suar. *lib.* 1 *de præd. c.* 8 *num.* 16.

hunc duplicem ordinem non reperiri nisi respectu finis & mediorum, non autem inter finem cuius, & finem cui, quia finis cui, est subiectum finis cuius; non autem aut medium, aut proprius finis, ad quem alter referatur.

Imperium.

12 Actum quendam in nobis esse, quo nobis ipsis quæ agenda sunt imperemus, quem proindè imperium monasticum vulgò appellant, omnes æque consentiunt, & similitudine Romani Imperatoris, qui vnico verbo omnes latè prouincias suæ ditioni subditas commouet, explicat Aug. *l. 50 homiliar. homil.* 16. verùm in huius natura exponenda, multi sunt Interp. *in* 1. 2. *q.* 17. *a.* 1. 2. *&* 3.

13 Quidam enim existimant, esse actum voluntatis iubentis aut prohibentis, quod ab intellectu præcognitum est, quia quidquid tandem omnino voluat Imperator, nisi edictum, quo vult subditos obligare, accedat, cogitatio ea vim legis non habet. Ita Castro *lib. de lege pœnali, c.* 1. *&* 2. verùm hæc sententia aduersarium habet S. Thom. qui *q.* 17. *a.* 1. euidenter ait imperium esse actum rationis præsupposito voluntatis actu; quibus verbis soluit argumentum modò allatum: quælibet enim omnis notitia, imperium non est, sed ea tantùm quæ intimat volitionem principis prohibentis, aut imperantis, aut certè quæ dirigit ex voluntate superioris: intimatio enim locutio, insinuatio, & eiusmodi alij actus, quibus voluntas superioris tanquam regula proponitur inferiori capaci rationis, pertinent ad intellectum, vt patet.

14 Volunt igitur alij, imperium esse actum intellectus, qui tamen neque sit apprehensio, neque iudicium, ac proindè neque notitia; sit tamen impulsus, quo post electionem factam, potentiæ exequentes inferiores mouentur ad opus: & his verbis exponitur, *fac hoc.* Ita Soto *lib. 1. de inst. & iure quæst.* 1. *art.* 1. Sal. *tract.* 6. *d.* 2. *num.* 23. *&* 46. & *tract.* 14. *d.* 1. *num.* 34. Granad. 1. *part. com. tract.* 3. *d.* 3. *sect.* 1. *&* 2. Med. *in art.* 1. *q.* 17. 1. 2. neque abnuit Valent. *d.* 2. *q.* 12. *p.* 1. qui omnes probant ex Aristotele 3. *de Ani. art.* 46. vbi ait intellectum speculatiuum nihil præcipere, & 6. *ethic. c.* 10. distinguit sagacem qui bene iudicat à prudente, qui benè imperat. Deinde quia imperium exprimitur per verba, quæ non sunt enuntiatiua, neque iudicio correspondentia: iudicium enim sic exprimeretur, hoc faciendum est, amandum est. Latè tamen hunc actum impulsus à iudicio distinctum, tum à nobis, tum à Deo reciiunt Suar. *lib.* 1. 1. *de prædest. c.* 16. & *lib.* 1. *de leg. c.* 14. & *alib.* sæpiùs Herice *d.* 22. *c.* 4. Vasq. *d.* 49. 1. 1. quos sequuti sumus *prima part. tract.* 1. *d.* 5. *sect.*.. cùm enim omnis actus intellectus tendat in verum, quod est adæquatum illius obiectum, erit necessariò iudicium vel apprehensio; imperium autem supra enuntiationem addit tantùm ordinem ad inferiorem, sicut & ratio ad superiorem. Accedit hunc impulsum superfluum omninò esse, cùm bruta absque eo exequantur, & in Deo fingi non possit, vt olim statuimus, ne subordinationem quandam per modū causalitatis in diuinis actibus agnuscamus, & electio sine eo imperio, semel posito iudicio, & bonitate mediorum, atque consensu æquè elici possit, atque simplex amor & intentio, sine vllo præuio imperio reipsa elicitur. Aristoteles autem nihil fauet aduersariis: vltrò enim concedimus, intellectum, quandiù speculatur, non imperare, quia imperium sequitur effectus, non autem quodlibet iudicium: sagax autem distinguitur à prudente, non quasi prudens præcipiat tantùm, & nihil iudicet, sed quia sagax versatur imprimis circa facta, ex quibus quid deinceps agendum sit coniectat, quibus deinceps coniecturis vtens, prudentia iudicat quid reipsa in his, aut aliis circunstantiis sit agendum, atque ita omninò faciendum esse imperat.

15 Nonnulli itaque confundunt imperium cum iudicio practico antecedente electionem, & determinante voluntatem ad electionem, & reliquas potentias ad executionem, ita vt illi iudicio nequeat obniti voluntas. Ita ferè Thomistæ. Verum determinans hoc iudicium, & impulsum, vt aliqui appellant, nuper reiecimus, vt superfluum omninò, & voluntatis libertatem exscindens. Et præterea pugnant hoc loco Thomistæ cum suo Magistro, qui *q.* 17. *art.* 3. imperium sequi electionem, & præire vsum affirmat: illi verò præuium faciunt electioni.

16 Suar. itaque *d.* 19. *met. sect.* 7. *num.* 12. *&* 13. existimat post factam electionem, & præstitum consensum à voluntate, oriri in intellectu propter sympathiam potentiarum iudicium & notitiam de consensu præstito, quia cùm operans nesciat se consensurum antequàm consentiat: futurus enim consensus est aliquid liberum, & contingens, vbi consensit scire debet se consensisse: opus igitur est, vt innotescat operanti præstitus iam consensus, hinc iuuatur & pronehitur operatio futura. Adde necessarium videri eiusmodi notitiam præstiti consensus ad eius recordationem, quæ alioquin haberi non posset; volitio enim & consensus nihil inuit intellectui, si non cognoscatur, neque iudicium quod præiuit electionem, & consensum potest illum repræsentare. Vt igitur eius obiectum meminisse liceat, debet propter sympathiam potentiarum, dum exprimitur hic consensus, imprimere sui speciem intellectui, & illi ac proindè toti operanti innotescere: hæc autem notitia exhibiti consensus, aliquando speculatiua est, aliàs practica: quando enim consensus est tantùm simplex amor mediorum aut finis, neque ad opus progreditur, notitia eius mera speculatio est, aut potiùs scientia quædam approbationis; quando verò consensus desinit in electionem, quæ semper efficacitatem importat, & & tendit reipsa ad opus, tunc ea notitia est practica, quia dirigit opus futurum, & potentiam exequentem, atque appellatur imperium à D. Thom. qui illud, vt monui, collocat post electionem, aut consensum priùs saltem naturâ elicitum, & antecedere vsum putat. Est itaque imperium de mente Suaris eo loco, notificatio consensus præhabiti operanti, vt per eum opus subsequens dirigatur: hunc tamen actum, vt inutilem reiicit Vasq. *d.* 49. *num.* 19. Salas *tract.* 13. *d.* 8. *num.* 68. qui addit etsi ea notitia aliquando contingat, id tamen neque necessarium, neque perpetuum esse. Ipse denique Suar. *lib.* 1. *de prædestinat. cap.* 16. *num.* 13. hunc actum non esse necessarium ad executionem concedit, redditque optimam rationem ex natura potentiæ exequentis, quæ non mouetur ab obiecto cognito sicuti voluntas, estque solum instrumentum quod ad nutum applicantis mouetur. Quare si vbi facta fuit electio ex iudicio præhabito, atque ea perseuerante applicante potentiam, suum opus sine alia inquisitione exequitur. Ex quibus etiam reiiciuntur Conimbricens. *d.* 8. *ethic. q.* 2. statuentes imperium in notitia practica, qua intellectus potentiæ exequēti denūtiet, quid ab intellectu iudicatū & à voluntate probatum fuerit: potentia enim exequens nō applicatur ab intellectu, & à volūtate, quæ in sua quidem operatione dirigitur ab intellectu prælucente, & proponente

proponente obiectum, quæ propositio non est locutio, neque intimatio: locutio enim fit ad audientem, quod non conuenit voluntati, quâ ratione argumentatur etiam Suar. *lib. 1. de legib. c. 4.*

17 Existimo igitur cum Herice *d. 22. c. 4.* duplex apud S. Thom. imperium intellectus statui, intellectus, inquam, nam nemo dubitat actus quosdam aliarum potentiarum, imperari à voluntate, quod contingit quoties finem illi præstituit, quod etiam facit in actibus à seipsa elicitis, cùm præter honestatem quam habent ex obiecto, aliam ipsis ex fine inducit, vt dum actum obedientiæ elicit ex diuina charitate, aut homili sui ipsius sensu. De hoc autem imperio modò non disputamus: aliud enim non est quàm finis intentio, à qua actus vnius virtutis dicitur ab alia imperari, vt suo loco exponetur ampliùs.

18 Imperium igitur intellectûs, aliud præcedit electionem, aliud ipsam consequitur, & vsum vrget. Primum ist iudicium practicum, eo quòd susceptum sit ex intentione finis comparandi & in ordine ad opus, éstque ipsa consultatio de bonitate mediorum. Quia tamen non determinat prorsùs voluntatem quæ sæpè quod vtile proponebatur reiicit, exprimitur per indicatiuum, *Hoc tibi faciendum est*: quandò tamen efficaciter mouet voluntatem iudicatâ mediorum vtilitate, quamuis non determinando, aut cogendo, imperium optimè dicitur, & per verbum etiam imperatiuum, *fac hoc*, exprimitur. Hæc est aperta mens S. Doct. *art. 1. q. 13.* Alterum imperium electionem factam subsequitur, & antecedit vsum, éstque iudicium de re facienda, per volitionem, consensum, atque electionem approbata; quod iudicium, quia actionem habet actualem vsum, seu applicationem potentiarum inferiorum ad opus, ab ipsa voluntate, rectè imperium dicitur, & verbo imperatiuo exprimitur; & quia præsupponit actum voluntatis, dicitur imperium actus rationis ex præelicito actu voluntatis à S.Thom. *art. 1. cit.* vbi & addit, hunc actum non dici iudicium præcisè quatenùs est ab intellectu, sed quatenùs est à voluntate saltem remotè, & præsupposítiuè: *Quia* (inquit S. D.) *secundum mouens non mouet nisi in virtute primi, quod primum mouens in nobis est voluntas.*

19 Quærendum verò superest, an hic actus intellectus quem propriè imperium vocamus cum S. D. & medium facimus inter electionem, atque vsum, sit actus distinctus à consilio, seu consultatione, quoties eam excipit ipsa electio & vsus: si enim consultatio desinat in merum consensum, & approbationem vtilitatis mediorum finis propositi ab intellectu, neque ad opus vlterior progressus fiat, manifestum est præuium illud iudicium, non esse proprium illud imperium, quod quærimus, & medium electionem inter, & vsum collocamus, quódque propriè per verba imperatiui modi exprimi potest. Quandò verò consultatio adiunctam habet electionem & vsum, perseueratque iudicium de bonitate medij electi, & approbati à voluntate applicante potentias ad opus, quæritur an hic actus ad dirigendam actionem externam sufficiat, an aliquis alius exigatur actus, qui dicatur imperium.

20 Videtur que mihi probabilius sufficere iudicium de bonitate mediorum, perseuerans post factam electionem, neque vllum alium, actum exigi. Cùm enim actio externa, & vsus tum passiuus, tum actiuus postulet tantùm cognitionem quæ præluceat voluntati, vt aptè potentias applicet, cognitio quæ habita fuit in consultatione, & quæ tum singula media, tum eorum vsurpandi rationes, cum omnibus loci & temporis circumstantiis attigit, si perseueret, erit quàm sufficientissima: & quamuis S. Thom. *art. 3. q. cit.* statuat imperium inter electionem & vsum; non exigit tamen actum distinctum à iudicio practico consilij & & consultationis, sed tantùm eum actum, vt præuius est electiuni, & solam bonitatem mediorum attingit, vult non vocari proprium imperium, vt *superius* monuimus, vt verò post electionem factam perseuerat, & iam ex applicatione voluntatis actionem externam dirigit, appellari, & esse imperium. Ita nos olim scientiam practicam in Deo statuebamus esse ipsammet scientiam simplicis intelligentiæ, per voluntatem diuinam immobilem, seu per decretum applicatam ad directionem operis externi; sic notitis, & ideæ omnium artium, actu practicæ fiunt, quia scilicet ex præelicito voluntatis actu, potentias externas ad formationem operis præconcepti dirigunt. Atque hoc totum illustrauit Aureol. *in 1. d. 4. q. 7. art. 3.* cùm ait iudicium practicum ex enuntiatiuo, copulante se ad illud voluntate, fieri imperatiuum, & cùm anteà exprimeretur per solum indicatiuum, hoc est, amandum tibi est, deinde explicari per imperatiuum, *Ama hoc.* Idem enim actus qui enuntiabat quid faciendum videretur, accedente consensu voluntatis sese determinantis ad obiectum propositum, & ob eam causam potentias externas mouentis, transit in imperium sine vlla mutatione, cum nihil reale aut acquirat, aut deperdat, sicut idem actus qui erat necessarius accedente aduertentia rationis sufficienti fit liber. Vide Theoph. *d. 3. moral n. 435.*

QVÆSTIO VII.

Progressus actionis deliberatæ.

Explicatis omnibus actibus tum intellectûs, tum voluntatis, qui in modo agendi humano occurrunt, facilè fuerit totum progressum actionis deliberatæ colligere, quod præstitit Val. *q. 13. p. 5. sub fin.* minutiùs partitus ego paucis rem totam comprehendo. Primò enim occurrit intellectui obiectum, à quocumque tandem moueatur intellectus, ad primam notitiam obiecti, quam sequitur statim in voluntate simplex amor, & complacentia in bono proposito, tum inquisitio quædam maior, & illustrior consideratio, de bonitate, & repudiabilitate finis, ad quem attentiorem cogitationem sequitur libera finis intentio, quæ cùm efficax sit, & ad opus feratur, cõsequentem habet consultationem seu consilium de mediis an vnicum suppetat, an plura, quæ & inter se, & cum fine conferuntur, & quid primo, quid vltimo loco vsurpandum sit, quodnam sit propinquius frui, quodnam remotius, quæretur. Quod iudicium vbi voluntas suo consensu approbauit, si perseueret intentio finis, eligit vel vnicum illud medium quod occurrit, vel ex pluribus quod libuerit, atque præuio semper, & prælucente eo iudicio de mediis, & ratione ea vsurpandi, per vsum actiuum applicantur potentiæ. Actus vero rationis eas ex determinatione rationis dirigens nouam denominationem accipit, diciturque imperium, quo tandem, & actione potentiarum externarum finis acquiritur. In quo iam comparatu acquiescit animus, illiusque suauitatem iam diu per simplicem amorem degustatam, totam haurit, & illo frui dicitur. Itaque hæc est series actuum humanorum, prima obiecti propositio, simplex amor, efficacior, & illustrior cogitatio de fine, intentio, consultatio, consensus, electio, imperium, vsus tum actiuus, tum passiuus, fruitio.

PRINCIPIVM III.

Affectus appetitus sensitiui, & passiones subduntur voluntati.

QVÆSTIO I. *Quid & quot sint passiones & affectus appetitus sensitiui.*

QVÆSTIO II. *De amore & odio.*

QVÆSTIO III. *De desiderio & fuga.*

QVÆSTIO IV. *De spe & desperatione.*

QVÆSTIO V. *De audacia & timore.*

QVÆSTIO VI. *De gaudio & tristitia.*

QVÆSTIO VII. *De ira.*

1 Hos communes affectus vulgò nomine passionum appellant à consequente corporali transmutatione, vt ait S. Thomas 1. 2. *q.* 22. *art.* 1. & 3. & *q.* 24. *art.* 2. qui obseruatis variis passionis acceptionibus *art.* 1. *q.* 22. quod & pridem fecerat Nemes. *cap.* 16. & deinde latè præstitit Septali. *sect.* 2. *problem. quæst.* 25. hoc nomen potiùs conuenire dicit parti appetitiuæ, quàm apprehensiuæ *art.* 2. *q.* 23. *cit.* quia per passionem agens trahit ad se patientem. Anima autem magis per vim appetitiuam ad rem seu obiectum, quod vt in se est attingit, quam per apprehensiuam, quæ non fertur in obiectum, nisi secundùm similitudinem eorum quam in se habet, aut prout illis in se suscipit. Quæ ratio æquè procedit de appetitu rationali, quàm de sensitiuo: & sanè vtrique communes esse hos affectus ostendemus, tamen propter transmutationem corporalem quæ proximè ex appetitu sensitiuo consequitur, id nomen de solo appetitu irrationali vsurpatur, & non de intellectiuo. Vt idem S. D. *q.* 22. *art.* 3. monuit, & pluribus illius locis congestis confirmauit Ferrar. *lib.* 1. *c.* 8. & latè Aureol. *in* 3. *d.* 15. *q.* 7. *art.* 1. imò id nomen expressissimè reddere Græcam vocem πάθη monuerat pridem Aug. *lib.* 9. *de ciuit. c.* 4. ipse autem vocat *ibidem* animi motus, cuius nomenclaturæ rationem reddit *tract. q.* 6. *in Ioann.* quia in his est quædam animi contractio, aut dilatatio, accessus, & recessus, *Diffunderis* (inquit) *animo cùm delectaris; contraheris animo, cùm molestaris; progrederis, animo, cùm appetis; fugis animo, cùm metuis.* Hinc ventis aliqui conferunt, qui animi oceanum concitent, eáque de causa fortassis *prouerbior. cap.* 21. Sapientem cor regis mari seu aquarum diuisionibus comparasse, rectéque obseruauit Viuez *lib.* 3. *de anima*, vt in maris motibus, alius remissus est, alius concitatior, ita in his motibus maximam esse diuersitatem.

2 Quantum verò ad bonitatem, & malitiam, totámque moralitatem actuum humanorum, quam spectamus hoc loco, conferant hi motus, perspicuum est, cùm vna ferè virtutis cura in his moderandis sit; & idcirco Zoroaster pennas quibus concitetur anima in bonum, aut malum dixerit. Iambl. autem *lib. de myster. apud Clem. lib.* 2. *stromat. c.* 9. & Porphyr. *l. de abstinent.* clauos, quibus anima non modò corpori tanquã affixa est patibulo, sed etiã, vt ego interpretor, suis obiectis. Denique ad virtutes homini insitas has passiones affirmant passim omnes. Lactant. *lib.* 6. *c.* 15. Maxim. *serm.* 1. *ex variis c.* 66. Nyssen. *orat.* 2. *de beatitud.* in hac enim moderatione hominis regnum collocant Damasc. *lib. de duab. Christi voluntatibus*, & Chrys. *hom.* 23. *ad popul.* & in belluas dominium Philo *lib. de agricult. sub init.* Synesi. *orat. de regno*, Chrysost. *orat.* 1. *de de hom creat.* & latè Chrys. *orat.* 5. Et quamvis ex communi sensu loquamur tantùm de passionibus appetitus irrationalis, eæ tamen rationis imperio bonitatis, aut malitiæ moralis capaces sunt, sicut actus quidam externi, vt ait S. Thom. 1. 2. *q.* 25. *art.* 1. & *art.* 3. *ad* 1. rectè distinguit inter passionem antecedentem, & consequentem rationem: antecedens enim vitio caret, etsi rationem obnubilet, & quia minuit libertatem, minuet quoque bonitatem, aut malitiam: consequens verò vel ex naturali quadam redundantia concitatæ rationis, ac voluntatis consequitur, & neque minuit bonitatem, neque auget malitiam actus; sed est iudicium concitatæ voluntatis, vel eam liberè consequitur, quia ad eam affectionem seipsam prouocat voluntas, & addit aliquid bonitatis & malitiæ. Et sanè cùm pertineat ad bonum hominis, vt ex rationis regula componantur actus etiam membrorum externorum, quidni & actus appetitus sensitiui flecti ad eandem normam debebunt? Atque hæc causa est, cur Theologi disputent de passionibus, quarum tractationem plures aliæ scientiæ sibi vendicasse videntur. Nos autem non naturam physicam earum, nisi quatenùs ad bonitatem & malitiam conferunt, consideramus præeunte S. Thom. hac 1. 2. à *q.* 22. *ad* 49. quas paucis quæstionibus includemus.

QVÆSTIO I.

Quid & quot sint passiones?

Passiones sunt motus appetitus tum rationalis, tum sensitiui ex boni vel mali cognitione, quos aliqua præternaturalis corporis commotio sequitur, quare tum brutis, tum homini etiam sapienti communes sunt. Variè diuiduntur; vulgatus tamen numerus retinendus est, sex enim in appetitu concupiscente, quinque in irascente constituuntur, & variè inter sese, tum in contrarietate, tum in prioritate, ac dignitate comparantur. 1

Passiones sunt appetitiones vitales.

Reiicio imprimis Stoïcos, qui apud Tull. 4. *Tusc.* & Plutarch. *lib. de virtute morali* passiones dixerunt tantum iudicia quædam, seu opiniones boni & mali, quod idem affirmauit Chrysost. apud Galen, *lib.* 4. *de placit. Hipp. & Plato. c.* 4. quibus subscripsisse videtur Adam. apud Gregor. *in* 1. *d.* 1. *q.* 2. *art.* 2. vbi contendit aliquam volitionem esse assensum, & nolitionem dissensum, & quamvis non omnis cognitio sit volitio, aut nolitio, has duas tamen diuersarum facultatum operationes aliquando inter se identificari: quæ non sunt pluribus refellenda, cùm diuersitas potentiarum, diuersitatem quoque actionum necessariò inferat, nisi omnia miscere velimus; & quamvis cognitio boni, aut mali causent hos affectus in appetitu, malè dicuntur tamen hi affectus iudicia, aut opiniones, nisi sensus causalis sit, quem fortassis voluerunt Stoici. 2

Reiicio secundò Geruasium *tract. de notitiis. Cap. de appetitu rationali* & Ocham. *in* 3. 44. & *quodlib.* 2. *q.* 17. negantes gaudium & tristitiam esse actus voluntatis, aut appetitus, sed tantùm aliquid ad appetitionem 3

consa

consequens: cùm, enim per gaudium & tristitiam verè circa suum obiectum, vitaliter versetur appetitus, sunt veri eius actus, & ab illo, neque ita progerminant à præuiis actibus, vt ab illis eliciantur, & non potentia in qua tantùm recipiantur. Cùm enim sint vitales tendentiæ potentiarum in obiecto, ab iisdem potentiis elici necesse est. Quod etiam inde ostenditur, qood non semper ab eiusmodi actibus isti posteriores, quos solùm passiones appellant, nascantur, quod tamen necesse foret, & posito odio tristitiam progerminaret, atque ex amore detestatio: sunt enim causæ naturales, quæ necessariò suos habent effectus. Cùm tamen Beati oderint peccatum, & de eo non tristentur, & damnati cupiant plurima bona, quæ etiam vbi assequontur, nullam detestationem pariunt; vndè colligimus oon à prioribus actibus resultare has passiones in potentia, sed ab ipsa potentia elici, vbi per priores actus in suum obiectum mota est. Libertas etiam passionum satis hanc resoltantiam excludit, nam necessariæ essent, si ita essent. Restat itaqoe vt hi affectus sint veræ appetitiones vitales, seo actus vitaliter eliciti ab appetitu attingente suum obiectum, quamvis aliqua serie, & ordine, ex quo fiat vt alij alios consequaotur, vt inferiùs constabit.

Dixi aotem esse actus vtriusque appetitus, tum rationalis, tum sensitiui. Qood de motibus subreptitiis rationem præuenientibus malè negat Ocham. *quodlibet.* 2. *q.* 17. in fine, eo quod omnis actus voluntatis debeat esse liber, quæ est manifesta petitio principij & contra experientiam, quæ docet ex primo boni obiecti veluti occursu conciliari voluntatem, antequam aduertat ratio motus illius naturam, eumque aut abjiciat, aut retineri imperet. Non placet etiam quod Caieta. 1. 2. *q.* 6. & 8. *art.* 1. *in dub.* 3. vndecim istos motus infra enumerandos, ita velit elici à voluntate, vt non sint distincti ab aliis actibus ei propriis, qui sunt volitio, nolitio, fruitio, consensus, electio, intentio, & vsus: nam manifesta distinctio ex natura horum actuum superiùs explicata, & passionum inferiùs ostendenda, satis patebit: & quamvis omnis actus voluntatis sit nolle, aut velle aliquid, & nullus detur actus neuter, vt *ibid.* Caieta. *in* 2. *dub.* rectè asserit, non tamen sequitur omnes volitiones inter se identificari, sicut neque omnes nolitiones, quamvis etiã nihil impediat aliquos ex illis actibus cum affectionibus coincidere, vt fruitioné cum delectatione, non tamen omnes, vt ex diuersitate obiectorum, quam hi omnes actus habent æque in voluntate, atque in appetitu sensitiuo videre est. Quod autem ait Caiet. quæ sont in inferioribus dispersa, vniri in superioribus, noo ita intelligendum est, vt quocumque modo, & vbique aptandum sit, neqoe vt quo potentia superior est, eo pauciores habeat actus, aot vt actus poteotiæ inferioris habeant sibi vnum tantum in superiori respondentem, sed solùm quod potentia superior plura attingat quam inferior: atque ita pluribus aliquando inferioribus æquiualeat, non verò quod attingat per vnum duntaxat actum. Quare omnes hos actus à voluntate elici agnoscunt, & distinctos à reliquis quos superiori disputatione explicui, & homini seu rationali naturæ proprios esse dixi & secernunt, & inter sese distingunt eadem ratione, qua dum eliciuntur ab appetitu sensitiuo. Quod satis docet sympathia harum facultatum: experimur enim similes in vtroque appetitu motus, circa eadem obiecta materialia, quamvis diuerso modo in ea ferantur: sicut etiam in potentiis cognoscitiuis contingit: quamvis enim iotellectus, & imaginatio idem obiectum materiale attingant, diuersas tamen cognitiones eliciunt propter diuersum modum attingendi obiectum: ab animabus separatis, & dæmonibus, & Angelis, constat elici hos eosdem actus proportionatos illis quos appetitus irrationalis in nobis producit, immò illustriùs multò in voluntate, quàm in appetitu plerique ex his motibus apparent, vt in spe & desperatione manifestum est, & in ira quoque, qoæ est appetitus vindictæ, ob iniuriam illatam, & in audacia, qoæ elicit obfirmatum propositum comparandi finem, & insurgendi in difficultates oblatas. Horum enim actuom causæ, ratio, & totum denique obiectum distinctiùs ab intellectu quam à sensu cognoscontur, vti obseruat Suar. 1. 2. *tract.* 4. *d.* 1. *sect.* 12. *n.* 11. Intellectus autem immediatè mouet voluntatem & non appetitum sensitiuom, qui licèt ex consortio cum ratione, aliquam nobilitatem accipiat in homine, non tameo vt feratur aut extra proprium obiectum, aut alio modo, qui corporeus non sit, aut facultatem corpoream superet. Quare cùm obiecta horum affectuum illustrius multò attingantur ab illo quàm imaginatione, voluntas nobiliores hos affectus suscipiet quàm sensus, qoi solius imaginationis cognitione concitatur. Hine Aug. *lib.* 14. *de ciuit. c.* 6. ait hos motus nihil aliud esse, quàm voluntates, cupiditatem nimirùm & lætitiam esse voluntatem in consensionem eorom quæ volumus, metum, & tristitiam voluntatem in dissensionem ab his quæ nolumus, vnde concludit: *Et omninò pro varietate rerum quæ appetuntur, atque fugiuntur, sicuti allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos, vel illos affectus mutatur & vertitur.* Vulgò tamen hanc disputationem, videntur restringere Doctores ad passiones appetitus sensitiui, tum quia, illæ notiores sunt, tum quia ab illis proximè, & immediatè causantur perturbatio, & commotio corporea præternatoralis, à qua nomen passionis deductum fuisse monuimus; atque ita interpretor Aristotelem si quando visus est solas sensitiuas passiones agnoscere, & concludit Gerson 3. *p. operum tract. super. Cant. initio primi symp. psalmatis.* vel denique quia ea perturbatio, & efferatio, quam idem nomen passionis apud sacros scriptores qui ferè in malam partem vsurpant, vti etiam Stoici apud S. Thom. *q.* 24. *art.* 2. significat, ab appetitu ferè sensitiuo nascitur. Idcircò aliqui videntur negasse voluntati hos motus, quo sensu Nyssen. *l. de opifice hom. c.* 18. eas tribuit non diuinæ imagini, sed illi quod cum brutis nobis commune est. Sic denique interpretor vulgatam passionis definitionem à D. Damasc. *lib. de fide c.* 22. esse motum appetitus sensibilis ex imaginatione boni, & mali, nam, vt dixi, notiores passiones definiuit.

Hine sequitur primò de passionibus, alias esse elicitas à voluntate quæ spiritualis est, alias corporeas à corporea facultate productas, quare vtrasque nomine passionis indiscriminatim designamus. 4

Subiectum passionum.

Sequitur secundò subiectum inhæsionis passionum esse tantum voluntatem, si spirituales sunt, atque adeò ipsam animam, cui identificatur, aut saltem implantatur voluntas, si ab ipsa distinguatur realiter, corporearum autem esse appetitum sensitiuum, quia cùm sint actiones quædam immanentes, recipi debent in potentia à qua eliciuntur, & quia facultas appetitus immediatè à seipsa, & per seipsam afficitur, & tendit in bonum, aut malum, in se recipere debet eam tendentiam, seu attingentiam vitalem; qoæ est ipsamet appetitio, quam vocamus modò passionem: quare reiiciendus est Picolomini *grad.* 1. *c.* 9. statuens passiones esse tantùm effectiuè, & elicitiuè à volun- 5

tate,

tate, non autem subiectiuè in illa, nam non potest affici, aut moueri in obiectum, nisi in se motum recipiat aduersùs obiectum, quod fatetur pertinere ad voluntatem, cùm actus, & obiectum ad eandem facultatem pertineant: quare si actus sit immanens, quia est vitale exercitium, & tendentia potentiæ in eadem facultate, ad quam spectat obiectum, recipietur etiam ipse actus. Neque fauet Auctor de operibus carnis apud Cyprian. *in fin. prolog.* cùm carnis affectus ab anima per corpore tanquā malleo, & incude ad omnia turpitudinum idola efformanda produci dicit, ita vt earo sit officina spiritus, qui per ea omnia peragit, quasi in appetitu inferiori voluntas hos motus ponat, (vt aiebat Picolomini) significat enim tantùm hic Auctor carnem sensu & spiritu, seu animam destitutam, nullius malitiæ inuentricem, aut peccati dictatricem esse.

6 Sequitur tertiò passionum corporearum sedem & subiectū esse illam corporis partē, cui appetitus sensitiuus insidet; quā partem existimo esse cor, non cerebrum, aut iecur: neque enim volo appetitum concupiscentem, & irascentem esse duas facultates re, etiam & sede distinctas: quare qui locant irascentem in corde, & concupiscentem in iecore, displicent, sicut & Nemesio c. 20. ex Galeno malum in ore ventriculi ob morsum aliquem ratione deciduæ flauæ bilis ægri sentiunt; reiicio etiam Sal. *tract. 9. d. 1. n. 10.* qui per totum corpus diffusam hanc facultatem probat ex insectis. Denique non probantur qui omnes affectiones includunt cerebro, sicut neque illa partitio Platonis apud Apuleium *lib. de Plat. dogmate*, qui mentis optimam portionem rationabilem in capitis arce posuit, iram ad cor deduxit, cupidinem verò infernas abdominis, sedes, vt popinas quasdam, & latrinarum latebras, diuersoria nequitiæ, ac luxuriæ tenere voluit. Relegauit autem longiùs à sapientia hanc partem, ne importuna vicinitas rationem constitutam desuper cunctorum saluti, in ipsa cogitationum vtilitate turbaret. Nostra verò sententia Aristotelis est, quam fusiùs firmare alterius est instituti: sufficiat nos omnes motus, quos hi affectus concitant in corde, quod modò dilatatur, modò constringitur, modò dentit, & subsultat, modò langaet, atque deliquium patitur, experiri. Hinc animus corde exprimitur in sacris Litteris, & ratione tam diuersorum affectuum cor profundum dicitur, quod variis veluti exedris distinctum describit Maca. *Hom.* 15. vbi & Christi palatium esse asserit; impium autem cor lupanar dæmonis *Hom.* 17. Hinc noluit Deus quondam sibi in sacris cerebrum, & cor offerri, quia, vt ait Philo *lib. de sacrific. Abel. & Cain.* cor est sedes omnium affectuum, tum bonorum, tum malorum; cerebrum autem earum prima origo. Dæmon tamen eam partem appetit, & apud *Clem. 7. strom. cap.* 3. sibi nequidem superficie cordis litari expostulat, atque in Themisthila ciuitate Mexicana quotannis supra 20. millia corda puerorum puellarúmque sibi sacrificari curabat, vt scribit Ioan. Zamoraga Archiepisc. I. Mexican. an. Christ. 1500. ad Capitulum generale Minorum. Hinc aliqui dicti ἀλοκάρδιοι & qui epigraphem capsulæ condentis cor Francisci primi apposuit, ibi totum Franciscum condi dixit, quia fuisset ἀλοκάρδιος.

7 Sequitur quartò brutis inesse passiones sicut & appetitus nisi fortè aliquæ supponant vsum rationis, vt inuidia, verecundia, & si quæ aliæ eiusmodi, illæ enim sunt tantum similitudinariæ, reliquæ autem veræ sunt contra Sen. *lib.* 1. *de iracl.* 3. & 4. cum enim in illis sint veræ istæ potentiæ, erunt etiam veri illarum motus: quæ ratio à contrario conuincit non esse hos motus in naturis sensu destitutis, quare ineptè Erasm. apud Scalig. *lib. 1. de plant.* eas tribuit plantis; quam similem fatuitatem tribuit Manichæis Augustin. *lib. de morib. Manich. c.* 17. neque quædam sympathiæ, odia, & amores quæ in plantis aduertuntur id ipsum probant, sicut neque quidam motus quibus prehendentes fugiunt, & se se dilatant, aut constringunt, vt de Aglaphili scribit apud Photium *Cod.* 224. Diodorus, de pudica habet Scalig. *exercit.* 181. *n.* 28. & aliis; Duret. *in historia plantarum c.* 23. 14. & 25. hæc enim posteriora sunt zoophita quædam, sunt tamen in homine plures quàm in brutis, vt ostendit late Nisl. *cap.* 18. *lib. de homin. opificio.*

Sequitur quintò homini etiam sapienti passiones insidere, qua de re contra Stoicos longa fuit olim lis, sed de nomine, vt obseruat S. Thom. *1. 2. q. 24. art.* 2. quia Stoici passiones solùm appellabant animi affectos quoties limites rationis excedebant, vnde etiam perturbationes, & morbos dicebant: Peripatetici autem; vti ad mediocritatem vi cohibentis rationis temperati erant, negabant esse morbos; qua de re vide Salam *tract. 9. d. 2. sect.* 1. Theopil. *in mor. d. d.* 3. 4. *n.* 28. Ratio est, quia sunt motus implantati naturæ constanti ex duplici parte, rationali, & irrationali: quare cohiberi possunt non extirpari, & valent ad virtutem plurimum. Quapropter & in Christo fuerunt, & in apathiam istam Stoïcam à Pelagianis inuectam in Ecclesiam, acriter disputat Hieron. *Ep. ad Chtesiphontem & alibi* sæpè. 8

Commotio corporea consequens passiones.

Sequitur sextò ratio illius particulæ, quam addidi in definitione, nimirum passionem esse motum appetitûs, ex quo sequitur aliqua mutatio præternaturalis in corpore; ex eo enim quòd in corde tanquam in subiecto partiali remoto inhæsionis insideant hi affectus, sequitur illius varia commotio, quæ in externas quoque partes pertineat, & latentes affectus prodat: quam varietatem in vultu depingit Chrys. *hom. 35. in Math.* in oculis Philo *lib. de Abraham.* sensuum pentapolim describens, estque constans Medicorum assertio quotidiana experientia confirmata, plurimos corporis morbos, ex animi passionibus nasci, vt docet Galen. *lib. de exercitio parua sphæra.* & latè Tiraq. *lib. de nobilit. c.* 31. *n.* 295. vt iure Alexand. *sect. 2. problemat. init.* velit, Medicum non solum corporis, sed etiam animi curam gerere. Huius autem commotionis causam reddere difficilè hactenùs existimatum est. Stoici ex illa corporea mutatione insulsè prorsus colligebant passiones esse animalia quædam, quæ in hominis corde stabularentur apud Sen. *Ep.* 106. & 113. neque satis idoneè excusantur à Lipsio *lib. 2. phisiol. Stoica dissert.* 4. & 5. Similem fatuitatem Basilidis sectatores apud Clem. *lib. 2. stromat. c.* 9. commenti sunt, passiones esse προσαρτήματα, quasdam nimirum appendices & in essentia spiritus appensos animæ rationali, atque ita illi adnasci diuersi generis adulterinas naturas, vndè fiat vt non solùm animalium, sed etiam plantarum æmuletur motus, atque ita hominem instar equi Durij in vno corporum diuersorum spirituum exercitum habere insinuatum, Medici nonnulli apud Hieron. à Rua *controuers. 4. schol. 1. parte ad* 3. dicunt sanguinem ad voluntatis imperium eodem modo moueri, quo brachium, aut pes, aut similis eiusmodi pars moueatur, motu vt loquuntur animali, quia videmus moueri ex imaginatione & appetitione praua: vndè vlteriùs colligunt, sanguinem esse partem supposito coniunctam cum reliquis viuentem, & eâdem animâ informatam. Ve- 9

rùm

rùm passim reijcitur ea sanguinis animatio, vt suo loco docuimus, & suadet eius fluiditas, qua per venas in corpus, sicut aqua per sulcos in oleta deriuatur, vt dixit Aristoteles *lib. 2. de partib. c. 3. & lib. 3. c. 5.* Vnde etiam non esse continuum reliquo corpori manifestum fit, neque eius vi imaginationis & appetitionis diuersa agitatio ostendit participem esse animæ, qua cæteræ partes informantur; alioquin idem dicendum esset de pluribus excrementis, quæ metu, alióque simili affectu egeruntur, vt de sepia suum attamentum metu percussâ effundente notauit Aristoteles *l. 4. de part. c. 5.* deindè doceant, qua ratione pars animata ad concitationem alicuius affectus discurrat per corpus, & in extremas partes proueniat, cur potiùs in istas, quàm illas.

10 Secundò tribuunt alij soli phantasiæ, & imaginationi, verùm illam non esse immediatè & proximè actiuam in corpus, sed tantùm remotè mediâ appetitione quam concitat, & cuius ope ipsum sanguinem & spiritus variè ciet, iam olim docuimus, & in rem præsentem optimè obseruauit Aureol. *in 3. d. 15. q. 7. art. 1. in fine & in. 2. d. 24. q. 7. propos. 8.* Atque ita vniuersim sentio de omnibus affectibus externis, quos passim imaginationi tribuimus: non enim prodeunt ab illa nisi mediatè, & mouente appetitionem, à qua commouente spiritus & sanguinem, proximè fiunt, vt obseruat Vales. *lib. 4. controuers. c. 6.* & asserit Dandin. de quodam, cui sudabat ad libitum, vola manus *digress. 39. in 3. de anim.* & de oscitatione ad aspectum alterius oscitantis, vt habet etiam Fracastorius, *de sympath. cap. 23.* Quod autem aliqui volunt cum Gerson. *consid. 10. tract. de passio.* imaginatum formam, seu speciem per radiationem quandam, esse sui ipsius diffusiuam instar luminis alterius sibi similis productiui, atque ita ad exteriores partes pertingere, & illis varios colores aut notas inurere, quod cognitioni immediatè spiritus tingendi, in prolis formatione tribuerunt quoque Conimbricenses *lib. 2. de Gen. c. 4. q. 30. art. 2. alibi* reiectum fuit: quia neque species, neque cognitio physici vllius coloris aut notæ, alteriúsve qualitatis, & alterationis actiua est, neque species, aut per irradiationem, aut per spirituum vehiculum, à phantasia in externas partes defertur, neque species obiecti habet eandem vim physicam quam haberet obiectum, si immediatè applicaretur, etsi quoad affectus conciliandos æquè valeat, quandoquidem ipsum obiectum non aliter id præstat, quàm provt media cognitione & phantasiatione applicatur appetitui.

11 Tertiò nonnulli veteres id tribuunt cordi cognoscenti obiectum, tum phantasiæ, tum appetitûs. Ita referunt, neque improbant Fracast. *l. de sympath. c. 16.* & Septal. *ad sect. 7. problem. q. 2. in primo modo dicendi*, nullam tamen notam huius cognitionis in corde nisi illius qui ratione tactûs omnibus corporis partibus congruit, & multò minùs licebit illi adeò sublimem cognitionem tribuere, vt non modò eadem cum phantasia percipiat, sed ipsius etiam phantasiæ sensationem, quod est iudicium superioris, & nobilioris multò cognitionis, cùm nunquam lædatur imaginatio ex læsione cordis, sed solius cerebri, neque cognitione multa defatigetur cor, in quo etiam formantur spiritus vitales, non animales, qui cognitioni maximè deseruiunt, & quamvis docuerim aliàs, cor solùm esse partem principem, & reliquas esse tantùm eius veluti vicarias, non sequitur tamen nobilissimas omnes actiones ab illo fieri, ad illum enim principatum sufficit, si sit fons vitæ reliquis omnibus, & subministret quæ necessaria sunt ad actiones suas. Quam verò absurdè sit Fracastor. ipsam quoque intellectionem ad cor pertingere quod cor iudicet bona, & mala quæ prius nouit intellectus, nam cum intellectio non sit actio partis alicuius organicæ, soli animæ inexistit, neque magis cordi communicatur, quàm aliis partibus, quibus omnibus inest eadem indiuisibilis anima cum suis omnibus accidentibus, sed sic dicetur intellectio ad extremos pedum articulos pertingere.

12 Quartò rudent alij totam hanc commotionem tribuendam esse appetitui cor conciliante, & sanguinem, atque spiritus, qui in eo laborantur: sed explicandum restat, quomodò vis appetitiua hos motus in corde cieat: deindè quomodò in partibus à corde dissitis eædem fiant commotiones, cùm nulla sit intermedia potentia, cui propter sympathiam & radicationem in eadem anima, hæc spirituum diffusio, & externarum partium affectio iure tribui non possit. Tertiò quomodò spirituum à corde in remotas partes transmissio subita, & momentanea fit, vt experientia videtur euincere? Quartò cur hi spiritus in partibus sibi vicinis non imprimunt eandem affectionem quam in remotis?

Quintò quomodo in certam partem, v. g. faciem diriguntur spiritus, & qua vi porriciantur? Quibus non satisfacit Valesius *lib. 2. contr. c. 15.* cum per quandam illustrationem specialem spiritus animales ad sensoria transmitti dicit, & quam aliquis in hunc locum transferre fortasse posset: explicandum enim erit quænam sit illa virtus specialis implantata facultatibus istis corporeis, & quomodo motum corporeum spirituum ferè momento cieat, & in certas tantùm partes dirigat. Quare tandem Sal. *d. 2. tract. 9. n. 6.* ait moueri hos humores vel à Deo, vel à seipsis, vel ab anima: sed præterquam quod nihil certi pronuntiat ea responsio nulla ex parte vera esse potest, nam, Deum ad hunc effectum euocare, cùm omninò causæ proximæ sint, est fateri spertam ignorantiam: humores autem & spiritus qui inanimati sunt, seipsos in vnam potiùs quàm aliam partem conciitare quis dicat? Anima autem seipsa immediatè præstare inde euincitur, quod nunquam hi motus aduertantur, nisi præuiâ imaginatione, & appetitione. Quod si velit Sal. animam medio appetitu, hos motus ciere, iam respondet idipsum quod quærimus hactenùs quomodò scilicet appetitus qui cordi implantatur tum ipsum cor moueat, tum ipsas partes externas & remotas afficiat. Denique Hieron. à Rua *controuers. 4. scholast. q. 1. ad 3.* in idem incidit incommodum, cùm ad facultatem irascibilem in corde locatam recurrit, nam quomodo, id queat præstare in partibus dissitis adhuc explicandum manet.

13 Nihilominùs perstandum est in communi sententia initio allata, dicendúmque causam huius corporeæ commotionis & alterationis, tum in corde, tum in partibus ipsi vicinis, ac etiam dissitis, esse appetitum sensitiuum, & corporeum cordi tanquam proprio subiecto implantatum. Pono autem imprimis totam hanc alterationem, de qua agimus, fieri immediatè, & proximè per motum sanguinis, humorum ac spirituum, quare illius motionis causa proxima assignanda est. Constat autem hanc motionem non fieri per vim motricem progressiuam animalis, quæ voluntati despoticè obediat, & ab illa immediatè concitetur, sed à quadam vi motrice vel externa partibus motis, vel ipsis implantata, quæ non est immediatè subiecta voluntati, nisi interueniat operatio aliqua sensitiua, nimirùm imaginatio & appetitio, vt constat in pluribus aliis motibus naturalibus, & non animalibus ac progressiuis, vt sistole è diastole cordis, ac cerebri, & pulmonum motu; deindè motus de quibus agimus nun-

quam

quam excitari, niſi ſimul accedat operatio ſenſitiua quæpiam, docet experientia, vnde fit vt ab aliqua ſenſitiua facultate, eiúſque operatione debeat proximè cauſari. Iam vero oſtendimus eam vim non poſſe tribui imaginationi, niſi remotè; ſequitur igitur vt referatur in appetitionem, cùm alia facultas ſenſitiua non ſuperſit: motricem enim animalem, & progreſſiuam ſæpiùs reiecimus. Deindè pro variatione appetitionis, variatur quoque motus cordis, vt ex motu arteriarum, & pulſu, qui ſimul cum his affectibus conſenſu mirabili diuerſas mutationes ſubit, facile deprehenditur: ita enim facit altum, & vehementum, gaudium magnum, & non vehementem, timor & mœſtitia paruum, & debilem, amor nullum certum facit. Itaque quod quæri ſolet de pulſu erratico qualis ſit, definiri non poteſt, cùm enim amor reliquas omnes perturbationes patiatur, prout illæ ingruunt, & inuicem ſibi ſuccedunt, modo altum, modo debilem, modo rarum, modo crebrum concitant, modo vibrantem, modò ordinatum, ex qua ſubita diuerſitate Galenus ac alij rectè coniectarunt quoſdam hoc affectu laborare. Atque ex his, vt vides, certum iudicium ſumitur, motum, tum cordis, tum arteriarum, ac conſequenter ſanguinis ac ſpirituum ab appetitu corporeo cieri. Et ſanè cùm hic appetitus cordi implantatus ſit, non debet videri mirum, tum ipſum cor, tum partes ipſi vicinas & connexas ab eo moueri, atque ita ebullitione ſanguinis, & agitatione ſpirituum intra cordis ſinus contentorum, fieri alterationem aliquam propter augmentum caloris ex illa ſpirituum motione, & fuliginum per talem motum depulſione. Hoc inquam mirum videri non debet. Primò quia ob illam connexionem formæ cum ſubiecto, & facultatis cum organo fit mutua quædam vnius in aliud veluti actio: ſicut enim variè diſpoſito organo, variè afficitur facultas in ſuis operationibus: vnde ex diuerſitate temporali naſci pronitatem ad quoſdam affectus dicemus inferiùs; quidni etiam varia diſpoſitio, & veluti agitatio facultatis appetitiuæ in eius organum deriuetur, atque ita vt vehemens commotio ipſius appetitus vnà ſimul organum cui plantatur, afficiat. Secundò ex potentiarum ſympathia, & radicatione in eadem anima fit, vt ipſa imaginatio, quæ eſt in cerebro, moueat appetitum in corde reſidentem, nullâ immiſſa per medium qualitate, quæ inaſſignabilis eſt vt alias diximus. Cur ergo facultates eidem organo implantatæ non ſeſe mutuò excitabunt ex illa eadem ſympathia? Aliqua etiam in corde eſt facultas motrix, quam nominant vitalem, ſeu pulſatilem, quæ etiam arteriis communicatur: cùm igitur appetitus vehementior eſt, excitat hanc facultatem quæ præternaturaliter contrahitur, aut dilatatur cor, & conſequenter arteriæ variè pulſent ac micent, atque ſpiritus feruentiores, & maiori copia remittantur, aut reſorbeantur veluti à corde, in motu enim dilatationis cor breuius redditur, mucro enim ad baſin rectis fibris retrahitur, & latera ita diſtenduntur vt ferè ſphæreum appareat, cùm diaſtoles dilatationis vſus eſt, ſanguinē per venam cauam in dextram ventriculum, & aerem per arteriam venoſam attrahit. In motu contractionis ſeu compreſſionis & ſiſtoles mucro à baſi diſcedit, & cor producitur, aut elongatur, anguſtiuſque euadit, rectis fibris laxatis, & tranſuerſis, quæ orbiculatim collectis, & arctatis, ita exitum præbet ſanguini è dextro ſinu per venam arterioſam in pulmones, è ſiniſtro autem vitali ſpiritui per arteriam magnam. Vnde vides pro diuerſo cordis motu tum arterias pulſare, tum ſanguinem & ſpiritus moueri. Cum igitur cor præternaturaliter moueatur, comprimatur, aut dilatetur, pro diuerſitate affectuum ob ſympathiam illam potentiarum, quid mirum ſi eadem concitatione affectuum ſimul tum ſanguis, tùm ſpiritus agitentur, atq; ita ex accreſcente calore, accedente, vel recedente, fiat varia alteratio in partibus ſaltem cordi connexis & proximis: ſuppono autem quod alias docui contra Dauid. arterias dilatari vnà cum corde, & ſubſidere vnà cum illo; cum itaque dilatantur ratione affectûs alicuius præternaturaliter cordis huius vberem ſpirituum & ſanguinis copiam effundunt, atque ita partibus aliis vehementiorem calorem conciliant; cùm autem contrahitur præternaturaliter cor, ſubſidunt etiam arteriæ, & non emittitur ſolita copia ſpirituum, vnde alteratio quoque in aliis partibus naſcitur. Atque cùm hi ſpiritus feruidi, & agitati ad partes quoque remotas etiam externas procurrant, non quidem momento, ſed locali motu deferantur, eas celerrimè tamen, quod & ſua natura ſubtiles & ignei ſint, & præternaturali cordis agitatione incaluerint, nihil mirum ſi alterationem faciant, & calorem producant, vnà cum ſanguine, quem etiam & agitant ſuo motu, & ſuo calore inflammant. Cur verò in partibus intermediis idem non præſtent, ratio petitur ex breui mora quam in illis habent, & quia in extremis figuntur, neque alio commigrant, vt in rubore faciei contingit, in quibus etiam præiacentem aliquando magnam copiam ſpirituum reperiant quam ſuo recenti calore inflammant, vt fit in partibus ſpermaticis, & libidinoſis, in quibus plurimus, & craſſus ſpiritus ſtabulatur, vnde facilè æſtuant eâ commotione. Quod poſtremò ad directionem ſpirituum ad certas partes pertinet, ea omnino difficilis eſt, cùm neque naturali animæ directioni, neque impreſſioni, neque ſuccui quo partes aridæ humorem ſibi neceſſarium proliciant, tribui iure queat, dici non incongruè poterit miram eſſe partium omnium corporis inter ſe conſenſionem, atque cum principe parte, qualem alias diximus eſſe ſolum cor cum Ariſtotele. Itaque prout variè agitatur, aut afficitur, habet partes quaſdam ſibi conſentientes, quem ſimilem affectum inter ſemotas etiam partes deprehendimus. Addo præterea in ſingulis partibus corporis eſſe vim quandam tractricem ſanguinis & ſpirituum: cum igitur cor varie afficitur ab anima appetente, ſpirituſque intra ſuos ſinus concluſos variè agitat, pars illi conſentiens per quandam ſympathiam, ſanguinem & ſpiritus trahit ad ſe ſe, atque ita dicuntur ab anima non cognoſcente, ſed naturaliter operante dirigi in deſtinatum locum, in quo variam alterationem pro maiori, aut minori copia & celeritate producunt.

Vnde propenſio ad certas paſſiones?

Vides itaque quomodo ex facultate appetente 14
cordi inſita ſequatur ea tranſmutatio corporis, ex qua nomen paſſionis deductum monebat Aureolus.

Hinc autem vlterius colligo cauſam propter quam aliqui ſint proniores aliis ad certas paſſiones. Rectè enim Auguſt. *c. 4. moral. ſect. 2. notab. 2.* dixit ſæpè minui quantitatem ac figuram, & ſitum cordis, alij autem in vniuerſum dicunt temparamentum vt Ariſtoteles 2. *Rhetoricorum c. 12. 13. & 14.* & *lib. 2. de part. c. 4. initio. phyſiognom. & c. 10.* Senec. 2. *de ira c. 18.* Gerſon *tract. de paſſ. conſid.* 8. vbi oſtendit qui mores ex ſingulis temperamentis ſequantur. Galen. *lib. quod animi mores ſequantur corporis temperamentum.* Ratio eſt, quia cum anima rationalis quod ad facultates vegetatiuas, & ſenſitiuas earumque operationes pendeat à corpore, cuius forma eſt, & in quo ſubiectantur facultates eius corporeæ, ſi diſtinctæ ſunt, aut ſaltem operationes

quas

quæ elicit simul cum organo, & non sine illo, fit vt pro diuersitate instrumenti, melior, aut deterior sequatur operatio; quod etiam aduertimus in ipsa intellectione, quæ tamen non nisi indirectè pendet ab organo, quatenus habet aliquam connexionem cum operationibus inferioribus, quarum etiam interuenta, & ministerio quamdiu anima coniuncta est corpori, exercetur. Hinc cerebri temperie deprauati impeditur vis animæ rationalis, quod Alexand. 2. *problem.* q. 64. explicat exemplo Cytharædi qui nequit aptè modolari quamvis artem peritissimè calleat, nisi foramina fistulæ sint commodo disposita, & Aug. *Ep.* 18. ingeniorum diuersitatem in paruulis, & deindè in grandibus apparere, quæ tota non ab anima, sed à corporis, & organorum constitutione noscitur, quia vt pluribus explicat Cassiodo. *lib.* 2. *de anima*, c. 12. *Anima vitiosa nimis habitatione deprimitur, & vim suam exercere non praualet inconuenientis domicilij sede præpedita.* Si igitur tantam vim habet corporis constitutio, & temperies etiam in facultatis intellectiuæ, & inorganicæ operationes, multo maiorē obtinebit in ipsas facultates corporeas sibi implantatas, atque hanc tum diuersitatem operationis sensitiuæ, tùm maximè affectuum & passionum deprehendimus in brutis pro diuersa temperie, & in homine ipso, in quo propter subordinationem potentiarum voluntas aliquid accipit ab appetitu sentiente, & ab illo mouetur ac rapitur, nisi euigilante ratione ipsa pro imperio illum cohibeat, sæpiùs tamen remurmurantem, vt alias exposui, vndè tandem fit vt ipse rationalis appetitus, in varios motus, ac perturbationes facilè, aut difficulter erumpat pro cordis, ac corporis complexione, licet, vt dixi, plenum & summum ius retineat, vbi aduertit se pulsari ab irritato appetitu corporeo operandi, aut non operandi. Ratio à priori est, omniū earum potentiarum radicatio in eadem anima quæ non solum intellectiua, sed etiam formaliter sensitiua, & vegetatiua est. Quæ omnia indicat Gerson. *tract. de passio. consid.* 19.

15 Hinc etiam vlteriùs, vt omnia quæ siue intrinsecus siue extrinsecus applicita conferunt ad variandam temperiem, ad excitandas quoque, aut remittendas passiones valeant, in quibus est imprimis semen, seu sanguis parentum, quibus idcircò similes ordinariò sunt liberi & iisdem morbis vulgò obnoxij. Referunt autem hac in parte potiùs patrem quàm matrem, vt habet Chrys. *hom.* 43. *in cap.* 23. *Matth.* ob efficaciorem patris actiuitatem. Vnde iura quæ crimen paternum puniunt in sobole, loquuntur tantùm de paterno scelere, non materno. *l. quisquis* §. *filij C. ad l. Iuliam Maiest.* Secundò conformatio, figura, & quantitas cordis, ac reliquorum vasorum ex Aristotele *lib.* 3. *de partibus* c. 4. atque hinc non semper inepta, & inanis prorsus est coniectatio ex physiognomia. Tertiò mala consuetudo, & assuefactio, tum quia habilitatem, & facilitatem affert, & effrenes reddit passiones, & virtutis nitorem deterit, & aliud iudicium ac opinionem creat, vt ait Eucher. *hom.* ad plebem obtrectatricem; tum quia mutat illam temperiem. Quartò esculenta, & poculenta. Hinc enim sanguinis subtilitas, tenuitas, crassitudo, fæces, quæ quantum conferant ad sensuum nobilitatem docet Aristoteles *libro secundo de partib.* *cap.* 4. hinc præcipuam lactis quo nutritur infans, habendam rationem monet D. Chrys. *orat.* 21. & pluribus confirmat, Cardan. *lib.* 2. *de sapientia sub fin.* Phauorinus apud Gell. *lib.* 12. c. 1. Tiraquell. *lib. de nobilitate cap.* 20. *n.* 78. Viues *lib. de institutione mulieris Christianæ cap.* 10. de aliis alimentis etiam antequam in substantiam aliti conuertantur, addit Arist. *sect.* 30. *problem. quæst.* 1. Quintò pharmaca quæ capitis fuligines purgant, & alia efficiunt in corpore vt philtra, & amatoria, prout humorem aptum ad aliquam passionem incendendam, concitant: quantum enim possint in corpora, & indirectè in animos docet Aristoteles 7. *polit. cap.* 7. & *sect.* 14. *problem. quæst.* 1. Iulius Firmicus *libro* 1. *Astronom. cap.* 14. Alexand. *lib.* 4. *Genial. cap.* 13. Septalius in locum citatum ex problem. Aristotel. 7. Huic causæ affines sunt cœlestes influxus. His omnibus adde alia quædam irritamenta quæ non physicè, sed moraliter influunt, exempla, colloquia, & maximè quæ suauius influunt in animos per cantum & musicam, omnia denique sensuum illicia.

Numerus & partitio passionum.

Restat passionum, quarum naturam in vniuersum consideramus, numerum statuere. Nam Aristoteles *lib.* 2. *Rhetoricorum*, 13. recenset, pauciores autem 2. *Ethic. c.* 5. Nemes. quinque videlicet quadrimembrem cupiditatem & iram. Fracastor. *lib. de sympath. cap.* 17. decem. S. Thom. vndecim, sex in appetitu concupiscente, & quinque in irascente, quæ diuisio commodissima videtur omissis aliis quas habent Azor. *tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 3. Sal. *tract.* 9. *d.* 2. *sect.* 1. Suar. 1. 2. *tr.* 4. *d.* 1. *s.* 12. eam autem sic colligit S. D. *quæst.* 23. *art.* 1. & 4. & *quæst.* 26. *de verit. art.* 4. obiectum appetitus est vel bonum, vel malum absolutè sumptum, vel vt est difficile & arduum, non quasi arduitas sit ratio motiua appetitûs, quem potiùs auertit ab obiecti prosequutione, quod varium probant quæ afferuntur ab Scoto *in* 3. *d.* 34. *quæst.* 1. *l. F. & G. &* d. 26. *q.* 7. *l. C.* Gab. *ibid. ead. d.* 26. *quæst.* 7. *d.* 1. Alma. *ibid. ead. dist. in fine primi dubij*: sed quia bonum, aut malum quatenùs substat arduitati, vel difficultati, alio modo mouet appetitum, quàm vbi absolutè, & simpliciter repræsentatur, aut quia per eam arduitatem significatur tantùm circa tale obiectum, appetitum non versari simpliciter, sed cum quadam concitatione, & erectione animi ad superandam difficultatem, & arduitatem quæ in eius boni assecutione, aut mali fuga, vincenda obiicitur. Bonum & malum simpliciter spectatum, & absolutè pertinet ad appetitum concupiscentem: bonum autem & malum arduum modo explicato pertinet ad irascentem, siue eæ facultates distinguantur realiter inter sese, siue quod probabilius aliàs visum fuit, solum formaliter; id enim modo nihil refert: sufficit enim vtramque illam vim animanti, siue in vna tantùm, siue in duplici facultate insitam esse, quarum altera in suum bonum & perfectionem tendat, atque in eo quiescat, altera in contraria insurgat, ab offendentium insultibus se tueatur, etsi quando maioribus viribus ad bonum proprium adipiscendum, aut malum declinandum opus sit, seipsum conciter, & erigat animal. Quâ ratione inquit Ægid. *lib.* 1. *de regim. Princip. p.* 2. *cap.* 2. inanimatis præter leuitatem, & grauitatem, aliamque facultatem loci acquisitiuam, indidit natura singulis qualitatem aliquam actiuam, qua contrariis resistant, & Theodoret. *in capite* 7. *ad Roma. in illud*: *Iam non ego operor illud*, ait cupiditatem, & iram sese mutuò temperare, & animum ipsis tanquam Aurigam præfectum à Deo. Quando igitur bonum, vel malum absolutè, & simpliciter obiicitur, & terminat actiones appetitus concupiscentis, vel consideratur in se tantùm, non vt præsens, aut absens, vel vt absens, vel vt præsens, neque possunt fingi alij modi quibus obiectum cum facultate comparetur. Si bonū absolutè obiiciatur mouet simplici quodam motu appetitum qui in illud inclinatur, per propensionem

quandam, & super coaptationem, ad illud quam S. Thom. *q.24.art.4.* appellat connaturalitatem, qui motus dicitur amor: malum enim sui auersionem excitat, quæ dicitur odium: si bonum futurum sit, & nondum præsens excitat concupiscentiam, seu desideriũ, quo mouetur in illius acquisitionem, seu, vt ait Phil. *lib. de decal.* in longum animam porrigit, extendens eam vt possit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machina semper sequendo, nunquam assequendo, quod in cursoribus spectamus quando præcurrentem tardior & peruicacior assequitur: malum autem contrarium motũ excitat, quem fugam appellamus communi nomine, vt obseruat S. Thom. *q.30. a.1. ad 3.* Si denique bonum præsens sit, & obtentum, causat quietem, gaudium, & delectationem, malum è contrario iam præsens tristitiam, & dolorem, atque ita habentur sex affectus appetitus concupiscentis, neque multiplicari possunt aut ratione obiecti, aut ratione modi tendendi in illud, cùm omne obiectum sit bonum, aut malum, & aut præsens, aut futurum, & ab vtroque statu attrahens apprehendatur, nam præteritum quod per memoriam delectationem aliquando causat, sistitur præsens vi cognitionis. Quandò verò bonum, aut malum arduum est, & terminat actiones appetitus irascentis modo explicato: vel bonum obiicitur vt futurum & possibile, vel vt impossibile; si primum excitat motus prosecutiuos spei & audaciæ. si autem appareat obtentu impossibile, quoddam veluti deliquium patitur animus & planè concidit desperatione: malum autem si absens sit & futurum excitat timorem. Si præsens, excitat ad iram, quæ offendens illud aut remoueat, aut malum acceptum vleiscitur quodammodo aliud rependendo. Neque alium motum in irascibili potest commouere malum præsens, in concupiscibili autem excitat, vt dixi, tristitiam, sicut & bonum difficile, iam obtentum, delectationem, & nihil facit in irascibile, quia acta iam est totam difficultas, neque vlla concitatione, aut eiectione animi insurgentis ad bonum retinendum, aut malum remouendum, opus amplius est. Atque ita habetur vulgata vndecim passionum in duos ordines ratione duplicis appetitus, partitio, quam aliter Scotus & Gab. superiùs allati ita instituunt vt solam iram ad irascibilem appetitum reuocent, quod eius obiectum sit offendens & actio remotio impedimentorum obiecti concupiscibilis. Quo sensu dixit Damasc. 2. *de fide cap. 16.* iram esse satellitem cogitationis, & concupiscentiæ vindicem. Verùm cum non sit opus sola ira ad tollenda illa impedimenta quæ nomine arduitatis designari possunt, sed aliis etiam affectibus, quibus animus, vt dixi, etigatur, meritò omnes illi affectus ad appetitum irascentem reuocantur.

17 Posset quoque non incommodè colligi passionum numerus per analogiam ad motum grauium & leuium, quam indicat S. Thom. *quæst. 23. art. 4.* in grauibus enim tria reperire est, inclinationem ad centrum, motum ipsum, & tandem quietem in propria, & naturali sede: sic tria obseruamus in appetitu, inclinationem scilicet, siue respectum ad aliquod obiectum consentaneum, & conueniens, & fit amor, aut disconueniens, & fit odium ex vtraque ista inclinatione deindè nascitur motus, qui vel est prosequutio, vel fuga: si prosequutio vel est boni, vel mali, hoc est minoris mali ad vitandum maius, sit boni vel simpliciter boni & fit desiderium, vel cupiditas vel ardui & hoc dupliciter, primò per modum incomplexi, & fit spes; secundò per modum complexi, & fit ira, dum appetit quis vindictam de altero sibi malo, tanquam sibi bonum aliquod. Si verò prosequutio est mali, fit audacia: fuga verò aut est mali, aut boni per accidens tantùm, si mali, vel simpliciter mali, & est fuga opposita desiderio, vel mali ardui, & fit timor, si autem sit boni fit desperatio. Denique motum sequitur quies, dum appetitus sequitur cum aliquo obiecto quod est ipsi conueniens, aut disconueniens, & est delectatio, aut tristitia.

Contrarietas, & ordo passionum.

18 Ex his passionibus aliquæ sunt inter sese contrariæ, vt ait S. Thom. *quæst. 23. art. 2.* & quidem passiones concupiscibilis, suam contrarietatem sumunt à contrarietate obiectorum: amor enim, desiderium, & gaudium versantur circa bonum: odium autem, fuga, & tristitia circa malum: in passionibus autem irascibilis contrarietas sumitur tum penes modum obiecti, excessum scilicet eius supra facultatem appetentem, tum ex contrarietate obiectorum, vt vides in spe & timore; prior enim in bonum futurum, posterior in malum tendit. Non tamen omnes passiones irascibilis habent hanc contrarietatem obiecti, cùm spes, & desperatio circa idem bonum versentur. Quare propositio S. Thomæ indefinitè accipienda est, contrarietas etiam ista obiecti accipienda est de obiecto formali, & motiuo. Nam circa idem malum amor, & odium propter diuersa motiua versari solent. Hæc autem contrarietas non inuehit incompossibilitatem nisi alter ex his affectibus sit vehementissimus ratione vehementis obiecti intimè applicari, tunc enim ad aliud non distraheretur appetitus. Sic vehemens tristitia omnem lætitiam excludit, quod maximè verum est quando obiectum tristitiæ est acre, obiectum autem lætitiæ leue: qui enim terretur viuicomburio, non sentiret leuem aliquam & tenuem irritationem, in aliis autem casibus sæpissimè sentiuntur simul diuersi effectus, vt dolor, & voluptas vt in iis qui sitientes bibunt & famelici comedunt, obseruat Alexand. *libro 1. nat. qq. cap. 12.* & in iis qui scabiem fricant Nemes. *capite 18.* & in iis qui sua peccata plangunt Bonau. *in 3. d. 16. art. 2. quæst. 2. numero 32.* & Gab. ibid. *d. 15. quæst. 1. lit. P.* in iis denique qui fletu leuant dolorem, docet experientia: in quibus omnibus est diuersitas, non tantùm obiecti formalis sed etiam materialis. Ira nullum habet contrarium, vt ait S. Thom. *quæst. 23. art. 3.* quia vel malo iniacenti animus succumbit, & est tristitia, vel tale malum læsum inuadit, estque ira quæ non habet fugam contrariam, cum iam malum non sit ampliùs fugibile. Vnde potest habere contrarium ratione accessus, vel recessus circa idem obiectum, neque etiam circa contrarietatem obiecti, quia obiectum iræ est malum præsens: contrarium autem est bonum adeptum, quod ampliùs difficile non est & fundat quietem. Deinde contrarium iræ vel erit cessatio ab ira, & ita opponentur tantùm negatiuè, vel erit remissior quædam ira, vt aliqui colligunt ex Philosopho 2. *Eth. cap. 7.* & mansuetudinem appellant, vnde duodenarium passionum statuit Ægid. *libro 1. de regim. Princ. part. 3. capite 1.* Verùm ira remissa non magis contrariè opponitur iræ quàm calor vt octo calori.

19 Quod attinet ad ordinem passionum, vel comparantur passiones vtriusque appetitûs inter sese, vel vnius tantùm. Circa primam comparationem S. Th. *q. 25. art. 1.* ait passiones irascibilis esse priores passionibus appetitûs concupiscibilis, quæ se habent per modum quietis, quia omnes passiones irascibilis pertinent ad motum qui prior quiete est: quod enim iam obtinetur nullam ratione habet ardui, aut diffi-

cilis,

cilis, ac proindè non est obiectum appetitus irascentis, & spes gaudium parit vt manifestum est, tristitia autem & timorem sequitur, & iram præcedit: ex tristitia enim præsentis mali insurgimus in iram, & vindictam mali quod patimur rependendo malum, quæ vindicta apprehenditur vt bonū quoddam, quare vbi irascens vltus se fuerit, gaudet, atque ita tandem tota illa series actuū appetitus irascentis desinit in aliqua actione appetitus concupiscentis, passiones autem concupiscibilis importantes motum ad obiectum, priores sunt passionibus irascibilis, quia hæ posteriores addunt aliquid aliis, sicut obiectum irascibilis addit arduitatem supra obiectum concupiscibilis. Feruntur igitur passiones concupiscibilis in obiectum simplicius, atque adeo prius quàm sit obiectum passionum irascibilis.

20 Iam verò quod attinet ad secundam comparationem, è passionibus concupiscibilis, eæ quæ versantur circa bonum sunt priores; quia bonum est prius malo quod aut boni priuatio, aut boni priuationem essentialiter connotat, vt in malo respectiuo, quod positiuum putamus suo loco ostendetur, ex his autem omnibus primus omnium est amor: est enim prima boni suauiatio, & gustus, seu cōnaturalitas cum bono, seu proportio, & prima inclinatio, à qua nascitur motus in bonum qui est cupiditas seu desiderium, & hunc motum excipit tandem quies in bono adepto per gaudium, & delectationem quæ habetur per vnionem realem amati cum amato quam præcedit vnio affectiua quæ est simplex amor.

21 Odium autem & reliqui affectus auersatiui in appetitu concupiscente sequuntur amorem, quia tota ratio auersandi malum, est amor boni, alioqnin malum absolutè sumptum nullo respectu contrarietatis ad bonum non est obiectum odij. Idcirco enim multa mala nequaquam odimus, quare sicut in intellectu prior est affirmatio quàm negatio, & assensus quàm dissensus, ita & in voluntate amor boni quàm amor mali, vt rectè vidit Durand. *in 3. d. 27. q. 1. n. 6.*

22 E passionibus irascibilis, ira est vltima, inquit S. Thom. *art. 3. q. 25.* quia fertur in obiectum iam præsens, cum reliquæ sint instar motus. Inter alias autem priores sunt spes, & desperatio, quia feruntur in bonum sequuntur audacia & timor quarum obiectum malum est, spes autem prior est desperatione quæ non in bonum secundum se fertur, sed quatenùs impossibilitate quadam circumscriptum est, vnde nascitur illud animi deliquium, & quidam veluti recessus à bono, qua eadem de causa audaciam priorem facit timore S. D. quia timor est quidam recessus à malo, audacia autem consequitur spem, & timor desperationem.

23 Hinc tandem colligit, hunc ordinem generationis passionum omnium, vt primò sit amor, & odium, secundò desiderium, & fuga, tertiò spes & desperatio, quartò timor, & audacia, quintò ira, vltimò gaudium, & tristitia, ordine autem intentionis gaudiū, & tristitiam prius esse dixit *art. 2. ad* 3. atque ita Platon: interpretor dum apud Alcino. c. 24. voluptatem & dolorem omnium passionum Elementa statuit, & Amb. *lib. 1. de Iacob c. 2.* duces, Porphyri. *lib. 1. de abstin.* duas propagines vinculorum quibus anima infra corpori suæ felicitatis obliuiscitur. Quia nempè sibi omnes appetitus hos scopos attingendos, aut declinandos connaturaliter figunt, & tandem in gaudio seu voluptate, aut dolore desinunt.

24 Alium ordinem secundùm principalitatem & dignitatem assignat S. Thom. *a. 4. q. 25.* ex communi sententia, gaudium & tristitiam, spem & timorem enumerat tanquam quatuor principales passiones, quarum duæ sunt præsentis, duæ futuri, duæ boni, duæ mali, quibus perturbationibus vexari genus humanum dixit Hieron. *lib. 2.* aduersùs Pelagium, & etiam ab Aristone apud Clemen. *lib. 2. c. 9. strom. dicuntur tetra-chordon animæ*, rationem reddit S. Thom. quia sunt vltimæ & completiuæ respectu aliarum omnium, quod de tristitia, & gaudio manifestum est: in illis enim omnis motus concupiscibilis, atqui ex ea cōplexione sequitur etiam perfectio entitatiua, nam per eas actiones intimiùs & perfectiùs vnitur potentia suo obiecto, spes autem, & timor terminant motum tendentem in futurum, vt ait S. Th. Durand. vero *in 3. d. 27. q. 1. n. 9.* rationem reddit, quia sunt principales & completæ, quantum possibile est in illo genere, cùm enim obiectum appetitûs irascibilis sit bonum arduum quod vbi præsens, desinit esse arduum, non potest irascibilis terminari ad bonum præsens. Perficitur igitur in certitudine inclinationis ad suum obiectum quam certitudinem habet spes respectu boni, & timor respectu mali.

QVÆSTIO II.

De Amore, & Odio.

OMissâ religiosiore inter voces amoris, dilectionis & charitatis distinctione quam attigit S. Th. 1. 2. *q. 26. art. 3.* & Gab. *in 3. d. 27. q. 7. l. F.* his sine vllo delectu vtemur, & sanè ipsum etiam amorem, seu ἔρως nomen quod ad impuros amores aliqui restringebant, vsurpatum in sacris ab ipso etiam Ignatio munet Dionys. *c. 4. de diuin. nominib.* esseque vocem indifferentem ad bonum, aut malum ostendit Aug. *lib. 14. de ciuit. c. 7.*

Amoris natura.

Est autem amor, inquit S. Thom. *q. 26. art. 1.* principium motus appetitus tendentis in finem, seu bonum, in appetitu quidem naturali qui non consequitur apprehensionem ipsius appetentem, sed alterius, seu fertur in id quod conuenit appetenti, secundum naturam, non secundùm apprehensionem. Hic amor naturalis, seu primum principium motus, est ipsa connaturalitas appetentis ad id in quod tendit, vt in lapide grauitas respectu centri. In appetitu sensitiuo, & intellectiuo qui sequitur apprehensionem sensitiuam, seu intellectiuam, amor est ipsa complacentia boni apprehensi, quæ est principium omnium deindè motuum in bonum: hanc verò complacentiam appetibilem ait *art. 2.* esse quandam coaptationem appetitus cum appetibili, ab ipso appetibili producta in appetitu, ex qua sequatur motus in ipsum appetibile, ac proindè motum appetitiuum, iure dictum fuisse circularem ab Aristotele 3. *de anima text. 55.* appetibile enim mouet appetitum, qui tendit in ipsum appetibile. Ex hac enim complacentia appetibilis, qui est amor, sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, & vltimò quies, quæ est gaudium. Est igitur amor coaptatio, seu vt *alibi* dicit S. D. connaturalitas appetitûs ad appetibile & bonum apprehensum, seu primum pondus quo inclinatur in bonum, seu amor naturalis; quem in omnibus rebus reperiri dicit idem S. D. *art. 1. ad 3. q. 26.* ex Dionys. *c. 4. de diuin. nominibus*, cùm omnia habeant connaturalitatem ad id, quod est sibi conueniens, & est momentum, quo vrgetur in sui boni acquisitionem; est tamen discrimen illud quòd amor naturalis & principium motus in corporibus sit aliquid per modum actus primi; amor autem in appetitu sensitiuo,

aut intellectiuo, quem dicebamus eſſe complacentiam boni, ſit actus ſecundus elicitus ab ipſo appetitu, quodammodò per cognitionem ab appetibili informato, ſeu ab appetibili attracto. Vnde dicit S. Thom. hunc amorem eſſe paſſionem, quia ab appetibili patitur appetitus dum primam illam ſui coaptationem ad ipſum recipit. Eſt itaque formaliter appetitio, & actio vitalis illa complacentia, ſeu, vt vocat Viues, allubeſcentia, quam alij primam boni ſuauiationem & deguſtationem dicunt, & ex S. Thom. q. 18. *art.* 1. vocat vnionem ſecundùm coaptationem affectus, ibi enim diſtinguit triplicem vnionem, vnam quam vocat ſubſtantialem reſpectu amoris quo quis ſeipſum amat, reſpectu aliorum vocat ſimilitudinis, & hanc dicit eſſe cauſam amoris; ſecundam vnionem ait eſſe eſſentialiter ipſum amorem, & fieri ſecundùm coaptationem affectuum. Tertiam facit eſſe affectum amoris, & realem vocat, quia amans quærit coniungi realiter rei amatæ. Ex hac porrò boni complacentia ſtatim enaſcitur volitio, ſeu appetitio ipſius boni tum ſimpliciter, & abſolutè, tum ſi ſit abſens deſiderium, ſi vero ſit præſens quies in illo, ſeu delectatio. Quæ omnes actiones includunt illam complacentiam & boni volitionem. Nominamus autem amorem vulgo illam complacentiam primam, maximè quatenus iam exit quodammodo in actum, & volitionem boni cauſat, aut quia ipſa eſt formaliter actus ſecundus vitalis, & appetitio, ſeu volitio ipſius boni, & ſimul correſpondet ponderi naturali reliquarum naturarum, quod eſt actus primus, non dicitur amor vt eſt actus primus, & veluti principium reliquorum actuum quos cauſat non effectiuè, ſed quia hanc coaptationem appetitûs neceſſariò ſupponunt, ſed quatenùs eſt actus elicitus, & vitalis tendentia in ipſum appetibile, vnde vulgò definitur amor ab Ariſtotele *lib.* 2. *Rhetoricorum*, *c.* 4. & S. Thom. 1. 2. *q.* 26. *a.* 1. volitio boni alicui. Eſt enim, vt dixi, illa complacentia formaliter volitio boni, & non poteſt velle bonum, niſi aut ſibi, aut alteri, quare in eo actu vides eſſe duos reſpectus realiter impræſciſibiles, & ſola ratione diſtinguibiles, contra Scot. 1. *d.* 6. *q.* 2. *litt. A.* & Gab. *ead. d.* 1. *q.* 1. *art.* 2.

3 Hinc compones diſſidentes circà naturam amoris ſententias. Nam qui dicunt apud Aureol. *in* 3. *d.* 15. *q.* 7. *art.* 3. amorem eſſe actum primum ſicut grauitatem in lapide, probantur, quatenùs amor eſt vt dixi, prima inclinatio appetitus in bonum: improbantur tamen dum volunt cauſari effectiuè ab amore reliquas appetitiones, & illum eſſe principium, non actionem. Secundò quod Aureol. ipſe *in* 1. *d.* 1. *q.* 2. *art.* 1. & *in* 3. *d.* 15. *q.* 7. *art.* 3. negat amorem eſſe actum diſtinctum à delectatione & deſiderio, diſplicet; ſi per delectationem intelligat actum quo in adepto bono quieſcit animus, & illo iam obtento delectatur, quam vult apprehendi in ipſo obiecto, nondum tamen habito; quia certum eſt tunc delectationem ſe habere per modum obiecti, & non eſſe actum: quando autem realiter elicitur circa poſſeſſum bonum, anteriores actus amoris & inclinationis ac tendantiæ in tale bonum ſupponit, ſi tamen per delectationem, ipſam primam actualem complacentiam in bono apprehenſo ſignificaret, ſanè illa delectatio eſſet amor. Neque eſt quod tam multa impendat Capreol. *in* 1. *d.* 1. *q.* 1. *ad argumenta ſecundò loco contra* 3. *conc.* & Ocham. *in* 1. *d.* 1. *q.* 3. *l. D. in ſententia Aureoli exagitanda* 5. Gregor. *in* 1. *d.* 1. *q.* 2. *art.* 2. vult amorem identificari cum omni actu proſecutiuo, & odium cum auerſatiuo. Si ſenſus Gregorij ſit (vt omninò eſſe videtur) amorem quatenùs eſt quædam complacentia in bono, ſeu etiã volitio boni, identificari realiter cum deſiderio & delectatione, verè omninò dixit: nam, vt ait Durand. *in* 3. *d.* 27. *q.* 1. *n.* 7. deſiderium omne, & delectatio amor eſt: verùm non ſequitur omnem amorem eſſe aut deſiderium, aut gaudium. Nam hi actus ſunt de bono habito, vel non habito, ſeu abſenti: poteſt autem dari actus qui feratur in bonum repræſentatum ſimpliciter, & ſecundùm ſe, non vt abſens, aut habitum, vt ait *ibid.* Durand. *numero* 8. 4. Granad. 1. *part. tract.* 6. *d.* 1. *ſ.* 1. negat amorem eſſe volitionem boni, ſed aliquid anterius, videlicet vnionem affectiuam, ex qua progerminet hæc boni volitio, qui ſi velit hanc vnionem non eſſe volitionem, reiiciendus omninò eſt, cùm nihil aliud fingi poſſit, quàm actio voluntatis, quæ circa bonum eſt eſſentialiter volitio boni. Si autem velit, hanc volitionem boni, quatenùs eſt motus quidam, & tendentia voluntatis in bonum, non eſſe amorem, ſed ſolùm quatenùs eſt connaturalitas, ſeu coaptatio voluntatis cum bono & appetibili, quod tunc trahit voluntatem, quæ nondum intelligitur tendere in appetibile, ſed in illud tantùm inclinari, tunc verè dicit, vti explicuimus, atque ita amor induit quandam rationem actûs primi, atque ita interpretor S. Thom. cùm amorem eſſentialiter conſtituit in vnione non in actione. Ita vulgata definitio, qua amor dicitur volitio boni, intelligi poteſt. Nolo tamen hic eſſe neceſſariò actus diuerſos, ita vt complacentia ſeu vnio affectiua, non ſit realiter volitio boni, vt foraſſe videtur ſentire Granad.

Diuiſio amoris.

Variè diuiditur amor à Platonicis, vt referunt Plotin. *Enn.* 3. *lib.* 5. Maxim. Tyri. *diſſ.* 8. 9. 10. & 11. Carpentar. *in c.* 25. *Alcino.* 25. *n.* 6. Dandi. *in* 3. *de anima dig.* 31. *p.* 2. quatruplicem facit Dionyſ. *c.* 3. *de diuinis nominibus* ex Hierotheo θεῖον, ἀγγελικὸν, νοερὸν ψυχικὸν, φυσικὸν, diuinum, angelicum, intellectualem, animalem, phyſicum, quæ omnes diuiſiones potiùs morales, quàm phyſicæ ſunt; quare ferè ſola partitio in amorem amicitiæ & concupiſcentiæ quam habet S. Thom. 1. 2. *q.* 26. *art.* 4. explicanda ſupereſſet, ſed de ea latè 2. 2. *diſp. de ſpe.* 4

Cauſa amoris.

Cauſas amoris enumerat multas Ariſtoteles, quas ad paucas iſtas liceat reuocare. 5

Prima eſt bonum, ſeu pulchrum cognitum: cognitio enim habet rationem conditionis ſine qua non. Pulchrum ſtatuunt Platonici amoris obiectum, vt videbis in Plotin. *Enn.* 3. *lib.* 5. qui de amore eſt. & *in Enn.* 1. *lib.* 6. qui eſt de pulchro. Pulchrum idem cum bono eſſe apud profanos latè oſtendit Tiraquell. *l.* 2. *connub.* *n.* 10. apud ſacros autem Dionyſ. *c.* 4. *de diuinis nominibus p.* 1. in quam locum Maximus ſic habet, vt refert Cypariſſio *decad.* 5. *capite* 2. Deus καλὸς dicitur, tum quia tribuit omnibus pulchritudinem, tum quia omnia ad ſe καλεῖ vocat, à qua alliciendi, ſeu vocandi voce dictum fuiſſe bonum καλὸν alij annotarunt; ac demùm iſta in ſacris, vt dixi, confundi Auguſt. monuit *lib.* 5. *de Ciuit.* *c.* 15. S. Thom. 1. 2. *q.* 27. *art.* 1. *ad* 3. hoc diſcrimen ponit inter pulchrum & bonũ, quòd bonum ſit id, in quo quietatur appetitus, in pulchri autem cognitione quietetur appetitus, vnde pertinet ad ſenſus maximè cognoſcitiuos, viſum, & auditum, de quorum obiectis pulchritudinem enuntiamus, non de aliis ſenſibilibus; dicimus enim pulchra viſibilia, & pulchros ſonos, non pulchrum frigus aut ſapores, aut odores pulchros: quare pulchrum addit ſupra bonum ordinem quendam ad vim

cognoſciti

cognoscitioam : bonum enim est qood simpliciter complacet appetitui ; pulchtum autem id cuius ipsa apptchensiu placet. Amari autem pulchtum dieunt Platonici apud Plotin. *l. c.* & Tyuum *diss.* 11. oh memoriam summi pulchti, quam anima indita corpori aliquam retinet, & cuius hæc omnia pulchra, sunt tenues aliquę imagynes. Ratio verò est, quia pulchrum est ipsum bonum qnod omnia appetunt, omnis enim materia est omnifotmis, vt ait Ficinus *in cap. 2. lib. 5. Enn.* 3. & formam, seu pulehtitudineo qua distenta est, appetit bonum, amoris objectum est, inquit S. Thom. *art. 1. cit.* quia amor importat quandam coonaturalitatem, seu complacentiam amantis ad amatum, vnicuique aotem bonum est id, qood ipsi connatutale & proportionatum est.

6 Hinc fit vt amor qui non fertut in verè bona & pulchta, sed in fœda & tutpia, euiusmodi sunt omnia vitia, non fit vetus amor. Quare qui fœdam cupiditatem, amorem nominant, fallontut, vnde Maximus Tyti. *diss.* 11. *n.* 66. distinguit inter cupiditatem & amorem & ἐπιθυμεῖν, & ἐρᾶν, nam ἔρως καλοῦ ἐπιθυμία δὲ ἡδονῆς : eadem habet *diss.* 8. *n.* 47. *dissert.* 10. *n.* 59. & 60. D. Chrys. *orat.* 21. Diunys. *c.* 4. *de diuinis nominibus* appellat idolum amoris, in eom inuehitur Aug. *lib.* 3. *confess. c.* 1. & 5. & Theodoret. *orat.* 5. Alexis apud Athen. *lib.* 13. monstrum facit ex omnium natutarum, & ingeniorum præpostera congetie conflatum : Aristophon. *in Pythagor.* è cœlo præcipitem, & pennis, quibus micabat, indutam fuisse victoriam.

7 Secunda causa amoris, est similitudo, de qoa Tiraq. *lege 5. connub. n.* 10. in iis enim qui nobis sunt similes elucemus quodammodo velut in speculo, & cùm nos impensissimè diligamos, ad hanc autem similitudinem reuoco æqualitatem etiam institutorum, ac conuictus similitudinem, vt Asterius *hom.* 5. latè habet nisi tamen sit vnus alteri impedimento : nam figulus figulo inuidet.

Tertia. Causa est ipse amor, quia nihil eo melius est, & quia facilè eredimus eos qui nos amant esse bonos, vnde & illos amamus, si autem amari non eedamus, neque boni apparent, neque amabiles, quare vetus est hoe amatorium & sine veneficio vt amens ama. Vide Tiraqu. *l.* 13. *conn.* 44. hinc Anterotis fabulam quam fuse habet Themist. *orat.* 7.

8 Quarta. Huc pertinet imitatio quam amoris conciliatricem facit Synes. *Ep.* 31. credimus enim nos amari ab iis qui nos imitantur. Huc pertinet mutua consuetudo & colloquia. Hanc ob causam Epistolas souentas memorat Synes. *Ep.* 1. 37. Ennod. *lib.* 5. *Ep.* 2. Raucescit charitas, quam verborum auarus despicit ventilare, sine cultura est diligentia in vsuo non reducta per paginas, styli frequentia viuaci pabulo insitam pectoribus nutrit amicitiam. Ratio est quia hæc omnia sunt testimonia repensi amoris.

Quinta. Quæ caro constiterunt, aut magno labore obtenta sunt, quia in illis nostros labores amamus : idcircò matres impensiùs diligunt liberos ex Aristotele 9. *Eth. c.* 7. & senes tenaciores sunt opum quas ipsi congessere. Deindè inter laborandum, diu ac assiduè amor acuitur, hinc rosis spinas tanquam amatoria illectamenta datas ait Basil. *Ep.* 149.

9 Sexta. Raritas boni amati, eius bonitatem quodammodò auget. Hine vnici filij impensius amor est, vt Tiraquell. *in præfat. de iure primog. num.* 74. quæ alibi commendantur oh frequentiam, alibi ob copiam vilescunt. Hinc munera alioqui leuia, quia rara, magna sunt : quare Alexand. se donatum Corintho ciuitate, quod soli fuerat concessum Herculi, magni fecit apud Senec *lib. 1. de benef. c.* 12. atque, vt ait Tertull. *lib. de habitu mulier. cap.* 7. semper abundantia contumeliosa in semetipsam est.

Septima. Beneficia, vt Chrys. hom. *in psalm.* 41. fusè ait quia illi produnt se nos amare, atque ille sensus feris insitus est, vnde canem vnicum gladium nominat Nyss. *lib. de hom. opific. c.* 7. quia tuetur dominum, à quo bona capit. Benefici autem magis amant, quos bonis afficiunt, quàm ab ipsis redamentur, vt ait Aristoteles 9. *Eth. c.* 7. quia beneficio affectus opus ipsorum est, quod magis amant, quam amet ipsum opus, & quia est in operatione & honestate præferendum est vtili, vtile autem est in beneficia capiente, honestum in dante.

Octaua. Coniunctio facit vt facile bonitatem ap- 10
prehendamus in iis, qui nobis iuncti sunt. Hinc parentum in liberos amor. Aristoteles 8. *Eth.* c. 12. maior autem est amor in liberos quàm liberorum in parentes, quia pars est aliqnid totius, non totum partis, vnde patentes respiciunt liberos vt aliquid sui, non è contrariò liberi ita respiciunt patentes, & liberi primogeniti chariores sunt. Primò quia primi amorem occupauerūt. Secundò longior cum iis init consuetudo & vsus. Tertiò, caritas & nouitas reddidit amabiles. Quartò laboriosior fuit matri eius enixus. Vide Tiraquell *in præfat. de iure primog. n.* 37. & Molin. *lib. 1. de primogen. c.* 2. id etiam in feris obseruat Tiraquell. Scropham mammam primò fœtui porrigere dixit Aristot. *lib. 6. Hist. cap.* 18. Hinc etiam amor fratrum & cognatorum Aristot. 8. *Eth. c.* 12. Hinc coniugum, qui fiunt tantùm vna caro, ardentissimus amor, de qua vnitate lege Basil *lib. 6. de vera virginitate.* & Chrysost. *hom. 7. in Epistolam ad Colossenses*, crescit autem ille amor ex susceptis liberis quos pontes amoris parentum nominat Chrysost *hom. 12. in ad Coloss.* latè.

Nona, cognitio ; quia bonitatem obiecti amandi applicat appetitui, & ideò multùm confert, vt habet S. Thom. *1. 2. q. 27. art.* 2.

Decima, philtris incendi amorem Delrio *disq. lib.* 3. *q.* 3. multis docet, Paulin. *ad Eclogam* 8. *Virgil.* Tiraquell. *lib. 19. Connub.* Aerod. *lib. 5. decretal. Tit.* 6. §. 35. Theophil. *in Theolog. nat. d.* 4. *n.* 327. alias minutiores causas dabit Ambros. *lib. 2. offic. c.* 7. & 19.

Effectus amoris.

Innumeri sunt ; quid enim non potest amor ? eius 11
efficacitatem latè describit Maxim. Tyri. *diss.* 10. *n.* 59. Nazian. *orat.* 28. dulcem tyrannum dicit, vide Aug. *serm. 9. de verbis Domini*, *lib. de bono. viduit. c.* 21. & apud ipsum Auctorem *libri de spiritu. & litt. c.* 45. & *de substantia dilection. c.* 1. omnes affectus concitat, vnde Eurip. ait eum facere musicum, vt interpretatur Eplut. *in 1. sympos. q.* 3. Torquet amantem ex absentia rei amatæ, vnde cacæcat, loquax est vt ait Chrys. *in psalm.* 41. & *lib. 1. de compunct. cordis* valétque ea loquacitas, ad aliquam euaporationem æstûs interni. Hinc impatientia, amanti enim dies vna sæculum est. Vide Plat. & Dionys. *capite quarto de diuin. nominibus* Gerson. *tract. in Cant.* vbi quinquaginta amoris proprietates explicat. Adi denique Richard. à Sanct. Victore *tract. de charitate*, antiquam & vulgatam amoris instar pueri alati & pharetrâ instructi picturam explanat Alexand. *libro primo problem quæst.* 87. de fœdo amore Hieron. *libro primo in Iouinia. ad fin.* Denique omnia peragi ex amore docet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 6. ex his effectibus omnibus hi præcipui sunt.

1. Vnio tum affectiua, tum realis, si obtineri possit, ita S. Thom. *quæst.* 28. *art.* 1. hinc stringimus quos amamus ex Themist. *orat.* 3. hinc amicus anima in

duobus corporibus Aristoteles *apud Laërtium.* Hinc animæ dimidium apud *Aug. l. 4. confess. c. 6.* Sidoni. *lib. 9. Epist. 5.* animæ duæ, animus vnus. Hinc osculum, quo transfundunt hinc & hinc labellis errantes animas, & aduenientibus exhiberi solitum aduertit Chrysostom. *hom. 30. in 2. ad corint.* ad 1. Plotin. *Enn. 6. l. 7. c. 34.* Sanct. Maxim. *cent. 5. ex variis cap. 90.* & Less. *lib. 2. de summo bono num. 91.* vbi quomodò fit hæc vnio in amore Dei latè explicat, Primò per crebram cogitationem. Secundò per obsequium; qui enim seruit est veluti instrumentum quo motori coniungitur. Tertiò per vitæ similitudinem & morum imitationem. Quartò per contemplationem sublimem, quæ vnio fit, vt ait Dionys. *c. 1. myst. Theologiæ* A'γνώστως ignoto modo. Quintò per liquefactionem, & demersionem in abyssum diuinitatis.

12 Alter effectus est mutua inhæsio amantis, & amati, de qua S. Thom. *q. 28. art. 2.* 3. extasis qua aut amans sui omninò obliuiscitur, aut etiam functionibus corporis, ob mentis alienationem interdicitur. De ea Less. *lib. 2. de summo bono, num.* 88. 3. Zelos qui excludat omnia quæ amorem impediunt. S. Thom. *q. 28 art. 4.* Quartò in corpore causat maciem, tabem, insomnia, suspiria, melancholiam extasim: cùm enim amor cor dilatet, & multos spiritus diffundat per corpus exugitur corpus, & fit macilentum ita dissipatis spiritibus ea vehementi etiam cogitatione, plurimi consumuntur spiritus, concoctioni officitur & pars alimenti eiicitur, alia cruda, & malè elaborata per venas funditur & cùm somnus sit ligamen sensitorij primi, ex frigidis humidisque rotationibus, ob penuriam totis illius, & exsiccationem, ac calefactionem ea iugi spirituum agitatione prouenientem sequuntur insomnia, atque hinc etiam macies. Hinc etiam suspiria vt aërem ventilet exæstuans cor. Alexand. 1. *problem. q. 11.* ex illa etiam lucidissimi sanguinis effusione, & spirituum puriorum euaporatione sanguis residuus ater, & crassus corpus occupat, qui facile in humorem melancholicum degenerat, & crassis fuliginibus cerebrum implens, inanes imagines, deliria, & mœrorem creat & pro ea agitatione sanguinis, ac spirituum, variatio coloris in vultu, qui modò pallet, modò rubet consequitur, & denique extasis ex illa infixione in rem amatam: cùm enim vires animæ finitæ sint non potest sensibus adesse, & intellectioni illi vehementissimæ: hic tamen amor, vt similes gignat effectus, debet esse vehementissimus. Hinc vides quomodò amor non ratione sui sed passionis corporeæ sit læsiuus amantis, quod inquirit S. Thom. *q. 28. art. 5.*

Propensi ad amorem.

13 Qui sunt calidiori & celeriori constitutione à præfervido ingenio, si tamen calidissima sit constitutio, amor celer est, sed leuis, in sanguinea temperatura diuturnior. Hinc iuuenes leuiter, & citò amant, facilè etiam offenduntur, & aliis affectibus amorem suffocant, senes quia frigidiores segnius amant, & difficilius, sed diutius.

Remedia amoris sunt amotio causarum ipsius, consideratio incommodorum eius, & alia similia quæ dabit Viues, *lib. de instit. puellæ Christianæ c. 13. & 14.*

Odij natura, & diuisio, causæ, effectus, remedia.

14 Odium esse dissonantiam quandam voluntatis latè exposui 2. 2. *disp. 9. sect. 1.* vbi & eius diuisionem in odium abominationis, & inimicitiæ, quæ autem superesse videntur hoc loco disputanda facile ex iis quæ de amore disputauimus, colligentur.

Causæ enim odij sunt inprimis malum quod amouet voluntatem ab obiecto, deindè dissimilitudo quæ facilè inducit in persuasionem malitiæ obiecti, & frequentissimè, idcircò excitat odium vt latè, Tiraquell. *l. 5. connub. n. 28. 3.* contrario cum obiecto causa hinc nobis Dæmonem esse infestissimum docet Basil. *Hom. 21. ex variis* quia est imago Dei quam impensissimè odit. Quartò valet etiam maleficium sicut & in amore, Delrio *lib. 3. mag. disq. quæst. 4. sect. 9.* & aliæ causæ, causis amoris oppositæ, ipseque amor causat odium rei quæ impedit fruitionem boni voliti, vt explicat S. Thom. *q. 29. art. 2.* nemo odit seipsum per se, sed solum per accidens, quia aut vult sibi aliquid, quod non est simpliciter bonum, sed malum potiùs; aut quia cum amet se secundùm partem sensitiuam, secundùm quam æstimat se esse, odit se secundùm id quod verè est, seu mentem quando amat rationi dissentanea, ita S. Thom. *art. 4. & art. 5.* ostendit veritatem in communi, cum in omni ente, & bono reperiatur, non posse odio haberi, sed tantùm in particulari, quatenus repugnat suo bono, idque tripliciter. Primò quia vellet non esse verum quod verum est. Secundò secundùm cognitionem, quia nollet cognoscere veritatem quam nouit, v. g. vt liberius peccaret. Tertiò non vult moneri de aliqua veritate ab alio, ne aliquid sibi iucundum, aut bonum, cogatur dimittere.

Effectus odij sunt. Primò timor causatum mali quod odimus. Secundò ignaria crescit ille timor. Tertiò si facultas adsit sæuitia. Quartò contemptus, subsannatio, ira, crebræ suspiciones, quibus omnia dicta, & facta in malam partem accipimus, ita Chrysost. *lib. 1. de comp. cordis.* Quintò in corpore cor contrahit, spirituum, & sanguinis diffusionem ita intercludit, vt aliquandò mortem creet. Quærit S. Thom. *q. 29. art. 3.* an amor sit fortior odio, & respondet simpliciter amorem, qui est causa odij, fortiorem esse, cùm nullum sit odium nisi ex amore, aliquandò tamen odium maius videri: Primò quia sensibilius est, cùm enim sensatio fiat in immutatione, quando aliquid iam immutatum est, non ita sentitur, sicut quandò est in ipso immutari, & calor febris hecticæ quis sit maior, non ita sentitur sicut calor tertianæ, quia calor hecticæ iam in habitum, & naturam versus est: amor etiam in absentia morbi magis sentitur; repugnantia igitur eius quod oditur magis sentitur, quàm conuenientia eius quod amatur. Secundò quia non comparatur ad amorem sibi correspondentem, vnde odium quod correspondet maiori amori, magis mouet quàm minor amor, atque ita non simul sentitur amor, & odium ipsi oppositum. 15

Procliues ad odium sunt primò ignaui, & timidi, secundò suspiciosi: facilè enim volunt aduersariam potentiam accissi, ne sibi noceat. Tertiò qui amant: omnia enim quæ ab eo à quo reposcunt sibi contrà, quam persuaserint, accidunt, pluris faciunt, & hinc vehementiora sunt coniunctissimorum odia. Quintil. *declamat. 17. seu 1. de ira cap. 30.* & Aristoteles *7. polit. capite 7.* ab his enim omnibus dùm lædimur, nos valdè læsos putamus. Quartò superbi, & sui ipsorum amantes difficilè sustinent se in propriis bonis, ac commodis turbari. Quintò praua vsque adeò est aliquorum constitutio, vt omnes oderint, neminem ament, quod sint sanguine cœnoso & fœculento: Fracastor. *lib. de sympat. capite 18.* ratio etiam redditur à Plat. *in Phædro* quando quis aliquem cui maximè fidebat, falsum expertus est, alios omnes similes illi putat, & omnes odit. Sextò frigidis ac siccis facile est odium, sed segne & 16

iners,

iners : in iis qui sunt igneæ naturæ ob humorum adustionem, in terrestrem degenerant, tenax, & acte odium est.

17 Remedia odij sunt inquisitio causarum eius, iniuriarum tolerantia; mala odij quæ sibi qui odit per ipsa creat, enumerantur ab August. *serm. 16. de verb. Domini.* à Parisiens. *lib. de moribus, cap.*8. obstruenda etiam cupiditas, quæ frequentissima odij causa est ex monito Senecæ *lib. 3. de ira, cap.* 34. & August. *epist.* 54.

QVÆSTIO III.

De desiderio, & fuga.

1 DEsiderium, seu cupiditas, & libido (hoc enim postremum nomen pro qualibet cupiditate vsurpat August. *lib.*14.*de ciuit: cap.* 18.) est amor boni absentis, & non habiti, vndè Philo appellat exporrectionem quandam, & extentionem appetitus. Hinc vides distingui ab amore qui est complacentia in bono: seu volitio boni, quod in se sumptum, & quatenùs sibi appetitum adaptat & conformat, causat amorem: in quantum verò absens attrahit ad seipsum, causat cõcupiscentiam, in quantùm verò præsens, quietat in se ipso & causat delectationem, inquit S. Thom. *quæst.* 30. *art.* 2. quibus verbis distinxit cupiditatem ab amore, & delectatione, cum ait in *resp. ad* 1. *delectabile sit obiectum concupiscentiæ sub ratione absentis, sicut sensibile sub ratione præteriti, est obiectum memoriæ.* non quasi absentia sit ratio formalis in hoc obiecto, sed quia obiectum quatenùs substat tali conditioni aliter mouet appetitum, quàm moueret: nomine autem absentis non tantùm futurum, sed etiam præteritum designo; sufficit enim si non habeatur vt desideretur. Neque repugnat Gregor. *lib.*18.*moral.c.*39. cum ait Beatos desiderare videre Deum, quem reuerà vident; vocem enim desiderij latiùs vsurpat vt significet, nollum ex præsentia summi boni ingenerari fastidium, vt in aliis contingit. Quod de Theodosio dixit Pacatus præsentem desiderari, quare reiiciendus est Anton. And. 1. 2. *met. ad* t. 38. rationem desiderij circa bonum habitum agnoscens. Neque placet Kon. *disp.* 1. *de pænitentia, num.* 17. negans amorem simplicem & desiderium distingui penes rationem obiectiuam, sed tantùm penes modum tendendi in obiectum. Nam bonum substans diuersis illis conditionibus, diuersam habet rationem cum appetitu, & postulat attingi diuersis illis tendentiis, à quibus petit specificationem Ægid.

2 Diuiditur cupiditas ab Arist. 3 *ethic.c.*11.*&* 1.*Rhet. c.*12.& S.Th.*q.*30.*a.* 2.in naturalẽ, & in innaturalem naturalis ea est quæ oritur ex ipsa natura, & complexione animalis, seu per quam expetimus ea quæ pertinent ad naturalem statum animalis tuendum, cuiusmodi sunt cupiditas cibi, potus & venereorum quas omnibus animantibus communes dicit Aristoteles, & alij vocant animalem. Cupiditates innaturales, seu rationales, seu, vt appellat Plato *lib.* 8. *de Repub.* & Chrys. *hom.* 73. *in Ioan.* non necessariæ & Anast. Synait. *cap.* 2. *ὁδηγ. part.* 41. & Nicetas *l.*3. *Thesau.* c. 59. gnomicæ oriuntur ex apprehensione quam habet concupiscens, non quatenùs est natura & tali constitutione constitutum, sed quatenùs existimat sibi aliquid esse conueniens, & delectabile; ita se ad illud concupiscendum suo discursu excitat, potiùs quàm à natura excitetur.

Ex his cupiditatibus, naturales finitæ sunt: innaturales autem, seu rationales sunt infinitæ. Vt asserit Aristoteles 1. *polit. cap.*6. quia vt ait S. Thom. *q.*30. *art.* 4. naturalis concupiscentia est eius quod natura requirit: illud autem est certum aliquid, & finitum, quare non concupiscimus naturaliter infinitum potum aut cibum. Igitur hæc cupiditas nunquam est infinita in actu, quia tamen bona quæ appetit natura, non semper durant, sed sibi succedant necesse est. Hæc cupiditas est infinita successione quodammodò: postquam enim v. g. cibum desiderauit, post aliquod tempus iterum illum desiderat, atque ita deinceps. Rationalis cupiditas est infinita. Primum quia sequitur rationem & libertatem, quæ in infinitum procedere potest. Secundum ex Aristotele & S. Thom. *loc. cit.* quia cupiditas finis est infinita: finis enim per se concupiscitur ac proindè magis ac magis concupisci potest, concupiscentia autem mediorum cùm sit secundùm mensuram quæ competit fini, mensurata est, & non infinita, quare qui finem ponunt in diuitiis illas in infinitum concupiscunt; qui autem tantùm volunt eas, vt subleuent suam necessitatem, non concupiscunt, nisi finitas diuitias, quatenùs videlicet conducunt ad eam necessitatem. Naturalis autem cupiditas est mediorum tantùm ad vitæ, & status naturalis conseruationem. Rationalis cupiditas habet varios fines præstitutos à ratione & instar finium, ac proindè infinitè desiderat. Tertiò insatiabilis est hæc cupiditas ob vastitatem sinus humanæ voluntatis. Quia verò hianti ori subducunt se hæc bona, hinc Tantalica sitis, & fames excitatur, vt in hanc rem philosophatur Philo *lib. de decal.* cordis humani ori totum mundum exiguam esse buccellam tradit Rich. Vict. *serm. de Spiritu sancto, & tract. in illud* Psal. 30. *Dilata os tuum* semper enim egestate premimur: idem semper cupimus, vt ait Simplic. *ad c.* 61. *Epictet.* 4. infinita est varietate: nam vna auulsâ cupiditate, alia succrescit, vt ait August. *lib. de bono viduit. c.* 21. & sicut in sensibus corporis acutius audiunt qui non vident, vti intelligitur ex vno aditu, & ex luminum repressa intentione, sentiendi vim in alios sensus promptiorem, dignoscendi acumen exercere, tanquam in vno conetur implere, quod negatur in altero: ita etiam de hac varietate & multiplicitate. Latè Lucian. *in dialog.* nauigium seu vota. Galen. *lib. de curand. animi affectibus sub fin.* Quintò, quia obtenta re non satiatur animus, & alterius obtinendæ spem habet nunquam enim improbæ spei, quod datur, satis est, inquit Senec. *lib.* 2. *de ben. c.* 27. vt flammæ acrior vis est quò ex maiori incendio emicuit. Sextò, quia plus incipit habere posse qui plus habet: Sen. *ep.* 119.

Causam desiderij expressit fabella Plato cùm amorem natum ex poro & pœnia dixit. Ita refert fusè Origen. *lib.* 4. *contra* Cels. & latè exponit Plotin. *Enneade* 3. *lib.* 5. *cap.*6. *&* 7. Boni egestas eius desiderium incitat, vnde bonum omnes quærunt, sed variis viis sæpissimè falsis, vt eleganter exprimit Maxim. Tyr. *dissert.* 19. *num.* 3. vbi comparat iis qui noctu aurum & argentum quærunt, expectationem namque boni tanquam scintillam aliquam mortalium animis inseruit Deus, inuentionem verò abscondit. 4

Effectus desiderij sunt innumera mala, dum immoderatum est, ea paucis Philo perstringit *lib. in decal.* innumera etiam bona, quando bonum est desiderium. Hoc maximè proprium huic passioni est, vt vexet desiderantem, quamvis rei bonæ sit. Quoad corpoream commotionem illam cum de amore diximus *superiùs* descripsimus. 5

6 Propensi sunt ad desideria iuuenes, quia nondum experti difficultates, & ob ætatem feruentiores sunt, faciliúsque bonum propositum apprehendunt. Ita Aristoteles. 2. *Rhet. cap.* 12. Quibus abundat sangois & bilis viget, acerrimè desiderant, sed non pertinaciter: frigidi, & sicci, segniùs & tardiùs desiderant, sed obstinati perstant: quam eandem tenacitatem fouet opinio, vnde imaginosi tenaces sunt hac in parte. Ita Sen. *in consolat. ad Maria. cap.* 7. à constitutione stomachi præpostera quorundam ciborum nascitur cupiditas, vt in grauidis. Causam reddit Aleaand. *lib.* 2. *problem. quæst.* 74. quia sanguis qui in matrice fœtui efformando colligitur, si vitiatus est, suum vitium in os ventriculi transmittit; atque ita stomachus improba motus qoalitate cibos alienos appetit.

7 Remedia sunt causarum remotio, & effectuum consideratio, & maximè felicitatem ac tranquillitatem io illa solum resecatione cupiditatum consistere, vt latè Senec. *ep.* 119. alioquin etsi multa possideamus, sumus indigi, & occupati pauperes.

8 Fuga est effectus oppositus desiderio, éstque auersio, abominatio & displicentia mali absentis, seu futurum, seu præteritum sit; differt ab odio, & dolore, seu tristitia, sicut desiderium ab amore simplici, & delectatiqué seo gaudio; à timore autem quia ille respicit malum absens, sed arduum, aut difficile euitari: propositum addit supra fugam mali absentis, respectum ad futurum, éstque volitio declinādi malum futurum, quare est actus efficax. Detestatio, est mali præteriti auersio: quos actus video includere quidem essentialiter fugam, seu auersionem mali absentis, sed aliquem respectum addere, cùm eam auersionem ad certum tempus determinent, & præterea inferant efficacitatem: posse autem in malum futurum tendere aliqua ratione appetitum constabit ex natura timoris. Quomodo verò detestatio mali præteriti, quæ exprimitur per *nollem fuisse*, sit actus conditionatus tantùm ex parte obiecti, & absolutus ex parte subiecti, atque præsens in voluntate, & quantùm ex se est efficax, ita vt tota ioefficacitas sit ex impossibilitate obiecti, non ex imperfectione actus *disp. sup.* explicatum fuit.

9 Causæ, effectus, & remedia huius affectus vel coincidunt cum iis quæ de odio dicta sunt, vel quæ subindè de timore dicturi sumus.

QVÆSTIO IV.

De spe, & desperatione.

ORdinem generationis affectuum io illis sigillatim exponendis prosequor, vt vides, vnde spem & desperationem, etsi pertineant ad appetitum irascibilem, præpono delectationi, & tristitiæ, qoia via generationis illis priores sunt, vt dixi.

De spe.

1 Spes est prosequutio boni futuri ardui, vt colligitur ex S.Thom. 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. & 2. circa cuius definitionis singulas ferè particulas longæ sunt ambages quas discidimus a. 2. *tract.* 1. *d.* 7. *sect.* 1. vbi latè totam naturam spei tradidimus, vnde facilè etiam colliges quod addit S.Thom. *art.* 3. spem quandam analogicam esse in animantibus brutis, quatenùs videlicet etsi tendant in bonum futurum, & arduum, ad quod etiam videmus moueri: (canis enim si leporem proximum videat in illum concitatur, si nimiùm distantem, non mouetur) quia tamen non notuot futurum explicitè, distinctè sub ratione futuri: ad hoc enim opus est comparatione quadam, quæ solius cognitionis intellectiuæ est, idcircò non dicuntur propriam illam speio, quæ distinctam futuri cognitionem sequitur, habere bruta. Hinc denique diuisionem eiusmodi spei eliciea: vna enim est acrior & erectior quàm par sit, cum ex suarum virium præsidentia, sperat se assequuturum bonum, quod ipsi impossibile est, vocatúrque præsumptio; altera est languida quædam, & flaccida spes, illi erectiori opposita, restant igitur solum assignandæ causæ & effectus huius passionis, vt in reliquis hactenùs præstitimus.

Causæ igitur spei sunt paria subsidia adipiscendi rem quam prosequimur. Hine quia iuuenes difficilius apprehendunt obiectum sibi insuparabile, tum ob inexperientiam, tum ob calorem ætatis ac sangoinis, quo ferment, facilè sperant sicut etiam ebriosi, vt tradit Aristoteles 2. *Rhet. cap.* 12. de ebriis tum *ibid.* tum 3. *ethic. c.* 8. & *sect.* 30. *problem. quæst.* 1. idem contingit illis qui amicis, alisque eiusmodi præsidiis affluunt. Denique S. Thom. *art.* 5. quidquid facit bonum possibile, aut facit existimare illud possibile, auget spem, & è contrariò minuit. Effectus spei innumeri sunt, vitam hominis illis contineri dicebant Elpistici philosophi apud Plut. 4. *symp. cap.* 4. Philo *lib. de Abrah* ait nuncupari hominem, Enos, quia ille solus est, qui spe se sustinet. Vnde *ibid.* spem facit ianitricem Palatij, quod virtutes omnes inhabitant: & *lib. de præmiis, initio*, ait spem esse præcipuam sementem quam commisit animis hominum Deus, & ibi fabulam Triptolemi per orbem alatis draconibus vecti & seminantis fruges. *Ibid.* appellat consultricem domesticam, qua leuemur in molestiis *lib. quod deter. insidietur potiori* alitum animarum virtutem amantium, Maximus Tyrius *dissert.* 37. *num.* 216. Rationibus humanis contubernales duos adiunxit Deus amorem, & spem; spem esse alarum remigium, quod animam efferat, in ipsáque etiam impossibilia impellat. Mamertin. *in Iulia. paneg. Marcens cupiditatis flamma spei bona flatibus excitatur.* Senec. *lib.* 5. *contr.* 1. vltimum aduersarum rerum solatium. Synes. *lib. de insomniis* Prometheum spem indidisse in naturam hominis ad tolerandam vitam, vt dicunt Sophistæ: *ibid.* constantiæ medicamentum dicit. Huc facit illa animi erectio aduersùs omnes difficultates, vndè ait Basil. *hom. in psal.* 1. inchoatum Psalterium à beatitudine: & quamvis aliqui conatus irriti fuerint, nititur tamen semper eluctari voluntas, vt ostendit Senec. *lib.* 7 *de ben. cap.* 31. sic ille nauta rogatus cur se committeret infido mari in quo pater, auus & proauus periissent, rogauit vicissim, cur in lectum conscenderet in quo maiores eius obiissent. apud. Petrarch. *lib. de remed. dialog.* 171. *de natur.* Phil. *lib. de nomin. mutatione.* Abrahami & Saræ risum nondum nato Isaac: risus est explicans, ait spem esse prænuntiam lætitiæ, quæ ex acquisitione boni, deindè percipitur; omnes enim effectus in natura sui aliquod præludium & veluti præsagium habent. Hanc præuiam lætitiam spei comparat floribus, & dilucescenti auroræ, sic odoratum esse prænuntium gustûs; contrarium verò accidere in metu. D. Chrys. *orat.* 30. catenam ex voluptate & ægritudine compactam, qui annuli sibi inuicem implicentur, sequi in fine extremam omnium voluptatem, nempè mortem, & ante eam omnium maximam ægritudinem, compedes autem, & vincula, quæ homines redigant in

ditionem, esse spem. Plurima alia vide apud Parisiens. *c.5. lib. de morib.* Causat & amorem illius, à quo bonum speramus. S. Thom. *art.* 7. quia illum tanquam bonum nostrum speramus: iuuat operationem, & apprehensio ardui excitat attentionem: apprehensio possibilis non retardat conatum, & demum, quia causat delectationem, quæ adiuuat operationem. In bello desperatio est periculosa ob aliquam spem, quia desperant de fuga, & debilitantur in fugiendo, sperant tamen suam vlcisci mortem, & ideò pugnant acriùs.

3 Dilatat cor spes caloremque diffundit, sed tenuiùs quàm gaudium ex boni fruitione, & quàm desiderium efficax; quia propter obiecti arduitatem immiscetur spei aliquid timoris, qui tantam dilatationem impedit. Itaque comparant spem vino diluto & per lympham castigato, desiderium vino mero cuius acrimonia retusa non est.

4 Remedia spei languidæ sunt depulsio prauæ opinionis & lymphatici metus de magnitudine mali, aut de difficultate boni obtinendi: vanis enim eiusmodi terroribus & opinionibus nos malè affici docet Senec. *ep.* 13. afferenda sunt in contrarium, quæ boni possibilitatem doceant, & arduitatis opinionem imminuant. Spes verò præfidens comprimitur expensis diligenter difficultatibus, quæ in assecutione boni possunt occurrere, & cogitando quàm sæpè variæ, & cæcæ sint nostræ spes, quàm multos deluserint.

De desperatione.

5 Quando bonum aliquod impensè cupimus, si illud appareat impossibile nobis, nascitur dolor & tristitia, ex odio seu nolitione impedimentorum, quibus prohibemur à boni concupiti adeptione, cuius amor omninò persenerat. Hinc sequitur animi contractio, fractio, desperatio, casus ac languor, nolitio tum vsurpandi media, quæ inutilia fore certum nobis est, tum etiam nolitio nonnunquam boni ipsius, quandoquidem nunquam obtinendum à nobis esse scimus. In aliquo horum actuum desperationem consistere necesse est, cùm alius fingi nequeat. Almainus *tract.* 2. *ma. c.7. diff.* 3. collocat in iudicio de impossibilitate rei obtinendæ, quod indicium aliquando verissimum esse potest, vt dum damnati desperant se vnquam saluandos, poni tamen liberè oportet hoc iudicium de non futuro bono, vt contrahat malitiam desperationis: opponitur autem spei, quia cum eo iudicio impossibile est poni spem. Quare eo posito iudicio pereat spes necesse est; vndè non satis solidè impugnatur Almain. ex oppositione spei & desperationis, quæ exigit, vt sint in eodem subiecto; quod hic non fieret: vna enim esset in intellectu, altera in voluntate; nam negabit Almain. aliam exigi oppositionem quàm explicitam, illam autem formalem non reperiri, sicut etiam nuper diximus, iram nullum alium affectum sibi contrarium habere. Reiiciendus itaque est Almain. quòd præter illud iudicium necessariò sit admittendus aliquis actus prosequutiuus voluntatis circa bonum illud, cuius assecutionem iudicat nunquam futuram in quo actu ponendam esse hanc passionem; & non in iudicio nemo negabit, cùm iudicium illud non potiùs desperationem constituat quàm iudicium de futuritione spem ipsam; hoc autem falsum nuper ostendimus. Itaque illud iudicium præambulum tantùm erit ad actum vitalem voluntatis, sicut in spe contingit. Dari autem hunc actum circa bonum non obtinendum probatur: quia ex eo iudicio, in quo collocabat desperationem Almain. nascitur tristitia de amissione boni; tristitia autem sequitur nolitionem non boni ipsius, vt patet, sed impedimentorum, quæ nolitio cùm sit odium quoddam, iterùm supponit aliquem amorem priorem, tum ex natura odij, quod radicari in aliquo amore diximus cum S. Thom. hic autem amor non potest esse nisi boni, quod obtinere cupimus. Hinc enim fit vt oderimus illa impedimenta, quæ videmus nos arcere à boni concupiti fruitione, indéque tristemur, frangamur animo, & nolimus etiam vsurpare illa media, vtpote inutilia, atque tandem ipsum nolimus amplius bonum frustra velle. Ex his autem posterioribus actibus in vltima illa nolitione seu fuga, & auersione boni ardui collocat desperationem Pensaut. 2. 2. *quæst.* 22. *art.* 1. *disp.* 1. verum docet experientia bonum de quo desperatur, intensissimè diligi; neque desperat quia non vult bonum, sed quia non potest assequi illud quod vehementissimè cupit, vt obseruauit Aureol. *in* 3. *d.* 23. ... *art.* 3. *sub fin.* quare si rogetur vtrùm amet illud bonum, respondebit se omnibus votis expetere; imò quò intensior amor est boni, eò maior desperatio, & tristitia est eam consequens. Alij igitur dicunt desperationem esse in nolitione vsurpandi media, aut in dimissione actuum circa illud bonum, quibus frustra se fatigari videt. Verùm sic desperatio non erit immediatè de bono, sed de mediis, cum tamen æquè desperatio atque spes debeant versari circa bonum. Deinde potest aliquis desperare, etsi nullum ex eiusmodi actibus explicitè, & formaliter elicat, vt apparet in illo, qui nulla media vsurpare debebat ad bonum, quod obtinere se sperabat ex mera alterius liberalitate: non potest tamen formaliter desperare sine formali desperationis actu. Potest autem aliquis odisse bonum, nolle vsurpare media, aut illud non velle neque etiam velle sperare propter operosam adeptionem, & tamen non desperabit: qua ratione confutatur Valent. *d.* 3. *quæst.* 7. *p.* 2. desperationem ponens in fuga mali, quod ait esse defectum boni ardui ob eius arduitatem. Nam qui vult illud bonum, & odit eius defectum, & causam illius defectus, nempè arduitatem, non desperat.

6 Itaque videtur desperatio, desiderium efficax boni conditionatum ex parte obiecti, cuius sibi videt præclusam adeptionem, vnde nascitur tristitia, languor animi, & casus, nolitio etiam mediorum vt inutilium, & ipsiusmet boni nonnunquam. Dixi hoc desiderium efficax, & conditionatum, quia reuerà vellet voluntas consequi illud bonum si posset, quod tamen videt se nunquam consequuturam, quare S. Thom. *art.* 4. *quæst.* 40. definiuit potiùs desperationem per effectum, quàm per rationem eius formalem, dum illam esse dixit recessum à bono ad quod spes accessiua quidam est. Optimè verò Aureol. *loc. cit.* spem definierat quandam assurrectionem voluntatis in bonum arduum; & deindè oppositam desperationem dixit esse specialem casum à bono, hanc enim fractionem, & languorem, aut contractionem animi essentialiter connotat hæc volitio boni nunquam obtinendi, ex iudicio de impossibilitate, aut præclusa futuritione: non enim sufficit solum iudicium de difficultate quam aliquis subire non vult ne se priuet aliqua suauitate, & commodo, vt voluit Kon. *d.* 20. *de actibus supern. num* 81. alioquin frequentissimum foret hoc peccatum, quod tamen rarum est. Opponitur igitur spei quæ est boni concupiti desiderium efficax & apprehensione futuritionis eius erigens animum in arduitatem eius superandam, vndè sequitur volitio mediorum, & reliqui actus.

Cùm

Cùm desperatio sit desiderium efficax, sed conditionatum ex parte obiecti ardui, & ob apprehensionem præclusæ futuritionis animum contrahens; quare sufficienter ab omnibus affectibus voluntatis distinguitur; neque enim odium est, neque tristitia, sed eius posterioris causa, neque simplex desiderium, sed efficax, & præterea conditionatum boni ardui connotans essentialiter casum, & fractionem mentis.

7 Causæ desperationis sunt primo actus iudicantis de impossibilitate, aut non futuritione boni concupiti. Secundò affectio voluntatis adhærentis alicui, ex quo alterius impossibilitatem futuram apprehendit. Hinc enim habetur iudicium de ea impossibilitate.

8 Faciles ad desperandum sunt qui angusti, & direcți animi sunt, meticulosi, atrabilarij, & melancholici, qui facilè consideratione difficultatum premuntur. Sic Aristot. *s. 3. problem. quæst.* 1. si vltra modum frigidus est sanguis, anxietates & molestiæ sine vlla ratione nascuntur, ex quo laqueo mortem sibi consciscunt maximè quidam iuniores. Vide locum. Item qui prioribus calamitatibus iam fracti sunt, qui gloriæ cupidi sunt. Palatinus cui Boleslaus Rex Poloniæ leporis pellem, colum & fusum miserat, sibi laqueo vitam abrupit apud Cromerum. Ignauia desperationem fouet, & ab ea vicissim excitatur. Chrys. *Păranesi* 1. *ad Theodorum sub fin.* sicut tabes gignit vermiculos in cadauere quæ ab iis postmodum augetur.

9 Effectus desperationis. Primò lapsus in vitia. Aug. *lib. de nat. & grat. c.* 35. *Quidam in peccata prolapsi desperatione plus pereunt, nec solum pœnitendi negligunt medicinam. sed ad explenda inhonesta. & nefaria desideria, serui libidinum. & sceleratarum cupiditatum fiunt.* Secundò, securitas ob stuporem quendam. Hinc reorum vsque ad damnationem metus, postea attonitus stupor. Pacatus *in panegyr.* sic gladiatur tota pugna timidissimus iugulum aduersario præstat, & errantem gladium sibi attemperat. Tertiò, ira & audacia ipsáque salus, quia frigefactus sanguis, desperationis æstu recalescit, & per antiperistasin ira accenditur, vt animos supra vires suggerat, & tantum impellat ad vltionem vt videat ne inultus pereat, si quando pereundum est. Quare vltima quæque aggreditur: Vegetius *lib.* 3. audacia clausis, ex desperatione crescit, & cum spes nihil est, sumit arma formido, & *lib.* 4. *cap.* 25. necessitas quædam victoria est desperatio.

Quomodo animus à desperatione sit auocandus, docet egregiè Burchiarius *epist. ad Ianuarium lapsum* & Chrys. *vtraque păranesi ad Theodorum lapsum, deinde Mopsuestenum Episcopum.*

Cor contrahit desperatio, ratione effectuum, quos connotat, vti fuit explicatum. Hinc lurida facies, pallor, &c. Alexand. 1. *problem. quæst.* 87.

QVÆSTIO V.

De audacia & timore.

1 AVdaciam dixerunt aliqui spem erectam, sed falsò, si ea locutio sit formalis, cum sint passiones diuersorum appetituum, & spes nullum periculum connotet in suo subiecto sicut facit audacia, quæ etiam ex spe nascitur: quare si quando Aristoteles dixit audaciam esse spem, causaliter loquutus est, vti rectè exponit Caiet. 2. 2. *quæst.* 1. 23. *art.* 3. alij dicunt esse carentiam timoris, in aggressione, vel expectatione eorum à quibus imminet periculum: ita refert Salas *tract.* 9. *d.* 1. *n.* 89. neque multum improbat, dubitátque sitne audacia passio. Verùm quis non videat aliud esse non timere, aliud audere. Itaque per eam vacuitatem timoris significarunt sine dubio intrepidam aggressionis periculorum volitionem, quæ omnem timorem excludit. Salas ait esse ipsammet aggressionem generosam periculorum. Verùm hæc aggressio est tantùm actus quidam externus, non ipsius appetitus passio, vt patet: addit non esse actum boni prosecutiuum, sed mali contemptum, neglectum, & despectionem, quam per erectionem animi aduersùs periculum exprimimus. Verùm quamvis eum contemptum periculi præsupponat audacia, aut connotet in obliquo, non est tamen formaliter, & in recto talis contemptus. Hic enim est actus intellectus depretiantis rem quampiam; cùm audacia sit actus appetitus quippiam prosequentis, aut auersantis. Valent. 1. 2. *d.* 5. *q.* 5. *p.* 1. audaciam ait esse actum prosequutiuum operis difficilis, quatenùs est bonum vtile ad finem arduum consequendum; per accidens autem versari circa imminens malum quod per ipsam negligitur. Verùm non rectè videtur restringi hic motus circa bonum tantùm vtile ad finem arduum, cùm etiam circa finem ipsum versetur audacia, nisi velit Valent. audaciam ferri in periculum, & illud appetere, non quatenùs periculum & malum est, sed quatenùs eius aggressio est medium ad finem obtinendum. Lorca 2. 2. *d.* 1. *n.* 20. spem ait versari in bonum arduum, arduitate petita ex nobilitate, aut recessu obiecti supra potentiam: audaciam autem secundùm arduitatem natam ex incommodis & periculis circunstantibus obiectum, quæ postremæ sententiæ facilè componuntur, si dicamus audaciam esse prosecutionem boni difficultatibus, & periculis obsepti, cuius actus est fortitudo, qua per media illa in bonum concupitum euolat. Quod intelligo de damnis, & periculis, aut ipsi bono essentialiter annexis; aut mediis tantùm ad eius consequutionem necessariis. Itaque velle aggredi ea pericula, ex boni desiderio, est ipsa audacia. Ipsa deindè aggressio, quæ est actus fortitudinis, est actus aut executio audaciæ, qui omnes actus supponunt in intellectu depretiationem, & contemptum periculorum. Ita S. Thom. *q.* 45. *a.* 2. cùm definit audaciam prosecutionem mali terribilis, non significat nisi id vnde denominatur hic motus audaciæ: neque enim persequitur malum nisi quatenùs persequitur bonum eo malo quod superandum aggreditur audacia conuestitum. Ita etiam Suar. *tr.* 4. *d.* 1. *sect.* 9. cùm ait audaciam esse formaliter desiderium boni, quod quia non potest assequi, nisi malum subeat, illud aut permittit, aut parui pendit: imò & appetit, si tale malum sit vtile ad bonum obtinendum, vt dixi, & ab hoc vltimo circa malum sumitur tota difficultas huius actûs & denominatio. Denique Durand. *in* 3. *d.* 26. *q.* 2. *num.* 15. audaciam inter extrema fortitudinis enumerat, ac proindè cum moderata est, fortitudinem esse. Ex quibus vides, audaciam diuersam esse affectionem animi ab spe, quæ tantùm tendit in bonum, non in despectionem periculi, causat tamen audaciam quæ se habet ad spem vt conclusio ad præmissas; qui enim sperat se assequuturum bonum, etsi arduum vndique audet illud prosequi, nullis victus difficultatibus, quas etiam aggredi & subire vult. Opponitur timor qui periculum sentit sibi propositum, & vt malum refugit, cum audacia, & quia illud vt bono complicatum attendit, generosè aggreditur; atque

atque ita habent hi motus idem obiectum materiale; & secundùm accessum & recessum distinguuntur, vt vidit S. Thom. quem malè reiicit Martinus de Magist. *quæst.* 4. *de fortitudine*, quamquam timor fertur in malum ipsum, audacia primò, & per se in mali periculum; quod fortassis voluit Caiet. dum 2. 2. *q.* 123. *art.* 3. dixit obiectum audaciæ apprehendi vt longè existens, & superabilis resistentiæ; à timido autem apprehendi vt propè existens, & magnæ potentiæ ad nocendum.

2 Causæ audaciæ sunt ea omnia quæ fouere, aut gignere spem, & excludere timorem possunt, inquit S. Thom. *art.* 3. *q.* 45. & ea omnia quæ ad periculi despectionem inducunt.

3 Vnde qui spem maximam concipiunt, sunt audaciores, cuiusmodi dixit etiam Aristoteles 2. *Rhet. cap.* 5. qui rectè se habent ergà diuina. Qui nihilo ducunt pericula, quales sunt inexperti, plurima audent: iis annumera in rebus agendis præcipites, quales qui aut feruore ætatis, aut calidiore constitutione, aut mero multo incensi, nullo considerato discrimine res aggrediuntur. Qui plurimo calido nec admixtionibus impuris frigescentes abundant, multos habent spiritus, quibus tremor, & pallor depellatur, etsi pars aliqua in periculis internas partes subeat, vt aduertit Fracastor. *lib. de symp. cap.* 14. quæ habent paruum cor animalia audaciora sunt, quia abundant calore; & quæ magno sunt corde, parùm caloris in magno conceptaculo, aut magna domo habent, ideò hæc timida sunt, illa audaciora. Vide Aristotelem 3. *de part. c.* 4.

Magna vis audaciæ est in vtramque partem: meticulosi enim nihil magni vnquam aggrediuntur; dilatat cor, spiritus & sanguinem foras euocat: licèt enim ob arduitatem obiecti aliqua videatur esse cordis contractio, vt diximus in spe contingere, vbi tamen audaciæ conatu assurgit, & animus incalescit, cor dilatatur, spiritus effundit & sanguinem, qui etiam ingenti æstu in ea lucta concepto, ita calescit vt per poros exudet, atque ita ex audacia, quæ ingenti tristitiæ successit in Christo, sudor sanguineus contigit.

4 Cohibetur audacia, periculi propositione, & æstimatione propriarum virium, quod vltimum monet Seneca *lib. de tranquill. animi cap.* 4. & 5. Acuit autem illam prægustatio boni, quod per pericula quæritur, & alia eiusmodi.

De timore.

5 Timor est auersio, seu fuga mali ardui futuri: ita S. Thom. *art.* 2. *quæst.* 41. per vocem futuri distinguitur à simplici odio, per arduitatem, à fuga opposita desiderio; quare S. Thom. *art. cit.* colligit hunc motum esse animi passionem distinctam à reliquis omnibus: defectu arduitatis negat S. Thom. *art.* 3. *quæst.* 42. mala culpæ quatenus sunt voluntaria & consequenter faciliùs euitabilia, esse obiectum timoris; quod idem de ipso timore, qui quà voluntarius est timeri non potest, asseruit *a.* 4. Richard. autem *in* 3. *d.* 15. *art.* 3. *quæst.* 5. *ad* 4. ait ea quæ euentura sunt ex nostra voluntate, qualis est amputatio membri putrescentis, timeri, sed cùm difficultas sit in voluntaria abiectione alicuius mali; etiam timeri non potest: circa rationem tamen futuri duplex existit difficultas.

6 Prima an debeat esse futuritio talis mali incerta, apprehendi euitabilis; an verò etiam circa malum omninò certum priùs concipi timor: prius enim illud affirmare videtur Aristoteles *lib.* 2. *Rethoric. cap.* 5. negans eos quibus nulla superest salutis spes timere: Idem ait S. Thom. *quæst.* 42. *art.* 2. & consentit Caiet. qui ait malum posse esse incertum appetitui sensitiuo, & non voluntati, atque ita posse timeri secundùm vnum appetitum, & non alium, Valent. *tom.* 4. *d.* 2. *quæst.* 13. *part.* 4. & alij cum Rich. *loc. cit.* qui idem asserit circa ea quæ certò euentura sunt ex necessitate, non ex voluntate. Quæ distinctio displicet; nam posita volitione tam certò euentura sunt mala inde consequutura, quàm quæ ex necessitate prouenient, futura enim licèt voluntaria; infallibilia sunt, & certò, licet non necessaria. Contrarium asserit Vasq. 3. *par. disp.* 62. *cap.* 3. quia neque Nemesius, neque Damascen. neque alij veteres hanc conditionem incertitudinis in obiecto timoris quæsierunt; & Christus verè timuit mortem, quam certò sibi impendere sciebat, neque satis consentaneè Patribus concedit Caiet. Christum non timuisse mortem secundum voluntatem, sed solùm secundùm appetitum sensitiuum. Quibus est putre membrum, secandum timent: denique spes versatur circa bonum certum: ergò & timor illi oppositus malum certum attingere potest. Compones eas sententias, si dicas timorem efficacem & absolutum non esse de malo certo & immutabili; inefficacem autem & conditionatum etiam circa tale malum versari. Prior sic exprimitur, *Volo hoc malum à me auertere*; alter autem *sic, vellem, si possem hoc à me malum amoueri*. Statim verò apparet nequaquam cum certitudine euentûs priorem illum actum elici posse.

Altera difficultas circa futuritionem est, quod ex ea sequitur timorem non reperiri in brutis, neque in appetitu sensitiuo, cùm cognitio sensitiua prælucens tali appetitui, futuritionem rei, seu rem futuram nequeat attingere, sed tantum rem præsentem, aut præteritam per memoriam: quod enim Caiet. t. 2. q. 40. *art.* 3. distinguit inter cognoscere rem futuram, & quòd res erit, & primum tribuit brutis quia hoc futurum tantum in confuso, non autem posterius; inane est, subtiliórque videtur ea distinctio, quàm vt capiatur; atque ita Vasq. ait t. 2. *d.* 44. *num.* 11. bruta non versari nisi circa malum præsens, aut per recordationem existimatum præsens, quod est non timere. Cuius contrarium conuincit experientia, cùm bruta malum nondùm positum fugiant, & auersentur. Neque euasio Vasq. de malo præterito sufficit: nam vel solùm illud tanquam præsens attingunt, & ita non aliter erga illud se gerent quàm si esset præsens, de eóque tristabuntur, non timebunt; aut ex ea mali aliàs inflicti recordatione aliud imminens quodammodò præsentiunt, & ita verè timent, attingúntque futurum. Et sanè videmus, canem se accingere ad mali imminentis declinationem, & saltem tùm primò malum imminens fugit brutum, vt canis manum extensam & baculo armatam, non licèt recurrere ad recordationem mali præteriti, quare concedendus est verus timor brutis; quorum etiam phantasia cognoscit obiectum futurum in actu exercito, quatenùs attingit obiectum non positum, & apprehendit vt imminens; qua ratione plura alia insensata connexa cum sensatis apprehendit, vt ouis inimicitias cum lupo, neque propterea agnoscit aut futuritionem in actu signato, aut formaliter comparando coexistentiam obiecti cum variis temporibus, sed tantùm in concreto cognoscit rem futuram, & quæ nondùm posita est; quæ futuritio est aliquid insensatum sensibili externo, sed aliquando cum re sensata necessariò connexum, quâ ratione dixit S. Thom. *quæst.* 40. *art.* 3. ferri brutum in obiectum sub ratione possibilis: canis 7

enim

enim leporem distantem videns non mouetur, quia eius assecutionem non apprehendit, vt possibilem, quod de possibilitate formaliter sumpta, & in actu signatu dici non potest, sed de possibilitate in concreto, tudique eiur, ac confusa cognitione, quæ possibilitas includit etiam aliquam futuritionem; quæ simul sine dubio attingitur. Vide Fonsec. circa hanc cognitionem *lib. 5. met. cap.* 28. *quæst.* 5. *sect.* 5. Sal. *tract.* 1. *d.* 5. *num.* 16. & *tract.* 4. *d.* 3. *num.* 85.

7 Timor diuiditur pro ratione mali, quod, vt obseruat S.Thom. *quæst.* 1. *art.* 4. considerari potest vel in operatione, vel in rebus exterioribus. In operatione timetur primò labor grauans naturam, cuius fuga dicitur segnities. Secundò turpitudo lædens opinionem bonam, quæ si timeatur, dum actu operamur, est erubescentia, si de turpi facto, verecundia. Malum autem in exterioribus rebus, aut sua magnitudine excedit facultatem repulsiuam, & admirationem gignit, vel insolitum est, & causat stuporem, vel est improuisum & improuisibile, facitque agoniam. Theologi diuidunt ratione mutabilitatis timorem, in eum qui semper malus est, qualis est mundanus, & seruiliter seruilis, in quo manet peccandi voluntas, quæ tunc inquit August. *serm.* 25 *in psal.* 118. apparet in opere, quando speratur impunitas, qui mallet licere, & dolet non licere quod lex vetat. Denuò, in eum qui semper bonus est, qualis est timor filialis, & reuerentialis quo Deus ob Dei magnitudinem timetur, & quis ob suam paruitatem resilit à Dei magnitudine; de quo consule Parisiens. *lib. de virtut. cap.* 15. Et in eum denique qui aliquando bonus, aliquando malus est, vt humanum & simpliciter seruilem.

8 Causæ timoris sunt primò malum omne, etsi distans quamquam minùs tunc timeatur; debet autem malum verum esse, alioquin timor inanis est, vt multis Epictet. apud Arria. *lib.* 2. *cap.* 1. Deúsque ipse quatenùs nobis pœnas infert, & non nocet timetur; quod non negat Lactan. *l. de ira Dei. cap.* 17. nisi voce tenùs, quia Deus sanctissimè infert pœnas, vndè non dicitur nocere. Sic etiam intelligo Sen. *lib.* 2. *de ira. cap.* 27. Secunda causa est cognitio mali, eáque non simplex apprehensio, sed opinatiua, & enunciatiua, vt habet apertè Aristoteles 3. *de anim. tom.* 30. 46. *&* 154. sed luculenter *textu* 43. vbi distinguit imaginationem vel iudicium, quod sit fugienda & prosequenda à simplici intellectione, & imaginatione, vnde amplius colligo, quod fatetur censuisse Aristotelem Vasq. 1. *part. disp.* 75. *n.* 14. seorsum internum elicere notitias iudicatiuas & enunciatiuas; quod quamvis neget Vasq. tribuit tamen S.Anselm. *dial. de verit. c.* 6. & reuerà affirmauit Gregor. *in p.* 1. *d.* 3. *q.* 1. *art.* 1. Gab. *quæst.* 3. *prolog. a.* 2. Medin. 1. 2 *q.* 9. *a.* 1. *sub fin.* Valent. *ibid. disp.* 1. *quæst.* 4. *punct.* 1. Suar. *disp.* 23. *metaph. sect.* 2. *num.* 10. & alij apud Gillium *lib.* 1. *tract.* 5. *num.* 2. nam cùm bruta eodem obiecto proposito, v. g. pane aliquandò ad illud moueantur, aliquando ad illud non moueantur, & illa diuersitas non oriatur à libertate, qua carent, debet sumi à notitia quæ variatur: simplex autem apprehensio est vniformis, & semper eadem. Est igitur in eo quod nunc cognitio pronuntiet de bonitate obiecti, vnde sequitur eius prosecutio, nunc pronuntiet de disconuenientia, vnde auersio fiat. Restat igitur cognitio iudicatiua, quam Suar. & alij volunt esse simplicissimum actum, sed tunc concedunt bruto modum nobilissimum cognoscendi, quod homini negant. Itaque alij concedunt iudicium formaliter compositum ex simplicibus apprehensionibus extremorum, & copulæ: quidquid dicatur, satis elucet, quomodò in brutis sit sufficiens cognitio ad causandum timorem. Tertia causa est amor boni concupiti, ob quod volumus vitare malum. Quarta defectus & imbecillitas resistendi. De his S. Thom. *quæst.* 43. *art.* 1. *&* 2. Quinta repentina magis timentur, quia & maiora apparent, & subtrahunt remedia ad euitationem. Ita S. Thom. *q.* 42. *art.* 3. Sexta quæ sunt irremediabilia, id est quæ non possunt depelli, quando semel euenerunt, sunt maximè timenda: S. Thom. *ibid. art.* 6. quia malum augetur ex variis circumstantiis, quò maius autem est, eò magis timetur.

Meticulosi sunt primò, qui omnia mala magna ducunt, siue ob inexperientiam, & ob iudicij imbecillitatem mala existimant. Secundò, qui oculatiores perspicaciùs pericula vident, vnde prudentiores, sunt timidiores. Ita Fracast. *cap.* 19. *de sympath.* Hinc noctambuli non sunt excitãdi, ne viso periculo exterreantur. Ita Lang. *lib.* 1. *ep.* 45. Tertiò improbi qui irato Numine nihil boni expectant. Quartò, qui auidè expectant bonum aliquod, quod magni faciunt. Hinc Stoici pallor ne vitam pretiosissimam amitteret, quod Aristipum respondisse refert Aug. *lib.* 9 *de ciuit. cap.* 45. Quintò qui parum habent caliditatis, sanguinis, & atrâ bile abundant: enecta enim & torpore grauati sunt. Aristot. 2. *de part. c.* 4. Sextò ob has causas pueri, mulieres, & senes valdè meticulosi. De senibus fusè Aristoteles *lib.* 2. *Rhet. cap.* 13. 9

Effectus timoris sunt omnes molestiæ, quæ ex malo præsente nascuntur, quæ per anticipationem quandam sentiuntur. Ita Senec. *Epist.* 98. Diogen. *apud Stob. serm.* 8. D. Chrys. *orat.* 6. Imò grauiorem esse aliquando ipsius timoris, quàm mali præsentis vexationem notauit Xenophon *lib.* 3. *Cyrop.* Interdum denique timor degenerat in insaniam. De boni timoris fructibus latè Parisiens. *cap.* 2. *lib. de moribus.* 10

Effectus. Cor maximè commouetur & laborat, vt ex concitatione & palpitatione pulsûs colligitur: vt igitur illi subueniat natura, aduocat ex omnibus partibus subsidium sanguinis, & spirituum. Hinc fit primò frigus reliquo corpore vtpote destituto sanguine, & spiritibus. Secundò tremor præsertim in manibus, genibus, voce, labio inferiore, & maxilla inferiore, atque stridor dentium: seu quia illæ partes habent peculiarem connexionem cum corde, vt ait S. Th. *q.* 44. *a.* 3. *ad* 1. seu veriùs quia caloris abscessu concidunt eæ partes; caloris enim esset tum manus mouere, tum vocem firmare, vt statim dicam. Labium autem inferius minùs sanguineum est, suo nutu deorsum fertur, & faciliùs refrigeratur, ac concidit. Tertiò casus è loco è quo aliàs securè starent. Quartò pallor & horror. Quintò, reiectio excrementorum vrinæ, & seminis; quia laxatis musculis, & neruis ob spirituum abscessionem fit ea eiectio & dissolutio. Ita Alexand. 1. *problem. quæst.* 12. *&* *&* 13. Aristoteles *sect.* 27. *problem.* Gellius *lib.* 19. *cap.* 5. Dioscorid. apud Macrob. 7. *saturnal. cap.* 11. dum ait totam naturam in timore deorum demergi, & secum sanguinem trahere. Hinc senum quoque tremor apud eund. Alexand. 1. *problem. quæst.* 18. Sextò, sitis & difficilis excreatio ob incensionem partium externarum, & totis humidi absumptionem. Septimò, defectus sudoris maximè in pedibus, Aristot. *sect.* 2. *problem. quæst.* 26. *&* 31. Octauò vox acutior, quia deserente calore superiores partes, aspera arteria constringitur, & exilis aër exprimitur. Hinc acuta vox ex *sect.* 11. *problem. quæst.* 53. in pudore qui tamen timor est, contrarium accidit, quia sanguis 11

sanguis diffunditur in faciem, & partes externas, vnde dilatantur eius organa, & vberior aër emittitur, quare & grauior vox efformatur. Nonò, horripilatio, quia frigore comprimuntur meatus, & hinc capillitij rigor ex *sect.* 8. *probl. quæst.* 21. alias 18. *quæst.* 9. canitudo capilli; hanc cum timentibus accidere narrat Rhodigin. *lib.* 3. *cap.* 17. & Iunius *lib. de coma, cap.* 10. abscessit enim calor, vitiantur humores, aut etiam putrescunt, vnde ea albedo. Leonicus *quæst.* 70. è naturalibus, tradit quibusdam iuuenibus subitò in morbis incanuisse comam, & deindè sanis iterum nigricatam fuisse. Decimò, mutationem colorum in chamæleonte, & polypo huic eidem affectui tribuunt Aristoteles *lib. de partib. cap.* 11. Cassiodor. *lib.* 5. *epist.* 34. Psell. *in fragmento qq. physicar*, apud Aldroand. *lib. de exanguib. mollib. cap.* 2. §. *problemata.* Scalig. *exer.* 196. *n.* 4. Plutarch. *lib. de animal. solertia*, & *lib. de causis naturalib. quæst.* 19. Dicunt igitur aliqui colorem qui visitur in Chamæleonte esse per metum expromptum. Aquilon. *lib.* 1. *opt. propos.* 41. Verùm cur non eosdem colores semper, sed exprimit varios pro diuersitate corporum adiacentium, en habet humores varij coloris, quos vicinia corporum ex ipso metu compressa euocet, quando humores illi villos chamæleontis peruadunt, in quibus tamen Theophrast. *lib. de admir. audit. cap.* 29. eandem diuersitatem cerni dicit. Alij malunt eos colores phantasticos tantùm esse, & è vicinis corporibus, in eam deferri species, tanquam in speculum; malunt autem multum conferre, quia cutem huius lacertæ laxam comprimit, & læuem, ac in speculi modum æquatam reddit. Ex eo igitur reflectuntur illæ species, ac colores, à quibus emissæ sunt, nobis repræsentant: verùm chamæleon etiam nullo affectus metu, mutat colorem, &, vt ait Tertull. *c.* 3. *de pallio. de corio suo ludit*, neque metus erit causa vera horum colorum, vt videtur tamen velle Philosophus *locis allatis*. Falsum etiam est, metum æquare pellem chamæleontis in morem speculi, cum potiùs defectu caloris abscedentis eam stringat & corrugat. Non satisfit etiam vulgari quæstioni cur eo speculo non repræsententur color albus, & ruber: qua ratione reiiciuntur etiam Conimb. 1. *de gen. cap.* 4. *q.* 1. *art.* 3. & Abulen. *in cap.* 14. *Deuteron. q.* 4. qui colores corporum vicinorum, per cutem chamæleontis tanquam vitrum transmitti putant. Cur enim albedo & rubedo non cernatur, vt in aliis speculis? Cur mortuus solùm pallet ex Plinio *lib.* 8. *c.* 33. Cur si tangatur per sese mutatur sine vllo aliorum corporum obiecto ex Theophrasto *opuscul. de animalibus colorem mutantibus*? Quod autem ait Arelius *lib.* 1. *de gen. q.* 28. *sect.* 4. enasci ex mixtura specierum emissarum à vicinis corporibus cum speciebus colorum natiuorum chamæleonti eam varietatem, vti contingit in collo Columbarum, non satisfacit: quia tunc non apparent colores vicini, sed mixturæ quædam colorum; multò minùs probari poterit August. qui *lib.* 11. *de Trinit. cap.* 2. in imaginationem reiicit, quia imaginatur album, & rubrum, quæ tamen non exhibet: quare distinguunt alij quosdam ex iis coloribus esse natiuos chamæleonti, & præ metu excitari, alios esse in vicinis corporibus, qui in eo tanquam in speculo videantur, non in cadauere propter corrugationem, & sensim perfectiùs exhiberi, quia ex copia aëris quam laxata cutis præ metu haurit, fit translucidior: albedo autem & rubedo non exhibetur defectu alicuius conditionis. Denique metu aliqui exanimantur ob copiosum sanguinem & spirituum ad partes internas subitum appulsum, vndè suffocatio consequitur. Sic Alexand. 1. *probl. q.* 16.

Quæres cum in pudore, qui timor quidem est, 12 euocetur sanguis ad partes extimas & rubescat facies, naturam prætendere sibi illud rorum, cur intra sanguinem, quem ideò commouet, se abscondere. Inde Disarius apud Macrob. *lib.* 7. *saturn. c.* 11. & Alexand. 1. *problem. quæst.* 15. Ægid. *lib.* 1. *de regim. Princip. part.* 3. *cap.* 10. in timore mali corruptiui & interni euocari ad cor sanguinem: in timore, autem mali externi vel inhonorationis ad partes externas affluere, quæ distinctio nullâ ratione fulcitur & falsa est. Caietan. *prima secundæ, quæstion.* 44. *artic.* 1. ait verecundiâ, cùm sit exiguus timor, non contrahi nisi modicè cor, neque reuocari spiritus vsque ad frigus ingrossans. Sed cur igitur erubescunt, illa enim ratio docet tantùm cur non palleant? Conimb. *lib. de vita, & morte cap.* 6. dicunt contrahi cor verecundia, vndè aliqui etiam exanimati sunt, vt de Diodoro dialectico scribit Plin. *libro* 7. *capite* 13. de Homero Valer. *libro* 9. *capite* 12. de eo & Aristoteles, Nazianz. *orat.* 1. *in Iulian. num.* 41. Verùm vnde ille rubor? Eam autem exanimationem reiicio in nimiam copiam sanguinis refusi in extrema corporis, vnde deliquium in extremis contigerit, aut in tristitiam, qua fuerint potiùs quàm verecundiâ oppressi. Dicendum itaque cum Fracastor. *capite* 21. *de sympath.* Anton. Ludouic. *lib. de pudore inir.* in his, qui pudore suffunduntur, faciem laborare. Itaque cùm modicus sit timor, modicaque contractio cordis, natura in partem laborantem sanguinem tanquam suppetias mittit; vnde fit vt primò pallescant, & aliquantulùm frigeant erubescentes, & deindè incalescant ac rubeant. Quæ ratio est, cur ebriosi modò palleant, modò rubeant, vt ait Isidor. Palusior. *lib.* 3. *epist.* 293. Hinc etiam post contactum frigidi alicuius nimis incalescimus.

Medendum est timori: miserum enim est ante 13 ipsam mali inflictionem iam torqueri. Vnde Seneca *epistol.* 98. monet, benè sentiendum de malis; nam plerumque non sunt mala quæ timemus. Senec. *Epistol.* 110. & *Epistol.* 13. Epictes. *capite* 10. & apud Arrian. *libro primo, capite* 12. & 27. *libro secundo, capite* 16. & 17. *libro tertio, cap.* 8. pauca sunt speranda & optanda: sic enim pauca timebimus. Senec. *Epistol.* 5. Denique æternitatem proponere, quam qui mente concepit (inquit Sen. *Ep.* 102. *in fin.*) nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur: quid nil non timeat qui mori sperat?

QVÆSTIO VI.

De gaudio & tristitia.

HÆc est vltima coniugatio passionum habentium contrarium, quam paucis perstringo.

De gaudio.

Gaudium seu delectatio & voluptas: hæc enim nomina confundo quamvis delectationem brutis etiam, non gaudium conuenire dicat S. Thom. *q.* 31. *art.* 3. & Less. *lib.* 2. *de summo bono, cap.* 17. *num.* 140. voluptatem etiam in malam partem sumerent Stoïci apud Sen. *ep.* 59. 31. est vitalis operatio appetitûs, quâ bonû adeptum & amatum suauiamur, in eóque quiescimus.

Dixi *vitalem esse operationem*, vt excludam Scot. qui putat esse solam passionem ab obiecto, & Gab. qui poni vult in appetitu solùm passiuè se habente ab amore, & notitia boni; quos *disp.* 1. *sect.* 3. latè reieci. Dixi autem esse operationem circa bonum amatum, quæ essentialiter præsupponit complacentiam in bono, & non tantùm desiderium, aut amorem simplicem olim præcessisse; sine amore enim non fit obiectum delectabile, vt ipse omnium sensus satis docet. Quod autem obiicit Aureol. *in* 3. *d.* 15. *quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 5. virginem delectari dum patitur vim, etsi facinus illud, & actionem non amet, imò horreat, nihil vrget; quia virgo non delectatur nisi sensibiliter. Eáque delectatio habet adiunctum amorem quendam naturalem, & sensibilem, qui inuitâ voluntate, imò & auersante, pullulat. Præter hunc autem amorem præcedit delectationem aliquid per modum operationis, ex qua consequitur voluptas, éstque vel vera operatio, vel saltem vnio & applicatio obiecti amati, quæ dicitur operatio. Disputat autem late Philosophus *l.* 10. *ethic. cap.* 2. an delectatio ex ea progenita, an operatio præstantior sit. Valent. 1. 2. *d.* 1. *quæst.* 4. *part.* 1. & Sal. *tract.* 2. *d.* 8. *num.* 22. negant operationem esse præstantiorem: contrarium asserit S. Thom. *in* 10. *ethic. l.* 6. quia operatio non posset delectationem profundere, nisi esset ipsa nobilior. Dixi denique delectationem sumi de bono amato adepto, non de ipsa adeptione, vt voluit Durand. *disp.* 1. *sect.* 3. latè reiectus, vbi etiam fruitionem nihil differre à delectatione monuimus.

2 Diuiditur delectatio pro ratione delectabilis, in intellectiuam, & sensitiuam; deinde in rationalem, naturalem, & contra naturam, ab Aristotele 1. *Rhet. cap.* 11. vltima est ea, ad quam neque natura ipsa ex sese, neque ratio instigat, quæ tamen vel ex mala constitutione corporis, vel ex praua consuetudine alicui indiuiduo potest fieri naturalis, vt ait S. Thom. *q.* 31. *art.* 1.

3 Causæ delectationis latè enumerantur à S. Thom. *quæst.* 32. cognitio boni, eius amor, & quidquid illud amabile nobis reddit, vt similitudo, labor in eo parando, recuperatio post iacturam ea Aug. *lib.* 8. *confess. cap.* 3. Chrys. *homil.* 31. *in* 1 *ad Corinth.* Vnde post ingentem tristitiam, gaudium ingens. Nazar. *in paneg. Nihil est immoderatius, quàm post longam tristitiam repens gaudium, impetu suo feruet, nec vt primum vinum continuò defæcatum, statim purum est. Nam vt fistula cum vi diu intercepta sunt exitu dato, quò largiores, eò crassiores aquas euomunt: sic vota hominum metu interclusa, turbide aliquid egerunt cum cumulata ruperunt.* Nouitas, & raritas, adblandiens admiratio, sed maximè ipsum bonum, pro cuius magnitudine mutantur delectationes; quare magis interest nostris delectationibus debitum obiectum figere ex monito Sen. *ep.* 23. S. Thom. *a.* 5. *q.* 31. ostendit delectationes intelligibiles maiores esse sensibilibus ratione boni coniuncti, coniunctionis, & eius cui coniunguntur. & *art.* 6. delectationes tactus esse potentissimas inter sensibiles, sed ignobilissimas.

4 Ad gaudium accommodati, qui sanguine abundant dulci, & leni, & qui constitutionem oppositam timori habent. Ita Fracastor. *l. de sympath. c.* 18.

5 Effectus sont condire omnia; omnes enim voluptates quærunt, Aristoteles 7. *ethic. cap.* 13. Maximus Tyrius *diss.* 33. *n.* 190. Philo *lib. de agricult. sub init.* piscatoribus hac in parte homines comparat. Hinc varia nata voluptatis encomia dicit idem Philo *in cosmop.* & propterea serpentem emisisse vocem humanam, quia plures in huius defensionem oonam doctrinam afferunt. Perficit denique omnem operationem, vt exponit S. Thom. *q.* 33. *art.* 4.

Dilatat cor & spiritua, ac sanguinis multùm effundit, quia inquit Richard. *in* 3. *d.* 27. *art.* 4. *q.* 3. appetitus illi insidens amplificari, & quasi grandescere vult, ad pleniùs potiendum obiecto: ex ea cordis dilatatione fit dilatatio quoque diaphragmatis, & per quemdam consensum musculorum quoque, qui sunt circa buccas, vnde risus, de quo Vales. 5. *controu. cap.* 9. & nos *alibi.* Hinc omnes illi effectus, quos nuper amori tribuimus, atque ipsum animi deliquium. Ita Theophrast. *opusc. de animi defectu*, faciunt & voluptates, & mœrores defectum animi; nam ab vtrisque humoris copia irruit; à voluptate quidem quòd tabefacit & effundit; à mœrore, quòd astringit & addensat. Irruens autem humor ad inspirationis locum, animum facit deficere. Mors denique consequitur, Pacatus *in paneg. Theodos. Repentina felicitas facit attonitos animos nostros subitis affectibus impares, perindè lætitia ac dolor si deprehendat, extenuat.* 6

Remedia. Primò, quia voluptates nostræ omnes mixtæ sunt, Tyr. *diss.* 31. & 32. *n.* 184. Basil. *hom. de paradiso*, spinæ commixtæ rosis, in omni ætate esse plus doloris, quam voluptatis docet Isidor. Pelus. *lib.* 2. *ep.* 163. Secundò, fastidium ipso vsu ingenerant, & nisi sit aliqua molestia præuia, non sentitur voluptas. Tyri. *diss.* 35. *num.* 204. Arist. 7. *ethic. in fine*, quia natura non est aliquid simplex. Cassio. *l.* 7. *ep.* 36. Tertiò, fugaces sunt. Vide Aug. *serm.* 33. *de verbo Domini.* & Tyri. *diss.* 31. *n.* 185. Quartò pungunt dum abeunt Epictet. *c.* 56. *Ench.* D. Chrys. *orat.* 3. *de regno.* Quintò, nullæ extra virtutem. Nemes. *lib. de hom. cap.* 18. & Herocl. *ad v. verb. Pythagoræ.* Quomodò porrò irrepat voluptas per partem priùs imbecilliorem, fuse Philo *in cosmop.* Euæ, & serpentis alloquium interpretatus. 7.

De tristitia.

Dolorem vulgò distingunt à tristitia, quòd dolor sit actus vitalis appetitus sensitiui offensi ab obiecto tractili, de quo actu fusè *in lib. de anima* dictum fuit; tristitia autem ad solam voluntatem pertineat. Has tamen voces modò confundo; & dico, tristitiam esse actum vitalem appetitûs circa obiectum præsens, & exosum, quod nequit excutere, quæ tota definitio liquet ex his, quæ modò diximus de delectatione. 8

Diuiditur in eam, quæ funditur in omnia mala, & quæ nomen commune retinet, & in eam quæ in aliena mala fertur, diciturque misericordia, & quæ in bonum alterius quatenùs in malum nostrum apprehenditur, & est inuidia. De his duabus postremis dictum fuit 2. 2. & dicetur *tomo* 2. *huius operis.* 9

Causæ tristitiæ sunt. Primò malum nobis immissum. Secundò, notitia quam malè non exigi dixit Ocham. *in* 3. *q.* 14. *l.* 7. Tertiò nolitio mali, seu displicentia, quam æquè essentialiter includit tristitia, atque complacentiam delectatio: sufficit autem eam nolitionem mali esse conditionatam; nam tristatur qui proiicit merces, cuius tamen proiectio est tantùm conditionata. 10

Facti ad tristitiam ægri, senes, quia pauci caloris, exangues & contrariis non facilè resistunt, iracundi etiam, & inuidi. 11

De effectibus tristitiæ vbi immoderata est, vide Senec. *in consolat. ad Marc. c.* 2. Chrys. *l.* 2. & 3. *de prouid.* & *orat.* 2. *de prouid.* & *ep.* 7. & Nilum *orat. de tristit.* quæ est quinta ex variis. Exedit illi suum cor ex Clem. Alex. *lib.* 5. *stromat. c.* 3. quàm vtiles tamen bi- 12

dolorea

dolores si moderati, vide Chrysost. *lib. 1. de compunct. cordis sub fin.* miratur D. Chrysost. *orat. 16.* homines tam suauiter, & diu in eo tormento manere: cor admodum contrahit, vndè demùm exsiccatio ossium, tabes corporis, impedimentum & tarditas operationum, rigor, ac stupor ipsius cordis grauatio, cum effusa in illud spiritum copia & constrictione, compressis non eicit fuligines, quibus ea flamma scatet. Tabem ex inuidia, quæ tristitia quædam est generatam describit Gregor. *lib. 3. moral. cap. 14.* Refert Viues *lib. 3. de anima. c. de mœrore*, repertum alicui cor non latius membrana, & Melanchton. *lib. de anim.* Marchioni Casimiru cor exemptum simile fuisse pyro tosto.

13 Leuatur cor tum lachrymis, tum suspiriis, ita vt multos per vim compressis lachrymis obiisse dicat Isidor. Pelus. *lib. 1. epist. 176.* est aliquod doloris lenimentum dedisse lachrymas malis, & pectus laxasse suspiriis. Pacatus *in paneg. Theodosij*. De his lachrymis ex constrictione cerebri profusis præ tristitia Vide Basil. *homil. de gratiarum actione*. Nysseo. *lib. de hom. opific. cap. 12.* Meletius *de structura hom. cap. 40.* Nicetas *in orat. 11. Naz.* Aliquando tamen in summa tristitia nullæ dantur lachrymæ, seu ex summa siccitate cerebri, & paucitate humorum, aut quia per calorem omnis humor exorbetur, aut quia spiritus ita comprimuntur, & constipantur, vt deuotet homini lachrymas, & homo saxi instar rigeat: sic Amasim Ægyptium refert Aristoteles 2 *Rhetoricorum, capite 8.* non dedisse lachrymas filio mortuo, dedisse autem in casu amici, quia istud erat miserabile, illud atrox. Gaudio tamen ea dilatatione cerebri gigni lachrymas compertum est. Ambros. *in orat. funebri Satyri fratris.* Habet & lætitia lachrymas suas, & lachrymæ plerumque pietatis indices, non illices sunt doloris, Vide Alexand. *lib. 1. probl. q. 31.*

14 Mors denique arctam cordis compressionem aliquando sequitur. Viues tamen *lib. 3. de anima, c. de lætitia* obseruat faciliùs per effusum gaudium, quàm per tristitiam eripi vitam, quia gaudio effunditur spiritus, & omnis calor euocatur à corde, quod est periculosius quàm cùm appulsu spirituum fouetur, & lucerna sæpiùs extinguitur defectu olei, quàm eius copiâ.

15 Remedia. Primò, inutilitas lachrymarum nisi ad peccata expurganda. Chrys. latè *hom. 5. ad popul. & hom. etiam 7.* sed pauciuribus. Secundò, aliorum collachrymatio nostras leuat, Chrys. *hom. 1. in 2. ad Timot.* & Aristoteles *lib. 9. ethic. c. 11.* qui idcircò ait esse aduocandos amicos ad nostra aduersa. Tertiò, consideratio malorum quæ alij subeunt. Latè Chrys. *hom. 1. in 2. ad Timot.* vbi etiam ostendit sementem tristitiam esse quod alienam sortem quilibet suæ præferat. Quartò, consideratio malorum quibus exercitati possumus, vel io ipsa natura, Petrarch. *lib. 2. de rem. dial. 93.* Quintò, assuetudo patiendi Themist. apud Stobæum *serm. 125.* Sextò, consideratio causarum tristitiæ, quæ variæ sunt, earùmque remotio, vnde etiam vinum, & alij cibi conferunt. Septimò, auertere cogitationem ab obiecto dolorifico; & ideò cantus leuat mœrorem, quia aliò mentem rapit. Chrys. *serm. 10. in psalm. 41.* Vide Diun. *tota orat. 16.* multa in hanc rem suggerentem.

QVÆSTIO VII.

De ira.

AB Aristotele 2. *Rhetoricorum, cap. 2.* definitur ira, appetitio cum dolore coniuncta, eius quæ apparet vltionis, propter eam quæ apparet despicientiam vel in se, vel in suorum quempiam non conuenienter: quæ definitio & naturam huius affectûs, & eius causas continet. Naturam quidem, cùm ait iram esse appetitionem vindictæ, quæ apparet possibilis: vt enim *ibid.* ait Aristoteles nascitur voluptas quædam ea spe vlciscendi, ex qua voluptate, tum ira pullulat, tum eandem voluptatem dum irascitur, & iam quodammodò sese vlcisci incipit, parit, éstque tum vulgaris apud veteres ea definitio, qui vel cupiditatem vindictæ, vel libidinem vlciscendi, vel appetitũ recruciationis dixerunt. Eandem Aristoteles *l. 1 de anim. s. 16.* vocat dialecticam, id est, vt ego interpretor, ad dialecticæ regulas, quibus bona definitio æquari debet, exactam illa enim altera vulgaris qua dicitur ira, Ebullitio sanguinis circa cor, pinguis est, physica, & solum per effectum iram consequentem tradita, neque vniuersalis; alioquin neque in Angelis, neque in animabus separatis, neque propriè in ipsa voluntate reperiretur. Distinguitur hic appetitus ex suo obiecto, & modo in illud tendendi ab omnibus aliis affectibus: neque potest esse difficultas nisi circa odium & eius desiderium, & odij quidem Aristoteles *lib. 5. polit. c. 10.* particulam quandam iram appellat: quia videntur eosdem effectus producere, differre tamen sit, quia ira nulla vtitur ratione, & cum dolore fit, non odium. Igitur odij obiectum est malum quod auersamur; iræ autem est vindicta quam appetimus. vt nostrum aliquod bonum; suave enim videtur vlcisci: quare ita est affectus prosecutiuus, & odium auersatiuus. Ira supponit essentialiter tristitiam, quam odium præcedit. Nam obiectum iræ non est malum absolutè, sed quatenus iniuriam, & molestiam nobis irrogatam quodammodò compensans, quare non fit sine dolore, vt dicebat Aristoteles; & id significatur cùm dicitur appetitus recruciationis, cùm odij obiectum sit malum absolutè sumptum. Ira est alid præceps & quantum ex se est efficax: odium est quid lentius & sæpissimè inefficax. Denique pater irascitur facilè filio, quem non odit, nisi difficilè. inquit Aug. *hom. 5. & 50.* irascitur & amat, potest dici: odit & amat, non potest dici. Occaller tamen aliquando odium in iram, vt ait Sen. *l. 3. de ira c. 41.* & Aug. *hom. 5. 40 42. & 50.* odium ait esse iram inueteratam, ita vt ira sit festuca, odium trabs, quæ repetit *in Ps. 54.* Quod attinet ad desiderium, falsum est, omnem qui appetit vindictam irasci: neque enim iudex, qui damnat reum illi irascitur; debet enim illa vindicta appeti per modum recruciationis, seu tanquam compensans mœstitiam nobis ab alio ingeneratam: quare ita desiderium quidem aliquod est, sed non quodlibet etiam vindictæ. Neque aliud voluerunt Nemes. *c. 21. de homine*, & Damasc. 2. *de fide. cap. 16.* cum iram dicunt esse vltionis cupiditatem ex concupiscentia, & ira permixtis: significant enim iram non esse quamcunque cupiditatem vindictæ, sed per modum odium et recruciationis. Quod denique Aureol. *in 3 d. 23. a. 4. art. 5.* dixit, iram assurrectionem in ipsam vindictam, non potest aptè intelligi, nisi concedamus esse formaliter appetitionem, sed cum nisu quodam & conatu, quem per assurrectionem

exponimus: neque enim assurgit appetitus in obiectum nisi per suos actus vitales, qui sunt formaliter appetitiones auersatiuæ, vel prosecutiuæ.

2 Causam iræ duas assignabat Aristoteles, remotam vnam nempè delpicieoriam, seu iniuriam quamlibet; quo nomine intelligo, aut calumniam, aut incommodationem quamcunque ab externo illatam, siue ea vera sit, siue tantùm apprehensa, proximam alteram, dolorem, seu tristitiam ex ea iniuria conceptá, quam vtramque causam indicat vox recruciationis. Vnde vides in Deum iram cadere posse vt multis ostendit Lact. *l. de ira Dei*, quia verè læditur, & iniuriam patitur, quod malè negat *ibid.* Lact. in suis bonis externis, est tamen sine sensu & perturbatione tristitiæ in Deo ira, & ea ex parte nostra deficit, vt ait Cassian. *lib. 8. inst. c.* 4. & idcircò iram sic consideratam Deo denegant aliqui PP. vt Arnob. *lib. 1. n.* 10. & Hilar. *in psalm.* 2. mutanda igitur erit vox *recruciationis* in vocem vindictæ absolutè sumptæ, & tunc nihil prohibebit Deo eam concedere cum reliquis patribus. Hinc etiam colliges nos verè interdum irasci rebus inanimatis vt obseruat Cassian. *l. 8. inst. c.* 18. neque vt vult Sen. *lib. 2. de ira c.* 16. irascimur tantùm iis qui ea à quibus incommodamur fecerunt, cùm sola nostra imprudentia, ea læsio attingat, sed quia ira est virtualis quædam despicientia, & vera læsio, ac molestia, eo modo nos gerimus erga ista inanimata, atque si sensûs capacia forent, vt vidit Aug. *lib. 14. de ciu. c.* 15. & fusè Sen. *lib. 2. de ira c.* 2. accedũt ad has causas omnia quæ vel tristitiam ex iniuria acceptam augent, vel quæ despicientiam quandam produnt, vnde silentium eius cui irascimur interdum magis eam exacuit, quod notauit quoque Gregor. *lib. 5. mo. c.* 31.

3 Diuiditur ira pro variis eius causis incentiuis, & effectibus, Sen *lib. 1. de ira, c.* 4. nominat inter iratum differentias, amarum, acerbum, stomachosum, rabiosum, clamosum, difficile, asperum, quibus addit morosum, delicatum, iracundiæ genus, tum sigillatim. Quædam sunt iræ quæ intra clamorem considunt, quædam non minùs pertinaces quàm frequentes; quædam sæuæ manu, verbis parciores; quædam in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ, quædam vltra querelas, & auersiones non exeunt; quædam illæ grauesque sunt & introrsum versæ, mille aliæ species sunt mali multiplicis. Isidor. Pelus. *lib. 4. ep.* 225. ponit tantùm ὀργὴν excandescentiam & θύμον iram perseuerantem, cùm aliqui odia in longum iaciunt, quæ recondant, auctáque promant, vt de Tyberio scripsit Tacit. Nemesi. *l. de hom. c.* 21. enumerat excandescentiam, simultatem quam vocat μῆνιν quod maneat & inimicitias. Gregor. *lib. 5. moral. cap.* 32. quatuor membra ponit *alij enim accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, accensionis suæ quasi fomitem reddunt, citiùs flammam faciunt, sed protinus in fauillas frigescunt: alij vt ligna grauiora difficilè accenduntur, & extinguntur, alij citiùs flammas capiunt, & tardè ponunt, alij & tardè irascuntur, & citò quiescunt.*

4 Ad iram propensi sunt primo, qui facile se contemni putant, quales sunt pauperes, & animo debiles, Tiraq. *l. 9. connub.* 16. *n.* 184. Secundò, qui difficile contemptum ferunt. Tertiò melancholici, qualiter humor infigit, & auget despicientiæ sensum, dispellit humorem lætitiæ accommodatum, exigit spiritus, vnde mentis obnubilatio. Hinc studiosi quia plurimos spiritus consumunt, & atrum sanguinem plurimum creant indignabundi, & iracundi sunt. Quartò, valetudine, ætate, aut labore crescit propter causas in illis melancholiam concitantes. Vide Sen. *l. 3. de ira c.* 9. Quintò, igitur qui tristiores sunt natura, & quibus biliosior sanguis facillimè offenduntur, & irascuntur. Sextò aquæ potores quia tenues habent spiritus, qui incendio iræ facilè corrumpuntur. Ita Vio. *lib. 3. de Anim. c. de ira.* Septimò, timidiores modici sanguinis, & frigidioris difficilè succensent. Octauò, qui leuioris & plurimi sanguinis, promptè admodum irascuntur, sed non diu. Nonò, qui iram non comprimunt: ait enim Aug. *ep.* 155. ex medicorum sensu fel crescere assuetudine irascendi. Decimò, qui crasso & fibroso sunt sanguine tardissimè ponunt iras. Ita Aristot. 2. *Rhet. c.* 2.

Virulentos iræ effectus enumerat Sen. *l. 2. de ira. c.* 36. 37. Primò, hominem toto corpore efferat. Nyss. *orat.* 2. *de beatit.* 2. rationem perdit, & omis hominis similitudinem destruit. Gregor. *lib. 5. moral. c.* 3. Energumeno similem facit. Nyss. *orat. de beatit.* & Greg. Pont. *l. c.* Chrys. *hom.* 21 *ad popul.* & *hom.* 30. *ad popul.* Quartò æstro, furore, & insania percellit, vndè Themist. definiuit λαλιας ἀνεγοχροτων, & alius τῆς ἐλυθερίας τὸ ἀυθις μανιας, vide Basil. *hom.* 10. *quæ de ira.* 5

Corpus variè commouet, quia enim vindicare se quædam voluptas est, cor dilatat, & spiritus effundit: & quia in ira tristitia quædam est à qua generatur, cor constringitur, & spiritus confluunt, ex quo æstu bullit sanguis circa cor, & in partes exteriores quasi ad malum repellendum, accensus in corde sanguis recurrit. Hinc concitatio linguæ impeditæ, trepidatio oris, palpitatio cordis, & alia quæ describit Nyss. *orat. 7 de beatit.* Hinc oculorum ardor quia tenues spiritus ibi se produnt ex Alexand. *lib. 1. probl. q.* 102. hinc percussio manuum, aut aliorum membrorum, vt animus quoque modo iam vlciscatur, & iram extinguat. Vndè se sua cauda feriunt Leones, idem Arist. *ibid. q.* 144. Hinc denique morbi à concitato corpore contrahuntur. Nunquam tamen ercari mortem sola ira notat Vales. *lib. 5. contr. c.* 8. quia per iram cor non omninò vacuatur vt in gaudio, neque appulsu nimio sanguinis suffocatur, vt in tristitia. Ex illa tamen corporis concitatione, & insania potest aliundè sibi irascens consciscere mortem. Sic Valentinianus in Quados & Sarmatas Illyricum vastantes frendens ruptâ venâ efflauit animam. 6

Comprimitur ira primo animi demissione quâ temnat iniuriam Nyss. *hom. 2. de beatit.* Chrys. *hom. 47. in Ioan.* Secundò remouenda hominum verba, & dicta Chrys. *ibid.* Tertiò, consideratio malorum quæ ira gignit *ibid.* Chrys. & *hom. 4. in Matth.* & *3 de Sacerd. sub med.* Quartò, valent ad iram ratione potûs & cibi ad bilem quæ est fomentum iræ restinguendam adhibeantur. Alia remedia sparsim dabit. Anton. *lib. 9. de vita sua n.* 56. & *lib.* 11 *n.* 16. Senec. toto opere de ira; consule, *lib. cap.* 5. 7

PRINCIPIVM IV.

Fontes moralitatis.


VÆ hactenùs de humanis actibus disputata sunt conueniunt omnibus in genere naturæ consideratis, non prout boni, vel mali, laude, aut probro digni sunt hominem bonum vel malum denominant, & ad beatitudinem supernaturalem viam faciunt, aut ab ea dedocunt. Hæc autem omnia habent à bonitate, aut malitia in genere moris, seu moralitate, quàm proindè consideramus hoc loco.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid illa sit.

MOralitas nomen analogum est ad actus, & plura alia entia quæ moraliter denominantur ab ordine quem dicunt ad actus morales, quorum sunt vel obiecta, vel effectus, vel causæ, vel circonstantiæ, vel aliquid consequens, aut aliqua tandem ratione connexionem cum ipsis habens; quia verò forma significata nomine analogo primario reperitur in præcipuo, analogato siue intrinsecè sit, siue extrinsecè, & in aliis tantùm per ordinem ad illud primum, in eo quoque priùs considerari debet. De moralitate itaque tantùm actuum imprimis agendum est, & quid ea sit inquirendum.

1 Peruulgata sententia actum moralem, & liberum, seu ex plena rationis aduertentia, & libera voluntate elicitum confundit, ac proindè libertatem in actu, & moralitatem idem esse. Ita Durand. *in* 2.*d.*38.*quæst.*1.*num.*6. eo quod morale deriuetur à more, & consuetudine, quam ingenerare potest solus actus moralis, idque à solius libertatis beneficio; videmus enim actus merè naturales, aut determinatos non inducere morem. Nam licèt lapis millies proiiciatur sursum, nunquam tamen morem, & consuetudinem tendendi sursum acquiret. Durando subscribunt Salas *tract.* 7.*d* 1.*sect.*1. Suar. 1.2.*tract.*3. *qui de malit.& bonitate d.* 1.*sect.*2. *num.*15. & *lib.*1. *de legib.cap.*1.*num.*3. vbi morem in solis actibus liberis reperiri ostendit. Neque abnuit Becan. *prima secundæ. tract* 1.*cap.*3.*quæst.*4. cùm nihil aliud assignari possit, & positâ moralitate, intelligatur libertas.

2 Dicendum tamen est cum Vasq.1.2.*d* 73. *cap.*9. Kon. *d.*3.*dub.*1.*num.*16. moralitatem esse regulabilitatem, vel dirigibilitatem à ratione: libertatem verò dumtaxat, vel fundamentum, vel conditionem huius dirigibilitatis; quod postremum probat Curiel. 1.2.*q.*18.*art.*1.*d.*1.*§.*1.*con. autem* 2. hanc dirigibilitatem non ponit in actu, sed in obiecto, ad quod tendit actus moralis, qui aliud non est, quàm tendentia libera in obiectum à ratione regulabile; ratio autem non dirigit obiectum, sed actum, vt constat, neque obiectum est bonum, aut malum, quia à ratione regulatur, sed idcircò ratio iubet hoc, aut illo modo actum tendere in tale obiectum, quia ex se bonum, vel malum est, vel indifferens, éstque, vt dicam inferius, moralitas obiectiua aliquid analogum cum moralitate formali actiua, eiusque radix, & fundamentum.

3 Libertatem autem non esse moralitatem, vt asserebat prima opinio, ostēdit variatio moralitatis perseuerante eadem libertate: nam actus qui hactenùs, moraliter bonus fuerat, vbi continuatur post notitiam prohibitionis, malus est, etsi idem omninò & entitatiuè immutatus eum eadémque libertate perseueret. Plures etiam moralitatis species eiusdem ordinis, & generis, eidē actui adueniunt: qui enim furatur propter adulterium, actū duplici malitia morali infectum admittit, cum in eo tamen non possit fingi nisi vnica libertas: & quamvis libertas, & moralitas sese perpetuò comitentur, indè tamen malè eliciebant aduersarij rationes istas, vnicam esse, cum aliquandò moralitas sit primariò in actu, in quo est tantùm secundariò libertas, & communicet moralitatem, ex multorum sententia, illi à quo accipit libertatem, vt apparet in actu exteriori, qui sæpiùs primariò prohibetur, & sub regulam rationis cadit, quando videlicet habet rationem obiecti respectu actûs interni, cui etiam suam malitiam cōmunicat. Ab eo tamen rationem liberi, & voluntarij, quam tantum secundariò participat, accipit. Denique cum dentur actus indifferentes secundùm speciē, & fortè etiam secundum indiuiduum, liberi profectò sunt, neque propterea speciem moralitatis habent, cum neque boni, neque mali sint: neque exponi potest quā tandē ratione bonitas, & malitia tanquā species diuidentes genus moralitatis constitui possint sub libertate, quæ diuisum eo casu esse debet. Si autem rationem moralitatis cōstituamus in regulabilitate, seu dirigibilitate à ratione, conuenientia, disconuenientia, & indifferentia cum natura rationali, rectè tanquam species diuident genus moris, v.g. dirigibilitatem à ratione, vel natura rationali. Quorum omnium ratio à priori petitur ex natura volūtatis, quæ libera est, & cæca; vndè enim potest ferri in obiectum honestum, aut turpe, nisi ab aliquo dirigatur? cùm enim libera sit, non est determinata ad vllum obiectum, & cùm cæca sit, indiget alterius directione, à qua tamen vbi obiecti bonitas, & malitia indicata est, non cogitur in vllam partem, sed vel eam regulam & præceptum sequitur, vel ab eo discedit ad arbitrium. Quæ Suar. obiicit *s.* 3 *cit. n.*14. vel probāt tantùm hanc regulationem actus liberi à ratione, nō esse respectum vllum, aut similitudinem, quod statim concedemus, aut libertatem necessariam esse ad moralitatem, vt in amore beatifico constat, qui moralis non est, & tamen dirigitur à ratione dictante amandum esse summum bonum. Sed nos vltrò fatemur exigi quidem libertatem ad moralitatem, sed vt conditionem sine qua non, aut aliquid prærium, & essentialiter connotatum: quod enim, vt dicebat Durand. determinatum est ad vnum, non indiget directione, cùm semper etiam necessariò eodem modo fiat. Neque aptum est ingenerare consuetudinem, & morem. Quare tandem fatetur Salas, moralitatem aliquando sumi pro aliquo consequente libertatem.

Hæc autem moralitas in actu non est ipsa eius substantia, sed accidens aliquod separabile, immutatâ naturâ totius actûs, quod de actu exteriori, qui suam honestatem, aut turpitudinem ab interiori mutuatur, omnes fatentur. De malitia actus interni distinguunt aliqui, nam eam quæ sumitur ab obiecto directè volito, dicunt esse differentiam essentialem actui voluntatis, etiam in genere naturæ spectato, quod negant de malitia deriuata ex obiecto indirectè tantùm volito. Quoad bonitatē autem ab obiecto suis circunstantiis conuestito deriuatam volūt actui interno voluntatis aduenire tanquam differentiam specificam, physicam, & intrinsecam entitatem eius, quod postremum docent Gab. *in* 3.*d* 23 *q.*1 *lit. K. & P.* quia deueniendō est ad actum aliquem intrinsecè bonum, ne si quilibet sit talis ab extrinseco, hoc est ab alio actu, cogamur progredi in infinitum. Conrad. *q* 19.*art.*1.1.2. Azor. *lib.*2.*c.*5.*quæst.*1. Suar. *d* 4. *mor. sect* 2. vbi idem malè tribuit Almain *tract* 1.*mo. cap.*13. ibi enim tantum habet conformitatem actus cum ratione, aliud non esse, quàm actum conformem. Quæ verba legitimum sensum habere possunt, vt inferiùs dicam. Denique Becan. *c.*4.*q.*2.*n.*7. huic sententiæ suffragatur. 4

Nos verò contrariam eligimus cum Vasq. 1.2. *d.*55. *cap.*2. Salas *tract.*7. Kon. *d.*3. *D.*8.*d* 2. *sect* 8. quibus præiuit Durand *in* 1 *d.* 38 *quæst.*1. Bona *ibid. d.*41 *art.*1.*q.*2. Scot. *in* 1 *d* 17 *q* 2.*§.quantum ad istum.* Atque hanc eandem fuisse mentem S. Thomæ, multis contendit Caiet. *in art.*1. *quæst.*19. 1.2. quod enim eo *A.* & *alibi* dicat bonum, & malum esse dif- 5

ferentias per se actuum voluntatis, loquitur de illis actibus spectatis in genere moris. Et sanè cum bonitatem, & malitiam ibidem comparet cum veritate, & falsitate, satis suam mentem explicuit; constat enim eandem intellectionem ex sola mutatione obiecti externi, ex vera fieri falsam; vt qui cogitat Petrum sedentem, quandiu sedet veram habet cogitationem, vbi primum surgit, falsam. Probat verò nostram assertionem efficaciter Caietan. ex multiplici moralitate: quæ eidem actui interdum accidit, vti q.4. ostendemus: v.g. voluntas furandi propter adulterium habet duplicem malitiam, & duplicem bonitatem: voluntas dādi eleemosynam propter diuinum amorem; atqui impossibile est eandem entitatem habere duas naturales, & physicas differentias, quibus in duplici specie infima collocetur, vt admittunt omnes passim philosophi. Deindè nullus est actus humanus qui ex bono fieri non possit malus, aut saltem non bonus, & ex malo, aut bonus, aut non malus, eodem permanente obiecto, mutatâ solùm conditione operantis, quod in iis obiectis quæ sunt tantùm mala, quia prohibita, manifestum est: accedente enim vel prohibitione, vel eius notitia actus bonus, aut non malus fit malus: in aliis autem quæ mala ex sua natura sunt, idem quoque inuenies: nam actus circa ea versans defectu aduertentiæ, aut libertatis erit aut non malus, aut malus, & tamen accessio, aut remotio libertatis, non mutat physicè actum, quem tantùm extrinsecè denominat; quod maximè vrget eos, qui moralitatem constituebant in dependentia actus cum aduertentia rationis, & libertate voluntatis elicientis. Neque satisfacit Azor cum ait mutari obiectum quoties actûs moralitas mutatur, eo quòd feratur in obiectum, vt suis vestitum accidentibus, & circumstantiis, quibus mutatis, mutari quoque obiectum necesse est. Itaque aliud est, quando est prohibitum, aliud quando non est prohibitum. Verum in casu in quo sola operantis conditio mutat moralitatem actûs, vt de libertate dicebamos (ea enim non attingit actum) non habet locum hoc effugium. Suar. *disp.* 8. *sect.* 2. moralitatem petit ex libertate, & aduertentia: bonitatem autem ex dependentia à directione rationis. Quare potest quidem tolli moralitas, sed non bonitas: si enim addatur vt noua circumstantia mala obiecto, mutabitur quoque obiectum, & ratio motiua, vt dicebat Azor. Verùm falsum est moralitatem esse in libertate, quamuis in ea fundetur, & mutata moralitate necessariò mutetur bonitas, vt ampliùs dicetur inferius.

5 Quod autem vulgò obiiciunt, differentiam essentialem in genere naturæ desumi ab obiecto, eiúsque ratione motiuâ, quæ in actu moraliter bono, est honestas obiecti, non vrget; quia ad bonitatem moralem actus non sufficit honestas obiecti quæ sit ratio motiua, sed exigitur tanquam conditio sine qua non libertas, & directio rationis, quæ dictabit fortassis illud obiectum, etsi honestum sit, non posse tamen hoc loco & tempore, ab hac persona honestè appeti. Cum igitur hæc omnia variari possint, perseuerante honestate obiecti non poterit illa sola dare speciem moralem. Quare actus in eandem tendens, licet idem sit in specie naturæ, poterit tamen diuersus esse in ratione moris. Deindè tota illa obiectio nihil aliud probaret quàm quod ait Kon. *l. cit. con.* 2. honestatem materialem esse intrinsecam actui, hoc est actionem hoc modo tendentem in obiectum, vt honestum est, non posse non esse conuenientem naturæ rationali, sed non ostendit hanc tendentiam physicam propter variationem eorum quæ ad moralitatem requiruntur non posse esse moraliter aliam.

6 Dices habitus diuiduntur essentialiter physicè in bonos, & malos, ergo & actos: negatur consequentia à Salas *disp.* 2. *cit. num.* 78. quia ad bonitatem habitûs sufficit vt incliner ad actum tendentem in obiectum honestum: ad bonitatem autem actus præter eam tendentiam requiritur libertas, quæ est conditio sine qua actus moralis non est. Ego verò concedo consequentiam obiectionis, & paritatem inter actus & habitus, qui totam suam moralitatem ab actibus, à quibus generantur, & ad quos inclinant, sortiuntur, & extrinsecè tantùm boni aut mali denominantur, vt obseruat Becan. *cap.* 4. *tract.* 1. *q.* 3. ab actu suo, vnde etiam fatetur S. Thom. *q.* 71. *art.* 3. vndè & actum minùs bonum esse dixit suo actu. Quare negandum fuerat bonitatem, & malitiam moralem esse differentias essentiales habituum in genere naturæ, cum Durand. *in* 2. *d.* 40. *q.* 3. *n.* 5.

Denique argumenta Suar. postulant dumtaxat, vt explicetur quid sit moralitas in actu: ait enim non esse denominationem extrinsecam vt asserebat Vasq. *disputatione* 37. *capite* 9. quod tamen minùs rectè probat, quia ab alio actu priori in quo esset intrinsecè sumi deberet. Quod erat etiam argumentum Gabr. suprà; nam etsi forma significata nomine analogo, vt concedit ipse Suar. *d.* 1. *sect.* 2. *num.* 20. sit secundariò tantùm in minùs præcipuis analogatis, & primariò in præcipuis, in eo tamen non debet esse intrinsecè, verbi gratia color, & substantia dicuntur tantùm extrinsecè visa, quamuis color sit primariò, & simpliciter, & per se visus: substantia autem secundariò tantùm, & per accidens: quia analogia fundatur in proportione quam habent inter se analogata. Hæc autem proportio reperiri potest etiam respectu formæ extrinsecè denominantis, atque licet forma sic denominans realis sit, & alicubi proindè realiter, & intrinsecè reperiri debeat, non tamen, cum eodem effectu, & eadem denominatione, verbi gratia obiecta denominantur extrinsecè visa à visione, quæ forma realis est, & in oculo reperitur, eum tamen non denominat visum, sed videntem: quamvis igitur actus voluntatis diceretur extrinsecè moralis, non propterea deberet ea forma in aliquo priori actu intrinsecè eum afficiens, & denominans reperiri, sed eo ipso quod voluntas rationis dictum sequatur, aut non sequatur, actus extrinsecè diceretur moralis, sicut apud aduersarios vulgò etiam nominatur liber. Cùm tamen sine denominatione extrinseca possit explicari hæc moralitas in actu, vt statim dicam, & commodius id erit. 7

Non est etiam partialis quædam entitas quæ tendat in obiectum formale, atque ita integret totum actum, cum altera parte tendente in obiectum materiale, neque etiam tanquam pars essentialis metaphysica, & forma naturalem entitatem tanquam materiam determinans ad esse moris: has enim omnes compositiones rectè reiicit Suar. hîc *disp.* 4. *sect.* 2. cùm non possit vlla pars actus assignari quæ suum obiectum, & materiale, & formale non habeat, cùm sit verè, & essentialiter actus, quem sine suo obiecto motiuo, quod ipsum formale est, intelligere non magis licet quàm sine sua essentia. 8

Existimant alij moralitatem esse modum, seu accidens realiter adueniens entitati actuum, vti plures censent de supernaturalitate apud Hcor. *d.* 25. *n.* 36. verùm non apparet quid aliud fingi possit iste modus quàm dependentia à principio libero. Atqui ea, tota physica est, neque constat quid addatur realiter actui, quando propter notitiam, seu aduertentiā prohibitionis ex bono fit malus, maximè cùm non pendeat effectiuè à notitia, vt supponimus ex physicis. 9

Dixi

10 Dixit itaque Vasq. *d.* 95. *n.* 46. & 47. esse respectum rationis, quod quia maximè afferit de malitia, alibi excutietur, interimque reiicitur: quia moralitas est, nullo intellectu cogitante, non autem relatio rationis. Neque probabilius alij contendunt esse respectum categoricum, quia eiusmodi respectus non est effectus sui termini, quem respicit. Vndè etiam vulgò dicitur filium terminari ad hominem generantem, & patrem ad hominem genitum, & filiationem non esse effectum hominis geniti, aut generantis, sed tantùm merum aspectum, aduenire tamen effectui. Atqui ratio dirigens, à cuius conformitate sumitur moralitas, influit per modum causæ in eam: non erit igitur respectus categoricus, sed eius dumtaxat fundamentum. Relatio denique transcendens abneganda est hoc loco. Ea enim cum sit essentialis, definere nequit manente entitate cuius est. Atque immutatâ entitate actus, variatur conformitas, & difformitas ad rationem. Non est ergo relatio transcendens, & essentialis.

11 Existimarim itaque moralitatem esse ens connotatiuum, ipsamque entitatem actus liberi connotantem rationis dirigentis regulam, cui conformis, aut difformis est, vt aliàs de veritate cognitionis diximus. Mutatâ autem regula hac mutatur tota connotatio. quamvis ens connotatum non varietur secundùm suam entitatem, quod commune est omnibus entibus connotatiuis, quæ admittenda esse mihi planè persuasum semper fuit, estque via commodior ea philosophandi ratio ad exponendas plures difficultates, & vitandam entium minutorum, quæ aliqui adeò exagerant, multiplicabilitatem.

Diuisio moralitatis.

12 Ex his facilè totam partitionem moralitatis elicies; nam cum ea sit dirigibilitas à sua regula, ad æquatè diuiditur in conformitatem, difformitatem, & indifferentiam, cum eadem regula. Conformitas cum ratione in actu est bonitas; quoties enim actus tendit in obiectum secundùm omnes suas circumstantias, & modum tendendi ex ratio is præscripto, quidquid tandem sit illud præscriptum, seu vera lex, seu regula tantùm; seu sola propositio honestatis obiecti, quod pluribus expendit Suar. *d.* 1. *s.* 3. bonus omninò est, & operantem bonum denominat. Atque hæc est communissima sententia: neque abnuunt qui dicunt exigi quandam collectionem omnium quæ ad integritatem actus exiguntur, vt Scot. *in* 1. *d.* 40. *q.* 1. loquuntur enim de collectione eorum quæ ratio exigit, ita vt tum obiectum, tum omnes eius circumstantiæ, tum modus tendendi (vt iam dixi) consonantiam cum ratione habeant: comparant enim hanc bonitatem cum naturali, & transcendentali, quæ duplex est, absoluta, & respectiua. Prior illâ in perfectione rei, & eorum saltem quæ essentialiter postulat, aggregatione consistit, vnde Dionys. vulgare effatum, bonum esse ex integra causa, & malum ex quolibet defectu: relatiua autem bonitas addit tantum entitati conuenientiam cum aliquo; ita etiã bonitas moralis omnia quæ sunt, tum in obiecto, tum in actu norma rationis esse postulat. Nam si vel aliqua circunstantia sit vitiosa, vel finis, vel aliquid obiecti, vel non conueniat personæ operanti, ratione status, aut aliundè, corrumpitur ea tota bonitas. Atque hanc totam comparationem duplicis bonitatis moralis & naturalis instituit S. Thom. *q.* 18. *art.* 5. vbi tandem definit bonitatem moralem plenitudinem esse debiti actui humano; esse autem illud debitum, vti sæpiùs monuimus, non est sola libertas, quæ reperitur etiam in malis actionibus, quæ verè & propriè humanæ sunt: est igitur ea conformitas actualis cum ratione. Displicet autem quod Becan. *tr.* 1. *c.* 4. *q.* 5. *n.* 4. dicat hanc conformitatẽ esse aliquid consequens ex bonitate actus obiecti: vbi enim est perfectua moraliter in suis principiis intrinsecis, necesse est hanc conformitatem in eo resultare. Verùm exponere debuit quid sint illa principia intrinseca, quæ sunt fundamentum conformitatis: contendimus enim inter ea, quæ actum moralem bonum intrinsecè constituunt, esse hanc ipsam conformitatem; si autem dicat esse ipsam tantùm conformabilitatem, sequetur actus indeliberatos, motus primo primos, actus puerorum, & amentium esse moraliter bonos, quia sunt conformabiles legi, & rectæ rationi. Suar. *d.* 5. *sect.* 15. à *n.* 15. duplicem bonitatem distinguit; absolutam vnam, quæ in actu aliud non est quàm esse virtutis, seu rectum, & studiosum: hoc enim esse ex Aristotele 6. *Ethic.* 6. bonum facit habentem: hoc autem esse virtutis in actu elicito, nihil aliud est quàm ipsa eius specifica perfectio. Altera bonitas est relatiua, & consistit in conuenientia quam habet actus virtutis cū natura rationali, cui bonus, & conueniens est, sicut malitia est eidem naturæ disconueniens. Verùm quidquid sit de hac bonitate relatiua, quam non negamus, reiecimus bonitatem moralem esse intrinsecam, & specificam actui entitatiuè, & physicè spectato, vt ipse supponit: quare aliquid aliud ab esse specifico distinctum esse debet, neque aliud assignabitur præter hanc conformitatem, quam non satis validè eo loco impugnat, ex eo quòd ratio non habeat vim legis respectu voluntatis. Nam *lib.* 3. diximus nos teneri operari ex conscientia. Et sanè fuit semper ille omnium sensus circa bonitatem: nam S. Thom. *q.* 18. *art.* 5. ait in actibus bonum, & malum di i secundum rationem, quod probat ex Dionys. 4. *de diuinis nominibus* asserente bonum hominis esse secundùm rationem, Basil. *in c.* 2. *Isai.* ad illa verba: *Væ qui dicitis bonum, malum. Quod verè, inquit, bonum est in anima quæ ad parandam virtutem afficitur, conuenientem habere, & adæquatam proportionem. Quæ proportio alia non est quàm quæ à ratione præscribitur.* Olimp. *in c.* 3. *Eccles. Omnia bona in tempore suo.* bona definiuit, quæ secundùm hominis naturam, ac prout decet esse, fiunt, quamquam & hæc conformitas cum natura rationali quam assignat Suar. & Vasq. in reipsa nihil aliud sit, quàm conformitas cum recta ratione, vt ait ipse Suar. *d.* 2. *s.* 2. *n.* 12. licet alius respectus imponatur. Nam recta ratio hanc conformitatem supponit: ideò enim recta est, quia dictat, appetendum hoc esse, quod conuenit naturæ rationali, vt *alibi* explicuimus. Salas denique reiiciendus est *tractatu septimo*, *d.* 2. *n.* 38. dum bonitatem hanc conflat ex denominatione intrinseca sumpta ex ordine essentiali actus ad obiectum, & extrinseca, sumpta ex circumstantiis: cum enim actus tendat in obiectum non nudè, sed suis circumstantiis vestitum; vterque ordo est essentialis, & præsupponitur, non tamen denominat moraliter bonum, nisi prout secundùm illum actus est conformis rationi.

Altera species moralitatis est malitia quæ cùm sit opposita bonitati, constituetur per difformitatem cum ratione recta. In quo autem sita sit hæc difformitas, & an in solo positiuo, longioris est operæ, & *lib.* 3. de illo diximus fusè. 13

Addenda tertia quædam species indifferentiæ quæ neque conformitatem, neque difformitatẽ dicit cum recta ratione sed ad eam indifferenter se habet. Hanc autem in quibusdam actionibus specificè sumptis vulgò concedunt omnes, negant plerique in indiuiduis; quod expendetur *alibi*. 14

Subdiuiduntur deiodè istæ speciea: bonitas diuiditur quidem io diuersas virtutes, & malitia in diuersa vitia, quæ recensere singillatim non est huius loci.

15 Si moralitatem in concreto diuidere lubeat, ens morale primò in actum, & alia quæ ex ordine & connexione, quam habeot cum actu, moralia dicútur. Diuiditur deinde actus in booum & malum, quæ diuisio est essentialis respectu actûs moralis, accidentalis autem ratione actus liberi præcisè sumpti. Ita coloratum essentialiter diuiditur in album & nigrum; marmor autem solum sicut subiectum in accidentia. Actus autem bonus io virtutum diuersarum actiones, malus in varia peccata.

16 Diuisio etiam celebris moralitatis est in formalem, & obiectiuam. Formalis ea est quam modò descripsimus, quæ eo quòd actum tanquam forma quadam afficiat ita appellatur. Obiectiua est radix, seu fundamentum formalis, seu id à quo petitur & deriuatur ab obiecto, fine, & circunstantiis in actum ipsa formalis: de hac pauca dicenda, vt eas deindè inter se componamus, & quâ ratione formalis ex obiectiua, tanquam ex suo fonte deriuetur, inquiramus.

QVÆSTIO II.

De radice moralitatis formalis, seu moralitate obiectiua.

1 TRiplex vulgò statuitur ista radix, nempè obiectum, circumstantia, & finis; quæ omnia dicuntur moralia, non formaliter, sed fundamentaliter, & causaliter, quatenùs booos aut probos mores causaut, & suam honestatem, aut turpitodinem in actus voluntatis refundunt. Hoc igitur loco quæ sit bonitas, aut malitia quæ reperitur in obiecto, eiúsque circunstantiis præsuppositiuè ad omnem actum inquiram: *sequenti* verò *quæstione*, qua ratione ea moralitas obiecti (sic enim appellamus vt vnico verbo tum bonitatem, tum malitiam, tum indifferentiam comprehendamus) in actum ipsum, qui formaliter moralis est, deriuetur.

Quid sit radix moralitatis in obiecto?

2 Ordior à moralitate fundamentali, seu radicali, quam in obiecto reperiri omnes asserunt, & duo inquiro. Primum an reuerà detur eiusmodi moralitas obiectiua. Secundò quid ea sit.

Obseruandum imprimis est obiectum esse hoc loco aliquando rem aliquam, vt Deus est obiectum charitatis; aliquando actum externum: qui enim vult amare Deum, habet pro obiecto suæ volitionis, amorem; qui actus quidam internus est. De his omnibus idem statuendum est; nam etiam ipsi actus tum interni, tum externi, suam moralitatem accipiunt tandem ab obiectis, quamuis videatur peculiaris ratio de actu externo, qui potius habet materiam circa quam versatur, quàm obiectum, sed ipsemet obiectum est. Ille tamen suam quoque honestatem accipit à materia, circa quam agit, non nuda, sed suis materiis conuestita. Quare si quid habeat peculiare obiectum, quod est actus externus, dicetur, dum agetur de circunstantiis.

3 Quoad primum, omnia obiecta esse indifferentia, neque ex natura sua honesta, vel turpia, sed talia reddi vel prohibitione & præcepto, vel sola hominum apprehensione existimarunt Epicurei qui apud sanctum Iustin. *Apolog.* 2. neque vitium, neque virtutem esse, & homines solâ opinione peccare dicebant. Quod idem quoque refert Amb. *Ep.* 82. *ad Vuercellensem*, Simon magnus, apud Ire. *lib.* 1. *c.* 20. ait nun esse naturaliter operationes iustas, sed ex accidenti, quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt Angeli, per eiusmodi præcepta in securitatem deducentes homines. Carpocras verò, *hær.* 27. *apud Epiphan.* omnia esse naturâ suâ bona, & sola hominum opinione, aut delusione mala reddi: quod etiam dixerunt libertini teste Caluin. *opusc. contra eos*; Alij apud Aug. *lib.* 3 *de doctrina Christian. cap.* 14. id iustum videri, quod in vnaquaque gente, consuetudine probatum sit. Caluin. in aliud extremum abiit cùm dixit, omnia nostra opera mala, & peccata propter personæ indignitatem, peccato parentali contractam, ea deturpantis; quam fatuitatem reiicit Bellarm. *lib.* 5. *de gratia. & lib. arbitr. c.* 9. *& lib* 4. *de iustitia c.* 16. Peter. *in cap.* 6. *Genes disp.* 5. Vasq. 1. 2. de 191. Suar. *lib.* 1. *de gratia. c.* 5. Epicureorum autem insaniam communis omnium sensus, qui perpetuò aliquas actiones esse malas existimarunt, satis superque confutat. Neque obest quæ alicubi improbantur, alibi probari; immò nihil tam turpe videri, quod non aliquo loco, vt honestum habitum sit: id enim ostendit tantùm, sæpè errare homines in dignoscenda vera honestate, eam tamen esse, semper existimasse. Accedit euidens ratio. Cùm obiectum motiuum voluntatis sit bonum aliquod, illud non constituitur à voluntate, sed supponitur in obiecto; actus autem honesti (quos si reiiciant Epicurei, delirant prorsùs) non possunt habere pro motiuo booum vtile, quod non appetitur propter se, sed propter aliud, à quo proindè totam suam amabilitatem, quæ relatiua tantùm est, accipit, neque etiam bonum delectabile: nam illud cum turpitudine & honestate coniunctum esse potest: ergo erit bonum honestum, quod sola cogitatio non constituit, & si dicket aliquid esse, neque enim cognitio facit obiectum esse tale, quale repræsentat, sed repræsentat quale est, supponitque omninò esse bonitatem in rerum natura, licèt aliquándo eam malè applicet, v. g. qui delusus à sensu existimat obiectum esse viride, aut flauum, cum tamen sit alterius coloris, non facit colorem viridem, aut flauum, sed solùm eiusmodi colores, quos in rebus quidem esse scit, applicat subiectis, in quibus non sunt atque ita deluditur: & si per impossibile omnes oculi deluderentur, causaréntque falsum iudicium in omnium intellectibus; non idcircò tamen viriditas, & flauedo esset in sola hominum apprehensione.

Non negamus tamen esse aliqua obiecta indifferentia quæ bonitatem, vel malitiam induere possunt, vel ex conditione operantis, vel ex fine, vel præcepto, vel prohibitione, eiusmodi erat esus pomi, qui malus fuit Adamo, quia prohibitus: idque apertè concedit S. Thom. *q* 18. *art.* 8. *&* 9. & alij communiter, quia bonitas & malitia, non sunt ita immediatè oppositæ ratione subiecti, vt illud non possit vtraque carere, neque carere bonitate est habere malitiam, nisi ea carentia sit honestatis debitæ: sunt autem aliqua obiecta, quibus præcisè spectatis nulla certa honestas debetur, sed possunt aliquo addito, aut honestari, aut deturpari: habet tamen illud obiectum indifferens aliquam rationem boni naturalis, aut sensibilis, à qua sit appetibile, alioquin non esset obiectum voluntatis, neque illam moueret, non tamen in se vllam certam honestatem, neque malitiam oppositam haberet. 4

Restat inquiramus quid sit ea moralitas obiectiua, quod *ex superiori quæstione* facilè exponi potest. Dicendúmque, esse conformitatem, vel difformitatem 5

cum

cum natura rationali, vel ratione; hæc enim non differunt nisi in modo loquendi: quod enim conuenit naturæ rationali, vt sic est approbabile à recta ratione atque vna harum conformitatum fundamentum alterius. Ratio enim recta iudicat esse appetendum obiectum, quia conuenit naturæ rationali, siue nudè ex sua natura spectatum, siue vestitum suis conditionibus & circunstantiis, iudicat autem esse respuendum, quia vt proponitur, & apprehenditur non conuenit naturæ rationali. Kon. tamen *d. 3. sect. 2. n. 32.* & Suar. *tract. 3. d. 2. sect. 2.* mauult definire hanc moralitatem radicalem per conuenientiam ad naturam rationalem. Salas verò qui Suaris dictata & vidit, & exscripsit pro more *tract. 7. d. 2. sect. 3.* sumit ex ordine ad ipsam rationem, estque communior ea vsurpatio. Distinguendum est de moralitate obiectiua, seu radicali remota & proxima: ad remotam sufficit si tale sit obiectum, vt sit approbabile à ratione vt conueniens naturæ rationali: vt verò proximè fundet bonitatem formalem, non satis est approbari posse vt conueniens, sed ita reipsa debet apprehendi, nam si ratio ita erraret inuincibiliter, & vt disconueniens naturæ rationali proponeret obiectum, quod tamen vel nudè sumptum, vel cum suis accidentibus, reuera conueniens est, actus versans circà illud obiectum, & illud prosequens malus esset, quia non esset conformis rationi dictanti & dirigenti, & tamen obiectum esset radicaliter bonum. Neque alius fuit sensus Medin. 1. 2. q. 18. *art. 2. con. 4. & q. 20. art. 1.* Conrad. *q. 19. art. 1. ad 3.* & aliorum qui moralitatem definierunt per ordinem ad rationem remotè non proximè. Neque enim voluerunt, obiectum aut actum esse bonum, quia ita iudicatur à recta ratione nisi sensu à nobis allato, quare malè impugnantur à Konink. *d. 3. dub. 1. n. 11. de act. super.* Bonitas itaque obiectiua honesta (de ea enim solùm loquimur) est conuenientia cum natura rationali, vt rationalis est, quæ conuenientia non dicit commoditatem aliquam, quam afferat tali naturæ obiectum, sed àliquid eam per se decens, estque ipsum obiectum non nude sumptum, sed prout connotans proportione quam habet cum natura rationali vt sic, quæ habet cum eo obiecto naturalem aliquam aut inclinationem, aut capacitatem, aut coniunctionem in ratione obiecti; quam connotationem vocat denominationem extrinsecam Suar. *sect. 2. cit. n. 18.* eam tamen non esse necessariam in entibus connotatiuis existimo, eóque modo explicanda est hoc loco, quo vulgò Philosophi bonitatem relatiuam, quam nihil tamen dicunt addere supra ens, explicant. Ex quibus vides, nullum esse circulum hoc loco quasi obiectum denominetur bonum moraliter ab actu, & actus ab obiecto, vt timebat Vasq. *d. 73.* nam bonitas quæ est in obiecto, quamvis sit in eo formaliter, non est tamen formaliter moralis; sed tantùm causaliter, & in actu moralitas est formaliter, quæ tamen causatur ab obiecto, vt amplius *q. sequenti* dicetur.

6 Dixi autem hanc bonitatem reperiri, vel in obiecto nudè sumpto, vel in aliquo accidenti affecto, quia aliquando sola physica entitas, & naturalis perfectio obiecti, hanc conformitatem cum natura rationali habet, v. g. Deus qui ex natura sua est vltimus finis creaturæ rationalis, & alia omnia quæ essentialiter ordinantur ad beatitudinem, aut cum illa connexionem aliquam habent, quòd hominem cum vltimo fine coniungant, aut ad id eum disponant. Aliquando verò obiectum non habet hanc conuenientiam, nisi ex adiunctis quibusdam, quasi moralibus & liberis, v. g. comedere cibum non vetitum; nam cibus siue permissus, siue vetitus eiusdem rationis est: prohibitio tamen, aut permissio variant ordinem ad rectam rationem. Atque ita vides, quomodo honestas ista aliquando sit quoque in obiectis priuatiuis: fundatur enim in eorum esse morali: vt non furari; non in ente priuatiuo præcisè manétque tritum axioma, bonum fundari in ente.

Malitia est disconuenientia obiecti cum natura rationali, vt rationalis est, quæ tota definitio ex dictis de bonitate facilè intelligitur, non enim modo expendo, an ea disconuenientia sit aliquid priuatiuum an positiuum, idem enim dicendum est quod de malitia formali, alibi statuetur. 7

Quid conferant circunstantiæ ad bonitatem ac malitiam radicalem?

Hæc autem malitia & bonitas obiectiua, seu moralitas radicalis non reperitur in obiecto nudo, sed in eius quoque circunstantiis, quod vt intelligas 8

Obserua imprimis quod nuper monebam, obiecta actuum internorum esse sæpius actus externos, v. g. obiectum misericordiæ est subleuatio pauperis, & exhibitio eleemosynæ. Hi autem actus habent suam materiam, circa quam versantur, & quam aliqui etiam obiectum appellant: v. g. exhibitio eleemosynæ habet pro materia miseriam proximi. Ab hâc materia sumunt actus externi suam honestatem, aut turpitudinem, sed non à materia nuda; nam res aliena, aut homicidium præcisè sumpta non dehonestant actionem externam, circa eam versantem, cùm & homicidium rectè fieri possit à seipsum inculpatè tuente, & res aliena honestè retineri, vt cùm non redditur furenti gladius. Consideranda itaque est materia actionum externarum cum suis circunstantiis vt sit bona, aut mala moraliter, & quia actiones externæ sunt obiecta internarum, bonitas, aut malitia obiectiua, dicitur quoque à circumstantiis accipi.

Obseruandum prætereà est, circunstantias, quas modò comparamus cum actione externa, & obiecto in esse moris, non naturæ spectatis; aliquando esse essentiales obiecto, aliàs tantùm accidentia, ac veras circunstantias. Primùm contingit quoties circunstantia tribuit primam bonitatem, aut malitiam obiecto, eò quod non tantùm mutet habitudinem obiecti ad rationem, quia maiorem vel minorem conformitatem cum illa afferunt, sed quia simpliciter necessaria est ad honestatem, vel turpitudinem, v. g. cum actio indifferens, vel bona propter additam circunstantiam vitiatur, vt exhibitio eleemosynæ ad captandam humanam laudem. Tunc autem ea circunstantia transit in rationem obiecti, cùm primariam bonitatem, aut malitiam afferat, atque primam speciem in genere moris. Ita Vasq. *c. 2. d. 53.* contra Conrad. *q. 18. art. 3. 1. 2.* qui eò quòd accedat actui essentialiter constituto in genere naturæ circunstantiam esse contendit, cùm tamen actus dumtaxat spectemus in genere moris. Quod autem Azor. *lib. 2. c. 3. q. 2.* probabiliter existimat, manere circunstantiam etiam in genere moris, eò quòd licet afferat primam malitiam, v. g. adueniat tamen actui iam morali, bono videlicet aut indifferenti, non vrget: nam hæc circunstantia ita aduenit priori speciei morali, vt eam mutet, ac prorsus destruat, vnde transit omnino in substantiam obiecti; quod etiam censet Suar. *tract. 4. d. 2. sect. 3.* & *tract. 3. d. 2. sect. 3.* atque ipse S. Thom. *1. 2. q. 18. art. 5. ad 4. & art. 10. ad 1. & 2.* Ratio est, quia vt actio externa sit obiectum honestum, requirit mediocritatem quandam, quæ ex sola natura, remotis eius conditionibus attendi non potest. Ex circunstantiis autem quæ verè eiusmodi sunt & manent, aliquæ addunt nouam speciem; aliæ verò intra eandem

dem ſpeciem bonitatem, vel malitiam augent, atqoe aliæ minuunt. De prioribus ſic ſtatuo :

10 Circunſtantiæ nouam ſpeciem afferentes, non contrahunt veteres, ita vt vnicam tantùm bonitatem, vel malitiam tanquam differentiæ aduenientes generi conſtituant, ſed ipſa bonitates, aut malitias multiplicant. Ita Salas *tract.* 3.*d.*5.*n.*103. Suar. *tract.* 1. *d.*1.*ſect.* 3.*n.*8. Vaſq.*d.*53.*c.*4. Caiet. 2.2. *q.*154.*art.*1.*ad* 2. Azor. *lib.*2.*c.*3.*q.*3. contra Conrad. 1.2.*q.*18.*art.*10. vbi malitiam collatam à circunſtantia, quæ eſt mera conditio obiecti, nouam eſſe negat, ſed ſolum priorem contrahentem; malitiam autem à fine extrinſeco deriuatam in obiectum non contrahere tantùm priorem, ſed eam nouâ additâ multiplicare. v.g. furtum propter mœchiam commiſſum, duplicem malitiam habere concedit, alteram furti contra iuſtitiam, alteram mœchiæ deſumptam à fine. Subreptionem autem rei alienæ in loco ſacro, & vxoris alienæ corruptionem, vnicam habere malitiam, furti ſacrilegij, & adulterij. Prima conditio loci ſacri, & eſſe coniugatam, accidunt obiectis iam per ſe malis, & eorum tantùm malitiam ad nouam ſpeciem contrahunt. Verùm repugnat apertè S. Thom. *illo art.* 10. dum ait circunſtantiam, quoties nouum ordinem ad rationem affert, ſpeciem quoque tribuere obiecto; priorem tamen non deſtruit, vt patet, cùm eius omnia principia eſſentialia maneant: neque etiam contrahit, vt differentia adueniens generi: tum quia ſpecies atomæ, cuiuſmodi ſunt malitiæ præexiſtentes in obiecto, non ſunt ampliùs contrahibiles, tum quia iſtæ malitiæ, cùm ſint oppoſitæ diuerſis virtutibus, ipſæ quoque diuerſæ ſint, neque vnam conflare poſſunt: diſparata enim principia eſſentialia, vnitam, & eandem eſſentiam nunquam conflant, vt conſtanti inductione probatur: tum quia cum finis extrinſecus, ſit tantùm circunſtantia, non apparet cur nouam malitiam afferat; & aliæ circunſtantiæ priorem tantùm contrahant, & cur furtum ſuſceptum propter fornicationem duplicem potiùs malitiam ſortiatur, quàm adulterium, quod & caſtitati, & iuſtitiæ oppoſitæ difformitatem habet. Neque fauet Conrado S. Thom. dum loco allegato *ex* 2. 2. numerat adulterium inter ſimplices ſpecies luxuriæ: vti enim aduertit *ibid.* Caiet. cùm in adulterio potior ſit ratio libidinis, cuius explendæ gratiâ iniuſtitia committitur, inter luxuriæ ſpecies numeratur, & ab ea potiſſimum nominatur. Addit verò Suar. aliquando conditionem obiecto aduenientem, mutare quod neceſſarium fuerat ex parte materiæ ad honeſtatem, aut turpitudinem, v.g. iniuriam factam parenti iam eſſe impietatem. Sed tunc non contrahitur prior ſpecies, ſed ſolùm ratio generica & indeterminata ex obiecto præciſè ſumpto, ad peculiarem, & atomam ſpeciem reſtringitur.

11 Hinc vides quandò circunſtantia tribuens ſpeciem moralitatis tranſeat in conditionem obiecti, aut maneat circunſtantia: ſi enim ſumatur prout confert peculiarem moralitatem, non eſt circunſtantia, ſed ratio formalis, & eſſentialis obiecti in eſſe moris, ſiue cum altera ſpecie cui accidit in eodem ſubiecto verè eſt circunſtantia: id autem contingit dupliciter: primò ita vt vna ſpecies accidat alteri & non è contrario, quod contingit quoties altera ex moralitatibus obiecti eſt primaria, & veluti ſubſtantialis; quia nempè eâ poſitâ manet ſubſtantia actûs in eſſe moris, & altera ſpecies adueniens priorem eam ſupponit, à qua tamen non ſupponitur, v. g. malitia iniuſtitiæ in adulterio ſupponit malitiam fornicationis, ſine qua in actu non eſſet iniuſtitia, & tunc malitia fornicationis non eſt circumſtantia iniuſtitiæ, ſed iniuſtitia fornicationis. Quandò verò neutra ſpecies aliam ſupponit, ſed ambæ velut ex æquo efficiunt idem obiectum, ſunt ſibi inuicem circunſtantiæ, atque adæquatam vnam moralitatem ex diuerſis ſpecificè conflatam, vt dixi, conſtituunt, ac proindè obiecti illius radicalem bonitatem, vel malitiam ſaltem extenſiuè augent. Non auget tamen intenſiuè vna ſpecies aliam præcisè, & ea coniunctione in eodẽ obiecto: cùm enim ſint diuerſæ, vna non mutat ordinem, quem altera habet ad rationem, quòd ad conformitatem, vel diuerſitatem, niſi fortè ratione ipſius actûs, in quo augetur voluntarium. Ita ſanctus Thomas 2.2.*q.*154.*a.*1. dicebat luxuriam augeri in adulterio ex iniuſtitia connexa; maximè enim voluntaria eſt ea libido, propter quam committitur grauis iniuſtitia; aut etiam ratione obiecti, quoties ex ea connexione diuerſarum ſpecierum ordo ad rationem, qui latitudinem quandam habet, reſpectu alterius, vel vtriuſque ſpeciei mutatur.

Aliæ ſunt circumſtantiæ augentes, vel minuentes malitiam, aut bonitatem obiectiuam intra eandem ſpeciem, quia reddunt obiectum magis conforme, aut difforme naturæ rationali ſua acceſſione: & quamvis nonnulla videatur difficultas circa malitiam, quæ poſitâ quacumque mala circumſtantia, & quacumque bona neceſſaria ablata, ponitur, videturque eſſe in indiuiſibili, cum ex quolibet defectu, aut exceſſu oriatur. Tamen quò plures circunſtantiæ debitæ defuerint, aut malæ adfuerint, eò erit maior malitia fundamentalis, & ea illa vel vnica circumſtantia neceſſaria non eſt quidem honeſtum obiectum, habet tamen aliquam veluti incboationem honeſtatis ratione reliquarum, à quibus vbi aliæ adiunctæ fuerint, habebit vt ſit conueniens naturæ rationali. Quando autem circunſtantiæ vnam bonitatem, vel malitiam conflantes, conferunt conformitatem, vel difformitatem cum ratione eiuſdem ordinis, tunc ea moralitas obiectiua, eſt quidem compoſita ex partibus veluti homogeneis; quando autem conferunt bonitatem, aut malitiam diuerſam, intra eandem tamen ſpeciem, tunc eſt compoſitio ex pluribus heterogeneis, ſicut pulchritudo ex variis rebus efflorescit, & ſanitas ex diuerſis qualitatibus inuicem attemperatis exurgit. Neque medium, quod virtus maximè moralis intendit, conſiſtit in indiuiſibili, neque ſemper homogeneum eſt. Denique vt cognoſcatur quandónam circunſtantiæ mutent, aut afferant ſpeciem moralitatis obiecto, & quando augeant tantùm, vel minuant, optimam regulam tradit de formali moralitate actus, quæ valet quoque in obiecto S.D. *art.* 10. & 11. *q.* 18. quoties enim circumſtantia in ſe ſpectata, & non ex connexione cum alia malitiam, aut bonitatem affert, ſeu mutat ordinem ad rationem, toties vel mutat ſpeciem, vel nouam addit. Quoties autem nihil facit ad conformitatem, aut difformitatem cum ratione, niſi quia coniungitur cum aliqua alia, aut aliam bonitatem, & malitiam ſupponit in obiecto & non mutat: ſi enim ſola eſſet, nihil tale inueheret, toties auget tantùm, vel minuit moralitatem. Eiuſmodi eſt circumſtantia quantitatis, & modi communiter. Sed de his *q. ſequenti* fuſiùs in moralitate formali. Videndum autem vt hæ ſint veræ circumſtantiæ, & non eſſentiales obiecto, vt eſt fundamentum actionis moralis, vt multum & parùm in temperantia: pertinent enim ad quid, quod eſt obiectum temperantiæ. Ita Vaſq.*d.*54.*c.*2. 12

Quid conferat finis ad moralitatem obiectiuam?

Finis duplex eſt, alter intrinſecus ipſius operis, alter 13

alter extrinsecus, qui dicitur finis operantis: prior pertinet ad ipsam essentiam obiecti siue operis; posterior est circumstantia; ab ea tamen obiectum, seu opus quod ad ipsum ordinatur, non accipit bonitatem, aut malitiam obiectiuam. Vnde S.Thom. ait *art.* 5. q. 20. bonitatem actûs exterioris in ordine ad finem esse prius in actu interno, & ab eo in externum refundi: bonitatem autem quam habet ex obiecto & circunstantiis esse prius in exteriori, prout est ordinabilis à ratione, & inde in actum internum deriuari. Quo casu cum actus externus sit obiectum, negat apertè S. Thom. bonitatem obiectiuam, aut malitiam sumi à fine extrinseco. Et sanè cùm hæc externa opera nullam habeant ex se relationem ad eiusmodi finem præcisa voluntate operantis, non est cur ab eo bonitatem, aut malitiam accipiat quæ fundamentaliter erat in obiecto illius actus, & non in circunstantia. Ita exhibitio eleemosynæ ex se non habet honestatem religionis; voluntas autem ordinans eleemosynam ad religionem ab ea accipiet quidem honestatem, vt ab obiecto, non vt à circunstantia, quod autem eleemosyna sit ordinabilis ad religionem non dicit vllam honestatem desumptam à fine in eleemosyna vt patet.

QVÆSTIO III.

Moralitas formalis ex obiecto & circumstantiis.

Percurrendæ sunt radices bonitatis & malitiæ formalis assignatæ, videndum quomodo ex ipsis educatur.

Primus fons moralitatis formalis, est obiectum.

1 Non sumimus hoc loco obiectum pro eo omni quod volitum est, qua ratione vsurpauit Durand. aliique *infrà* referendi, dum negant nullas esse circumstantias respectu actûs interni, sed quidquid est in actu externo, cùm sit volitum ab interno, rationem obiecti habere, quo etiam sensu S.Thom. *q.* 19. *art.* 2. dixit bonitatem, & malitiam voluntatis à solo obiecto pendere, eò quòd omnia, quæ in actu exteriori dispersa sunt vniantur in actu interno; & bonitas actus interni quæ deriuatur ab externo, pendeat ab eo tanquam à solo obiecto.

2 Vsurpamus itaque obiectum vt *q. superiori*, val pro opere ipso. vel pro re quamvis non operabili, circa quam tamen quatenùs est conueniens, aut disconueniens naturæ rationali, & à recta ratione ordinabilis, versatur mediatè vel immediatè voluntas, præcisa à conditionibus, quæ ipsi essentiales non sunt, ad fundandam bonitatem, aut malitiam, & de hoc obiecto.

3 Dicendum est desumi ab obiecto non materiali, sed formali, moralitatem formalem. hoc est bonitatem, vel malitiam, eámque non genericam tantùm, sed primariam specificam, & essentialem actui in genere moris, non in ratione entis & naturæ, atque hanc quidem bonitatem primariam non esse multiplicabilem, postularéque vt honestas obiecti formaliter intendatur: malitiam autem, & multiplicabilem esse ratione eiusdem obiecti, & expressam cognitionem, intentionemque turpitudinis obiectum non exigere.

Moralitas specifica sumitur ab obiecto formali.

Primam conclusionis partem, nempe specificam moralitatem sumi ab obiecto, omnes admittunt cum S.Thom. *q.* 18. *art.* 2. & *q.* 19. *art.* 1. & 2. neque repugnat Scot. *in* 2. *d.* 40. *q.* 1. & *quodl.* 18. *art.* 1. dum ait bonitatem desumptam ex obiecto esse genericam, quasi voluerit eam determinari ad species, accessione alterius bonitatis ex fine extrinseco, aut circumstantiis, alioqui fore indeterminatam: quem sensum affingunt Scot. Medin. & Caiet. *in art.* 2. *q.* 18. & Val. *p.* 2. *q.* 13. *d.* 2. Verùm non alio sensu hunc loquendi modum vsurpauit Scot. quàm S. Th. tum *hoc art.* 2. tum *alibi* sæpius, vti obseruauit Conrad. *in art.* 2. *q.* 18. quia enim bonitas ex obiecto non excludit quamlibet aliam superuenientem eidem actui, quamvis ipsa sit determinata in sua specie, neque amplius contrahibilis, aliquam analogiam habet cum genere, licet contrahibilitas per vlteriorem differentiam specificam cadat potius in ipsam moralitatem actus, quàm in bonitatem, aut malitiam specificam iam desumptam ex obiecto, quæ ampliùs, vt dixi, determinabilis non est, quamvis aliam non excludat, à qua actus magis etiam determinabitur. Euidenter verò ostenditur hæc conclusio tum inductione omnium virtutũ, quarum actus cum sua specie diuersa diuersa quoque obiecta respiciunt, tum ratione ex indifferentia voluntatis ad diuersos specie actus eliciendos; aliundè enim determinari nequit ad certam speciem, quàm ab obiecto, eiúsque formali motiuo, seu fine intrinseco, qui est aliquid essentiale obiecto, vt fundamentaliter bono vel malo, seu vt apto causare obiectiuè moralitatem in actu interno supposita eius libertate, aliisque præuiis ad moralitatem requisitis. Neque enim determinabitur voluntas à circumstantiis, quia cùm sint accidentia tantùm obiecti, ab eo separari possunt, manente tamen substantiali eius bonitate, quæ cùm sit determinata, & actualiter existens, non tantùm generica esse potest, immò circumstantiæ vel augent tantùm, aut minuunt bonitatem obiecti, atque ita priùs constitutum supponunt, vel nouam addunt, eámque priori tantùm accidentalem: quod de malitia quoque dicendum est, quæ varia exurgit pro diuersa disconuenientia, quam habet cum natura rationali obiectum in quod tendit, vnde sumatur ea disconuenientia siue ex præceptis, siue ex rectitudine qua priuat, seu ex aliquo alio positiuo.

Hinc sequitur, actum etiam illum vniuersalem, seu tendentem in bonum consideratum vniuersaliter, & in malum similiter, quo quis vult rectè viuere, colere virtutem, aut vitiis se dedere, habere bonitatem, vel malitiam specificam, atque determinatam, & non tantùm genericam, eámque sumere ex suo obiecto. Ita Vasq. *d.* 50. *c.* 2. Suar. *tom.* 4. 3. *p. d.* 2. *sect.* 4. & hic *tract.* 3. *d.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. Sal. *d.* 1. *sect.* 7. contra Sanch. qui *lib.* 1. *in decal. c.* 6. *n.* 20. ait eum, qui alium ad peccandum inducit in genere, non peccare peccato certæ speciei: & Val. *d.* 2. *q.* 14. *p.* 4. *q.* 2. eum qui peccat cogitans tantùm esse malum in vniuersum, non peccare determinatâ specie, quia nihil est in certo genere quod non sit in determinata quoque specie, & ratio obiecti hoc loco licèt sit vniuersalis vniuersalitate quodammodo entis, quatenùs ratio honesti abstractè sumpta, per varias demùm honestates contrahitur; in ratione tamen voluntatis obiecti est vnum aliquod determinatum, quod sufficit ad dandam vnitatem actui quem terminat: quâ ratione actus intellectus tendens circa naturam humanam, est actus vnus 5

specie

ſpecie diſtinctus ab eo qui tendit in naturam equinam: quia hæc obiecta quæ communia ſunt in ratione entis, ſunt determinata in ratione obiecti. Pertinebit autem hic actus ad peculiarem aliquam virtutem innominatam; an autem ſit generatiuus habitum, dicam *alibi*. Sed fortè aduerſarij voluerunt tantùm quod habet Azor. *lib.4.c.2.q.1.* non dari certas virtutes, quibus impeditur hi actus vniuerſales, aut prohibeantur, ſaltem ex nobis ſunt innominatæ.

6 Addidi hanc bonitatem vel malitiam deſumptam ab obiecto eſſe eſſentialem in ratione moris actui, non in genere naturæ, contra Suar. *ſect.2.* & patet ex *q.ſup.* dicetúrque amplius *quæſt.ſequenti*, vbi docebitur eumdem actum entitatiuum poſſe eſſe bonum & malum ſucceſſiuè.

7 Dixi ſecundò hanc formalem moralitatem definiendam ex obiecto formali & non tantùm materiali, hoc eſt non conſiderato vt in eſſe naturæ, ſed vt fundamentaliter bonum, aut malum eſt propter conuenientiam & diſconuenientiam, quam habet cum ratione, ſiue naſcatur ex entitatiua perfectione obiecti, ſiue ab aliquo extrinſeco vt prohibitione, perſonâ operante, &c. has enim conditiones tunc non eſſe accidentia, ſed principia eſſentialia obiecti monui ſæpiùs. Hócque commune eſt omnibus actibus, qui non ſpecificantur per ordinem ad obiectum materiale, ſed formale cum materiale ſit indifferens ad terminandum plures actus, idque ſonat ipſum nomen deſumptum à materia, quæ aliquid vagum & fluctuans eſt, diuerſis formis.

8 Hinc vides actum qui in plura obiecta materialia ſub eodem motiuo intrinſeco, eadémque ratione formali tendit, eſſe vnum vnitate entis & moris, neque ſpecie multiplicari per multitudinem obiectorum, & ſiue ea creſcat, ſiue minuatur, quandiu ratio formalis eadem perſeuerabit, manere vnitatem ſpecificam actionis, non numericam tamen: actus enim quo volo dare vnum pauperi ad ſubleuandam eius miſeriam, eſt idem ſpecie cum eo quo volo dare viginti, ſed non numero: idémque medium eſt quod ſeruare intendit temperantia, ſiue materia ſint edulia, ſiue potus, atque ita de aliis, quandiù ratio formalis tum in ſe, tum in modo informandi, & afficiendi obiecta materialia, manet eadem; in ratione tamen entis erunt diuerſæ ſpeciei hi actus; quia obiectum, quod materiale vocamus hoc loco, reſpectu actus moralis vt ſic, eſt formale reſpectu actus entitatiuè ſumpti vt eſt volitio determinatæ ſpeciei phyſicæ, poteſt quoque ad libitum voluntas, vel vnico actu plura illa obiecta materialia, quatenùs vni formalitati ſubſtant attingere, vel etiam pluribus; quandoquidem ſingula independenter ab aliis habent eandem formalem rationem motiuam: v. g. poteſt quis vnico actu velle temperantem eſſe toto prandio, vel circa ſingula opſonia ſingillatim temperantiam ſibi indicere, actus autem ille vous qui plura modo aſſignato attinget, indiuiſibilis erit, vt rectè aduertit Salas *d. 2. tract. 7. n.91.* non ex pluribus partibus entitatiuis compoſitus: tota enim illa compoſitio eſt inutilis hoc loco, & alibi quoque difficilis intellectu.

Honeſtas obiectiua per ſe intendi debet, non malitia.

9 Dixi tertiò intendi debere honeſtatem illam formalem, quæ relucet in obiecto. Ita Suar. *d. 4. ſect. 1.* Vaſq. *d. 51.c.2.* Kon. *d. 1.dub.4.* Ponc. *t. p.variar.relect. a.5.* ſecundò *dicendum* Suar. *lib.2.de legib.c.10.n.3.* Scot. *in 2.d.40.q.1.* Gabr. *ibid.art.2. c.n.3.* id autem ita intelligas velim, vt neceſſe non ſit hanc cognitionem honeſtatis fieri ſub formali ratione, & concepta conuenientia cum natura rationali, quod vnum probant quæ in contrarium obiiciunt Azor. *lib.2.c.5.q.4.* Medina *c.18. art.9.* Salas *tract. 7. d.2.n.60.* hinc enim ſequeretur opus eſſe reflectione, & ruſticos vix vnquam benè operari. Sufficit itaque, ſi obiectum apprehendatur vt decens, quod ab homine fiat, hîc & nunc. Probatur autem id exigi quia Ariſtoteles 2. *Ethic.c.4.* & *alibi* ſæpiùs requirit vt opus virtutis fiat ex honeſtate virtutis. S. Thom. *1.2.q.19.art.1.ad 3.* ad bonam volitionem exigit vt obiectum bonum ſit, & ſub ordine rectæ rationis conſtituatur, hoc eſt vt rectum, & bonum repræſentetur; & *q.100.art.9.* modum operandi ex virtute, ait eſſe vt quis eligat operari propter virtutem ipſam. Et ſanè cùm obiectum materiale indifferens ſit ad ſpecificationem actuum, eáque ſumatur ab obiecti formali ratione, debet ea ita cognoſci vt ſit motiuum voluntatis bune potiùs quàm alium actum elicientis.

Quòd verò diſparem eſſe rationem inter actum bonum & malum hac in parte eſſe dixi, deſumptum eſt ex S. Thom. *quæſt. 19. art. 7. ad 3.* vbi ex eo quòd malum ſit ex quolibet defectu ſingulari ſic infert: *Vnde ſiue voluntas ſit eius quod eſt ſecundùm ſe malum, & ſub ratione boni, ſiue ſit boni ſub ratione mali, ſemper voluntas erit mala: ſed ad hoc quod ſit voluntas bona, requiritur quod ſit boni, ſub ratione boni, hoc eſt quod velit bonum & propter bonum.* Tantùm igitur abeſt vt ad malitiam actûs velle oporteat formaliter malitiam obiecti, vt etiam ſi aſſumatur tanquam medium ad bonum finem, tota turpitudo obiecti refundatur in actum, qui per rectitudinem non poteſt honeſtari, ſed requirit & obiectum bonum moraliter, & finem moraliter bonum, quorum alterum ſi deſit, actus erit moraliter malus, quæ ex iis quæ dicentur de fine *inferius* magis eluceſcent. 10

Bonitas primaria non multiplicatur ex obiecto, ſecùs malitia.

Addidi denique non multiplicari bonitatem actus ex obiecto, non nego tamen aliunde accidere poſſe. Ita Suar. *d. 4. ſect. 3.* qui tamen non rectè probat ex eo quòd bonitas deſumpta ex obiecto ſit actui eſſentialis in genere naturæ, ac proinde nequeat multiplicari: vel enim eſſet in eadem entitate indiuiſibili, quam habere duas rationes formales ſpecificas & phyſicas negat tota Metaphyſica: vel eſſet in entitate diuiſibili; & tunc exponenda erit compoſitio realis, quæ fieret ex iſtis entitatibus, earúmque formalitatibus in ſua ratione completis. Rectiùs igitur probat *ibid.* & Vaſq. in *notis ad art.7.q.18.* quia ſi ſint plures bonitates in obiecto, propter plura motiua intrinſeca, vel appetantur vt plura, vel per modum vnius: ſi primùm, erunt quidem plures bonitates, ſed erunt quoque plures actus, qui aliunde diſtingui non poſſunt quàm per ſua motiua formalia, falſúmque eſt quod obiicit Salas *d.2.ſect.4.tract.13.* licet noſtram ſententiam communem eſſe dicat, eandem concluſionem cognoſci vnico actu, per medium geometricum, & phyſicum, atque per certum, & probabilem, eundémque actum fore ſimul opinionis, ſcientiæ, mathematicæ, & phyſicæ, fidei diuinæ, & humanæ; ac proindè idem propter diuerſa motiua adæquata appetibile eſſe eadem appetitione; falſúmque idem eſt, cùm plures cauſas totales eiuſdem effectûs ſimul totaliter influentes vulgò negent Philoſophi; immò & aliquine de poteſtate quidem abſoluta fieri poſſe contendant, quod tamen admittendum foret hoc loco, cùm 11

hæc

hæc motiua adæquata sint, & non inuicē subordinata, & simul per modum plurium, non tanquam vnum aliquod ex pluribus conflatum non concurrant. Itaque erunt plures volitiones specie, & quod inde consequens est, numero: quod idem de electione docet Vasq. *ibid.* cùm vnum medium eligitur tanquam vtile ad duos fines adæquatos, non subordinatos & diuersis intentionibus volitos; si autem plures bonitates obiecti appetantur per modum vnius, tunc erit vna bonitas actus, eo modo veluti composita quo bonitas obiecti adunabatur: possū autem ibi vniri plures rationes obiecti quæ alias adæquatæ sunt, putat Vasq. v. g. in adoratione Christi, quæ simul & latriam, & duliam continet propter diuersos titulos excellentiæ ad quos terminatur, quia tamen vniuntur in ratione honoris eidem personæ exhibite, facient tantùm vnum motiuum ex pluribus conflatum. Suar. verò existimat ex pluribus bonitatibus obiecti posse vnam aliam nobiliorem, inferiores omnes continentem ab intellectu apprehendi, vel confusè considerando, rem esse bonam bonitate integra ex pluribus illis sigillatim priùs cognitis, vel per modum cuiusdam compositionis, & vnionis, vti concipimus pulchritudinem ex diuersissimis rationibus efflorescere, & iustitiam animæ ex gratia habituali, aliisque donis supernaturalibus consurgere, atque eam bonitatem ita conceptam nihil prohibebit intendi à voluntate, vnde refundetur in actum internum bonitas formalis eminenter complectens bonitates omnes, quæ ex pluribus illis bonitatibus obiectiuis sigillatim sumptis in singulos actus deriuatæ fuissent. Qui modus operandi, si possibilis est, vt sanè esse videtur, admodum probabiliter Christo tribuitur *ibid.* à Suar. regulariter tamē aliter operamur.

Ex his tamen non rectè colligit Suar. *d.* 5. *s.* 2. *n.* 19. circumstantiam obiectiuam nunquam conferre eidem actui interno distinctam speciem bonitatis, quia id non potest nisi per se intendatur secundùm propriam honestatem, atque ita erunt duo motiua specie distincta, quæ eundem actum entitatiuum terminare nequeūt & hæ motiua non erunt æquè proxima, in quæ ferri non posse eandē volitionem concedebamus, neque tantùm bonitas obiecti vt maior accessu bonitatis circumstantiæ appetetur. Nam falsum est temperantiam obiectam ex præcepto esse simpliciter meliorem in ratione temperantiæ. Vna igitur ex his bonitatibus primariò mouebit, altera tantùm secundariò: bonitas enim circumstantiæ non mouet tunc, nisi bonitas obiecti moueret, quæ primò & per se appetitur, altera tantùm vt ipsi connexa. Addit Suar. actum tendentem in obiectum, eiúsque circumstantiam vt in duo obiecta partialia, aut in vnum obiectum bonum, bonitate quâdam ex pluribus conflatā esse diuersam numero, & in ratione indiuiduali ab alio actu qui in nudum obiectum tenderet; quod magis probarem quàm quod ait Sal. *tract.* 7. *d.* 2. *n.* 103. addere tantùm partem quandam extensiuam, tota enim ista cōpositio actuum est fictitia, cum sit diuersa tendentia realis, diuersus quoque realiter actus, qui proinde ex circumstantiis obiectiuis, non potest idem numero crescere in bonitatem, aut decrescere, deberet enim aliquid realiter addi aut detrahi, quo tendat in circumstantiam obiectiuam, aut non tendat: neque propterea sequitur bonitatem esse essentialē actui in genere naturæ, quia ille idem realiter actus in obiectum & eas circumstantias tendens, potest fieri bonus aut malus minutâ libertate; aut alia circumstantia ex parte operantis, sed sufficit si feratur in obiectum aut finem malum quodcumque apprehensum. Ratio itaque propter quam negamus bonitatem ex obiecto multiplicari, cessat, quia nimirùm voluntas nequit tendere vnico actu in diuersa motiua non subordinata, & si obiectum vel ex sua natura, vel ex fine habeat oppositionem cum multiplici rectitudine, aut honestate, refundet multiplicem malitiam, quamvis non intendatur. Ita qui delectationem veneream liberè admittit post votū castitatis, duplici malitia inficitur, contra castitatem & Religionem, etsi tunc nequidem de Religione meminerit. Malè tamen Vasq. ex his malitiæ speciebus ex obiecto desumptis, alteram fore primariam & substantialem, eam nimirum, sine qua altera stare non posset, malè, inquam; nam si sumatur multiplex hæc malitia ex obiecto, qualibet erit primaria ex ipsa regula tradita à Vasq. nam qualibet ex his malitiis, aut re, aut per intellectum reiectis, reliquæ conferunt adhoc malitiam obiecto, vt patet.

Quomodo moralitas formalis deriuetur in actum internum à circumstantiis?

Altera radix moralitatis formalis sunt circūstantiæ; 22
eæ verò vel sunt obiectiuæ, hoc est ipsum obiectum actus interni, & tanquam accidentia circumstant; vel sunt intrinsecæ actui, quem afficiunt quodammodò: itaque in illo, non in obiecto considerantur, & de vtrisque agendum est, atque

Dicendum primò circumstantias obiecti conferre 23
aliquandò moralitatem formalem actui interno, aliquando non conferre, vt autem conferant bonitatem, debent esse in se & directè volitæ: ad malitiam verò sufficit præuisas fuisse, atq; indirectè, & in alio volitas.

Circumstantiæ obiectiuæ conferunt moralitatem actûs.

Dixi aliquando tùm malitiam, tùm bonitatem de- 24
sumi ex circumstantiis obiecti, quod ipsa docet experientia: dare enim centum pauperi, melius est, quàm dare decem tantùm, quamvis ea ferè circumstantia pertineat ad obiectum hoc indiuiduum, non tamen ad obiectum eleemosynæ. Simpliciter furari in loco sacro, grauior est malitia, quàm furari simpliciter, vndè fit vt aliquando plures actus æquales in libertate & intentione, in idémque obiectum tendentes, inæquales tamen fiot in bonitate & malitia, ratione circumstantiarum, quibus eorum obiectum affectum est. Addidi verò aliquando nihil facere circumstantias obiectiuas ad moralitatem formalem, quia cum supponant iam obiectum constitutum in esse moris, possunt ab illo abesse, quâ detractione factâ, manebit obiectum aptum ad fundandam moralitatem, modò enim nulla circumstantia adueniat, & nulla conditio ex his quæ essentialiter exiguntur ad speciem moralem obiecti desit, obiectum fundamentaliter honestum erit, vt patet. Demùm aliquando circumstantiæ nullam afferunt nouam conformitatem, aut difformitatem obiecti cum natura rationali, aut immutant eius ordinem ad rectam rationem; ex quibus tamen vel noua moralitas, vel prioris augmentum, vel decrementum desumi debet, quod sæpiùs contingit in circumstantiis temporis, loci, quibus auxiliis: quod enim Titius Sempronium fuste, aut saxo occiderit, nihil facit ad turpitudinem occisionis, saltem quatenùs hæ circumstantiæ se tenent ex parte obiecti: de his enim tantùm modò disputamus.

Dices: si circumstantiæ bonitatem, aut malitiam ad- 25
dunt, sequeretur fore tandem infinitam, quod in circumstantia quid, seu qualitatis manifestum videtur. Velit enim aliquis infinitis pauperibus stipem erogare, infinitam diuitiarum vim in illam profundere, erit bonitas illius volitionis ex circumstantia obiectiua infinita, aut saltem vnus & idem actus, quamvis remissus pluribus æquiualebit, v.g. voluntas dandi decem au-

reos æquiualebit decem volitionibus dandi vnom. Et sanè in actibus malis id verum est : qui enim vult furari tribus, committit simul & semel tria furta. Demùm quantitas aliquandò incerta est & indefinita ; quomodò igitur augebit malitiam, aut bonitatem? v. g. vult aliquis dare pauperi vel furari totam summam quæ est in arcula, quam tamen non nouit.

Respondet Suar. *tract. 3. d. 5. s. 2.* & qui eum ex scripsit
16 Salas *tract. 3. d. 5. s. 6.* eiusmodi actum esse simpliciter finitum tum in entitate sua, tum in bonitate, aut malitia, & tantùm secundùm quid & ratione obiecti quod attingit, infinitum, à quo tamen aliud non accipit quàm vt reliquos actus intra eandem speciem superet; æquiualentia autem illa actuum neque fundatur in ipsorum entitate, neque etiam in affectu morali. Nam si actus plura attingens sit inefficax, non æquiualet pluribus efficacibus. Si autem comparatio instituatur inter efficaces, non est tamen omnimoda æqualitas : nam multitudo actuum aliquid etiā confert ad meritum : quis enim dicat eū qui mane proponit exercere eo die 100. actus pœnitentiæ, eo vnico actu, tantū mereri quantū 100. deinde actibus, quos reipsa eliciet. Ratio horum omnium est, quia obiectum non est forma intrinseca actus, sed solùm terminus extrinsecus, ac proinde necesse non est vt totam suam bonitatem, aut malitiam refundat in actum ; alioquin odium & amor Dei, essent infiniti valoris, aut demeriti. Eadem ferè habet Vasq. *d. 76. n. 15.* quia enim infinita eleemosyna est impossibilis, affectus circa illam versans, ita se habet, ac si circa obiectum alterius ordinis versaretur, à quo non acciperet bonitatem infinitam vt in amore Dei ostenditur : si tamen possibilis esset infinita eleemosyna, concedit voluntatem eius efficacem, quantum ex se habituram meritum infinitum, vndè circa eleemosynas, plures ait augeri eadem proportione, qua augetur quātitas obiecti. Addit Kon. *d. 3. n. 91.* ad infinitum meritū ex infinitis eleemosynis, opus esse vt illis omnibus possit infinitè frui, ita vt per illam donationem infinitum sibi commodum detrahat ; quia arduitas huius virtutis non tam est in donatione rei quàm quod donans ita se priuet aliquo commodo : si enim quis quæ sibi omnia inutilia sunt vt iis neque frui vllâ ratione, neque possidere possit donet, nihil mereri censeatur. Denique infinita hæc obiecta confusè admodum attinguntur, vt ait Palat. *in 2. d. 38. d. 1. con. 1.* & ferè solùm per modū vnius, ac proindè non nisi vnam moralitatē conferunt; quod contingit quoties plures termini reipsa distincti, intellectui tamen propter confusionē suam non nisi vt vnū quid obiiciuntur : quando autem distinctè occurrunt aliqui ex illa confusa multitudine, suam peculiarem moralitatem conferunt, sicut si extra illam multitudinē voluntatem mouerent. Existimo enim eum qui vult eleemosynam tribus triplicem bonitatem habere, quia singuli actus si essent soli suam bonitatem conferrent : cur autē modò vnam conflabunt, quāvis tribus æquiualentē, cùm illa volitio sit veluti totalis respectu singulorum, cùm velimus cuilibet totum illud bonū, quod alteri volumus. Si autem ea volitio sit tantùm veluti partialis respectu singulorum, volendo singulis partē quandam totalis cuiusdam boni per se primò voliti, tunc habet vnicam bonitatem, quod ratio Kon. de dāno vnico, quod sibi tunc infert dans eleemosynam, optimè ostendit. Quod autem dicebatur de eo qui vult furari à tribus, si ille velit rem quæ ad tres dominus pertinet, subripere, cùm sit vnicum damnum tribus indiuisibilibus dominis illatum, erit vnicum furtum ; si autem sint tres domini formaliter diuersi, quia triplex damnum infertur, triplex quoque fuerit furtum. Denique quandò nobis est incerta & incognita quantitas obiecti, est tamen ea certa in se & determinata ac proindè certam & determinatam malitiam aut bonitatem conferri nobis licet ignotam.

Secunda pars conclusionis, circumstantias obiecti- 17
uas conferentes bonitatem actui interno, debere esse in se & directè volitas, non in alio tantùm est Suar. *d. 5. cit. s. 2.* Sal. *tract. 7. d. 2. n. 101.* & eorum omnium qui nuper dicebant obiectum honestum debere appeti, vt honestū est ad honestatem actus, quod ita exponebamus vt ipsa formalis honestas sub propria ratione, & vt est conformitas cum ratione recta cognosci non debeat. Hæc enim cognitio operosior est, sed iudicari debet vt decens hîc & nunc, quod idem de circumstantiis modò asserimus. Et probatur, quia honestas obiecti nō potest refundi in actum, nisi quia in eam realiter tendit actus, aut quia per moralem imputationem vel ob connexionem quam habet cum alio ad quod directè tendit, in eam quoque adiunctam circumstantiam, eiúsque honestatem tendere censetur. Si primum dicatur, oportet eam honestatem circumstantiæ esse præuisam, & directè volitam, quia voluntatem tendere in obiectum, est illud in se & realiter velle. Et sanè cùm ad honestam tendentiam non sufficiat honestum esse eius obiectum, nisi formaliter quatenùs honestum est, eam tendentiam terminet, vti alias stabilitum est, non apparet cur in tendentia honestatis ex circumstantia obiecti id non exigatur, moralis autem imputatio non sufficit, quia non solet quidquam ita imputari voluntati, nisi vel omissio actus vel actus ipse positiuus. Primum non sufficit, quia bonitas non consistit in sola negatione actus mali.

Dices : voluntas posset perseuerante eadem rationis luce, aut mentis cogitatione fouere actum malum, quem tamen non ponit : hoc autē ipsi ad meritū imputatur.

Respondeo vel ibi est actus positiuus quo vult non ponere actum malum, & ita eam negationem, eiúsque honestatem directè vult, & non tantùm per imputationem, atq; ita laudatur ille qui cùm potuerit transgredi & non est transgressus ; quo etiam sensu dixit S. Th. 2. 2. *q. 79. a. 1. ad* 2. illam iustitiæ partem, *declina à malo*, non importare negationem puram, quod est non facere malum : hoc enim non meretur palmam, sed vitæ pœnam : sed importare motum voluntatis repudiantis malum : vel est tantùm mera negatio actus mali, seu non positio sine vllo actu positiuo, & tunc nulla bonitas ibi interuenit. Et sanè potest illa negatio indifferens esse, v. g. non furari : potest enim quis non furari ob furti turpitudinem, quod bonum est, & ne ipse incurrat ignominiam, quod est aliquid indifferens. Itaque imputatio moralis negationis actûs ad honestatem, sola non sufficit; Actus autē positiuus non imputatur volūtati, nisi quando tenebatur aliquid agere, aut omittere, ne aliud inde sequeretur, vnde effectus deinde consequens tribuitur illi qui impedire tenebatur, neque tamen impediuit ; hic autem in bonis nunquam contingit, sed vt euentus bonus imputetur, debuit esse volitus formaliter in se, aut in sua causa : tunc enim effectus non est tantùm interpretatiuè & imputatiuè à voluntate, sed directè & per se, cùm causam vt continentem eiusmodi effectum per directū & expressum actum voluerit. Si enim voluisset tantùm causam, aut accessisset non vt causam & occasionem formaliter, ac proindè non attingendo effectum, non fuisset ea volitio effectus ; nam licet ignorasset inuincibiliter sequuturum effectum ex tali causa ; illam tamen eodem modo voluisset atque voluit. Quod igitur præuiderit effectum sequuturum non propterea voluit illum nisi voluerit causam vt causam, sed tantùm permisit sequi effectum, cuius proinde honestas tribui non debet illi voluntati : secus est de malitia, vt statim dicam.

Ex quibus etiam vides, non sufficere hoc volun- 18
tarium indirectum, seu in alio, ad quod directè tan-

tùm

tùm terminetur voluntas, nisi contineat virtualiter euentum, qui deinde imputatur aut cum eo connexum sit & velit illud formaliter vt tale est. Et sanè qui vult obiectum honestum, solum propter delectationem aliàs licitam, non operatur honeste.

19 Hinc colliges cur Durand. *in* 1.*d.* 38.*q.*1. & alij dicant totam bonitatem sumi ab obiecto: cùm enim circumstantiæ vt aliquid conferant in hac parte debeant esse volitæ directè, & per se transeant in rationem obiecti, vt etiam loquuntur vulgò Thomistæ & ipse S.D. *q.*19.*art.*1. sufficit ad malitiam actus circumstantiam malam præuideri.

20 Tertiò dici, circumstantias obiectiuas conferre nouam malitiam actui interno, aut augere priorem, modò præuisæ sint, quamvis non sint directè volitæ non tantùm formaliter, sed ne materialiter quidem, hoc est non esse necesse malitiam formalem circumstantiæ directè velle. Quod fortassis fieri non potest, sed quidem ipsammet circumstantiam, cui est annexa malitia, satis esse præuideri talem circumstantiam annexam esse obiecto quod appetitur. Ita omnes Suar. *tract.* 3.*d.*7.*sect.*8. Vasq.*d.*101.*c.*5. Sal. *tract.*7.*d.*3.*sect.*4. Azor. *lib.*2.*c.*4.*q.*1. quamvis aliquos casus aliqui excipiant contra Caiet. 1.2.*q.*72.*art. vltimo.* & *q.*76.*art.*4. quamvis aliis locis quibus sæpius hanc quæstionem tractauit nonquam sibi fecerit satis & 2.2. *q.*53. *art.*2. ait malle se doceri quam docere hac in parte. Probatur autem communis opinio, quia peccata ex culpabili ignorantia siue iuris siue facti eiusdem speciei sunt cum iis quæ scienter admissa sunt, & tamen vbi fuit ignorantia non potuit esse directa volitio euentus, qui futurus ignorabatur, v.g. qui accedit ad non suam ignorans culpabiliter congressum cum soluta esse illicitum, reus tamen est fornicationis: qui occidit ignorans culpabiliter esse Clericum, qui in venatione hominẽ transfigit loco feræ propter, non adhibitam sufficientẽ diligentiā, reus homicidij est; immò non tãtùm directè non est volita circũstantia annexa, sed etiam expressissimo actu vellet aliquandò non esse, vt qui alienam constuprat non tantùm non cogitat de inferenda iniuria coniugi, sed nollet inferre, aut fœminam quam adit nollet esse maritatam. Fur sacrilegus nollet rem quam subripit esse in loco sacro, cuius sanctitatem inuitus violat. Ex quibus sic iterum colligo: Aliquæ circumstantiæ indirectè tantùm volitæ tribuunt malitiam actui vt allatis exemplis, & omnium vnanimi consensu constat: ergo & omnes idem præstabunt, quoties nouam deordinationem afferent. Manifesta est consequentia, quia directa & indirecta volitio non differunt specie nisi penes obiecta, ad quæ terminantur, & ea natura sua nullam afferunt malitiam, nisi ratione obiecti in quo supponunt esse deordinationem à recta ratione seu difformitatem cum natura rationali. Quoties igitur ea deordinatio obiecti siue ratione ipsius, siue ratione circumstantiæ reperietur, actum à quo directè vel indirectè attingetur, suâ malitiâ inficiet. Neque vlla inter circumstantias disparitas propter quam aliquæ debeant esse directè volitæ, & non aliæ, afferri potest: quod enim ait Caiet. peccata commissa ex ignorantia culpabili iuris positiui, aut facti differre specie ab iis quæ scienter committuntur, atque eum qui in venatione transfigit hominem, quem culpabiliter existimabat esse feram, non fore reum homicidij, sed incautæ, & periculosæ operationis, passim iure reiicitur à Sanch. *lib.* 1. *in d.c.*17.*n.*14. Azor. *lib.*1.*c.*14.*q.*7. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6.*p.*3. Sal. *tract.* 13.*d.*8.*n.*71. Nam qui peccat contra ius positiuum, non ideò peccat quia facit contra præceptum & legem superioris sub illa formali ratione, quia opus quod facit prohibitum est: vix enim vnquam contingit haberi eiusmodi motiuũ actionis, sed quia bonum aliquod iucundum prosequitur, etsi aliunde prohibitũ sit, eo planè modo quo peccatur contra ius naturale. Si igitur ignorantia culpabilis iuris naturalis non mutat speciem peccati ex illa commissi, neque etiam mutabit ignorantia iuris positiui; quod idem de facti ignorantia dicendum est, cùm ipsa etiam nolitio futuri euentus præuisi non mutet speciem, vt apparet in eo qui se inebriat præuidens ex ea ebrietate sequuturum periculum homicidij, quod tamen periculum non intendit, immò vellet non sequi, illo nihilominùs probabiliter præuiso vini suauitate illectus sese inebriat. Malè quoq; in casu illo incautæ venationis homicidium negat esse Caiet. cùm & per eam incurratur irregularitas, & obligatio ad restitutionem, quæ aliundè quàm ex homicidio in isto casu oriri nequeunt: neque hic tantùm peccatur omissione propter non adhibitam necessariã diligentiam, sed etiam commissione, vt ipse fatetur Caiet. *q.*72. *a. vltimo.* Denique si hic non sit peccatum homicidij ob ignoratum euentum culpabiliter, ac proindè non volitum nisi indirectè & interpretatiuè, non erit etiam peccatum periculosæ operationis, quia ignorabatur eiusmodi periculum, quod proinde directè volitum non est.

Secundò Alphons. à Castro *lib.*2. *de lege pœnali*, *c.* 14. post secundam propositionem, & Couarru. *in cap. Alma mater.* 1. *p.* §. 10. *n.* 16. distinguunt de circũstantiis malis rei aliunde licitæ, aut illicitæ: priores enim debent esse directè volitæ, non posteriores, v.g. qui occidit hominem ignorans culpabiliter esse Clericum, homicida sacrilegus est: qui occidit vacans venationi v. g. licitæ, peccat tantùm omissione adhibitæ sufficientis diligentiæ, quia in priori casu circumstantia non comparatur per accidens cum voluntate, quæ cùm velit malum opus, consequenter vult malum omne quod eiusmodi operi annexum est: quando autem res licita est, totam malitiam accipit à circumstantia, & nihil tribuit speciem vulitioni nisi sit directè volitum. Verùm circumstantia & euentus consequens, tam accidentariò coniungitur obiecto illicito, atque licito v.g. occisio Clerici accidentaria est occisioni iniquę & iustæ propter moderationem inculpatę tutelæ: euentus homicidij æque consequitur venationem licitam, atque illicitam, & in vtroque isto casu circumstantia dat nouam speciem malitiæ seu priorẽ supponat, seu primam inuehat. Si igitur id quod affert nouam speciem actui voluntatis debet esse expressè volitum æquè id necesse fuerit in circumstantia rei illicitæ atque licitæ. Tertiò Vasq. *d.* 101. *c.* 5. & 6. & Pesantius in 1. 2. *q.*72. *a.*6. *disp.* 1. videtúrque Azorij *lib.* 1. *c.* 14. *q.* 6. distinguunt inter opera quæ exterius & quæ interius consummantur: circũstantiæ enim operis externi, etsi culpabiliter ignorẽtur, & directè volitæ non sint, conferunt tamen malitiam actui eandem, quam conferrent si fuissent directè volitæ; secùs se habent circumstantiæ obiecti actûs voluntatis seu interius consummabilis; debent enim esse expresse volitæ. Discrimen petitur ex eo quòd malitia desumpta ex obiecto, primariò sit in actu exteriori, & ab illo in internum deriuetur: ratio autem voluntarij, quæ est fundamentum moralitatis, sit tum denominatiuè, cum secundariò in actu exteriori, primariò autem & quodammodo intrinsecè in actu interno, cúmque ad malitiam sufficiat quodlibet voluntarium, & opus externum idẽ omninò sit, in idémq; obiectum versetur, siue prodeat ex scientia, siue ex ignorãtia culpabili, siue sit directè, siue indirectè volitum, eandem quoque malitiã retinebit. Quia verò quoties malitia consummatur in actu interno, in eo est primariò, & ab eo in ex- 21

ternum deriuatur, fit vt ea malitia consequatur affectum illum internum, in quo est primario, ac proindè eo mutato mutetur & ipsa: quando verò mutatur cognitio, mutatur affectus, quem perspicuum est non esse eundem quandò in obiectum, & eius circumstantias directè & explicitè fertur, cum eo, qui indirectè tantùm, & implicitè tendit. Verùm si affectus etiā indirectus mutaret speciem moralem actûs interni, sequeretur volitionem directam omittendi, v.g. contritionem, quandò obligat, differre specie à volitione indirecta, qua quis volens sineret se tunc temporis in alia distrahi, esséque in confessione exprimendum omissam fuisse contritionem, quo tempore obligabat, volitione directa, aut indirecta, cùm tamen ipse Vasq. *d.* 93. *cap.* 3. neget causas volitionis malæ mutare eius malitiam, nisi & ipsæ malæ sint, quod hic non esse supponimus. Denique volitio directa & indirecta non differunt specie morali nisi penes obiecta, vt *superiùs* argumentabamur: atqui etiam in peccatis, quæ interno opere consummantur, volitio directa & indirecta feruntur in idem obiectum, & circumstantias, quæ eandem deordinationem seruant, & eodem actu attinguntur; non apparet igitur vnde specifica malitia differat. Quod enim malitia primariò reperiatur in actu externo, & in internum refundatur, aliàs è contrariò, prout peccata interius, vel exteriùs perficiuntur, nihil confert ad nostram quæstionem. Quod addit Vasq. odium Dei & proximi, non esse specialia peccata nisi fiant ex formali displicentia Dei & proximi. & aliquod damnum in bonis externis Deo, aut proximo inferatur,

22 Postulat vt exponamus, quâ ratione generales quædam circumstantiæ quæ in omni actu malo reperiuntur vt inobedientia, odium Dei, vel proximi, ingratitudo, aliæque eiusmodi, non conferant speciales malitias, si indirecta volitio ad hunc effectum sufficiat, atque ita teneamur in Sacramento Pœnitentiæ eas exprimere; quod durum admodum erit, aut si debeant esse directè volitæ istæ circumstantiæ vt constituant malitiam particularem, vt in exemplis allatis à Vasq. de odio Dei & proximi. Cur illud ipsum non requiretur saltem in actibus, qui interiùs consummantur?

Respondet Azor. *l. c.* quædam esse vitia, & virtutes quæ speciale animi propositum exigunt, cuiusmodi est odium, inobedientia, quæ nisi fiant ex certo quodam motiuo non censentur actus speciales, sed in aliis includuntur. Sal. *d.* 3 *n.* 81 *tract.* 7. concedit has quoque circumstantias dare specialem malitiam, quæ (speculatiuè loquendo) distinguitur à malitia particulari actus: moraliter tamen eadem reputatur, eo quòd semper etiam in omnibus reperiantur, quandò aut sciuntur, aut non nisi culpabiliter ignorantur; quare vt peccatum distinctum ab aliis, quibuscum semper annexæ sunt, constituant, debent directè & per se intendi Suar. *l. c.* duplices circumstantias generales constituit; aliæ enim sunt per modum generis, vt esse auersionem ab vltimo fine, aliquid ipsi displicens, eius legem violans, operanti nocuum, atque cùm intendantur tantùm per modum rationis genericæ, quoties directè per se, & speciali actu non intenduntur, non dant specialem malitiam. Aliæ sunt circumstantiæ generales, quia vt plurimùm annectuntur malis actibus, vt scandalum, odium proximi, atque hæ quamvis sint tantùm indirectè volitæ, specialem malitiam afferunt. Deindè aliquandò ex circumstantiis obiecti oritur spiritualis obligatio vitandi actum, vel hoc, aut illo modo operandi, & tunc siue directè, siue interpretatiuè volitæ, inficiunt actum: aliquandò nullam afferunt obligationem, ac proinde neque malitiam, quia ne quidem indirectè sed materialiter tantùm intenduntur, v.g. ieiunium lege imperatum, in materia pœnitentiæ, quæ proximum obligat; non autem obedientiæ virtus, vndè violans ieiunium, non est inobediens, sed intemperans, quia præcepti circumstantia non afferebat distinctam obligationem à temperantia, intra cuius materiam actum imperatum constituebat, & ad summum malitiam actus intemperantiæ augebit.

Circa circumstantias ipsum internum actum afficientes, non ratione solius obiecti 23

Dicendum est secundò, aliquas ex his circumstantiis conferre moralitatem, bonitatem, vel malitiam actus; ad hoc autem sufficit esse volitas, per modum actus, & non per modum obiecti.

Aliquæ, inquam, ex his circumstantiis actus moralitatem immutant, augent, vel minuunt: nam aliquæ ita extrinsecæ sunt vt nihil faciant hoc loco, nisi transeant in obiectum: eiusmodi est circumstantia *quid, & quantum*; quæ materiam, & obiectum potiùs quàm actum spectant: idem dices de circumstantia loci, & temporis. Quibus auxiliis ad actum etiam internum non spectat. Circumstantia verò quis, seu *personæ operantis*, non auget bonitatem, nisi in volita per modum obiecti in quod transit. ita Suar. *d.* 5. *sect.* 9. *n.* 6. & Sal. *tract.* 7. *d.* 3. *sect.* 15. quia est extrinseca actui, neque ad modum operandi moralem, qui in plena aduertentia & libertate consistit, pertinet. Non poterit igitur bonitatem, aut malitiam, actui internam augere, nisi ab illo attingatur aliquo modo, & in obiectum transeat. Valor tamen quidam moralis, qui non est ipsa rectitudo, aut honestas, sed ipsam consequitur, à conditione personæ operantis petitur: opera enim Christi infinita erant ex eo quod à persona diuina proficiscerentur, & opera peccatoris meritoria non sunt, quia fiunt à persona inimica, licèt bona sint moraliter, & naturaliter: ad hoc autem nihil opus est hanc conditionem esse volitam, siue vt obiectum, siue vt actum, vt in exemplis allatis apparet: in his enim ne quidem de conditione personæ operantis cogitatur, dum opus exercetur, & cùm ille valor resultet, vt dixi, ex honestate, non pendet à voluntate, nisi quatenùs honestam aliunde operationem elicit, neque proindè opus est intendi directè, aut indirectè. Conditio *quomodo* continet intentionem, & libertatem actûs, quæ valent ad augendam bonitatem, aut malitiam, non ita tamen vt intentio, actum aliundè malum, vitiet per se, ex ea enim non tollitur medium formale virtutis, in quod tendit actio virtutis, per accidens tamen vitiosa esse potest intentio actus, etiam boni, vt quod ab alio actu id temporis auertat, aut sanitati noceat; aut à Deo prohibeatur, vt potest prohiberi, aut simili aliâ ratione; non debet autem esse volita hæc conditio nisi per modum actûs, qui est maximè intrinseca. Sicut igitur entitas volitionis volita est eò quòd à voluntate fiat: neque enim opus est actu reflexo, alioquin abiretur in infinitum: ita & intentio, atque ipsa libertas volitionis liberæ eodem modo volitæ sunt, non quod sint obiectum alterius volitionis distinctæ, & reflexæ. Idem dicendum est de circumstantia, *quando seu durationis*, & continuationis, quæ ordinariè volita non est, nisi per modum actus, eam tamen augere honestatem, & turpitudinem actus nullus dubitat: quâ tamen proportione crescit ex duratione malitia, & bonitas, aut meritum actus, cum singulis instantibus, quæ infinita sunt, ponatur tota substantia actus, quæ certum, & determinatum meritum habet, grauis est difficultas, de qua in materia de merito. Interim consule Suar. *tract.* 3. *d.* 1. *d.* 5. *sect.* 3. *n.* 18. & Vasq. *d.* 54. *c.* 3. Sal. *tract.* 13. *d.* 5. *sect.* 7.

Refusio

Refusio moralitatis à fine in actum internum.

24 Loquimur de fine extrinseco, quem operantis appellant: finis enim operis, seu intrinsecus, semper est obiectum formale, & motiuum actûs interni, cum finis extrinsecus accedat operi, sitque eius circumstantia, vt ipse S. Thom. q.7. art. 3. significat, circumstantias enumerans, de eo tamen singillatim agit, sed & reliqui Theologi, quia, ait Caiet. 1.2 *in* q.18.a.4. Finis hic aliquando induit rationem obiecti, respectu intentionis, & electionis, vt *eadem* q.18. *art*.6. ait S.Th. & quia non est solum accidens actionis vt reliquæ circumstantiæ, sed etiam est aliquando causa. Quare de eo tantùm tum S.D. q.18. & 19. tum Ma. *in* 2.d.36. & 40. illisque locis cæteri Theologi seorsim disputant. Atque vt plurimæ controuersiæ quæ hac in parte institui solent, paucis & perspicuè tradantur, vario modo comparari debet actus cum fine: vel enim tendit immediatè in ipsum finem, appellatúrque intentio, vel in media, & remotè ac mediatè in finem vocaturque electio: medium autem quod eligitur, & ordinatur in finem, vel est indifferens, vel honestum, vel turpe, finisque honestus, aut turpis; deinde vel electio versans circa media, ea tantùm prosequitur propter finem, ita vt tota ratio, & proximum motiuũ eligendi tale mediũ sit finis ad quem vtile est. Quem actum putam electionem vocat Suar. *d.6.sect.* 1. & 2. vel vult voluntas media propter intrinsecam bonitatem ipsorum, quamvis eam totam deindè bonitatem ad vlteriorem finem referat, in qua volitione finis non est vnicum, & adæquatum motiuum voluntatis, sed solum extrinsecum, & remotum, vti contingit quoties actus vnius virtutis imperatur ab alia, vt actio fortitudinis à charitate, eleemosyna à contritione: vult enim voluntas etiam ipsam honestatem fortitudinis, & eleemosynæ, & præterea illam suam omnem volitionem vlteriùs refert; hócque loco est sermo dumtaxat de actibus internis imperatis, qui simul sunt eliciti à voluntate: nam opera reliquarum potentiarum externa sunt, & peculiarem habent difficultatem *inferiùs* discutiendam: posse autem voluntatem imperare sibi ipsi, æquè ac reliquis potentiis, manifestum est, quod fit, vel formaliter, & in actu signato, quando vnus actus est per alium volitus, volo, v. g. amare Deũ: vel virtualiter tantùm, quando vnus actus fit ex vi alterius, à quo, vel cõnotatur, vel per naturalẽ quandam veluti consecutionem infertur. Hæ omnes actuum differentiæ percurrendæ sunt hoc loco.

25 Primò igitur intentio primaria, & substantialis suam moralitatem accipit à fine, circa quem immediatè versatur: ille enim coïncidit cum obiecto proximo, vt S.Thom. q.18. & 19. sæpiùs affirmat; ab obiecto autem specificari actum, etiam quoad esse morale *superiùs* definitum est. Hinc autem sequitur non requiri ad honestatem actus, vt vlteriorem aliquem finẽ, præter proximum qui eius obiectum est, actualiter respiciat, contra aliquos qui prætereà exigunt relationem ad finem vltimum, seu Deum, nisi actus immediatè versetur circa Deum, qualis est amor Dei. Ita Gregor. *in* 2. *d.* 38. q.1. *c.* 2. quia omne eligibile præter Deum, non est eligibile per se, sed propter aliud; & cùm frui non liceat creaturis, sed vti dumtaxat ex vulgata Augustini doctrina, in earum amore quiescere non licet, sed aliò referendus est, scilicet ad Deum; alioquin carebit ille actus, debita circumstantia finis, atque ita erit vitiosus. Verùm reiicitur à Med. 1.2.q.18.*art*.9. Suar. *lib.2 de legib.c.*11. Non enim apparet vndè oriatur obligatio, omnes, & singulos actus referendi in vltimum finem, alio modo quàm quia ex natura sua sunt ad eum referibiles, cùm nullam cum eo habeant oppositionem, aut ab eius conseruatione non auertant. Neque hanc necessitatem colligent aduersarij aut ex ipsa natura rei, aut aliunde; quia quæ ad bonitatem operis, & solam honestatem obiecti proximi, modò nulla debita circumstantia desit, aut mala adsit, præter eam, vt dixi, referibilitatem exigit. Neque satis exponere possunt, quod sit ista relatio: non habitus aliquis acquisitus variis actibus circa vltimum finem, à quo deinde reliqui actus consequenter habitualiter referantur: quia neque hic habitus elicit actus dissimiles iis, à quibus genitus est, neque eos imperat nisi proprium aliquem actum eliciat. Itaque omnis actus bonus supponet alium imperantem; quod est contra experientiam. Non sufficit quoque actus aliquos præcessisse, circa vltimum finem: nisi enim aliquam connexionem habeant cum consequentibus, & aliqua ratione in ipsos influant, impertinentes sunt ad hoc negotium: non est quoque necesse, vt in principio saltem actionis sit actualis relatio in Deum, quæ in progressu deindè operis, quandiu non retractatur, virtualiter perseueret. Hæc enim obligatio rigida valdè est, neque imponenda, nisi vel euidens ratio, vel præceptum admodum cogat. Hinc quoque sequitur omnia infidelium opera vitiosa fuisse; quod communem sensum impugnat. Vide Vasq. 1.2.d.191. c.4. fusè. Sufficit igitur ad bonitatem intentionis, si obiectum eius proximum, seu finis bonus sit: loquor de intentione in se considerata; vtrùm enim inficiatur ex mala electione, statim dicam.

Secundò, puta electio versans circa medium indif- 26
ferens aut honestum, totam suam bonitatem haurit à fine. Ita Suar. *d.6.f.2.* Vasq. *disp.*51. *c.2.* cuius rationes hoc saltem euincunt, sicut & loca S. Thom. *quæst.*18. *art.* 6. *ad* 3. in actibus internis non esse diuersitatem specificam, quamdiu sub eodem fine amantur & q.19. *art.*2 *ad* 1. bonitatem desumptam ex fine, & ex obiecto in voluntate eandem esse, nisi, quando pendet ea fine, & voluntas ex voluntate, quod per accidens contingit, quia nimirum aliquandò vnus finis ordinatur ad alium finem, & vna intentio ad aliam. Ratio verò conclusionis euidens est, non modò quandò medium quod eligitur est indifferens; tunc enim, cùm nullam habeat bonitatem, eam conferre nequit, sed etiam quando medium honestum est, & bonum: quia non amatur medium honestum propter se, & propter bonitatem quam habet, sed solum propter finem, ad quem conducit, ita vt totum motiuum illius actionis sit finis, quem proindè se habere tanquã rationem formalem obiecti, ac proindè vnam eandémq; esse tendentiam in medium, & finẽ, sicut in obiectum formale, & materiale, quæ non attinguntur diuersis actibus obseruauit S.Th. 1. *com. Gen.c.*76. Atqui bonitas non aliundè quàm ex ratione formali obiecti, quæ hîc coincidit cum fine, desumitur. Et sanè natura medij id fert, vt non nisi propter vtilitatem, quæ bonitas quædam est relatiua, ac proindè non per seipsum ametur. Ex quibus apparet discrimen quod assignat S. Thom. inter actum internum & externum q.18. *art.*6. internus enim speciem suam sumit à fine, qui eius est obiectum formale ad quod tota electio fertur: externa actio non respicit essentialiter nisi suum obiectum, non autem finem operantis, cui accidentariè ita coniungitur, vt eo ex arbitrio voluntatis mutato; maneat tamen eadem actio, quæ si ab hoc fine bonitatem aliquam hauriat, ea non erit nisi extrinseca, & accidentaria.

Tertiò, puta electio medij mali, & inhonesti, à me- 27
dio quoque malitiam accipit, & non solum à fine. Ita Vasq. *d.*51. q.3. & alij communiter, propter dispari-

tatem malitiæ, & bonitatis nuper assignatam : bonitas enim obiecti voliti, vt redundatur in actum, appeti debet propter se volitione directa ; malitia autem, seu obiectum malum etiam indirectè volitum actum inficit : in pura autem electione, de qua modo disputemus, non est directa volitio medij, quod tantùm assumitur, quia vtile est in finem, & se habet instar obiecti purè materialis, cum formali collati. Quare etsi aliquam habeat bonitatem, eam non confert, secus si habeat malitiam quæ intendi per se, aut propter se non debet ; vndè sequitur electionem medio turpi ad finem quoque turpem, v. g. furti propter adulterium semper habere duplicem malitiam, alteram ex fine, alteram ex obiecto, ex quibus quæ est ex obiecto, magis essentialis est, quia magis quodammodò intrinseca : quæ autem ex fine grauior quia magis voluntaria, & primo intenta. Ideò Aristoteles dixit eum qui furatur, vt adulteretur, esse potius intemperantem quàm furem ; quod autem ait eum qui lucrandi causa admittit adulterium, non videri intemperantem, significat ab opere proximè & primariò intento, quod est in hoc exemplo lucrum iniustum, esse denominandum actum, non tamen malitiam ex obiecto materiali desumptam excludit : ita Suar. *d.* 7. *s.* 9. Vasq. *d.* 51. *c.* 4.

Quartò quoties voluntas fertur in obiectum ho-
28 nestum propter eius intrinsecam honestatem, quam vult non tantum quia est vtilis ad alium finem honestum, qui deindè sit tota, & proxima ratio volendi, sed propter seipsam, quamvis deinde totum illum suum actum in finem vlteriorem ordinet. Primam, & specificam bonitatem desumit ab obiecto proximo, & accidentaliè à fine remoto ad quem ordinatur. Ita Suar. *d.* 6. *sect.* 4. Salas *tract.* 7. *d.* 2. *ibid.* Becan. *tract.* 1. *c.* 4. *q.* 3. Kon. *d.* 3. *num.* 10. Curiel *q.* 18. *art.* 6. *dub.* 1. *c.* 1. Perez *lect.* 1. *examinis, part.* 4. *n.* 84. & 85. Val. *d.* 2. *q.* 13. *p.* 4. contra Vasq. *d.* 51. *c.* 3. Probatur ex discrimine quod inter illos duos actus versantes circa bonum propter finem extrinsecum reperitur. Nam quoties voluntas tendit in honestatem obiecti, vt vtilem alteri cum assequendo, etsi ea honestas obiecti in se, per se, & directè volita sit, non tamen propter se, cum proximè tota referatur ad finem vlteriorem, qui est proxima, immò & tota ratio volendi in eo actu, comparaturque tanquam ratio formalis, cum obiectu honesto, quod locum dumtaxat materialis subit. Itaque est pura electio, vt nuper loquebamur cum Suar. in qua medium, quod eligitur, & est obiectum materiale respectu finis, est in se, propter se, & directè volitum, sicut in reliquis omnibus actionibus : obiectum materiale per se, & in se attingitur à potentia, quamvis non nisi quatenùs tali rationi formali substernitur. Tota itaque bonitas in eo actu erit ab obiecto : neque aliud voluit S. Thom. *q.* 18. *art.* 6. eiúsque discipuli eo loco, & *art.* 4. vt Conrad. & Caiet. dum dicunt, bonitatem essentialem sumi à fine & 3. *contra gentes c.* 138. abstinentiam in diuinum cultum susceptam, opus esse religionis, non temperantiæ. Ratio aperta est, & *superiùs* tradita : quia tunc honestas obiecti non mouet voluntatem, sed sola honestas finis, sicut si quis appeteret delectationem, quam haurit ex aliqua actione, quia vtilis est ad tuendam sanitatem, aut scientiam comparandam, ea delectatio non specificaret eam volitionem, quia quamvis bonum delectabile possit terminare motum voluntatis, non assumitur in eo casu nisi vt medium, cuius natura est appeti per se, & non propter se & non mouere voluntatem. Neque aliud probant rationes Vasq. bonitatem scilicet vtilem non accidere honestati, ita vt obiectum volitum propter suam honestatem, vtilem præcisè specificet actum.

Alter verò actus, quo appetitus honestas obiecti 29
propter seipsam, quamvis deinde totus ille actus in finem aliquem vlteriorem referatur, longè diuersus est, nam in hoc finis externus est tantùm remotus, & applicans quodammodò actum iam ex sua natura, & obiecto, ac fine proximo bonum, v. g. qui eligit amorem Dei ad merendum gloriam, eligit actum ex sua natura bonum, illumque elicit, ac deindè ad gloriam refert. Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 13. *art.* 1. dicit actum fortitudinis ob Dei amorem exercitum, esse materialiter fortitudinis, formaliter charitatis, vbi illud materialiter exponit quod substantia actus se habeat materialiter ad ordinem qui imponitur à superiori habitu charitatis : illum igitur verè & essentialiter concedit esse fortitudinis. Idem habet 2. 1. *q.* 12. *art.* 2. *ad* 2. quæ Vasq. malè exponit quòd hi actus sint propria materia, circa quam versatur fortitudo, quamvis vbi imperantur à charitate, illius solum honestatē habeant, quæ nobilior est honestate fortitudinis. Verùm alia est mens, vt apparet, S. D. non diceret enim elicitum hunc actum à fortitudine ; deindè quia cessat tota ratio, propter quam in pura electione totam honestatem deriuari à fine diximus : hoc enim casu finis est tantùm remotus, & alium immediatum ad proximum supponit. Neque opus esset sollicitum esse de bonitate & nobilitate mediorum : modò enim in eundem finem remotum, & extrinsecum referrentur, eandem honestatem participarent, vt vrgent Becan. & Kon. atq; ita qui festucā quum tolleret, & qui ignibus torreretur, ex æquali Dei charitate, actus æqualiter bonos eliceret, non loquor modo de merito, cuius inæqualitas variis ex capitibus sumi potest. Respondent Vasq. & alij hanc electionem esse inæqualem propter inæqualitatem mediorum quæ aptiora sunt ad finem intentum. Verùm hæc maior proportio cum fine non est nisi à nobiliore honestate ipsius actus, qui deindè totus vlterius refertur. Denique S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 2. *ad* 1. dixit ex accidenti bonitatem actus exterioris sumi ex fine quandò vnus finis ex altero pendet ; quod non aliter contingere potest quàm modo exposito. Addit autem *ibid.* substantialem bonitatem ex solo obiecto desumi, vnde nos quoque diximus hanc bonitatem desumptam à fine remoto, & ab alio actu priorem in finem dirigente, non esse nisi accidentalem : substantialis enim à fine proximo, & obiecto desumi debet : mutato enim eo fine remoto, eadem bonitas specifica maneret in actu.

Quintò, hinc colliges quid voluerit S. Thom. *art.* 6. 30
q. 18. cum ait accidere actui exteriori, vt ordinetur ad finem, non autem interiori qui comparatur ad exteriorem vt formale ad materiale. Nomine actus exterioris rectè *ibid.* Caiet. intelligit actum non modò potentiæ distinctæ à voluntate, sed ipsius etiam voluntatis comparatur cum alio actu intellectus ad finem quempiam extrinsecum dirigentis, seu actum imperatum comparatum cum imperante. Nam etiam tunc actus dirigens, & ordinans alium se habet tanquam ratio formalis, non proxima, sed remota. Quod autem obiicit Vasq. *d.* 51. *n.* 36. actum externum cum careat libertate quam à voluntate accipit, posse ab illa dirigi ad finem externum, non autem actum elicitum voluntatis, qui & proximè liber, ac moralis est, & suum obiectum ita respicit, vt alium finem per actualem aliquam ordinationem respicere nequeat ; ad id enim deberet eo modo pendere quo exterior ab interiori. Id autem falsum est : vt enim ait Azor. *capite* 2. *quæst.* 2. *libro secundo*, quid obstat vnam volitionem ab alia imperari, ita vt & voluntaria sit seipsa, ac libera, & per aliam etiam volitionem, v. g. cum volo amare, habeo volitionem ipsius amoris

qui

qui volitio quædam est. Sicut itaque opus externum, etsi habeat suum obiectum à quo bonitatem accipit, ad finem tamen sibi extrinsecum refertur ab eoque accidentariam moralitatem accipit, ita quamvis actus aliquis interior suum obiectum à quo specificatur etiam in genere moris habeat, potest quoque ad finem sibi extrinsecum dirigi, & ab eo accidentariam bonitatem sumere, cum nona, aut distincta volitio, siue reflexa, siue directa æquè cadere possit in actum elicitum à voluntate, atque ab aliis potentiis, vt patet.

31 Circa hanc bonitatem desumptam à fine in his actibus duplex occurrit difficultas. Prima quod S. Thom. *quæst.* 18. *art.* 7. hanc speciem bonitatis sumptam ab obiecto appellet vltimam; ex fine autem genericam, & subalternam. Plurima dabit Vasq. *in notis ad hunc art.* Suar. *d.c.sect.*3.*à n.*13.& ex illo Sal. *tract.* 7. *d.2.sect.* 16. atque S. D. *ibid.* Interp. sensus est: Quoties obiectum & finis ita sunt per se ordinata, vt vtrumque sit amabile per se, tunc etiam vtrumque sufficiens est dare speciem bonitatis; quod maxime contingit, quando vnum se habet vt bonum vniuersale, aliud vt particulare; v. g. intentio fortiter agendi, & intentio hîc, & nunc aggrediendi pericula; hic enim actus continetur sub illo priori, vt singulare sub vniuersali. Circa autem hæc obiecta vel sunt plures actus, vel vnicus tantùm: si primùm non potest vnus alter ex his dare speciem, alter genus bonitatis: nam quilibet ex his actibus habet alterum ex his obiectis pro fine proximo, & per accidens tantùm dirigitur ad aliud obiectum, vt finem extrinsecum. Quare tunc altera ex his bonitatibus non dicetur generica nisi logicè, quatenùs contineat alias sub se, quasi species, v. g. bonitas agendi fortiter continet bonitatem aggrediendi pericula. Itaque siquis velit aggredi pericula, quia vult fortiter agere, actus aggrediendi pericula suam honestatem specificam habet à suo obiecto, & ab illo fine, seu ab actu imperante bonitatem quandam veluti genericam, & magis vniuersalem, sub qua propria ex proximo obiecto desumpta continebatur: si autem vnus & idem actus versetur circa illa obiecta, seu potius circa obiectum, v. g. fortitudinis non abstractum, sed contractum ad aggressionem periculorum, habet vnicam tantùm bonitatem ex obiecto, & fine: quia ille finis non est ipsi extrinsecus, sed intrinsecus, & ad obiectum particulare contractus. Ea tamen bonitas prout respicit finem illum fortiter agendi, est veluti generica, vt autem respicit obiectum, seu finem contractum ad pericula subeunda, est quodammodo specifica, quia est iam determinata.

32 Altera difficultas quærit quid sit ea bonitas accidentaria desumpta ex fine remoto in actu interno, an sit modus aliquis realis actui additus, an denominatio tantùm extrinseca ab alio actu voluntatis, hunc vel imperante, vel dirigente ad finem. Ita censet Suar. *d.*6.*sect.*4. quia nihil aliud amplius exigitur ad bonitatem actus externi, quem hac in parte cum imperato contulimus. Sal *d.*2.*cit. sect.*17. partim denominationem extrinsecam ab imperio formali, vel virtuali alterius actus, partim intrinsecam sumptam à ratione effectus respectu actus imperantis, qui instar causæ est, partim à relatione actus in finem, quæ extrinseca est. Ego existimarim esse ipsam entitatem actus quatenùs ex relatione, aut ordinatione in talem finem habet nouam conformitatem cum ratione, quam ex solo obiecto non habebat; quæ conformitas est, vt olim diximus, accidens aliquod verbale, sed connotatiuum in ipso actu.

33 Sextò, hinc sequitur dari actus internos imperatos ab vna virtute, & ab alia elicitos, qui per illud imperium non transeant ad aliam virtutis imperantis speciem; sed vtriusque honestatem habeant. Ita omnes laudati *conc.*3. contra Vasq. qui *d.*51.*cit.n.*35. ait nullum hactenùs per actum imperatum intellexisse affectum vnius virtutis in propriam honestatem imperari ab affectu alterius virtutis, sed opus tantùm externum. Probatur tamen nostra assertio ex dictis: quia tunc actus imperatus habet pro fine proximo honestatem propriæ virtutis, non autem honestatem imperantis, nisi remotè, & totus assumitur ab imperante ad suum finem, vti contingit in actu externo, durúmque omninò videtur, aut totam ab imperante virtute sumi bonitatem, atque ita omnia opera eo imperio elicita esse æqualia, aut nullam à proprio fine proximo & obiecto desumere honestatem ad hoc autem imperium non requiritur formalis semper relatio, sed sufficit virtualis, hoc est, quæ ex vi prioris actus, quorum habet cónexionem, causetur aliquo modo secundum, vt in materia de Sacramentis fusiùs dici solet. Restat vt eloquentem cum intentione comparemus. Kon. *d.*10.*d.*3. qui non videtur cohærenter loqui iis, quæ ex eius mente posuimus. Ponci. *t. p. variar. relect.*2.§. *Secundò probo*, qui neque imperatum actum ab imperante, neque imperantem ab imperato malitiam vllam, aut bonitatem sumere dicit, v. g. dum quis vt Deo satisfaciat, eligit actum charitatis, ibi duo sunt actus, vnus pœnitentiæ, alter charitatis, qui non se inuicem bonificant. Et §. *secundò dicendum.*

Septimò itaque, omnis electio etiam medij honesti fit mala ex mala intentione. Ita Vasq. *disp.*68. Sal. *tract.*7.*d.*3.*n.*150. Kon. *d.*1.*n.*141. Suar. *d.*8.*sect.*1. *num.*15.*& seq.* Becan. *c.*5.*q.*3.*num.*10. alij communiter, quia obiectum formale, & motiuum malum est, & nullam bonitatem sumit ab obiecto proximo, vt diximus. Igitur tota mala est. Huc referas omnia quæ de necessitate bonæ intentionis PP. vulgò afferunt, exponentes, illud Matth. 6 *si oculus tuus simplex fuerit.* 34

Octauò, electio medij mali nunquam honestari potest per bonitatem intentionis, ita Vasq. *d.cit.* Azor. *lib.*2. *tom.*1.*cap.*5. *quæst.* 5.& Becan. *cap.*5.*q.*3. *num.*5. alij communiter, contra eos qui olim dicebant licitum esse mendacium ex bono fine, vt Cassian. *Collat.*17.*cap.*17. 18. *&* 19. Auctor imperfect. in Matth. *hom.* 19. sed hunc errorem reiecit fusè Aug. *l. de mendac. ad Consentium; &* Eccli.34.*v.*4. *Qui offert sacrificium de substantia pauperum quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*, & Roman. 3. *v.*8. negat Paul. facienda esse mala vt eueniant bona. Difficultas tamen est quando electio non est pura, sed actus virtutis tendens in intrinsecam eius honestatem propter se per alium deindè actum totus in finem malum extrinsecum & remotum refertur; tunc enim ab obiecto proximo bonus, & ex fine remoto simul malus erit. Posse autem actum malum referri in bonum finem, seu ex bona intentione, malam electionem sequi non rectè videntur negare Konink. *d.* 3 *num.*131.*& n.*138. & Sal. *d.*3.*num.*147. quia intentio mouere non potest ad medium, quod satis est inutile, & quia ex antecedenti nunquam sequitur falsum consequens, & electio se habet vt conclusio respectu intentionis: nam hinc habetur non eligi malum quatenùs malum est, ad finem honestum, quatenus honestum est, sed eligi mediū quod existimatur vtile, v.g. furtum quatenùs suppeditat materiā erogandæ eleemosynæ, cum tamen prænideatur medium aliundè esse malum. Ex antecedenti quidem verò nunquam sequitur falsa conclusio; & conse- 35

quens, quod enim ſequitur non eſt conſequens, ſequitur tamen ad anıecedens.

Obiici ſolet illud Matth. 6. *ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit*, & Luc. 6. *non poteſt arbor bona malos fructus facere* Ex quibus locis PP. per oculum & arborem intentionem intelligunt a qua proindè, ſi bona eſt, honeſtantur actiones conſequentes, de his locis plurimi Vaſq. *diſp.* 68. *cap.* 1. & Bellarm. *lib.* 5. *de gratia, & liber. arbitr. c.* 10. *circa arborem malam, &c.*

Reſpondeo intentionem non ſimpliciter conſideratam, ſed in electione participatam appellari oculum, ſeu, vt ait S. Thom. *in.* 2. *d.* 38. *quæſt.* 1 *art.* 3. *ad* 5. ſecundùm quod vis ordinantis rationis in voluntate manet. Idem dicendum de Arboris appellatione niſi potiùs totum hominem ſignificet. Qua de re *alibi*, dum de cauſis malitiæ diſſeremus & licet id totum daremus, tamen aliter ſe habere res videtur quandò actus ex obiecto bonus imperatur à vana aliqua, & mala intentione, quis enim neget fieri poſſe actum virtutis propter vanam gloriam vt de actu fidei plures docent *alibi* afferendi? & Auguſt. *lib.* 5. *de ciuit. cap.* 15. fusè oſtendit Romanos veteres plurima virtutum opera ſola gloriæ cupiditate, quæ reliquas omnes cupiditates preſſerunt, præſtitiſſe, & eâ de cauſa imperium orbis obtinuiſſe. Vnde *c.* 15. ait eos non iure conqueri de diuina iuſtitia: receperunt enim mercedem ſuam. Bonum igitur opus poſſe per intentionem in finem prauum ordinari, dubitandum non videtur: quidquid ſit de opere prauo in bonum finem dirigibili; hoc autem admiſſo non videtur ex prauitate intentionis tolli bonitas operis, aut electionis quæ (vt dixi) pura electio non eſt, neque proindè totam ſuam bonitatem, aut prauitatem à ſolo fine recipit. Erit itaque bonus intrinſecè, & ex obiecto hic actus imperatus, & malus à relatione in finem, ſeu ab actu imperante, per denominationem tantùm extrinſecam, eruntque ibi duo voluntatis actus, vnus bonus, alter malus, qui tamen ſuam malitiam non refundet in alium niſi extrinſecè, ac proindè immutatum inuariatúmque intrinſecè relinquet. Erunt etiam duo iudicia intellectus, alterum de actu eliciendo circa hoc obiectum, eiúſque circumſtantias, quod prudens erit; alterum de fine, & mediis ad illum obtinendum eligendis, quod inconſideratum eſſe poteſt. Sed nihil videtur officere alteri, atque ita hanc malitiæ, & bonitatis coniunctionem in eodem actu ex obiecto bono, & ex fine extrinſeco malo non improbabiliter exiſtimauit Suar. *loc. cit. num.* 16. rectiùs tamen *num.* 17. diſtinguit: nam vel actus bonus refertur in finem prauum per verum imperium, quod ſit cauſa eius, vel per ſolam concomitantiam nouæ intentionis prauæ. Primo modo animus ex vi intentionis prauæ, & finis mali excitat ſe, atque applicat ad obiectum, opuſque aliquod honeſtum reſpectu intentionis, & actus imperantis, vel eſt tantùm materia circa quam verſatur voluntas ordinando illam ad ſuum finem propter vtilitatem eius. Primùm vix intelligi poteſt, quia medium virtutis, nullam habet proportionem, aut vtilitatem ad vitium; idque ſolum voluit Kon. *ſuprà*, & deindè non ſolùm extrinſecè ſuam malitiam intentio communicaret electioni, ſed intrinſecè quoque tanquam cauſa effectui. Hæc autem accidentia cum repugnantiam inuoluant eodem modo afficere idem ſubiectum nequeunt. Si autem electio eſt tantùm materia, & non aut circunſtantia, aut effectus intentionis, nullam à fine malitiam recipit, vt idem Suar. *d.* 6. *de fide, ſect.* 7. *num.* 13. obſeruat, quia praua intentio applicans potentias, ad opus, aut voluntatem, ad electionem, non mouet ad ſpeciem actus, ſed ſolùm materialiter quatenùs eſt tale opus, non intendendo eius honeſtatem, neque illam imperando, quod tamen neceſſe foret. Quando autem finis prauus non antecedit electionem, ſed ſolùm comitatur, aut conſequitur, v. g. mouetur aliquis honeſtate miſericordiæ ad dandam eleemoſynam, deindè ex ea capit occaſionem vanæ gloriæ ad quam opus refert, licèt hæc intentio mala ſit, non tamen actum bonum priorem, aut comitantem inficit, quia eum non reſpicit vt effectum, ſed tantùm vt obiectum, ſuntque ibi duo actus, vnus bonus eſt, alter malus: neuter tamen ſimul bonus eſt, & malus, neque electio eſt bona tunc ex obiecto, & mala ex fine, quod vnum quærebatur. An verò intentio bona inficiatur à mala electione dicetur ſtatim.

Nonò, intentio bona non modò tollit bonitatem electionis, ſed ab ea redditur mala, neque valet diſtinctio Almaini *tract.* 3. *mor. c.* 18. *ad* 1. de intentione efficaci finis, cuius eſt vnicum medium, aut plura, ſi enim vnicum ſit medium illudque malum, intentio mala eſt, ſi plura ſint, quorum alia bona ſint, alia mala, etſi deinde malum medium eligatur, negat intentionem fieri malam; nam etſi ſuppoſitâ efficaci intentione finis neceſſariò eligatur medium quando vnicum eſt, cum tamen vtraque electio à fine vt à cauſa effectus oriatur, ſi vna refundit ſuam malitiam in finem, refundet & altera. Aliter itaque diſtinguendum eſt cum Vaſq. *diſp.* 68. & Azor. *c.* 5. *quæſt.* 5. *lib.* 1. *tom.* 1. nam intentio aliquando ſumitur abſolutè prout eſt proſecutio finis, ſine vllo adhuc ordine ad media, & tunc ſi bona eſt non dehoneſtatur per ſubſequentem electionem malam: voluntas enim quæ volet finem cum ordine ad illa media, diſtincta erit ab illa priore quæ finem abſolutè intendebat. Alias intentio dicit ordinem ad media confusè vel explicitè, ſi primum non fiet mala intentio per electionem, quâ eligetur explicitè, & diſtinctè aliquod medium malum. Nam intentio hæc erit diſtincta ab ea quæ confusè tantùm attingebat media: ſi autem diſtinctè verſetur circa medium malum, aut iam actu elegerit tale medium, iam redditur mala ex circunſtantia mala. *Quibus auxiliis*, atque vt ait Becan. *tract.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 7. intentio quidem eſt boni, & honeſti finis, non tamen eſt bona & honeſta, non ex ipſo fine præcisè ſumpto, qui bonus eſt, ſed ex reſpectu finis ac ordine ad indebita media. Denique aliud eſt, actum verſari circa obiectum bonum, aliud eſſe bonum ex obiecto. 36

Dices primo: falſitas concluſionis non tollit veritatem præmiſſarum, ergo neque electionis malitia bonitatem intentionis tollet.

Reſpondeo præmiſſarum veritatem pendere ex correſpondentia quam habent cum conceptibus obiectiuis independenter à concluſione, quamvis ſi ſumantur formaliter, vt præmiſſæ ſunt, eam connotent; bonitas autem intentionis pendet à ſuo obiecto, & omnibus circumſtantiis inter quas eſt electio.

Dices ſecundò, electio mala, vel ingreditur obiectum intentionis, vel non; ſi primum ea intentio ex obiecto ſuo mala eſt; ſi autem non ingreditur obiectum intentionis, accidentario cum illa coniungitur.

Reſpondeo electionem non connecti cum obiecto intentionis expoſitæ, niſi tanquam circunſtantiam *quibus auxiliis*, ac proinde malitiam conferre ſi mala eſt. Quare intentio circa illud obiectum, ita affectum,

affectum, aut eam ordine ad talem circumstantiam versans, mala erit. Existimo tamen eam intentionem nunquam reipsa fuisse bonam: nam si prius fuerat bona, erat diuersa realiter ab ista, cum obiectum alio modo affectum respiciat. Itaque sensus conclusionis non est bonam intentionem mutari in malam per accessum electionis malæ, sed intentionem quæ alioquin ex suo obiecto, & fine proximo bona fuisset, reddi malam ab electione à qua inficitur; atque ita dissidentes sententiæ componuntur. Fieri tamen potest, vt intentio bona causet ignorantiam vel inuincibilem, vel inculpabilem, qua quis existimet ad bonum opus quod intenditur fas esse vti aliquo medio etiam inhonesto. Ita obstetrices *Exod.* 1. existimarunt ad seruandam puerorum Hebræorum vitam, fas esse vti mendacio.

37 Decimò, intentionis nihilominùs bonitas prauitatem operis minuit. Ita Kon. *d.* 12. Azor. *lib.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 18. Vasq. *disp.* 69. *cap.* 1. Sal. *disp.* 3. *num.* 153. quia intentio boni finis minuit voluntatem, & libertatem malæ electionis, ac proinde moralitatem in ea libertate fundatam: nam eligitur medium, non propter se, sed propter finem, vnde eius honestas, aut turpitudo hoc loco non suscipitur nisi propter vtilitatem, quam adiunctam habet, & quodammodò per accidens, vnde minùs est voluntaria, vnde etiam fit ex quacunque bonitate finis non ita minui malitiam electionis, vt tandem tota pereat, quia non fit hoc decrementum per susceptionem contrariæ qualitatis sicut frigus aquæ remittitur per productionem caloris oppositi, sed quia subtrahitur aliqua conditio ad malitiam necessaria, neque propereà ponitur bonitas in operatione, Aug. *hom.* 7. *ex* 50. cum ait furtum augeri ex eo quod quis pauperibus det, non vult ex intentione dandi eleemosynam crescere malitiam furti, sed quia ea largitione reddit se fur incapacem ad restituendum & inutile largitur quod iniustè accepit. Non placet autem quod Vasq. *disp.* 94. *num.* 19. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 5. ponant hac in parte discrimen inter omissionem & commissionem: & omissionem non minui quoad malitiam ea bonitate actus, qui eius causa est, v.g. non minùs peccare qui omittit sacrum vt ægrum visitet, aut concioni intersit quam vt ludat, & popinam frequentet: nam si electio medij minus voluntaria redditur quando intentio bona est, cùm omissio sit instar medij ad finem illum alioqui malum, etiam ex illo fiet mala non bonitatem aliquam ab eo participando, sed per subtractionem conditionis ad malitiam necessariæ, vt statim docebimus. Et Sal. *tract.* 13. d. 2. *num.* 132. obseruauit.

38 Vndecimò, nulla electio potest esse simul bona, & mala ex duplici intentione, seu duobus finibus, v.g. eleemosyna simul bona & mala non est, etsi propter vanam gloriam, & Deum simul fiat. Contra Guilelm. de Bellomonte, & Monachum relatos ab Almain. *tract.* 1. *moral. cap.* 12. quibus quoad opus externum non quoad electionem subscripsit ipse Almain. sequimur verò Azor. *quæst.* 9. *cap.* 5. *lib.* 2. Vasq. *disp.* 70. Sal. *disp.* 3. *sect.* 7. *num.* 159. Gregor. *in* 2. *d.* 42. *quæst.* 7. ratio conclusionis est, quia bonum ex integra causa, & electio illa erit mala ex fine malo, cuius est effectus: de eo enim solùm fine, qui antecedenter se habet, & est causa electionis loquimur, qui reddet intentionem alterius finis boni, malam. Denique si potest idem actus esse bonus, & malus malitia veniali, poterit quoque esse malus malitia mortali, atque ita mereri gloriam & pœnas æternas, cùm nulla ratio discriminis assignari possit. Malè autem Almain. de opere externo excipit: eum quæ probent de opere externo, valeant quoque in actu interno. Sermo verò est dumtaxat de opere externo respectu eiusdem; nam respectu diuersorum poterit vtramque hanc rationem sortiri: v. g. eleemosyna data à seruo iussu heri, erit bona hero, & mala seruo. Non potest etiam sumi duplex bonitas à duobus finibus totalibus adæquatis: potest tamen duplex malitia. Quod postremum malè negat Vasq. *in art.* 7. *quæst.* 18. ratio disparitatis est, quia ad honestatem actus, finis honestus per se, & directè intendi debet, vt olim diximus cum ipso Vasque: quare quoties mutabitur finis adæquatus, toties intentio directè & per se in illum tendens mutabitur; ad malitiam autem non debet nisi indirectè esse volitus finis malus. Poterunt itaque dari duo fines æquales, quorum vterque malitiam conferat, cùm alius sit directè volitus, alius indirectè, aut vterque indirectè volitus, atque ita erit duplex malitia primaria & substantialis, quod negabat Vasq.

Duodecimò, qua proportione deriuetur bonitas, & malitia ab intentione finis in electionem, vel opus externum, exponit S. Thom. *quæst.* 19. *art.* 8. his propositionibus, de quibus magnæ lites; mihi placet expositio Vasq. *disp.* 71. prima propositio est: Quantitas malitiæ electionis, & actus exterioris non semper sequitur quantitatem malitiæ intentionis: vbi non comparat quantitatem malitiæ ac bonitatis quam habet electio, aut opus externum, cum ea quam accipit à fine & intentione sed tantùm ait totam malitiam vel bonitatem quæ est in intentione non refundi in electionem; sumit autem electionem, & opus externum prout sunt vtilia ad finem, & quia aliquando non habent omnem efficacitatem necessariam ad virtutem intentam assequendam, aut scelus admittendum, ideò ea ex parte non habent omnem malitiam intentionis; atque ita suam mentem apertè ibi S. Thom. exponit, aitque opus externum ex duplici capite non assequi totam malitiam intentionis: quia opus illud ex se est inefficax, aut propter aliquid extrinsecum, impeditum: electio autem ex eo solum deficit ab intentionis malitia, quia non eligit medium satis efficax. Nihil autem impedire potest quominùs eligat. 39

Altera propositio est, quantitatem malitiæ & bonitatis, quæ est in intentione redundare in electionem. Neque hæc propositio superiorem vt videtur destruit; consideratur enim electio, vt effectus intentionis, quæ proindè totam suam malitiam in electionem deriuat, quam alias ratione suæ efficacitatis, in assequendo fine non haberet. 40

Tertia propositio: Quantitas bonitatis, & malitiæ quæ intentioni conuenit, secundùm intentionem deriuatur in electionem, & operationem externam. Hoc est quamvis sæpè electio sit remissior intentione, quæ valdè intensa, quia tamen est eius effectus, tota malitia, quæ conuenit intentioni, tum ex suo obiecto, & fine, tum ea augmento intensiuo, refunditur tamen in electionem, quia causa moralis communicat totam suam bonitatem, & malitiam effectui suo morali. 41

Quarta propositio: Homo non semper reipsa consequitur actionem tam intensam quam habere desiderabat, ac proinde non tantùm meretur quantùm mereri intendit. Secùs in malis res se habere obseruat Bona. *in* 2. *disp.* 40. *artic.* 1. *quæstion.* 2. quia qui intendit multum peccare, multum peccat, qualequale opus faciat, non tamen qui intendit parùm peccare, parùm peccat, si opus multùm difforme admittat, *ibidem* etiam addit æstimationem, & intentionem idem non esse, quia intentio magna est, & 42

& valdè grauis quamvis malum leue sæpius æstimetur.

QVÆSTIO IV.

Quomodo moralitas formalis comparetur cum actu interno.

1 SVpponno formalem bonitatem, aut malitiam, esse intrinsecam in actu interno, & non tantùm extrinsecè seu causaliter, contra quàm videatur sensisse Caietan. 1. 2. *quæst.* 20. *art.* 2. *ad* 2. nam interior actus respicit tantùm externum, vt obiectum, & materiam, etsi aliquando illius causa sit, ac proindè non potest ab eo nisi admodum impropriè bonus denominari. Vide Suar. *disp.* 3. *sect.* 2. *tract.* 3. 1. 2. Hoc posito, triplex difficultas clauditur hoc titulo: prima, an plures moralitates oppositæ, bonitas videlicet, & malitia possint simul reperiri in eodem actu. Secunda, an saltem successiuè reperiantur. Tertia, an altera ex moralitatibus oppositis necessariò insit actui, nullúsque sit indifferens, neque bonus, neque malus moraliter.

Nullus actus est simul bonus, & malus.

2 Quod attinet ad primam difficultatem, dicendum est nullum actum habere posse simul plures moralitates diuersi generis oppositas, malitiam nempè & bonitatem; posse tamen plures bonitates aut plures malitias diuersas participare.

Prima pars, quæ asserit bonitatem excludere ab eodem actu malitiam sibi oppositam etiam secundùm diuersas rationes: (nam ex eodem capite, verbi gratia, ex obiecto simul deriuari bonitatem, & malitiam, apertam inuoluit repugnantiam) communissima est, quamvis pauci disputarint in hoc sensu: nam vulgò tantùm quærunt, an aliquis actus ex bono possit fieri malus, non autem, an simul retinere malitiam & bonitatem: quod tamen asseruit Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 3. *respons.* 14. aut simpliciter dici bonum, & malum, vt similitudine pulchritudinis cui bonitatem comparat Scot. *in* 2. *d.* 17. *q.* 2. *loc. cit.* facilè constat: idem enim corpus, si vel vnicum næuum habet, simpliciter pulchrum dici nequit: sed solum non pulchrum. Hæc, inquam, pars communissima est ex 1. 2. *quæst.* 33. *art.* 2. *ad* 3. *& quæst.* 83. *a.* 5. & *alibi.* Verùm nostra sententia est Ponc. *relect.* 2. Becan. *cap.* 5. *quæst.* 3. Valent. *quæst.* 15. *part.* 6. Med. *in art.* 6. *quæst.* 20. Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 15. *num.* 30. & *lib.* 12. *de gratia, cap.* 4. *num.* 6. Colligitur ex dictis; vel enim actus malus esset ex obiecto, & bonus ex circunstantiis, vel bonus ex obiecto, & malus ex circunstantiis, vel malus ex obiecto, & bonus ex fine; vel denique bonus ex obiecto, & malus ex fine: nullum autem istorum dici potest, ergo non potest simul bonus & malus esse idem numero actus. Minor ostenditur singillatim, & primum actum ex obiecto malum non posse simul fieri bonum ex circunstantiis, seu obiecti, seu ipsius actus, quia circunstantiæ obiectiuæ, vt dent bonitatem, debent esse directè volitæ, ac proindè transeunt in rationem obiecti. Itaque illud obiectum adæquatè & totaliter sumptum honestum est, vel inhonestum: circunstantiæ autem ipsius actus non honestant obiectum turpe, quod nunquam & nullo loco honestè appeti potest. Neque etiam actus ex obiecto bonus, malus fieri ex circunstantiis: quamvis enim aliqui boni actus possint hoc modo infici, vt *inferius* attingam, nullus tamen potest simul priorem honestatem deriuatam retinere, accedente malitia ex circunstantiis, quia obiectum illud non est simpliciter honestum, neque conueniens naturæ rationali, quod habet aliquid eidem naturæ disconueniens; quia honestas obiecti consurgit ex ratione eius propria, & circunstantiis, quæ, si malæ sunt, totum obiectum inficiunt, & reddunt dissentaneum rationi rectæ, ac proindè turpe: bonum enim ex integra causa; idem probatur ex circunstantiis actus interni: quolibet enim loco, tempore, intentione, & libertate, & à quocunque licitè exercetur opus bonum, nisi aliqua accedat prohibitio, quæ non est circunstantia actus, sed obiecti, actúsque fit malus, quia tendit in obiectum prohibitum, quod consequenter, vt sic hic & nunc malum est, & non simul bonum. Finem denique non conferre malitiam ex obiecto bono, aut bonitatem malo vtraque simul moralitate perseuerante *sect. super.* fusè ostendimus. Non potest itaque idem indiuisibilis actus simul esse bonus & malus. Vide Suar. *disp.* 8. *sect.* 1. Sal. *disp.* 3. *sect.* 11. adde fore simul eundem actum meritorium, & demeritorium, & non tantùm malum malitia veniali, sed etiam mortali, cùm nulla disparitas afferri iure possit, vt nuper argumentabamur.

Multiplex bonitas, aut malitia in eodem actu.

Altera pars de multiplicitate moralitatis eiusdem generis, & ordinis colligitur ex *quæst. superiori* vbi ostendimus eandem electionem habere bonitatem ex obiecto proximo, & fine extrinseco; & circunstantias aliquando afferre nouam speciem moralitatis obiecto quod in propria ratione constituebatur, quod de malitia clariùs, quæ multiplicatur in eodem ex pluribus capitibus, vt dictum est. 3

Quare id malè negat Suar. *tom.* 4. 3. *part.* *d.* 22. *sect.* 5. *num.* 34. *&* 35. concedunt passim reliqui omnes. Vasq. 1. 2. *disp.* 72. *art.* 7. *&* 3. *part. quæst.* 91. *art.* 1. *d.* 4. *num.* 4. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. d.* 15. *num.* 6. Sal. 1. 2. *tract.* 13. *d.* 5. *num.* 65. Less. *lib.* 1. *de temper. cap.* 3. *num.* 74. Azor. 11. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 3. Ratio à priori est, quia moralitas est forma quædam connotatiua, & quasi respectiua, vti dictum *alibi*, ac proindè multiplicato fine, fundamento, siue termino multiplicari potest, quare vbi plures erunt conformitates cum ratione recta inuicem independentes, aut plures eiusmodi dissonantiæ, & difformitates, erunt quoque plures bonitates, & malitiæ, posse autem hanc multitudinem consonantiarum, aut dissonantiarum simul in eodem actu reperiri propter pluralitatem termini, ad quem respicitur, æquè manifestum videtur.

QVÆSTIO V.

Aliquis actus bonus potest fieri malus, & malus fieri bonus.

QVoad successiuam coniunctionem moralitatum, cum eodem actu, hæc statuenda videntur. 1
Primò dari aliquos actus qui non sunt essentialiter boni, sed additione, mutatione, aut detractione, alicuius circunstantiæ, vel finis reddi posse malos & aliquos malos fieri posse bonos, quamvis diuersâ ratione: nam actus ex obiecto bono, si suscipiatur

ex

ex mala intentione iam fit malus; vti dictum est alibi; malus autem ex obiecto, v. g. mendacium, licet ad finem honestum referatur, non propterea suam malitiam exuet, sed potius in ipsam intentionem refundet, vti dicebamus, sicut autem bonus actus accedente prohibitione, eiusque aduertentia, vel ignorantia culpabili perseuerans, fit malus; ita qui malus erat, sublata prohibitione, & scientia non prohibitionis accedente, fiet bonus: tota enim malitia erat a sola prohibitione quæ sublata est. Præterea actus ex obiecto indifferens, fit bonus per finem extrinsecum, & per eum quoque malus fiet, atque ita eadem electio ex mutatione solius intentionis bona, aut mala euadet, quamvis in idem obiectum proximum prorsus in se immutatum feratur: relatio siquidem ad finem, est prorsus extrinseca. Deinde cum operum quorundam, etiam natura sua, & seclusa prohibitione malorum, prauitas ex quibusdam circumstantiis pendeat, quoties circumstantia quæ ad malitiam necessaria erat mutatur, ex malis possunt fieri bona: neque propterea Deus obligationem naturalem relaxat, sed solum materiam mutat; v. g. furari, occidere, malum est, sed in extrema necessitate furari licet, atque publica auctoritate, vel in sui defensionem occidere inuadentem.

Dices in his mutari obiectum ipsum actus, ac proinde non manere eandem substantiam operis saltem interni, de quo solum est quæstio: nam opus externum, atque etiam internum, sed imperatum, ex bono in bonum mutari posse fatetur Suar. *disp.* 8. *sect.* 1. *n.* 8. id autem negat de interno elicito quem negat fieri ex bono malum, quamvis adueniente ignorantia, aut prohibitione fieri possit ex non malo malus, & ex malo non malus. Rationem affert: quia cum actus interior elicitus non sit bonus, nisi ex obiecto, & circumstantiis quatenus transeunt in rationem obiecti, cum ad actum honestum debeat intendi formaliter ipsa honestas: vel per ignorantiam, aut finem extrinsecum, aliamque circumstantiam decedentem, aut accedentem, mutatur obiectum, atque ita non manet idem actus, vel non mutatur. Manet igitur bonitas actus, quando v.g. prohibetur actus qui prius licite fiebat, & honeste, si sciatur illa prohibitio non potest moueri amplius voluntas ab honestate obiecti, quæ nulla modo est vt perseueret in eodem actu, ergo totus actus mutatur, quod si non aduertat mutatam esse obiecti honestatem per prohibitionem, si in eodem persistat non male operatur. Poncius 1. *par. varia. relect.* 1. *circa finem*, idem asserit, quia cum omnis actus, moraliter bonus fiat ex gratia Christi, quæ est gratia congrua, qua efficacius proponitur id quod iustum est, & cum delectatione victrici; vt actus bonus malus euadat, debet mutari ea cogitatio qua proponitur honestum, variata autem propositione obiecti, actum quoque voluntatis variari necesse est; quare negat consequenter loqui eos qui cum exigant gratiam Christi congruam ad bonos actus morales, concedunt tamen substantialiter immutatos malos fieri posse, hinc enim sequeretur aut eandem cogitationem manere congruam, aut dari gratiam Christi ad actum prauum. Becan. *cap.* 5. *quæst.* 4. Idem asserit de actu ex obiecto bono, quod eiusmodi bonitas sit essentialis actui, actum autem ex obiecto indifferentem successiue fieri bonum, & malum concedit; de malitia autem ex obiecto, id negat: quia si v. g. tollatur prohibitio, a qua erat malitia in obiecto, iam fit indifferens; sed id falsum est: nam actus etiam ex obiecto bonus potest prohiberi pro aliquo tempore, loco, atque alia circumstantia; & deinde sublata prohibitione fiet bonus, vt de oratione, & celebratione Missæ in loco interdicto patet. Quo exemplo vtitur Durand. statim afferendus. Valent. *quæst.* 15. *part.* 6. ait, actum licitum qui post prohibitionem illicite continuatur comparari ad operantem alio modo quam prius, ac proinde non manere eundem in genere moris qui successiue fit bonus, & malus. Si vero actus non malus, fiat malus, aut ex malo non malus, sufficiet ignorantia, aut aduertentia prohibitionis, vel honestatis obiecti; ad hoc enim necesse non est mutari motiuum voluntatis, quod in actibus malis, aut non malis est solum delectatio obiecti. Vt autem fiat bonus, aut ex bono malus, ratio obiectiua mouens quæ erat ipsa honestas mutari debet, ac consequenter habitudo actus ad obiectum, ipsaque substantiæ entitas, cui eiusmodi habitudo essentialis est. De actu imperato etiam interno, aut externo, alia est quoque ratio: cum enim sumant a proprio obiecto, & fine moralitatem, & propterea ab actu imperante, & relatione in finem extrinsecum, possunt iidem substantialiter permanentes in diuersos fines, modo bonos; modo malos referri.

Dicendum nihilominus est cum Durand. *in* 2. *d.* 40. *quæst.* 3. *num.* 4. Vasq. *d.* 56. *cap.* 2. Sal. *d.* 3. *num.* 171. & aliis, actus etiam elicitos posse aliquando ex bonis fieri malos, & e contrario: nam non est necesse, vt licet occurrat notitia, v. g. prohibitionis, mutetur obiectum voluntatis; potest enim in eodem affectu persistere voluntas ob eandem honestatem prius apprehensam; quamvis occurrant plures cogitationes retrahentes, & potest aliqua apparenti ratione duci, quæ suadeat in obiecto adhuc esse honestatem, nihilque prohibet duplicem reperiri in intellectu cogitationem, quarum alia dicat esse in obiecto adhuc honestatem, alia neget propter factam prohibitionem, sineque se duci; sed culpabiliter voluntas ab ea quæ honestatem obiecti adhuc repræsentat, atque ita perseuerabit idem motiuum voluntatis, eademque volitio, quæ tamen mala erit vt patet; propter ignorantiam vincibilem. Deinde si honestus ex sua natura erat actus, vt oratio, qui tamen prohibeatur, poterit velle voluntas propter ipsam honestatem orationis, qua prius mouebatur in illa perseuerare, ignorando culpabiliter prohibitionem, aut etiam illam sciendo, sed vel iudicando culpabiliter eam non posse prohiberi, vel aliud circa factam prohibitionem non cogitando. Adde præceptum, aut prohibitionem non fuisse nisi quoddam motiuum indirectum voluntatis, quare quidquid accidat illi præcepto, integrum obiectum idem manebit. Denique fatetur Suar. omnem actum imperabilem posse fieri ex bono malum per ordinem ad finem externum, atqui actus etiam elicitus imperabilis est apud ipsum Suar. & ex superioribus constat. Hoc autem sufficit vt dicamus actum elicitum mutabilem esse quod ad moralitatem; imperium enim istud eum non eximit ex numero elicitorum, sed puto elicitorum: quod autem facit finis extrinsecus. Quare alia etiam circumstantia non essentialis rationi constitutiuæ obiecti, idem non præstabit? Ratio allata a Poncio plurima supponit *alibi* discutienda; verum licet daremus omnem actum bonum a gratia per Christum pendere, eamque gratiam esse cognitionem congruam, dicetur manente eadem cognitione secundum substantiam mutari volitionem, quæ tamen cognitio tunc non erit congrua; quia non connotabit effectum, & accedente noua cognitione de prohibitione obiecti, perseuerabit tamen in illius amore, quem susceperat ex gratia per Christum;

quique

quíque bonus erat, & quem nunc continuat illicitè ac proinde ſine gratia Chriſti.

3 Non placet tamen quod ait Gab. *in* 3. *d.* 23. *q.* 1. *art.* 1. *d.* 1. Ocham. & Cametacenſ. quos *ibi* allegat, actum intrinſecè, & eſſentialiter virtuoſum, non poſſe fieri naturaliter non virtuoſum; poſſe tamen ſupernaturaliter, & de potentia abſoluta: quia ſi eſſentialis eſt bonitas alicui actui, non poteſt ab eo permanente ſubſtantialiter auferri tam ſupernaturaliter, quàm naturaliter. Deindè ideò ait fieri poſſe non virtuoſum, quia poteſt Deus aduertentiam, & libertatem tollere: atqui etiam naturaliter poteſt idem actus fieri non liberè, aut ex ignorantia inculpabili, & tunc neque bonus, ſed neque moralis erit, cùm moralitas, vt ſæpè dictum eſt, plenam libertatem, & aduertentiam iudicij ſupponat.

Aliqui actus ſunt eſſentialiter boni.

4 Secundò dicendum eſt, non poſſe omnes actus ab vna moralitate in aliam oppoſitam mutari: quia ſunt aliqui eſſentialiter boni qui mali fieri nequeunt. Eiuſmodi actus eſt primò, quo quis vult honeſtè viuere, omnia diuina præcepta ſeruare, adæquatè Deum in omnibus ſummè diligere; hi enim actus omnem planè peccati turpitudinem excludunt: qui enim peccaret, vellet non honeſtè agere in omnibus, neque adæquatè Deum diligere, vt patet.

5 Secundò, actus ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturales ſunt eſſentialiter boni. Ita Ponc. *relect. cit. de virtutibus Theologicis*, Vaſq. *diſp.* 53. *cap.* 4. Ban. 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 5. *dub.* 2. Azor. *lib.* 2. *tom.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 4. *& de fide* 1. 2. *d.* 186. c 2. latè Suar. 1. 2. *tract.* 3. *d.* 8. *ſect.* 1. *à num.* 15. & *diſp.* 6. *de fide*, *ſect.* 7. *num.* 11. & *lib.* 2. *de gratia*, *cap.* 3. *num.* 13. & *lib. de prædeſtin. c.* 16. *num.* 14. Valent. 1. 1. *d.* 1. *quæſt.* 1. *part.* 4. contra Sal. qui *tract.* 7. *d.* 5. *ſect.* 12. *num.* 169. vitioſè fieri poſſe actus virtutum Theologicarum concedit, & de amore Dei Sotus *lib.* 1. *de gratia*, *cap.* 21. *coroll.* 2. ſi fiat quando non oportet, vt dum quis tenetur proximo ſubuenire, aut alteri rei vacare, ipſe interim eliciendis actibus ſummæ dilectionis Dei incumbat. Eadem habet Peſant. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 10. *d.* 1. *cap.* 2. *de fide, & ſpe.* Idem cum Caiet. 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 2. & 4. 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 4. & propendet Med. 1. 2. *quæſt.* 56. *art.* 3. *ſub fin.* Probatur, quia omnes iſti actus vt eliciantur indigent gratiâ, cùm ſint entitatiuè, & ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturales, vt ſuppono ex communiſſima ſententia, etiam aduerſariorum: atqui ad actum peccati dari nequit gratia, tum quia ex Paul. *ad Galat.* 5. opera carnis diſtinguntur à fructibus ſpiritus & gratiæ, neque opera carnis prodire poſſunt à ſpiritu, ſicut neque fructus ſpiritus à carne; peccata autem ſunt opera carnis, non gratiæ. Deindè gratia Chriſti exhibetur ea fine redemptionis, & non poteſt dari ad peccatum quod illum finem impedit. Huc faciunt omnia quibus oſtendimus 1. *p. d. de prædeſtin.* Deum non poſſe prædeterminare, neque etiam prædefinire actus malos etiam ſecundùm entitatem, ne malitia eam entitatem in talibus circunſtantiis neceſſariò conſequens, in Deum refundatur; id enim vehementiùs vrgebit hoc loco, ſi dicamus, Deum peculiari quodam, extraordinario, & ſupernaturali concurſu corroborare potentiam creatam ad eliciendum actum peccaminoſum, quem ſine eo ſupernaturali concurſu non poterat elicere.

Dices, Deum non dare concurſum niſi ad entitatem actus, quam mala deinde voluntas inficit, atque ita parata ſibi diuina gratia abutitur, neque Deus exhibendo eum concurſum, intendit malitiam actus; eam tamen paratam voluntati negare non tenetur: imò neque poteſt ſine iniuria propter pactum quod iniit vi meritorum Chriſti daturum ſe gratiam ad actus ſupernaturales, quando voluerit eos elicere voluntas, neque excepit caſum, in quo voluntas vellet in prauum finem per alium actum eos dirigere: vndè enim habetur ea exceptio? Verùm cùm gratia non detur niſi in bonum, atque gratia Chriſti meritis exhibita, reſpiciat finem redemptionis, & ſit gratia, hoc eſt non debita, ac proindè non ex pacto quodam in natura, iure, & exiſtentia fundato, ſed ex mero Dei beneplacito acceptantis merita Chriſti, Chriſtique ipſius oratione, impetratione, & applicatione decreta fuerit, non confusè in vniuerſum, ſed diſtinctè ad quemlibet actum ſingularem, hic & nunc eliciendum, ſi detur ad actum malum, qui ſecundùm ſubſtantiam elici non poſſet à voluntate, non videtur quomodo ſit gratia, cùm potiùs valdè noceat: nam ſine ea non ponetur peccatum. Quod autem dicunt aliqui, eſſe gratiam, quia impedit maius peccatum, nihil facit: quia impediri quidem maius peccatum, gratia eſt, non autem admitti minus: & prætereà, cùm gratia non detur niſi in finẽ in quem obtenta eſt à Chriſto, quis dicat Chriſtum ſuo ſanguine impetraſſe nobis gratiam ad eliciendum peccati actum, quem naturæ viribus relicti elicere non potuiſſemus. Itaque longè diſpar ratio eſt inter gratiæ auxilium & concurſum naturalem; hic enim debetur à naturæ Auctore, & non negatur de lege ordinaria ſine naturæ & creatæ libertatis iniuria. Cum igitur præſtò ſit, poteſt illum rapere libertas in quam voluerit partem, ſiue in bonum, ſiue in malum. Gratiæ autem auxilium, vt ipſum nomen fert, non debetur neque niſi ex meritis Chriſti, eiuſque intentione datur, & eſſentialiter ad finem ſupernaturalem ordinatur, & dari non poteſt ad actum qui eſſentiale impedimentum illi fini ponit, & qui aliter poni non potuiſſet. Manet itaque eiuſmodi actus, ſi mali ſint, non elici ex auxilio gratiæ; ſi autem ita non eliciuntur, non ſunt ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam, quos tamen eſſe virtutum Theologicarum actus initio ſupponebamus. Non poterit igitur quia vitioſè exercere hos actus internos, poterit quidem externos per fictionem quandam, vt de ſuſceptione baptiſmi tradit Auguſt. *l. de catechiſ. rudib. cap.* 5. qui etiam *contra Iulian. cap.* 3. inter miſericordiam, & fidem illud diſcrimen ponit quòd miſericordia aliqua mala ſit, vt videre eſt in Saüle qui malè pepercit Regi captiuo, fides autem nulla mala eſt, ex eo quòd ad finem, quamvis pendeat ab intellectu, requiratur pia credendi voluntas, ſeu affectus, qui & honeſtus eſt, & ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis: non poterit igitur fidei actus ſuſcipi ex affectu inhoneſto, vt patet. Denique facilè reiiciuntur modi quibus inſici hos actus docuerunt aduerſarij: quod enim dicebat Soto, eſſe aliquando cauſam omiſſionis malæ, ſi nempè exercerentur quo tempore obligabat aliud præceptum quod impediunt, reiicitur à Vaſq. quia non peccatur, quod credatur aut ſperetur fide, & ſpe ſupernaturali, ſed quod id temporis animum ad cogitandum de rebus credendis, aut ſperandis applicet dum aliud præceptum vrget, aut cum ſalutis corporeæ diſpendio. Quod autem aiunt, prohiberi poſſe pro aliquo tempore exercitium horum actuum, negat id de charitate Ponc. quia cùm ſit plenitudo legis, prohiberetur impleri legem, quæ tamen diligendo impleretur. Verùm propter reconditos fines poſſet Deus hic & nunc actum hunc diuinæ dilectionis ſuper omnia nolle exerceri, & tunc ſi exercere-

tur,

tur reuerà violaretur lex, ac proindè peccaretur, quod de peccato veniali, quod per actum ipsum admitti possit, non negat Suar. *tra. 3. sect. 1. n. 19.*

5 Respondeo itaque posito eo præcepto non posse voluntatem actum charitatis exercere, quia (vt aiebat Pone.) diligendo Deum, eius legem violaret, hoc est eum non diligeret, & bonum aliquod creatum Deo ipsi eiusq; imperiis in actu exercito præferret. Deinde, quia peccatum quodlibet, etiam veniale est auersio à Deo seu formalis, seu virtualis; dilectio autem est actualis conuersio, neque potest vnus, & idem actus esse auersio & conuersio respectu eiusdem obiecti; deinde aliud est, actum substantialem charitatis non excludere culpam venialem, aut ab ea non sufficienter auertere voluntatem, quod Suari concedimus: aliud eam inclinare voluntatem ad noxam, etiam venialem, aut esse venialiter malam. Si itaque imperaretur eius cessatio, aut voluntas cessaret, aut si in eo perseueraret Deo prohibente, sibi de dilectione supernaturali Dei super omnia blandiretur; voluntas autem ipsa illam non eliceret, sed alium actum similem, & naturalem, vt sæpè contingit. Idem de fide, & spe dicendum est, videlicet vt desistat voluntas ab illis, vbi prohibiti fuerint, neque Deus ad eos malos actus, vt *superius* probatum est, gratiam exhibeat, aut non foret peccatum, articulo fidei occurrenti assensum præbere, sed applicare animum id temporis cogitandis articulis fidei, vt *paulò antè* monebam ex Vasq. Denique non possunt hi actus per imperium, aut malam intentionem reddi mali; quod tamen vnicum fuit argumentum negandi detinari vllam bonitatem, aut malitiam ab actu imperante in imperatum internum, & elicitum. Verùm *sup. q.* dictum est intentionem antecedentem & per modum causæ, si mala est, non posse applicari voluntatem ad actum honestum formaliter, vt actus honestus est, quamvis possit circa illum, vt obiectum & materia quædam est, versari, & tunc intentio mala erit, non obiectum eius, sicut sæpè accidit circa obiecta bona vt Deum ipsum, nos prauos actus exercere, à quibus tamen obiectis prauitatem nullam accipiunt: ità neque hoc loco hi actus qui eodem modo se habent atque opera vel obiecta externa, aliùdque est, vt monebam nuper ex Becano, obiectum actûs esse bonum, aliud actum esse bonum ex obiecto. Est etiam satis difficile assignare finem prauum, & venialem, cui inseruire possint isti actus interni: quod enim vulgò affertur de vana gloria, futile est, cùm ignoti sint hi actus, nisi aliquo externo opere prodantur, & tunc illud signum externum facto, & sine vllo interno ponetur. Quod ad gloriam captandam coram Angelis recurrant, non existimo multùm mouere voluntatem: quandò autem finis est consequens, aut comitans, potest quidem ille esse turpis, sed actum bonum qui neque rationem effectus, neque circumstantiæ habet, non inficiet.

6 Denique, quod attinet ad fidem, obiiciunt ex S. Thom. *1. 2. q. 56. art. 3.* virtutes intellectuales dare facultatem operandi, non autem semper bonum vsum, vti morales quæ vtrumque istud tribuunt. Inter intellectuales verò virtutes constat esse fidem, quam sicut & spem posse esse sine charitate & prudentia infusa, ac proindè sine recto vsu tradit *q. 65. a. 4.* Denique *2. 2. q. 47. a. 13. ad. 2.* ait prudentiam impertire ordinem ad appetitum rectum, non fidem. De primo loco consule Med. fusè. Vult tantùm S. D. virtutes intellectuales etsi præbeant notitiam non propterea inclinare, aut necessitare voluntatem, vt contra eam notitiam nihil agat. Ita Grammatica tradit notitiam benè loquendi, potest tamen Grammaticus barbarè loqui; & licèt fides, quæ virtus intellectualis est, tradit notitiam rerum credendarum, potest tamen voluntas contra credita operari, aut etiam non credere. Sicut tamen non potest quis peccare contra Grammaticam actu Grammaticæ, ita neq; actu supernaturaliter bono peccare contra fidem. Aliis locis docet S Th. fidē, & spem non pendere à prudentia infusa, sed præcedere; fides enim est sola cognitio, ad quam sequitur spes antequàm charitas, & ei annexæ virtutes morales in quibus est prudentia infusa, & supernaturalis, conferantur; aut certè fidem posse reperiri in voluntate mala circa alia obiecta, & non excludere omne peccatum mortale, vt dixi: prudentiam autem Christianam non includere ordinem in vltimum finem, excludereque omne peccatum mortale, quia eius principium est propositio, & amor finis: in hoc enim est prudentia, vt congrua fini operetur. Itaque peccator non potest esse verè prudens, licèt sit vere credens.

Dantur actus essentialiter mali.

Tertiò sicuti reperitur aliqua bonitas essentialiter connexa quibusdam actibus, & inseparabilis; ita dantur actus quidam essentialiter mali. Ita omnes præter Anton. Perez *certamine 8. scholast. n. 25. sect. 8. vbi n. 8.* 7 nominatim ait odium Dei, quia non est odium Dei, vt bonus est, sed vt malus apprehenditur, non esse essentialiter malum, aut morale: quia obiectum essentialiter morale, est solum honestum: quæ ratio est petitio principij: omnem enim ab honesto recessum & ad turpe accessum dicimus esse malum, si moraliter fiat, ac proindè si fit essentialiter recessus à bono honesto, & accessus ad malum, & fiat moraliter, erit essentialiter malus, vt contingit in quibusdam actibus. Falsum autem est, omnem appetitionem essentialiter moralem, ferri necessariò in bonum honestum: sunt verò hi actus non modò vniuersales, vt *Volo inhonestè viuere: Nolo seruare præcepta*; sed etiam particulares, tum interni, tum externi. Interni odium Dei, infidelitas: externi, blasphemia, idololatria, mendacium. Ratio verò, propter quam hi actus honestari non possunt, est quia mali sunt ex suo obiecto, quare nulla extrinseca mutari potest circunstantia, v. g. malitia idololatriæ consistit in eo, vt creatura pro Deo colatur, vnde quandiu diuinus honor exhibebitur creaturæ, quomodocunque id fiat, idololatria erit. Odij Dei malitia in eo est, vt summum bonum auersemur, quandiu id fiet quotunque animo fiat, integra malitia odij Dei perseuerabit. Mendacij fœditas est dicere contra mentem, quoties igitur aliter quàm sentiamus, dicemus, toties mentiemur: & eodem modo se habent quæ ex natura sua & obiecto non sola prohibitione, aut accessione finis, alteriúsve circunstantiæ extrinsecæ mala sunt. Quidquid enim addatur aut detrahatur, quandiu manebit obiectum, manebit quoque eius malitia, vtpotè illi essentialis & inseparabilis; quàm proindè refundet in actum, quem terminabit. Atque hanc essentialem malitiam quorundam actuum agnouit Arist. *l. 2. ethic. c. 6.*

Restat tertia difficultas circa institutam comparationem inter moralitatem, & actum internum eam subiectantem. An videlicet alteram ex moralitatis speciebus expositis perpetuò, & necessariò participet? 8

Dicendúmque est, plurimos actus Indifferentes, hoc est neque bonos, neque malos ex obiecto suo, & secundùm speciem, reperiri; multos tamen eiusmodi esse secundùm exercitium, & indiuiduum, sed omnes quotquot exercentur actu, esse vel bonos, vel malos, vt *lib. 5.* dictum fuit.

QVÆSTIO VI.

De moralitate actus externi.

1 ACtum externum eum omnem appellamus, qui à voluntate imperatur siue pertineat ad potentias externas, siue ad internas, intellectum, & appetitum; qui omnes formaliter liberi non sunt, sed solùm quatenùs voluntatis imperio subsunt, à quo totum fundamentum moralitatis, quod diximus esse voluntarium liberum, accipiant necesse est. Passim enim reiicitur Caietan. 1. 2. *quæst.* 74. *artic.* 4. agnoscens in sensualitate natiuam quandam libertatem, quæ ad peccatum veniale sufficiat; quod videtur sentire Medin. *hic quæst.* 20. *art.* 3. cùm actus intellectûs, & appetitûs dicat esse formaliter, & intrinsecè bonos, aut malos, sicut & actus voluntatis ipsius. Quæritur tamen an sicut hi actus sunt tantùm extrinsece & secundariò liberi à libertate deriuata à voluntate, cuius imperio subduntur, ita ipsam quoque moralitatem in libertate aliqua ex parte, saltem tanquam ratione generica, aut conditione sine qua non fundatam ab eadem voluntate, eiúsque actibus elicitis, quos internos modo nominamus, accipiant; an verò è contrario moralitatem in ipsam voluntatis actionem refundant. Cùm enim libertas non sit ipsa moralitas, sed aliquid ad eam præerequisitum, nihil cogit ab eo deriuari moralitatem, à quo sumitur esse liberum, sed potest aliquo iam constituto libero refundi bonitas, aut malitia, in illud quod libertatem communicauit.

Actus externus aliquam moralitatem accipit ab interno, aliquam eidem communicat.

2 Magnum hac in lite dissidium est, sed de solis ferè vocibus, vti obseruauit Salas *dub.* 6. *tractat.* 7. *sect.* 2. & quam teneas sententiam non magni interest, cùm ex qualibet deducantur eadem corollaria practica, in quibus omnes melioris notæ Theologi conueniunt, vt *inferiùs* apparebit. Vasq. itaque *disp.* 73. ait per actum inferiorem S. Thom. *q.* 20. *tribus primis articulis* in quibus hanc litem examinat, intelligere actum versantem circa finem siue sit intentio, seu electio, vt cum quis largitur eleemosynam propter vanam gloriam, per exteriorem autem eum, qui vt medium assequendi finis assumitur, vt in exemplo allato de largitione eleemosynæ propter vanam gloriã. Intentio vanæ gloriæ, & electio eleemosynæ ad vanam gloriam, sunt actus interni, qui ab eodem fine specificantur: largitio ipsa eleemosynæ est actio externa. Distinguit deindè inter malitiam, & bonitatem, aitque malitiam formalem petitam ex ordine ad obiectum & circunstantias esse formaliter, & priùs in actione externa esse, & ab illa in internam deriuari, in qua tantùm secundariò, & dependenter ab externa actione reperitur; v.g. admittit aliquis homicidium propter inanem gloriam, malitia homicidij est priùs in actu externo, quàm vel in intentione inanis gloriæ, vel in electione homicidij ad illum finem; quia actio externa primariò prohibetur, & eius causa interna: velle enim furari malum est, & prohibitum, quia furari malum est & prohibitum, malitia tamen ex fine desumpta primariò conuenit actui interno, & ab ea in externum homicidium tanquam medium ad eum finem assumptum deducitur. Bonitas verò alio modo se habet: illa enim semper prius reperitur in actu interno, quia ad eam necesse est intendi honestatem operis propter se, & non propter aliud motiuum. Eiusmodi respectus primariò est in actu interno, vt patet, qua etiam causa in peccatis quæ interiùs consummantur, vt in odio Dei aut proximi, malitia ab actu interno in externum deindè deriuatur: cùm enim sumat suam speciem à respectu, & expresso affectu alicuius circunstantiæ directè volitæ, in actu interno priùs reperiatur necesse est: S. Thom. verò non distinguit hac *q.* 7. malitiam à bonitate, sed de vtraque simul disputat, quia nondum statuerat quid actus honestus exigeret. Denique dum obiicitur actionem esse malam, quatenùs est libera, liberam autem esse actionem externam dependenter ab interna, ac consequenter ab illa mutuari suam malitiam, & moralitatem, respondet *c.* 9. eius propositionis sensum hunc reddi debere: actionem externam esse etiam malam, quò est libera. Quod falsum est, cùm libertas sit tantùm aliquid præsuppositum ad moralitatẽ. Hęc sententia inani distinctione bonitatis, & malitiæ vtitur, & malè per actum internũ intelligit eum solum qui versatur circa finem: nam cùm quis actum externum non referendo ad alium finem, quàm ad eum quem habet ea obiecto intendit, potest institui tota ea quæstio; atque ita in vniuersum disputauit S. Thom. alioquin mancam doctrinam nobis tradidisset: & ita etiam veteres omnes, à quibus non discessisse S. D. constabit *inferiùs*, loquuti sunt. Valent. *d.* 2. *q.* 15. *p.* 1. 3. *&* 4. duplicem bonitatem, & malitiam obseruat in vtroque actu, interno & externo, primam communem quæ in vtroque illo actu distincta, & peculiaris, in communi ratione bonitatis, & honestatis conueniens non vniuocè, sed analogicè, sicuti ens de Deo, & creaturis, substantia, & accidente dicitur; quæ tamen singula propriam habent entitatem, quamvis priùs ens dicatur de Deo quàm de creaturis, & de substantia quàm de accidente. Ita bonũ priùs de actu interno quàm externo, per analogiam proportionalem enuntiatur. Altera verò bonitas peculiaris est, quæ nomine iustitiæ fortitudinis, temperantiæ, &c. significatur, éstque analoga analogia attributionis, sicuti sanum de medicina, animali, pulsu, & aliis dictum. Priùs autem de actu interiori circa finem dicitur bonitas, quàm de exteriori, priùs autem de exteriori quatenùs est obiectum. Hæc doctrina de malitia finis priùs afficiente actum internum, & obiectiua actus externi, nobis quoque probabitur: ea tamen distinctio bonitatis & communionis, quæ distincta fit in his actibus, cùm tamen bonitatem peculiarem eandem habeant, à quocunque tandem in alium deriuetur, non placet, & optimè reiicitur à Sal. *tr.* 7. *d.* 6. *n.* 41. quia nequit multiplicari ratio communis, quin particulares quoque multiplicentur, ex vulgari axiomate: si enim plurificatur ens in communi sumptum, singulares entitates plures erunt.

3 Pesant. *disput.* 1. *in articul.* 1. *quæstion.* 20. distinguit de actu externo: vel enim excludit actum internum, vel illum includit, ita vt sit aggregatum ex vtroque: si primum non potest esse priùs aut bonus, aut malus actu interno, cùm neque moralis, neque liber sit, ac proinde neque bonus, aut malus; quare in eo sensu non debuit institui quæstio. Si secundum, putat, aggregatũ illud ex vtroque actu, prius bonum, aut malũ esse actu interno, v.g. in volũtate dandi eleemosynam. aggregatũ ex vtroq; actu interno, & externo, seu actus externus liber est, & libera largitio eleemosynæ, éstq; prius bonũ actu interno, qui est volitio largitionis

largitionis illius, quia ideò bonum est velle dare eleemosynam, quia eleemosyna, seu largitio libera suarum facultatum ad subleuandam alienam miseriam, bona est, & ideo velle furari malum est, quia furari malum est, hoc est acceptio libera rei alienæ, mala est. Neque alio modo fieri potest comparatio inter actum externum, & internum: nam si dissoluatur hoc aggregatum, & eius partes seu actus ipsum conflantes componantur inter se, neuter malus est, quia neque volitio bona est, aut mala, nisi habeat obiectum bonum, aut malum, quod est actus externus: neque actus externus liber est sine interno, ac consequenter, neque bonus, aut malus. Sumendo autem actum externum pro eo aggregato, & cum volitione ad illud terminato comparando, semper actus externus est priùs malus, aut bonus interno, atque ita vsurpanit S. Thom.

4 Hæc expositio prælucet communi sententiæ intelligendæ. Repetendum igitur est duplicem esse moralitatem obiectiuam, vnam radicalem, quæ in obiecto, & circunstantiis, ac fine quoque rectæ rationi conformibus, aut difformibus, aut ita saltem apprehensis, & propositis reperitur, fundátque, seu causat bonitatem, aut malitiam actus, seu moralitatem: alteram, quam formalem nominamus, eò quòd actum, ad obiectum terminatum afficiat, siue intrinsecè, seu extrinsecè; quamvis communior opinio sit hanc moralitatem non esse in actu externo nisi extrinsecè, eò quòd supponat in subiecto, quod intrinsecè afficit, libertatem, quæ formaliter in sola volitione reperitur vt argumentatur Durand. *in* 2.*d.* 42. *q.* 1 *n.* 6. Verùm denominatio liberi in actu etiam elicito à voluntate, est tantùm extrinseca, saltem vt effectos, eo quòd fiat ab potentia libera, seu ita agente, vt potuerit vel non agere, vel contrarium agere, quamvis sub alia ratione sit ipsum libertatis exercitium, & formalis determinatio libera in potentia libera, & necesse non est vt moralitas sit forma intrinsecè afficiens actum etiam internum. Quare rectè obseruauit Vasq. *d.* 73.*n.* 15. non quæri cuínam actioni internæ, aut externæ moralitas intrinsecè, aut extrinsecè inhæreat, sed cuínam conueniat primariò, aut secundariò. Illi autem conuenit primariò, quæ per se seclusa omni alia, aut saltem ante omnem aliam, bona, vel mala est: secundariò verò ei, quæ suam malitiam; aut bonitatem ab alia deriuatam accipit. Et sanè S. Thom. *q.* 20. *tribus prioribus articulis* loquitur de prioritate; & quærit cui actioni per priùs moralitas accidat; quod de prioritate naturæ, ac dependentiæ intelligendum esse rectè monet Caietan. *in art.* 1.

5 Notandum prætereà est moralitatem obiectiuam reperiri aut in obiecto & circunstantiis, aut in fine extrinseco, vt latè expositum est. Denique, actus aliquos esse circa finem, alios circa media; finem autem quem intendimus, aliquando esse nostram operationem, aut cum ea connexum, aliàs esse aliquid à nobis independens in suo esse, non in acquisitione eius; quæ est vulgaris partitio finis, vt res est, & vt est operatio. Actus porrò externus vel habet rationem obiecti respectu interni, vel effectûs: & de vtraque ratione diuersa sentienda sunt.

6 Dicendúmque, moralitatem obiectiuam, seu quæ ducitur ab ordine ad obiectum, eiúsque circunstantias esse priùs in actu externo, qui est obiectum actionis internæ; moralitatem autem, quam, vt ab obiectina distinguamus, formalem, eò quòd instar formæ afficiat actum, appellamus, primariò esse in actu interno, & ab eo in externum, tanquam in effectum eius refundi: moralitatem denique petitam ex fine, primariò in actum voluntatis, & secundariò in externos deriuari. Itaque hi actus priores, & posteriores sunt inuicem, & mutuò moraliter communicant, & accipiunt; quod in diuerso genere causæ, & moralitatis absurdum non est. Neque existimamus inter bonitatem, & malitiam hoc loco distinguendum, vti fecerat Vasq. Hæc sententia communissima est S.D. 1.2.*q.* 20.*art.* 1. *&* 2. & Interpretum *ibi*, Caiet. quamvis pro more obscurioris, Med. Conr. *a.* 1. 2. *&* 3. Ferrar. 3. *contra gent. c.* 10. *circa tertium.* Bona. *in* 2.*d.* 42.*art.* 1 *q.* 1 *ad vltimum*, Durand. *ibid. q.* 1. Gab. *eadem d. & q. art.* 1. *&* 2. Valent *d.* 2.*q.* 15.*p.* 2. Sal. *d.* 6 *tract.* 7.*sect.* 1. Kon. *d.* 3 *dub.* 6. Azor. *lib.* 4.*tom.* 1.*c.* 11. *q.* 4. Curiel *in* 4. *q.* 74.*art.* 1.*dub. vnic.* §. 1. Suar. *tract.* 3, *d.* 10.*sect.* 1. & singillatim ostendetur, primò quidem moralitatem obiectiuam, quam Medina vocat bonitatem & malitiam in essendo, esse in actu externo, quatenùs obiectum est, & vt tale proponitur, dubitari nequit. Vnde Azor. ait, quædam esse mala quatenùs sunt rationis, à qua dissident, obiecta, cùm enim ea supponatur ab actu voluntatis, cuius bonitatem, aut malitiam causat, ab ea oriri non potest, & idcircò bona est actio interior aut mala, quia fertur in obiectum bonum, aut malum, prohibitum, aut licitum. Atque hanc in rem valet ratio, quam pluribus vrget Vasq. *d.* 73.*c.* 5. de actione externa, quæ, cùm sit primariò prohibita, primariò quoque mala est; prohibetur enim vt obiectum dissentaneum, & vt aliquid malum malitia obiectiua. Dixit autem S.Th. *q.* 20 *art.* 1. bonitatem, & malitiam quam habet actus exterior ex obiecto, & circunstantiis non deriuari à voluntate, sed magis à ratione, quia actus hic non ideò bonus aut malus est, quia voluntas in illum tendit, sed quia est reuerà aliquid in se naturæ rationali dissentaneum, idque proponit ratio, vt apparet in furto.

Secundò, si consideremus actum externum, vt effectum interni ab eo formalem moralitatem accipere æquè certum videtur, & id maximè voluit Bona. & Durand. cùm ex libertate, quæ priùs in actu voluntatis reperitur, & in aliis mediatè tantùm & remotè ad moralitatem argumentantur: actus enim exterior non est humanus, aut moralis, nisi quatenùs est effectus interioris, quamvis ea tota dissensio sit de nomine. Si enim cum Pesantio sumatur pro aggregato ex vtroque actu, seu pro actu externo libero, moralis, tunc est potiùs obiectum actus interni, quàm effectus: aggregatum enim ex causa, & effectu, non est effectus causæ, si moralitatem formalem eam appellemus, quæ est intrinseca instar formæ afficientis subiectum, cùm obiectiua etiam sit intrinseca huic actui externo, vt obiecto, formalis quoque dici poterit, atque ita fortè loquitur Vasq. communiter tamen DD. formalem moralitatem distinguunt ab obiectiua, quæ radix, & causa est formalis. 7

Tertiò, moralitatem ex fine extrinseco esse prius in actu interno, sæpiùs ait S.Th. *illo art.* 1. *&* 2. cùm enim actus externus in illum finem ex sua natura non tendat, v. g. homicidium ad furtum, eleemosyna ad inanem gloriam; non potest malitia furti refundi in homicidium, aut inanis gloria in eleemosynam, nisi ab intentione finem illum sibi proponente, & ad electionem talis medij impellente. 8

Eadem igitur est moralitas vtriusque actûs, tum ex obiecto, & circunstantiis, tùm ex fine desumpta; cum eo tamē discrimine, vt moralitas illa prior sumatur ab ipso externo, vt obiecto, & cōmunicetur interno, à quo iterùm refunditur in externum tanquam in effectum; cum autē tota bonitas, aut malicia sumpta 9

ex fine sit in actu interno,& oon oisi dependeneet ab illo in inretnum detiuetur.

Corollarium. I.

Actus externus, & internus sunt vnum peccatum.

Ex hac identitate moralitatis in vtroque actu tum interno, tum eaterno, quamvis in altero sit primario, in altero secundario.

10 Sequitur primò duas has actiooes oon esse nisi vnum peccatum, cùm habeant vnam malitiam,fineque vnum in ratione motis, quamvis in ratione eotitatis sint plura. Ita S. Thom. *art.* 3. *quæst.* 20. eius omnes discipuli. Durand. Bonau. citati: quamvis enim hic dicat esse plura peccata materialiter, ait tamen esse vnum taotùm formaliter, & significat tantùm esse plures entitates, seu, vt loquitur, plura deordinata, licèt sit vna tantùm deordinatio, & alij cit. *superiùs*, Vasq. *disp.* 74. Kon. *d.* 3. *dub.* 7. Salas *d.* 6. *sect.* 5. contra Scotum *quodl.* 18. qui sopponit vtrumque actum habere districtam malitiam, quod iam reiectum est. Gab. *in* 2. *d.* 42. *quæst. vnic. art.* 2. *concl.* 2. quia sunt duæ actiones, quæ licèt eandem malitiam habeant, eam tamen diuerso modo participant, & sequeretur oon esse explicanda in confessione peccata externa. Denique Gregor. *ibid. q.* 1. *concl.* 5. eum qui actum exteriorem peccati admittit, peccare magis eatensiuè, intelligenda porrò est nostra assertio de actu eaterno coniuncto interno, alioquin sunt duo peccata, verbi gratia vult aliquis furari, non tameo furatur, deindè post aliquod teiopus furatur, sunt plura peccata, deinde comparari debent isti duo actus circa eaodem malitiam. Nam si actus internus habeat vnam malitiam ex fine, quam communicat externo, & aliam ab obiecto, & circunstantiis, quam accipit ab externo, ita sunt plura peccata, vt obseruat rectè Pensant. *disp.* 1. *in art.* 3. verbi gratia qui vult occidere, vt furetur, dum occidit peccat duplici peccato homicidij, & furti. Assertio autem ita explicata, sequitur ex dictis de identitate malitiæ in actibus istis; quod enim in altero sit primariò, in altero secundariò, nihil facit ad multiplicandam malitiam, aut extendendam numero, vt patet. Cur autem peccata externa exprimenda sint in confessione, statim dicam.

Corollarium II.

Actus externus vbi cessat pendere ab interno, peccatum non est.

11 Sequitur secundò actum eaternum vbi desinit moraliter coniungi cum interno, hoc est ab illo dependente, quia nec reuocari, nec impediri ampliùs potest, vt oeque pooi à voluntate, non esse peccatum, sed tantùm peccati effectum, quia tunc caret omni libertate: ergo & moralitate, quæ esse liberum, essentialiter præsopponit. Ee sicut vt incboetur peccatum, requiritur libertas, ita etiam vt contionetur peccatum debet quoque continuari, & perseuerare eadem libertas. Ita qui applicuit ignem domo, deindè eacitatum ignem ampliùs extinguere non potest, non peccat nisi in eadem volitione perseueret, alioquin simul esset peccatum, & pœnitentia: potest enim aliquem pœnitere veoeni propioati, quod interèà in stomacho concoquetur,& mortem operabitur. Neque dicas tamdiu peccatum censeri hos effectus naturales, quamvis in nostra potestate oon sint, quamdiu eorum volitio per actum contrarium non retractatur: hæc enim retractatio nihil facit, quia ad continoationem liberam actionis sufficit liberè positam initio fuisse, & cum nolla retractatio faciat primam positionem illius actionis non fuisse liberam, non facies etiam continuationem non esse peccatum. Ita sentit Vasq. *d.* 73 *n.* 46. & *d.* 94 *cap.* 3. vbi infert homicidium, in ebrietate, & pollutione in somnis non esse actus capaces neque libertatis, oeque malitiæ, atque tunc non imputari ad colpam, & effectus esse peccati non peccatum in ratione moris, sed taotùm in ratione entitatis, hoc est esse diuersam entitatem ab actu, qui fuit eorum causa culpabilis, sed oon habet diuersam moralitatem. Idem dices de ictu sagittæ vbi emissa est, de motu, vbi quis se præcipitem egit, & aliis eiusmodi, quorum continuatio, vbi semel inchoata sunt, oon pendet ampliùs à nostra potestate. Infert deinde *numero decimosexto*, non cogi viiom in confessione exprimere hos euentus, sed sufficit, si dedisse causam se dicat, nisi fortè ratione restitutionis, aut irregularitatis, alteriusque obligationis quàm incurrit per opus externum, non autem præcisè vi confessionis. Quare sufficit si quis dicat se dedisse causam pollutiool in somnis, deindè sequuturæ: neque tenetur dicere eam fuisse sequutam, quamvis laudandus sit mos fidelium qui vtrumque exprimunt, vt Confessarij iudicium iuuent. Salas *d.* 2. *tractatu decimotertio, numero* 109. tales effectus negat esse peccata, sed tantùm denominatione eattinsecâ à materia quæ præfuit in causa. Lis est de nomine; consentiunt enim hi omnes tunc non committi propriè peccatum, & amitti gratiam, quando ponitur independenterà nostra libertate opus externum, siue in illud refundatur malitia prioris actus, qui fuit eius causa, siue non; alioqui qui, cùm dat se somno est in gratia, eam sine vllo acto libero inter dormiendum amitteret. Vide Sanch. *lib.* 9. *de matrim. d.* 45. *num.* 30.

Corollarium III.

Non multiplicatur peccatum, quamdiu idem actus internus moraliter perseuerat.

Hinc tertiò colligitur qua ratione manente, aut mutato actu externo, ea mutatione actus interni, aut contiooatione multiplicentur peccata, aut idem perseueret. 12

Distinguendum enim est de peccatis quæ interius consummantur, cuiusmodi est odium, infidelitas, & de iis quæ consummantur aliquo externo opere de quibus imprimis disputamos.

Quando igitur voluntas circa idem materiale obiectum perseuerat sine interruptione, videtur esse physicè idem actus, & licet varij fortasse sint, non potest tamen moraliter ea variatio percipi: quare qui circa eandem materiam continuè delectatur, etsi videatur plures reflexiones facere, vnum tamen peccatum admittit. Ita Suar. *tom.* 4. 3. *p. d.* 22. *sect.* 5. *n.* 6.

Secundò quando mutatur malitia obiecti, & ab vno transitur ad aliud, plura sunt peccata: quia sunt plures actus numero, Suar. *ibid.*

Tertiò actus imperans, & imperatus, directus, & reflexus interni non sunt vnum peccatum, verbi gratia qui vult habere tres morosas delectationes

nes malas, & posteà eas habet, committit triplex peccatum, & non vnum tantùm. Vasq. *disp.* 75. *num.* 10.

13 Quartò, peccata quæ interius consummantur multiplicantur quoties post physicam, aut moralem interruptionem repetitur actus internus. Est autem hæc interruptio, primò per retractationem prioris voluntatis. Secundò, per voluntariam cessationem ad alium actum disparatum transeundo, post quem si prior affectus repetitur liberè, repetitur quoque peccatum. Tertiò, per quamcunque aliam cessationem, etiam naturalem vt somni: vbi enim liberè posteà suscipitur prior volūtas mala, peccat or denuò. Atque hæc omnia intelligenda sunt de quacunque cessatione, minimi etiam tēporis: cùm enim sint diuersi numero actus, & entitates, neque in vno aliquo virtualiter saltem continuantur, sunt quoque distinctæ numero malitiæ, siue de actibus internis siue de externis loquamur, ac proindè in confessione exprimendæ, contra Can. *relect. de pœnitentia parte* 5. qui dixit idem peccatum perseuerare quandiu non retractatur per actum oppositum, & Sal. *d.* 6 *cit. num.* 36. qui, quandò modica est cessatio, quamvis directa & voluntaria sine formali retractatione putat non esse noua peccata: quia quando peccatum consummatur exterius, actus internus, & opus externum, etsi aliqua mora temporis intercedat, est vnum: verùm disparitas est, quia (vt dicam statim) affectus internus in aliquo opere perseuerat, vt dum quis vult occidere inimicum, etsi impendat horam in parandis armis, aliisque necessariis ad facinus illud, quod aliquandiu post susceptam voluntatem admittit, ea voluntas virtualiter perseuerat. Sequimur itaque Suar. *sect.* 5. *cit. num.* 15. & Vasq. *d.* 75. & res satis aperta videtur, aliòqui qui modo per breuem moram elicuisset odium Dei, de quo post annum non cogitasset, neque contrario etiam actu retractasset, vbi post annum odium Dei eliceret, non nisi vnom peccatum cum priori committeret; quod est absurdum. Quia tamen vix potest illa multitudo, & distinctio numerica, quæ ex breui interruptione nascitur, moraliter aduerti, sufficit si exprimatur confusè declarando diuturnam continuationem in illo opere & affectu interno, vt delectatione morosa, quod vnum voluere authores quos allegat Salas.

14 Quoad peccata quæ exteriùs consummantur ita statuo: primò quoties ita interrumpuntur, vt ab omni opere tum interno, tùm externo cessetur, toties si repetantur, multiplicantur malitiæ, cùm nihil sit in quo prior malitia perseuerare dici possit.

Secundò quoties continuatur eadem operatio exterior vel physicè, vel moraliter, etsi repetatur sæpiùs voluntas, vnum est peccatum, quia actus externus, & internus faciunt vnum actum humanum & moralem: quare ratione actus externi, qui idem perseuerat, censetur vnus actus malus, etsi internus repetitur, qui etiam propter opus externum in quo continuatur, dicitur virtualiter permanere. Ita Vasq. *d.* 75. *c.* 2. Suar. *d.* 22. *tit. sect.* 5. *n.* 10. ad hoc autem non requiritur continuatio physica operis externi, sed moralis, hoc est vt, licet sint plures actiones physicæ, omnes tamen ordinatur, vt media ad eundem finem, cuius omnes quoque sunt effectus: quare in illis eadem finis intentio virtualiter perseuerat, omnésque eandem à fine malitiam participant, verbi gratia dum quis occidendi causa parat arma, conscendit equum, accingit se itineri, vnum homicidij peccatum admittit, & licèt inter has actiones homicidio præuias, sæpiùs voluntatem occidendi inimicum repetat, non nisi vnum homicidium continuum, non ratione obiecti sed ratione connexionis moralis operis externi, in quo intentio mala continuatur, admittit: quod intelligendum est primò respectu eiusdem operantis, & actionū, quæ ab ipsomet fiunt; nam si in consortium homicidij adsciscat sibi alium, vt si consulat, erit nouum peccatum, cùm sit nouum obiectū. Secundò actiones, quæ ordinantur vt media ad vnum finem, & in quibus intentio perseuerat, non debent habere peculiarem, & intrinsecam sibi malitiam, v. g. quis furatur scalas, vt nocte alienam domum inuadere, & inimicum iacentem occidere possit, duo peccata committit, furti scilicet & homicidij; actiones autem prauæ intrinsecè, & ad malum finem ordinatæ, aliquando habent malitiam, non tantùm distinctam, sed alterius quoque speciei, vt in exemplo allato de furto sumpto pro medio homicidij sunt duæ malitiæ distinctæ speciei. Aliæ habent quidem propriam malitiam, sed intra eandem speciem, vt singulæ percussiones in ordine ad homicidium, oscula & tactus libidinosi in ordine ad vnam copulam, in priori casu plura peccata, vt monui, furti scilicet, & homicidij. In secundo videtur esse vnum tantùm peccatum consummatum, modò illæ actiones non interrumpantur, & non sint actus coosummati: tunc enim non erunt partes eiusdem operis sed diuersa planè opera. Ita Vasq. & Suar. *ll. cc.* & *tom.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 48. Vndè fiet vt plures copulæ sese consequentes, & homicidia plura sint plura peccata, quia etsi successiuè fiant, nullam tamen habent inter se connexionem propter quam vnum opus consummare, & peccatum veluti integrare censeantur, & est per accidens ad voam copulam consummatam quod illam excipiat altera; quare exprimi debent per modum plurium in confessione: neque enim vna copula expressâ, intelligitur exprimi sequena, quia per accidens ad priorem sequuta est. Hinc colligit Suar. contra Nauarr. *in summa cap.* 6. & *in cap. consideret, num.* 48. *de pœnitentia, d.* 8. esse necesse non sit explicare in confessione tactus impudicos qui præcedunt copulam, & ad quam naturaliter ordinantur; actus tamen consequentes exprimi debere, quia non sunt partes prioris peccati, neque proprietates consequentes, sed ea malitia tantùm operantis adiunguntur, súntque inchoationes noui peccati. Colligit secundò nouum esse peccatum, quando quis sibi complacet in peccato peracto vt homicidio, etsi in flagranti delicto id fiat propter eandem rationem.

Tertiò, quoties ita interrumpitur actus externus vt in illo censeri non possit manere virtualiter eadem interna actio voluntatis, multiplicantur peccata; sequitur ex superiori dicto. Fit porrò interruptio primò per contrariam voluntatem. Secundò per somnum: cùm enim tunc non maneat vlla actio, quæ sit peccatum, nihil est in quo voluntas repetita continuari dicatur: quando igitur aliquis dum parat homicidium admittere, somno interrumpit iter, aut aliquod aliud ea intentione susceptum opus & post somnum repetit, toties peccat peccatu homicidij. Tertiò per inconsiderantiam naturalem, dum homo nihil cogitat de opere malo quod intendit, & ad quod se parat, neque confusè, neque distinctè, verbi gratia dum quia se confert ad amicum, vagatur animo, & ad alia quædam distrahitur, neque vlla prorsus ratione de facinore ad quod pergit, cogitat, vbi deinde occurrit eius cogitatio, & iteratio voluntatis, peccat denuò: quia in illo itinere quamvis eo malo fine suscepto non perseuerabat prior intentio, magis quàm in somno. Quæ eadem ratio idem ostendit 15

de interruptione qua ſit. Quartò, per diſtractionem ad alia opera, quæ nullam habent connexionem cum facinore volito. Ita Vaſq. qui addit idem omninò valere in peccato non reſtituendi; continuata enim detentio rei alienæ eſt vnum peccatum, quod interrumpitur, tum modis dictis præterquam quarto, tum etiam per impotentiam non reſtituendi, tunc enim reſtitutio voluntaria non eſt, neque peccatum, quare dum poſteà repetitur voluntas non reſtituendi, repetitur quoque peccatum. Eadem habet Suar. qui addit per vſum rei alienæ, repugnantem reſtitutioni multiplicari quoque hoc peccatum.

16 Quando plores actus externi eiuſdem rationis ſimul, & eodem ferè impetu committuntur, vnicum videtur eſſe peccatum, verbi gratia, idem mendacium ſimul pluribus iuramentis confirmatur, idem verbum contumelioſum, aliquoties in alium iacitur. Ita Henriq. *lib. 2. de pænitentia, c. 5. §. 6. c. 8. §. 3.* Salas *diſp. 6. tractat. 97. numer. 39.* Azor. *lib. 9. tom. 1. c. 4. quæſt. 5.* Ferdin. *tract. 2. diſp. 3. part. 3.*

Corollarium IV.

Actus externus nihil addit moralitatis actui interno efficaci.

17 Efficaci, inquam, nam inefficax imperfectus eſt, & actu interno, qui eſt eius veluti finis, & terminus, perficitur: hoc enim habet inquit S. Thom. *art. 4. quæſt. 20.* omnis inclinatio, vel motus; efficax autem voluntas quæ vel habet effectum adiunctum, vel haberet niſi aliunde impediretur, robuſta eſt & perfecta, defectúſque illios perfectionis quæ ſumitur à termino, inuolontarius eſt; caret enim effectu per meram impoſſibilitatem illius ponendi; ſententiam autem corollarij tenet S. Thom. *art. 4. cit.* & tota eius ſchola, ex qua Vaſq. *diſp. 76.* Valent. *d. 2. quæſt. 15. part. 5.* & Salas *diſp. 6. numer. 41.* plures PP. dabunt qui eandem culpam, aut mercedem fore bonæ voluntati, atque ipſi operi concedunt, & vnus ferè Scot. *quodl. 18.* repugnat, eo quod Aug. *13. de Trini. capite quinto* dicat, *malâ voluntate vel ſola quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ mala voluntatis deſiderium impleatur.* Verùm Aug. mens, alijs locis ſatis aperta eſt vt *libro primo de lib. arbit. capite 3.* & *Epiſt. 49. ad Deogratias*; verbis autem allatis à Scoto indicat Aug. quid ferè perpetuò contingat, nempè per opera externa, accedere aliquod damnum peccato, atque, vt ait etiam S. Thom. per accidens augeri malitiam actus interni. Primò quia ob delectationem auget, & intendit voluntatem. Secundò facit quoque diuturniorem eſſe actum internum. Tertiò propter iterationem volitionum, modò *ſuperiùs* expoſito. Quartò (inquit S. Bona. *in 2. d. 42. art. 1. q. 2.* etſi non addat iniquitatem opus externum, quantum ad auerſionem à Deo (plenè enim voluntas ſola auertitur,) addit tamen quantùm ad libidinem, vt in peccatis carnis, & quantum ad damnificationem, vt in peccatis, quibus læditur proximus; quare oriuntur diuerſæ obligationes, vt reſtituendi, incurruntur cenſuræ; debent etiam exprimi in confeſſione primò, quia ita Chriſtus inſtituit, vt conſtat ex traditione, & perpetuo vſu, deinde quia per eiuſmodi opera conſummatur ipſum peccatum; & plures effectus conſequuntur opera externa, verbi gratia miniſtrationem, & ſuſceptionem Sacramentorum, & martyrium, ex plurimorum quoque ſententia. Valentia & alij volunt præmium accidentale reſpondere operi externo, quando adiunctum eſt interno, quod non cenſetur actui interno, aliunde efficaci, de quibus ſingularibus exemplis in propriis locis diſputandum eſt. Ratio autem huius corollarij ſæpiùs indicata eſt, nempè identitas moralitatis in actu interno, & externo, quæ *ſuperiùs* eſt euidenter, & ex communi quoque ſenſu ſtabilita.

Qvæstio VII.

Comparantur actus morales cum habitibus.

DVplex inſtitui poteſt hoc loco comparatio, nempè quoad moralitatem, & quoad generationem habituum ab actibus.

Quod ad primam, dicendum eſt moralitatem eſſe 1
aliquid accidentarium habitui in eſſe naturæ ſpectato; & ab eo ſeparabile, daríque habitus quoſdam medios, ſeu indifferentes, qui poſſint eſſe ſucceſſiuè boni, & mali, ſemper tamen actum præſtare habitui tum bonitate, tum malitiâ.

Moralitas eſt accidens habitus.

Tota hæc concluſio ex his quæ de moralitate 2
actuum ſunt hactenùs diſputata facilè colligitur, cùm habitus morales: boni & mali denominentur ab actu, in quem inclinant potentiæ, & remotè ab obiectis: qui enim inclinant ad obiecta rectæ rationi contraria mali ſunt & vitioſi, atque naturæ rationali diſconuenientes: qui verò ad obiecta bona, & rectæ rationi conformia, boni ſunt, & virtutes: qui denique ad obiecta media, ſeu quæ nullam repugnantiam, aut conformitatem dicunt cum recta ratione, medij ſunt, & indifferentes. Vnde fit vt moralitas in habitu ſit tantùm quid accidentarium, ſeu denominatio quædam extrinſeca, vti cenſet Becan. *tract. 1. capite 4. quæſt. 3.* & alij mox afferendi. Et ſanè quæ nuper oſtendebant hanc ſeparabilitatem moralitatis ab actu, ea omnia magis vrgent in habitu; nam vt argumentatur Scot. *quodl. 18.* & *in 1 d. 17. q. 2. §. Quantum ad iſtum articulum*; habitus genitus ex actibus malis propter conſcientiam erroneam, inclinabit ad actus bonos, vbi poſitus fuerit error, verbi gratia ad actum temperantiæ inclinabit habitus illius, quamvis genitus fuerit per actus, vel ob finem extrinſecum, vel ob defectum alium malos. Demùm habitus qui inclinant ad obiecta indifferentia eodem modo ad illa inclinabunt ſiue prohibeantur, ſiue non prohibeantur, & tamen poſt prohibitionem erunt principia malorum actuum. Accidit igitur habitui eſſe bonum, aut malum moraliter, ſeu eſſe virtutem, aut vitium, quod etiam docuit Maior apud Sal. *tract. 11. d. 1. n. 35.* & Durand. *in 2. d. 40. q. 3. n. 5.* qui *in 3 d. 35. q. 2. n. 8.* rationem reddere videtur à priori ex modo quo actus generant habitus. Cùm enim actus producant qualitates illas permanentes, quas vocamus habitus, ſecundùm ſuum eſſe reale, non ſecundùm eſſe morale, ſeu ſecundùm denominationem extrinſecam, vt ait etiam Suar. *tract. 3. d. 9. ſect. 1. num. 5. in ſimili cauſa*, quoties actus habebunt idem eſſe reale ſpecificum, etſi habeant diuerſum eſſe morale, eandem tamen realem qualitatem producent, verbi gratia actus temperantiæ, ſeu mediocritatis circa carnes tempore quadrageſimæ, licèt prohibitione ſit malus, generabit tamen habitum inclinantem, ad ſeruandam mediocritatem temperantiæ, circa carnes, & ieiunium ex malo fine, quia eiuſdem ſpeciei eſt cum ieiunio, omni ex parte bono, eandem facilitatem ad

ieiunan

ieiunandum prodocent. Ex quibus omnibus sequitur, moralitatem non esse aliquid intrinsecum, & essentiale habitui in esse naturæ; sed eâ planè ratione, qua de actibus à quibus generantur, ad quos inclinant, esse opinandum: ab eorum enim conformitate, aut difformitate, & ratione bonitas, aut malitia habitus desumetur. Quia igitur sunt aliqui actus essentialiter boni, vt omnes supernaturales secundùm substantiam, & alij etiam naturales, qui ex nulla circumstantia possunt dehonestari, si liberè fiant, vt est fortassis amor Dei etiam naturalis, dantur quoque habitus essentialiter boni, seu virtutes, quia inclinant ad actus qui semper, & necessariò boni sunt, si liberè fiant, & nunquam possunt esse mali, sed tantùm libertatis, aut cognitionis defectu non boni: è contrariò dantur habitus essentialiter mali, seu vitia quia inclinant ad actus, qui si liberi fiot, & morales, necessariò mali sunt, vt odium Dei, infidelitas, & idololatria. Denique sicut dantur actus indifferentes ex obiecto, qui propter finem extrinsecum, aliásque circunstantias benè & malè fieri possunt: habitus inclinantes ad eiusmodi actus erunt medij, seu indifferentes; quod totum admittit Sal. *tract.* 13. *d.* 1. *n.* 18. & Suar. *q.* 2. *tract.* 4 *d.* 4. *sect.* 1. *n.* 14. provt itaque voluntas cuius libero arbitrio subduntur habitus quoad vsum, vtetur hoc veluti comprincipio, ad actus ex præscripto rationis rectæ eliciendos, bonitas, aut malitia refundetur in hos medios habitus: quod enim addit Suar. hos habitus numquam esse in individuo in statu indifferentiæ, sed in statu virtutis, vel etiam vitij, saltem per denominationē extrinsecā. Cùm enim actus in individuo sit bonus aut malus, etsi in specie, & ex obiecto sit indifferens, habitus genitus ex actu malo erit vitij, non præcisè ratione obiecti, & actus, ad quem inclinat, sed quia inclinat ad actus prauo modo exercendos; V. g. deambulatio otiosa sine bono fine, & deambulatio ex bono fine gignent habitum malum, & habitum bonum ex accidenti, quatenùs saltem coniunctus habitui imperanti ambulationem ob non bonum finem, vt autem habitus ex bono fiat malus non satis est mutari circumstantiam aliquam in obiecto, aut fine, aut prohibitione, vt in actu, quia bonitas, aut malitia habituum non pendet ab exercitio actuum, sed ex modo quo disponit potentiam: vitium enim inclinat ad bonum ita effrenatè vt regula rationis non attendatur. Quamvis itaque mutetur obiectum, semper manebit ratió vitij: verùm quamvis habitus vnus sit coniunctus cum habitu recto, non propterea fiet bonus, neque inclinabit ad actum bonum, sed indifferentem, qui tamen dum exercebitur necessariò bonitatem, aut malitiam hauriet alionde, non tamen ab habitu, à quo in esse naturæ elicitur.

3 Neque difformitas vitij in eo tantùm est vt disponat potentiam ad effrænatè præter regulas rationis prosequendum obiectum, nam inclinat tantùm ad substantiam actus, siue prudentiæ conformis sit, siue non conformis, voluntatis autem erit suam sequi regulam, & ad eius præscriptum vti sua hac inclinatione, aut non vti; quare vides id solum esse valdè accidentarium habitui inclinanti ad obiecta ista media, quare existimarim plerosq; esse habitus reipsa indifferentes, qui boni, aut mali successiuè dicantur, potiúsq; fiant, provt illis benè aut malè vtitur voluntas: neq; eadem ratio est in actibus quos in individuo negabamus esse indifferentes, quia, vti monebat Suar. habitus abstrahit ab exercitio actuum, hoc est, vt ego interpretor, à modo qui in actibus exercendis liberè seruari potest, liberè inquam, & qui non sequatur ex ipsa natura talium actuum: inclinat enim tam habitus ad substantiam actus secundùm modos ipsi connaturales facilius, promptiúsque eliciendam. Denique cùm habitus sit instrumentum potentiæ, quoties vsui esse poterit, vnus & idem habitus ad actus bonos, & malos, vti esse posse ostendimus, toties erit indifferens ad bonitatem, & malitiam, quam aliam sumere non potest quàm ab ordine actuum bonorum, aut malorum, in quibus exercendis voluntatem iuuat.

Atque hinc colliges malè Duran. *in* 2. *d.* 40. *q.* 1. *n.* 7. Med. *c.* 2. *q.* 18. *art.* 9. Valent. *d.* 1. *q.* 13. *p.* 6. & alij passim negare indifferentiam actuum in individuo, ne cogantur habitus quoque indifferentes admittere; hanc enim consequentiam facilè fatebimur cum Scoto Vasq. *d.* 52. *n.* 39. & 40. Sayrus *in directorio* 5. vtrùm sit aliquis actus exterior indifferens.

Dices hinc sequi, habitum non esse genus virtutis, sed subiectum tantùm, vti voluit Scot. *l. cit.* nam cùm genus sit aliquid essentiale & inseparabile, si virtus esset essentialiter habitus, aliquis quoque habitus esset essentialiter virtus, sicut quia animal est ratio generica hominis, & illi essentialis, aliquis homo essentialiter est animal, & ab eo inseparabile. Si igitur ratio virtutis, & vitij separari potest ab habitu, tanquam aliquod accidens ipsi adueniens, habitus non erit genus sed subiectum, quod pugnat cum Aristotele *lib.* 2. *Ethic. cap.* 5. vbi ostendit virtutes neque esse affectus, neque potentias, sed habitus; cui consentit S. Thom. *q.* 55. 1. 2. *art.* 1. & 2. & vulgaris definitio, qua dicitur virtus habitus benè operatiuus: seu, bona qualitas mentis, qua nullus malè vtitur: quàm definitionem tuetur S. Thom. *ibid. art.* 4. eiúsque omnes discipuli cum Valent. 1. 2. *d.* 54. *q.* 1. Suar. *tract.* 4. *d.* 3. *sect.* 1. id totum tamen falsum esset, quia possemus male vti virtute, & benè vitio: dum quis enim propter vanam gloriam daret eleemosynam, vteretur habitu misericordiæ ad actum malum, & qui crebro accessit ad non suam, atque ita habitum intemperantiæ acquisiuit, si eam deinde sibi iungat matrimonio eodem habitu vtetur, vt ad suam accedet, eritque iam habitus inclinans ad actus temperantiæ. 4

Respondeo primùm, concedo habitum esse tantùm subiectum vitij & virtutis, & per eum virtutem vel vitium rectè definiri; quia etiam subiectum ponitur in definitione accidentium, idque probabile opinatur Vasq. 1. 2. *d.* 84. *c.* 2. Sal. *tract.* 17. *d.* 1. *s.* 2. *n.* 9. & *tract.* 11. *n.* 36. *d.* 1. & *n.* 40. neque abhorret Azor. *lib.* 3. *c.* 24. *q.* 6.

Respondeo secundò in habitibus inclinantibus ad obiecta, & actus qui possunt benè & malè fieri, duo considerari posse, vnum est facilitas, quam præbent ad actum substantialem circa tale obiectum materiale & formale, quod est materia virtutis, & vitij. Alterum est inclinatio ad honestatem, vel turpitudinem qua honestatur, vel inficitur obiectum, quod ex suâ naturâ est indifferens, vndecumque ea honestas, vel turpitudo oriatur, & in actum refundatur; hanc enim turpitudinem, vel honestatem non accipit actus ab habitu inclinante ad actum consideratum in esse physico, seu provt versatur circa tale obiectum formale, & materiale, à quo differentiam specificam, & non moralem accipit; quandoquidem, vt supponimus, bonitas, & malitia etiam obiectiua aduenit aliunde huic obiecto, à fine videlicet extrinsco, prohibitione, præcepto, aut aliqua alia circumstantia. Quare hic habitus non est essentialiter bonus aut malus, sed illi accidit esse virtutem, aut vitium, quatenùs, vt dixi, eo benè, aut malè vtetur voluntas. Quia tamen in actibus bonis & virtutis intendimus formaliter ipsam honestatem virtutis, siue per actum distinctum ab eo qui fertur in obiectum illi honestati conna-

turaliter subtractum, siue per alium distinctum, maximè dum obiectum indifferens est ad honestatem, & turpitudinem, éstque aliqua difficultas in appetenda ea honestate, dandus est vnus aliquis habitus inclinans ad prosecutionem illius honestatis, huícque habitui non accidit esse virtutem, sed semper ad actum ex suâ naturâ honestum fertur, quamvis aliunde fortassis vitiari possit, sed non quatenùs oritur ab hoc habitu, atque ita verum erit actum malum formaliter & vt sic nunquam procedere ab habitu bono, v.g. in actu temperantiæ est mediocritas in cibo & potu. Secundò est honestas, quæ ex ea medioeritate quatenus conformis est naturæ rationali vt sic exurgit. Tertiò est quod sit medium ad vanam gloriam, ad orationem, aut pœnitentiam pro peccatis. Quatenùs tendit ad mediocritatem illam à qua sumit suam differentiam physicam, est ab habitu qui inclinat potentiam ad difficultatem quæ est in ponenda ea mediocritate, qui habitus semper eodem modo inclinat ad hunc actum, siue suscipiatur amore ipsius honestatis ex ea mediocritate connaturaliter efflorescentis; siue propter malum finem à quo totus actus inficiatur, vt propter vanam gloriam, siue propter alicuius alterius virtutis honestatem, & per actus similes, quacumque ratione, & motiuo susceptos, aut elicitos, siue liberè siue indeliberatè, siue ignoranter, culpabiliter, aut inculpabiliter, siue per conscientiam erroneam, siue per rectam prudentiam intendatur, generabitur ille habitus, de quo tantùm loquitur Scot. cùm indifferentem appellat, & bonitatis, aut malitiæ, tanquam accidentium separabilium subiectum. Quatenùs verò hic temperantiæ actus tendit in honestatem formalem illius, procedit ab habitu ad vincendam difficultatem quæ est in appetenda ea honestate potentiam corroborante, atque hîc habitus nunquam nisi ad hanc honestatem inclinat, & quamvis fortassis actus hic elici possit, & eligi ad finem malum, à quo totus inficietur, quod *quæst.* 4. disputatum est: non orietur tamen vt malus est, ab habitu inclinante in honestatem temperantiæ, neque ille habitus fiet malus per consortium alterius inclinantis ad malum finem, sed tantùm producet effectum qui ab eiusmodi vitiosi principij influxu corrumpetur, vt dum arbores generosas gemmas emittunt, quæ optimas fruges promittunt, austro deinde afflatu aut maligno siderum influxu tactæ, in mala poma computrescunt & viridis ille optimæ arboris succus in putrescentes humores degenerat: nullus tamen dicet vitiosam fuisse arborem ipsam, aut malam euasisse. Quando denique fit actus seruandi mediocritatem in cibis, ob aliquem finem intrinsecum, seu bonum, seu malum, suam bonitatem, aut malitiam ab habitu inclinante ad eos fines, seu tale imperium sumit, bonitas autem, aut malitia actus imperantis communicatur actui imperato, vti aliàs diximus; non tamen habitui, quia nullus habitus dicitur, aut imperans, aut imperatus respectu alterius habitus. De his autem postremis habitibus, aut de actu eum ipsis comparato loquitur S. Thom. qui essentialiter dici possunt boni, aut mali, virtutes, aut vitia, quia nunquam inclinant, nisi ad actus honestos, aut malos; v. g. ad similes iis, à quibus geniti sunt, quod omnium habituum proprium est, atque ita fuerit exponenda vulgaris definitio ex Aristotele desumpta, & omnes sententiæ amicè componendæ.

Actus præstat habitui.

5 Vltima conclusionis pars actum tum bonitate, tum malitiâ præponendum esse habitui contendebat. Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 75. *art.* 3. & *ibi* Caiet. Medina, & alij Interp. Vasq. *in notis ad illum art.* Val. d. 6. q. 1. *p.* 2. Sal. *tract.* 13. *d.* 2. *sect.* 17. qui tamen de actu inadæquato, quem suo habitu inferiorem dicit, loquitur.

Probatur autem hæc pars: quia malitia & bonitas conueniunt propriè & intrinsecè actui, habitui verò extrinsecè tantùm per ordinem ad actum, à solis actibus punimur, aut laudamur: actus finis est potentiæ non habitus, vndè colligit Aristoteles *lib.* 1. *magn. moral. c.* 3. esse magis optandum actum. *Cuidam rei*, inquit, *finis est actio & vsus quemadmodum visui, atque illi optabilior est actus, quàm habitus vtpote finis eius: nemo siquidem velit visum habere ex lege, & non videat, sed oculos semper claudat aut conniueat: idem de auditu cæterisque dicendum, proindè quorum vsus, & habitus est semper melior & optabilior vsus quã habitus, cum & vsus & actio sit finis, propter ipsum est habitus.* Ex quibus deducta est ratio Scoti *in* 4. *d.* 49. *q.* 2. §. *prima propositio. Actum bonum maius malum excludere quàm habitum, & actum item bonum maius quàm bonum remouere à subiecto suo, quia habitus bonus non remouet nisi habitum malum contrarium:* atqui actus *bonus excludit tum actum malum oppositum, tum etiam habitum vnum formaliter, alterum effectiuè.* deindè arguit *ibid.* Scot. § *breuiter*. Gab. *ibid. ead. d. q.* 5. *art.* 2. Rub. *q.* 5. *art.* 2. ex eo quòd actus magis vniat subiectum suo bono, aut malo quam habitus, qui vnit suum obiectum cum potentia, remotè tantùm & mediatè; actus autem reipsa proximè, immediatè, & actualiter causat hanc vnionem: melior igitur, aut peior erit habitu. Atque hæ rationes æquè concludunt de actu inadæquato, atque de adæquato contra Salam, quamquam habitus totalis constet ex pluribus habitibus partialibus, illi cum actibus correspondentibus comparabuntur; quod autem Caietan. dixit, habitum nobiliorem esse actu secundùm quid, ratione permanentiæ, nihil vrget, quia bonitas hæc à permanentia, seu duratione non sumitur; alioqui cœli, quia sunt in suo esse incorruptibiles, nobiliores dici possent homine.

Habitus producitur à quolibet actu.

Circa secundam quæstionem de productione habituum moralium ab actibus, dicendum est actus omnes tum indeliberatos, tum inefficaces & simplicis complacentiæ, tum venialiter tantum, per ignorantiam culpabiles, aut inculpabiles elicitos sibi similes habitus gignere. De indeliberatis negat Medin. 1. 2. *q.* 50. *art.* 3. de inefficacibus Caiet. *ibid. q.* 61. *art.* 5. *ad* 2. Probatur tamen, quia hi omnes actus sunt eiusdem speciei secundùm esse naturæ, quod non fiant sine libertate, aut ex ignorantia seu errore intellectus quod sint veniales, aut mortales, quod est tantùm aliquid extrinsecum actui sumptum à modo agendi, vel à conditione potentiæ, idem tamen obiectum tum materiale, tum formale attingant, maximè cùm tota ratio honestatis, aut turpitudinis sit accidens separabile, possunt enim omnes saltem fieri non mali, aut non boni, semper eundẽ habitum, seu qualitatem ad ipsos inclinatiuã potentiæ producent. quia, vti *suprà* monebamus ex Durando, agunt secundũ realitatem, non secundùm moralitatẽ aut denominationẽ extrinsecam, atque ita amens qui abstinentiæ actus frequentatit, si deindè fiat sui compos, dubio procul reperiet facilitatem magnam in abstinentiæ virtute exercenda, quo etiam amentium, puerorum & brutorum exemplo euidenter ostendetur, libertatem, & alia eiusmodi accidentia moralia non exigi in actibus ad habitûs generationem concurrant. Actus quoque tendens in honestatem aliquam formaliter quamvis indeliberatè,

tatè, quidni habitum sibi similem gignet, & fatetur ipse Med. habitus inclinare ad actus etiam indeliberatos motus primo primosin, efficaces, simplicis complacentiæ, & veniales, neque id negare potest, atqui non inclinat habitus nisi ad actus similes iis, à quibus genitus est, vel generari potuit ex communi axiomate.

8 Quæres primò, an actus tendens in honestatem vniuersalem aut turpitudinem, cuiusmodi est iste, *Volo colere virtutem, Volo vitiis me dedere*, quem specificam bonitatem, aut malitiam habere olim diximus, pertineréque ad speciem certam, innominatam virtutis, aut vitij, generet habitum?

Respondet Suar. 1. 2. *tract.* 3. *d.* 4. *sect.* 1. *n.* 15. & 3. *p. tom.* 4. *d.* 2. *sect.* 4. generari habitum, qui tamen non sit iustitia legalis, vt existimauit Medin. 1. 2. q. 18. *art.* 2. hæc enim habet speciale motiuum quod non respicit sigillatim hic actus. Probat autem Suar. suam sententiam, quia etiam circa eos actus efficaces, experimur modo maiorem, modò minorem difficultatem, nam bonum honestum, etiam in communi apprehenditur vt repugnans sensui. Vitare etiam bonum aliquod delectabile eo solum motiuo, quia turpe est constat esse difficile: neque dicas hanc difficultatem tolli per singulas virtutes in propria materia, quia quælibet virtus tollit tantùm difficultatem, quæ est circa honestatem ad certam materiam contractam, non autem illam quæ est veluti adæquata omnibus virtutum actibus, quare nunquam ad eam vincendam difficultatem immediatè concurrent & sicut licet intellectus valdè inclinetur ad prima principia, tamen datur habitus quorumdam primorum principiorum, ita in ee morali voluntas capax est habituum, circa ea dictamina practica natiuam propensionem iuuantium, quos ad synderesin possumus reuocare. Non meminit autem S. Thom. aut Arist. huius habitus, quia non est virtus nisi velut inchoata, cum ad singulas materias non descendat, & quia ex aliis particularibus facile colligi poterat: atque ita soluuntur quæ in contrarium opponebat Vasq. 1. 1. *d.* 50. *cap.* 2. Quod autem addit sicut & Sal. *tract.* 7. *d.* 2. *n.* 67. admittendum quoque fore habitum circa honestatem competantiæ in cibo aut potu, atque ita multiplicabuntur virtutes, & habitus omnibus veteribus incogniti concedentur.

Respondeo, habitum tum moralem, tum intellectualem non esse simplicem qualitatem: & indiuisibilem, quæ vna inclinet v. g. intellectum ad omnes conclusiones demonstratiuas intra aliquam scientiam, v. g. Physicam contentas, neque habitum temperantiæ esse vnam indiuisibilem qualitatem, quæ voluntatem inclinet ad omnia obiecta particularia formalia, cùm experientia doceat post frequentatos actus constituentes mediocritatem in cibo, pati tamen plures maximam difficultatem circa potum, tactum, & venerea; non dicuntur tamen plures temperantiæ, aut physicæ, quia ex omnibus his habitibus particularibus propter quandam obiectorum inter se connexionem conflatur vna totalis temperantia, aut Physica, qua ratione dici quoque poterit, dari habitum circa honestatem temperantiæ in communi, qui tamen specialem virtutem temperantiæ, sed cum reliquis habitibus circa particularia obiecta versatibus vnam temperantiam constituant. Quod autem Antonius Peres *lect.* 1 *exam. p.* 3. *c.* 11. neget habitum gigni ab actu tendente in bonum vniuersum, & *cap.* 12. concedat ab actu malo opposito generari, eo quòd natura nullam patiatur difficultatem circa bonum in communi, sicut circa turpe in communi propter repugnantiam synderesеos, reiiciendum est: tiam enim ostendi inclinationem quam habet natura rationalis ad honestum in communi augeri posse, maximè cùm sensus illi repugnet.

Quæres secundò, an Deus solus posset infundere habitum vitij? Concedit Vasq *d.* 90. *n.* 11. quia non propterea esse causa peccati, quia solus habitus, causa peccati non est, sed libera voluntas, & hic habitus esset dissonus naturæ rationali, quare actus ex eo consequens non esset propterea conueniens naturæ efficienti, sic etiam posset ponere habitum erroris in intellectu, imò & actum, quia nihil inde contra diuinam veracitatem sequeretur: neque enim aut Deus ipse erraret, aut falsum attestaretur. Negant Sal. *tract.* 13. *d.* 1. *n.* 34. & Suar. 1. 2. *tract.* 4. *d.* 4. *sect.* 2. *n.* 6. quia non decet diuinam bonitatem impellere ad malum creaturam sicuti faceret ipsi indendo pondus & inclinationem ad actum turpem. Neque dicas appetitum sensitiuum ferri ad malum, & tamen esse à Deo quia hic appetitus non fertur nisi in bonum delectabile, & sibi proprium, non autem ad inhonestatem, atque ea inclinatio in seipsa recta est, nec nisi vitio voluntatis deprauatur; vnde fit vt illa etiam tota propensio sit naturalis, cùm tamen habitus vitiosi sint contra naturam rationalem, & inclinationes ad bonum, & quamvis posset Deus efficaci auxilio voluntatem per habitum vitiosum grauatam ita corroborare vt nulli nunquam cedat eiusmodi ponderi, esset tamen per se malum hominem vrgere ad malum. Hinc tamen non sequitur Deum non posse producere habitum vitiosum extra subiectum intellectuale, aut etiam actum, si aliunde non repugnet quàm ex ratione vitij, quia tunc ille habitus aut actus non est moraliter malus. 9



PRINCIPIVM V.

Vnitas, ac distinctio specifica & numerica malitiæ moralis.



DISTINCTIO specifica malitiæ à diuersitate dissonantiæ cum natura rationali sumenda omninò est, neque, ni fallor, abnuunt, qui cum Sal. *d.* 5. *tract.* 13. *n.* 4. & Thomistis volgò distinguunt penes rectitudines, quæ sunt priuationes variæ malitiæ formaliter spectatæ: nam materialiter sumptæ dicunt ipsos actus quos afficiunt, qui actus à suis obiectis specificantur: vnde duplicem distinguunt speciem in actu malo, materialem vnam quam petunt ab obiectis; formalem alteram, quam petunt à rectitudine opposita, cuius malitia est formalis priuatio. D. Thom. 1. 2. q. 72. *art.* 1. vbi peccata distinguit per obiecta, dicunt agere tantùm de specie materiali & positiua, quia in peccato commissionis peccatum supponit pro actu materiali, & non pro priuatione. Deinde, quia actus sunt per se primò voluntarij, liberi, ac morales; priuationes autem hoc tantùm habent ratione actuum, quare & illi præcipuè attendi debent, dùm illis annexa deordinatio consideratur. Verùm quidquid sit de hac doctrina, & duplici specie positiua, atque priuatiua, & an illa positiua seu actus moraliter sumpti sit moralis; quod totum *alibi* examinabitur, non videntur mihi isti Auctores à communi sententia discedere, nempè à dissonantia cum natura rationali proximè, vel remotè saltem specificari malitiam, sed eam dissonantiam in priuatione constituere. Et sanè cùm malitia dicat essentialiter oppositionem cum recta ratione practica, 1

ctica, à qua tanquam à sua regula deficit, non videtur aliunde distingui posse essentialiter, quàm à varia comparatione cum eadem regula & diuerso ab ea recessu: vndè Scot. *in* 2. *d.* 37. *q.* 8. essentiam peccati in auersione à fine volito distinguit penes rectitudines, quibus priuando auertit à supremo fine, & discordare facit cum diuina lege. Restat igitur inquirendum duntaxat vnde sit spectanda diuersitas specifica ipsarum dissonantiarum cum regula morum: alij enim ab obiectis formaliter sumptis, & vt apta sunt fundare proximè actum malum: alij à fine & motiuo: alij à circumstantiis: alij à præceptis, quæ violantur, desumunt, quæ omnes sententiæ solis vocibus ferè dissident; nam circumstantiæ quoties actum diuersificant, se tenent aliquâ ratione ex parte obiecti, & directè, aut indirectè volitæ sunt, & quandò ipsum tantùm actum circumstant, volitæ sunt saltem per modum actus exerciti; finis autem & motiuum, aut intrinseca sunt obiecto, & ita ad illud maximè pertinent, aut extrinseca; & tunc ad circumstantias referuntur, atque vt malitiam conferant, intendi debent, & rationem alicuius obiecti induere: quæ omnia fusè sunt exposita *d.* 5. *nuper sect.* 5. *tract. sup.* Denique quod attinet ad præcepta illa, non diuersispecificant malitiam, nisi sint formaliter, & essentialiter inter se diuersa, siue ad eandẽ virtutem, siue ad diuersas pertineant, vt statim explicabo, tunc autem ponunt in obiecto præcepto diuersam consonantiam, aut dissonantiam cum natura rationali, falsúmque est eandem dissonantiam in omnibus obiectis reperiri, vt voluit Sal. *d.* 5. *sect.* 1. *n.* 2. Itaque omnes diuersæ specificandi rationes, tandem ad obiecta reuocantur, & vltimo ad dissonantiam cum ratione practica: quomodò autem tum ab obiecto tum à circumstantiis sumatur moralitas aliundè dictum est *sect. super.* Itaque de solis præceptis agendum superest.

Sola præcepta essentialiter diuersa, diuersispecificant malitias.

2 Dicendúmque, præcepta quæ accidentaria tantùm, aut, vt alij loquuntur, diuersa sunt, non multiplicare malitiæ speciem, itáque intelligo S.Thom. *q.* 72. *art.* 6. *ad* 2. negantem ex diuersis præceptis affirmatiuis, & negatiuis peccata specie distingui, quando verò sunt formaliter, vel specie & essentialiter diuersa, speciem nouam, & distinctam actui prohibito conferuant, & diuersam honestatem in actu imperato ponunt, cùm ad diuersæ virtutis materiam trahant. Ita Sanch. *lib.* 1. *in Decalog. c.* 14. *n.* 9. *& lib.* 9. *de matr. d.* 15. *n.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 2. *q.* 5. *&* 6. Vasq. *d.* 98. *cap.* 2. Pesant. 1. 2. *q.* 72. *art.* 1. *d.* 2. Sal. *d.* 3. *tract.* 13. *n.* 13. Curiel *in art.* 6. *q.* 72. *dub.* 3. & alij. Ea autem dicuntur præcepta materialiter tantùm & accidentario diuersa quæ eandem rem sub eadem ratione, & motiuo præcipiunt, & differunt tantùm ratione temporis, modi, personæ præcipientis, aut eius cui præcipitur: differunt autem essentialiter, quando (inquit Azor.) habent specialem repugnantiam cum ratione. Vniuersaliùs dixi quando ea diuersa ratione & motiuo adæquato procedunt: cum enim eadem materia tum ad diuersas virtutes trahi possit, tùm ad diuersos fines honestas vtilis esse possit, omnisque materia honesta præcipi, & turpis prohiberi aliqua lege diuina, aut humana possint, eadem res propter diuersos fines, & intuitu diuersæ honestatis præcipi quoque à pluribus, & diuersis præceptis poterit, atque ea præcepta, licet circa eandem materiam versentur, cùm tamen habent motiua formaliter diuersa, & non inter se subordinata, sed quodammodò disparata, erunt quoque essentialiter inter se diuersa, quod rectè explicat Caiet. *dub.* 3. *cit.* §. 2. tunc scilicet esse distincta motiua in præceptis affirmatiuis, cùm faciunt actus, ad quos obligant, materiam diuersarum virtutum, & in negatiuis cùm actus quos prohibent, habent ratione talis prohibitionis, diuersam oppositionem ad virtutem siue eandem, siue distinctam, ac consequenter cum recta ratione practica; quod totum intelligitur facile ex iis quæ olim dicta sunt de lege, nempè eam constituere actum in specie aut materia virtutis. Deinde exemplis, præceptum naturale, diuinum, & humanum idem homicidium prohibent, & solo numero, & accidentariò differunt: quia triplicis illius prohibitionis idem est motiuum, videlicet iustitia debita iuri, quod alter habet tuendi suam vitam. Præceptum ieiunandi in quadragesima & peruigilio aliquo, atque per quatuor Tempora, etsi multiplex numero sit, si incidat in eadem diem, tamen non erit essentialiter multiplex, quia vno temperantiæ motiuo hæc omnia præcipiuntur & actus ieiunij vnicam habet honestatem temperantiæ, actus autem, quo violabitur, vnicam etiam habebit cum temperantia oppositionem: obligatio autem audiendi Sacrum die festo ex præcepto Ecclesiastico, & ex voto, etsi pertinet ad eandem Religionis virtutem, quia tamen ex diuersa ratione formali ea obligatio nascitur, diuersa quoque ipsa erit. Ita explicata assertio

Probatur contra Val. *d.* 6. *q.* 2. *p.* 1. negantem specificationem sumi à præceptis. Konꝫ è contrario ait. *d.* 7. *de pœnit. dub.* 6. quoties præcepta habent diuersas solo numero rationes, inducere duplex peccatum, vt qui omittit sacrum die Dominica in quam incidit festum aliquod, duplici peccato peccare, quod dictum impugnat prima pars conclusionis, quam esse S.Thom. iam monui, & probatur ex multiplicatione præceptorum circa eandem materiam accidentariò tantùm diuersorum. Non sumitur autem tunc diuersa conformitas cum ratione, aut difformitas; est enim eadem materia, etiam formaliter, eadémque virtutis honestas violatur, neque per ea præcepta ad diuersam honestatem pertinet, vti explicatum est. Nam quod vetatur, aut præcipitur lege tantùm humanâ, ad eandem virtutis materiam spectat, ad quam spectaret, si lege naturali fuisset prohibitum: alioquin qui furatur committeret triplex peccatum, quia furtum iure naturali, diuino, & humano prohibitum est: id tamen nullus dixerit. Neque alia causa reddi potest cur vnico tantùm peccato violetur triplex illud præceptum, quàm quia idem actus, sub eodem motiuo, eiusdémque honestatis specificæ intuitu prohibetur, quamvis pluribus præceptis, quæ sola ratione materiali differunt, vnde non magis multiplicant oppositionem cum honestate, aut recta ratione, neque consequenter malitiam quàm si fuisset vnum idémque præceptum sæpiùs repetitum, vt apparet etiam in voto sæpiùs repetito: quod tamen vna tantùm specie obligationem inducit ex communissima sententia statim indicanda. Neque etiam saltem numero multiplicatur malitia, si omnia paria sint, quia malitia, quæ ex diuersis præceptis oriri videtur, & quæ in diuersis subiectis esset multiplex, ratione tamen eiusdem actûs, & subiecti, fit vna continuatione quadam vt & in reliquis accidentibus in eodem subiecto multiplicatis contingit: atque hinc tantùm haberi poterit, ex sola diuersitate materiali præceptorum, quæ vnico actu læduntur, augeri veluti intensiuè malitiam, seu crescere quoad grauitatem vti *q. seq.* inquiretur.

Atque hinc ostenditur secunda pars assertionis 3
contra Valent. videlicet quoties præcepta formaliter,

liter, & ob proxima motiua differunt, afferre nouam specie malitiam, quia tunc actus prohibitus habet multiplicem dissonantiam cum recta ratione, quia habet oppositionem cum multiplici honestate, quam violat etiam intra eandem virtutem: tunc enim eadem materia intuitu duplicis videlicet honestatis præcipitur, ac proinde ad illam vtramque pertinet, & vtraque simul violatur; v. g. homicidium clerici duplicem habet malitiam, alteram iniustitiæ, propter quam iure naturali prohibetur, alteram Religionis, cuius intuitu lege Canonica vetatur, furari quoque & occidere, etsi eandem iustitiæ virtutem exscindant; quia tamen duplici præcepto specie diuerso, cùm iustitiam in materia specie diuersa seruari iubeant, prohibentur, habent diuersam specie malitiam. Neque hanc partem impugnant argumenta Valent. Nam exemplum vsuræ triplici præcepto vetitæ, quod affert, solam priorem partem ostendit: hæc enim præcepta vsuram vetantia non differunt essentialiter. Quod deinde ait, peccatorum differentiam petendam à diuersis virtutibus, quibus opponuntur, non obest; quia eo ipso quòd fiant contra præcepta specie, & essentialiter diuersa, repugnant quoque diuersis virtutibus ad quarum materiam spectabat actus ita prohibitus, eo ipso quòd præceptus fuisset: lex enim, vt sæpiùs monui, habet vim constituendi id quod præcipit in materia certæ virtutis, ad quam anteà non spectabat. Denique, quod ait repugnantiam cum præcepto esse rationem communem, & essentialem omni peccato, quod est defectus voluntarius perfectionis debitæ ex præcepto, ac proinde ab ea communi ratione, & in omni malitia inclusa, diuersitatem sumi non posse, facilè diluitur: oppositio enim illa communis cum præcepto variatur pro diuersitate formali præceptorum, quæ, vt docuimus, tandem relabitur in dissonantiam obiecti cum recta ratione, quæ fundat dissonantiam formalem actûs versantis circa tale obiectum cum eadem regula.

Corollaria ad praxin.

4 Ex his cum allatis Auctoribus plurima ad praxin necessaria licebit deducere.

Primò. Quoties aliquis simul ius positiuum, & naturale violat vnico actu circa obiectum, quod duplici illo iure sub eodem motiuo præcipitur, vnicum committit peccatum, contra Kon. *d. 7. de pœnitentia, n.* 30. quia, vt ait Vasq. *d.* 98. & Suar. *lib. de simonia c. 7. n.* 4. eadem vtrobique debita est honestas: quod etiam valet, quando præceptum naturale & supernaturale, de eadem re violatur, contra Medio. *hic* 72. *art.6.* v. g. dum quis peccat contra temperantiam acquisitam, simul & infusam, quia tunc naturalitas, & supernaturalitas præcepti sunt differentiæ tantùm materiales cum vnica specie honestas violetur. Denique multiplicatio præceptorum positiuorum, quoties ea eodem motiuo procedunt, non multiplicat, vt dixi, peccata, atque ita omittens Sacrum die, in quam plura festa concurrunt, & ieiunium, quod ratione peruigilij & quadragesimæ iubetur, vnicum admittit peccatum contra Nauarr. *in summa c.* 11. *n.* 4. immò addit Vasq. *q.* 98. *n.* 10. non ita aggrauari hoc peccatum ex multiplici peccato, vt illa circumstantia sit exprimenda in confessione, etsi fortassis circumstantiæ notabiliter aggrauantes sint exprimendæ: & falsum est quod aliqui dicunt saltem præceptum additum rei per se malæ, aut aliunde vetitæ constituere peccatum malitiæ: vt enim ait *ibid.* Vasq. *n.* 6. in quolibet peccato duplex eiusmodi malitia reperiretur. Deinde cùm lex constituat in materia virtutis, propter cuius motiuum præcipit id quod præcipit obseruatio legis materialiter sumpta, non pertinet ad peculiarem obedientiæ virtutem, sed ad varias virtutes, quarum materia præcipitur: quando autem seruatur lex superioris formaliter, vt superiori præcipienti pareatur, tunc est peculiaris obedientia. Vndè sequitur vt legis violatio nisi fiat ex intentione non parēdi, non sit peccatum inobedientiæ, atque hæc est expressa mens S.Thom. 2. 2. q. 104. *art. 2. ad 1. vbi ad inobedientiam requiris quod actualiter contemnat præceptum.* Quare qui ieiunium præceptum non seruat, peccat tantùm contra temperantiam, non contra obedientiam. Quod autem affert Nauarr. de Franciscano non ieiunante feria sexta v. g. quadragesimæ, peccare duplici peccato, non vrget, quia, vt ait Vasq. *d. cit. n. 9.* & Sanch. *lib. 9. de matrim. d. 15. n. 6.* id fit quòd duplicis virtutis obligationem frangat, alteram scilicet temperantiæ, quam iubebat Ecclesia, alteram religionis: ex voto enim obedientiæ regulam seruare tenetur. Quod si minimè vouisset, sed regula more tantùm alterius legis ieiunium illud imperaret, vnica esset intemperantiæ culpa, ieiunij illius infractio.

Secundò. Qui vouit obedientiam in religione, duplici peccato peccare quoties Superioris mandatum non seruat tum contra virtutem præceptam, tum contra voti Religionem. Ita Vasq. *d.* 98. *num.* 7. Salas *tract.* 13. *d. 3. num.* 16. Azor. *tom.* 1. *lib. 4. cap. 2. quæst.* 6. 5
Confessarius tamen, aut quilibet alius, cui extra statum religiosum vouisset aliquis obedientiam, suo mandato non constituent nouam malitiam in violatione actûs imperati, nisi aliundè ea violatio sit mala. Cùm enim Confessarius non sit superior ratione pœnitentis, non potest illi obligationem imponere per modum iurisdictionis, & præcepti determinantis rem præceptam ad materiam virtutis, ac proindè omittens opus iniunctum à Confessario, ad quod aliunde non obligabatur, peccabit tantùm contra Religionem sacramenti, ad cuius complementum pertinebat satisfactio, & iniuncta pœnitentia. Ille etiam alter, cui quis vouit obedientiam, non propterea accipit iurisdictionem legislatiuam in vouentem, à quo potest quidem ratione voti, vel promissionis exigere fidelitatem & iustitiam; non autem imponere obligationem, v.g. temperantiæ, aut alterius virtutis, cuius actus imparat, vnde in ea violatione voti erit vnicum peccatum. Quia verò in Religione Superior habet veram potestatem legislatiuam, & iurisdictionis, dum imperat, determinat materiam virtutis & illius obligationem imponit, vnde exsurgit in subdito duplex obligatio; altera virtutis, cuius actus præcipitur; altera voti, & religionis. Simili ratione colligit Suar. *lib. 5. de voto. c. 3. n.* 11. eum, qui vouit actum ad quem aliunde non obligabatur, v.g. ieiunium sextæ Feriæ: non seruando votum, peccare tantùm vno peccato, contra religionem scilicet, ad quam pertinet votum, non contra temperantiam, quam vouerat, quia votum non est vera lex, sed tantùm promissio: vndè non imponit necessitatem nisi ratione fidelitatis proportionatæ ei, cui fit promissio, quæ in voto est fidelitas religiosa. Quare eius transgressio soli Religioni repugnabit, neque alia sibi ipsi voluntas potest necessitatem imponere.

Tertiò. Aliquando excommunicatio adiuncta prohibitioni nouam specie malitiam arguit, aliquando non: si enim excommunicatio non alio motiuo feratur quàm ipsum præceptum, ad cuius tantum firmitatem fertur, v.g. quia grassantur latrones, annectitur latrocinio censura ista ad iustitiam seruandam, latrocinium non habet duplicem malitiam: aliquando autem intuitu alterius virtutis additur excommunicatio,

nicatio, & percussioni Clerici ex iustitia vitæ propter Religionem & reuerentiam sacræ personæ. Ita Sanch. *lib. de mat. 9. d. 15. n. 5.*

7 Quartò. Qui violat votum, quod millies renouauit vno peccato peccat, sicut qui post confecta plura instrumenta eiusdem obligationis ea non seruat, vnicam obligationem propriè loquendo dissoluit. Ita Sanch. *d. 7. de matr. d. 27. n. 25.* & Suar. *lib. 5. de voto c. 6. n. 15.* cùm sit vnica promissio confirmata. Addit autem *n. 6.* neque eam exprimendam esse circumstantiam in confessione, quia non est notabiliter aggrauans, tantùm abest vt nouam specie malitiam inuehat. Immò & *n. 17.* votum de ieiunando, & votum seruandi prius votum, non constituere multiplicem obligationem, quia votum seruandi prius votum ieiunij, est tantùm iteratum ieiunij votum: qui enim vouet ieiunium, vouet in actu exercito se impleturum suum votum: ergo qui deinde vouet se seruaturum votum ieiunij, nihil aliud vouet quàm quod anteà vouerat, sed suum distinctius explicat. Idem dicendum est de te repetitis iuramentis promissa, quæ non obligat nisi vnicâ obligatione, ac proinde vnicâ transgressione violabitur. Ita Henriq. *lib. 5 capite 5. num. 6.*

8 Quintò. Sacerdos peccans contra castitatem quam ex voto, & Ecclesiæ constitutione seruare tenetur, non peccat duplici peccato, altero contra votum, altero contra Ecclesiæ legem obligantem ad castitatem. Ita Sanch. *lib. 5. in decalog. c. 6. n. 3.* quia Ecclesiæ constitutio hæc in parte est immediatè tantùm de emittendo voto castitatis à sacerdote, vt pluribus allatis Auctoribus probat idem Sanch. *lib. 7. de matr. c. 27. n. 14.* Sacerdos autem professus in aliqua religione non peccat etiam duplici peccato violando castitatem, neque vtramque illam circumstantiam exprimere in confessione tenetur, sed sufficit altera dumtaxat explicetur, vt rectè Sanch. *d. illa 27. n. 28. & 29.* & Sal. *d. 3. n. 21. tract. 13.* quia hæc vota vnicam Religionis speciem inducunt. Atque ex his etiam alia colligit Sanch. *ibid.* Primò professum aut in Societate IESV vota simplicia emittentem, fornicantem, teneri tantùm fateri, se emisisse votum castitatis, quia etsi solemne fuerit, solemnitas tamen non afferet vinculum alterius speciei. Secundò Sacerdos non tenetur fateri se Sacerdotem, sufficit si dicat se sacris ordinibus initiatum fuisse, aut etiam tantùm se voto castitatis fuisse ligatum, etsi ille esset Episcopus, quia illi inde nulla accedit specie distincta obligatio ad castitatem, sed ea tantùm quæ ordini sacro annexa est. Tertiò Religiosus professus, aut emissis votis simplicibus Societatis, aut Sacerdos qui vouit abstinere ab omni mollitie, aut pollutione, non tenetur aliud fateri quàm se votum castitatis emisisse, aliis illis qualitatibus omissis.

9 Sextò. Quando iuramentum voto adiungitur, duplex est obligatio, duplexque peccatum, quia licèt ad eandem Religionis virtutem pertineant, non eodem tamen modo; votum enim obligat ad seruandam Deo fidelitatem; iuramentum autem ne adducatur in testem falsitatis. Ita omnes.

10 Septimò. Qui titulo beneficij, & ordinis sacri, tenetur recitare horas Canonicas, omittendo dupliciter peccat, quia tenetur ad eam recitationem ratione iustitiæ propter beneficium, & religionis ratione sacri ordinis. Ita Sanch *lib. 9. de mat d. 15 n. 6.* contra Henric. *lib. 5. c. 5 n. 6.* & Azor. *tom. 1. lib. 4. c. 2. q. 6.*

11 Octauò. Coniugatus qui cum coniugata committit adulterium, tenetur vtramque illam circumstantiam fateri, quia est duplex iniustitia numero, cùm plures personas lædat, & cum quis vno ictu plures occidit. Sal. *d. 3 cit. n. 19.* Vasq. *d. 98. c. 3.* contra Emanuelem. Sa *vers. confessio 9.* Qui odit Deum cùm amare tenebatur, duplex peccatum admittit commissionis & omissionis; ita Pesant. *in q. 72. art. 6. d. 1.*

12 Nonò. Quod attinet ad circumstantias, in quibus & finem eatenus numero, eas aliquando mutare, aut addere speciem malitiæ docui *d. 5 tract. 1. §. 3.* semper autem vetitæ sunt peculiari aliquo præcepto, quando id præstant, maximè si se teneant ex parte actus, atque ita effusio seminis etiam occulta, in Ecclesia illam polluit, & sacrilegij turpitudinem habet, non tamen tactus, aspectus, & verba impudica, quia cùm non prohibeantur speciali præcepto, & illa loci circumstantia sit tantùm extrinseca, non est vndè habeant illam turpitudinem: quod fusè habet Sanch. *d. illa 15. lib. 9. de matr. à n. 18.* nisi desideria ista eò ferantur vt velint in Ecclesia sui consummationem.

Vnitas numerica malitiæ.

13 Differentia numerica peccatorum, & malitiæ ex tribus regulis, *alibi* explicatis, aut per se notis sufficienter traditur.

Prima. Quoties species malitiæ multiplicantur, toties sunt plures etiam indiuiduo, quia species non existit in rerum natura nisi in suis indiuiduis. Vbi igitur plures specie malitiæ concurrent iuxta ea quæ *paulò superius* disputata sunt, plures erunt numero peccata.

Secunda regola. Quoties actus malus interrumpitur tùm physicè, tum moraliter, quando deinde reponitur, est nouum peccatum numero: quandò verò contingit sufficiens interruptio, tum in actibus malis quæque interius consummantur, tum in iis quoque quæ ad opus externum prodeunt, longæ sunt tricæ *tract. 1. d. 5 sect. 5. in coroll.* extricatæ: neque hoc loco quicquam videtur addendum.

Tertia regula. Plures aliquando malitiæ solo numero diuersæ in eodem actu reperiuntur. Ita Azor. *tom. 1. lib. 4. c. 4. q. 4. & 5.* Less. *lib. de temperant. n. 74. c. 3.* Sanch. *lib. 9. de matrim. d. 15 n. 6.* Vasq. *in notis ad art. 7. disp. 73.* & *3. part. in q. 91. art. 1. dub. 4. n. 4.* Salas *tract. 13. d. 5 n. 65.* contra Suar. *d. 22 sect. 5. n. 34. tom. 4. in 3. p.* Probatur regula pluribus exemplis; qui enim vno ictu occidit tres homines triplicitee peccat: qui coniugatus alteram coniugatam constuprat, duplex peccatum iniustitiæ committit, qui simul sancto Petro, & sancto Paulo maledicit duo peccata eiusdem speciei admittit. Ratio est, quia entia relatiua & connotatiua, stante eodem fundamento multiplicantur, multiplicato termino, atqui actus moralis est tantùm fundamentum malitiæ, quæ est dissonantia quædam, obiectum externum respiciens tanquam terminum, eóque multiplicato, reuera multiplicabitur, vt patet in allatis exemplis, ipséque Suar. fatetur *tom. 5. in 3. p. d. 5 sect. 3. n. 13.* eum qui vno ictu occiderit tres Clericos, subiacere tribus censuris: cur etiam non erunt tria homicidia? Quoties itaque ratione damni pluribus illati actus habebit, peculiarem repugnantiam cum recta ratione, licet solo numero distinctam, toties erunt malitiæ plures solo numero distinctæ. Neque obiecta à Suar. difficilia sunt: primum enim quod ait plures simul numero bonitates non reperiri in eodem actu, vt patet in eo, qui vult dare decem pauperibus, alioqui qui vellet dare infinitis pauperibus, haberet infinitas bonitates, dilutum est *superiùs* vbi diximus, eum actum, si decem ita respiciat vt sit totalis respectu singulorum, habere decem bonitates, quæ multiplicantur pro numero consonationis cum

recta

recta ratione ad inuicem dependentium; non verò si sit tantùm partialis, quia nempè singulis volt tantùm dare partem boni totalis primò & per se voliti. Quandò autem infinita obiecta proponuntur, confuse tantùm attinguntur, & actus circa illa versans non est totalis respectu singulorum quæ tantùm confusè attingit: quare totus ille terminus confusus per modum vnius voluntati proponitur, quod etiam in actibus malis contingit: atque ita qui vult comburere domum, aut bibliothecam integram nihil distinctiùs cogitando, aut volendo, vnum tantùm numero peccatum admittit, sicut & qui multitudinem hominum indeterminatam occidere vult. Denique quod Metaphysica vetat, multiplicari accidentium individua in eodem subiecto, non agit de relatiuis, & connotatiuis, vt iam monui.



PRINCIPIUM VI.

Distinctio accidentalis malitiæ.

PLures differentias accidentales malitiæ enumerat Valent. *d.6. quæst.a.p.2.* ex S.Th. *q.72.* & *73.* Verùm aliquæ ex illis sunt etiam essentiales, & sufficienter attingentur alibi vbi malitiam in varia membra partiemur, itaque duo tantùm discrimina inter actus malos restant hoc loco examinanda. primum est connexio quæ videtur inter quædam vitia reperiri, secundum inæqualitas in grauitate, seu fœditate.

Connexio peccatorum, & malitiarum.

Quod attinet ad connexionem diuersarum malitiarum inter se pronuntiat S.Thom. *q.73. art.1.* peccata omnia non esse connexa, quoad actus suos, sicuti sæpiùs contingere videmus in virtutum actibus. Probat, quia plurima peccata sunt inuicem contraria, vt auaritia & prodigalitas. Secundò virtutes habent idẽ motiuum, in quod tendant, honestatem scilicet, & conformitatem ad rectam rationem: vitia autem non tendunt in vnam difformitatem cum recta ratione, aut recessum ab ea secundùm bonum aliquod delectabile, cui est annexa ea difformitas, quam tamen non intendunt. Cùm itaque bona ista commutabilia, ad quæ tendit peccator, sint obiecta & motiua omninò diuersa, non connectentur malitiæ, ratione motiui, quod S.D. explicat per accessionem à multitudine ad vnitatem, & recessum ab vnitate ad multitudinem: quæ enim tendunt ad vnitatem, in ea conuertuntur, vt vides lineas à diuersis partibus peryphariæ ductas in vnum centrum coire, cùm quæ à centro ad peryphariam protrahuntur, dispergantur quò longius absunt à centro; virtutum autem actus suos accessus à multitudine rerum creatarum ad Deum, qui centrum dicitur à Trimegisto; vitia è contrario ab eo summo vno ad creaturarum pluralitatem recedant; eodem pertinet quod habet idem S. D. *in resp. ad 3.* cùm ait, amorem Dei, qui causa virtutum est esse congregatiuum: amorem verò sui & omnium vitiorum parentem & Babylonis ædificatorem apud Aug. *lib. 14. de ciuit. c.28.* esse disgregatiuum, & dissipatiuũ affectuum hominis in plura. Neque obstat plures malitias simul aliquando in vno eodemque actu reperiri; aliud enim est connecti, aliud colligari: primũ enim significat quandam mutuam depẽdentiam, ita vt qui aliquid cùm altero connexum habet, vtrumque simul necessariò habeat; colligatio autem indicat tantùm coniunctionem quandam accidentalem, & non necessariam quam inter peccata reperiri docet experientia, neque eam negat S.Thom. & SS.PP. sæpius affirmant; nam aliquando in vno actu sunt plures difformitates vt in adulterio, intemperantia, & iniustitia, plura præcepta formaliter diuersa, aliquando vno opere violantur, vt occidans Clericum: vna etiam malitia, quandoque ad aliam trahit vt ebrietas ad luxuriam. Negauit S. Thom. dumtaxat cum, qui aliquid turpe committit, simul infici omnibus aliis vitiorum sordibus, cui repugnare videtur Iacob. 2. *Qui peccat in vno, factus est omnium reus*: sed omissis pluribus huius loci expositionibus, quas dabit Sal. *tract. 13. d. 4. n.3. & in comm. Iustinia.* S. Aug. *Ep.19.* illo vno vult intelligi charitatem, quâ violata, tota quoque lex violatur, cùm ab ea pendeat. Et sanè paulò *superius vers.7.* Iacob huius legis, quam regalem vocat, meminerat, & *ibi* disputat in eos qui pauperes despiciebant habent. Hanc interpretationem amplectitur Bellarm. *lib.1. de statu peccat. c.12.* S.Thom. *hic q.7. art.1. ad 1.* ait vnico peccato contemni Deum legislatorem, ac proindè reddi transgressorem & obnoxium pœnæ, cùm illum, qui totam legem tulit, contemnat: quod colligit Caietan. ex iis, quæ addit Iacob. *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit &, Non occides.* Placet expositio Vasq. *in not. ad cum art.* quam sumpsit ea Burgen. Iacobum nempe confutare errorem Pharisæorum, qui docebant sufficere legem pro maiori parte implere & cum, qui plura bona opera, quàm mala haberet, donandum beatitudine. Dicit igitur Apostolus, illum puniendum, qui vel vnum peccatum admiserit, quia reuera transgreditur legem, quam totam implere debuit. qui enim dixit, *Non mœchaberis*, dixit etiam, *Non furaberis*,

Fingi posset altera connexio peccatorum, videlicet quoad habitus quam Val. *q.3. p.1.* eodem modo concedit, atque inter virtutes nempè quoad confirmatum statum: sicut enim aliqui summam heroïcam, & exaggeratam virtutem habeat, & nihil contra eam admittat, reliquis omnibus virtutibus instrui debet, ita vt aliquis vitij statum obfirmatum & suo modo perfectum habeat, nullâ virtute ab vsu vitij recordari debet, sed omnium vitiorum exercitio reddi procliuis ad peccandum, ac proinde eorum omnium saltem compatibilium habitus habere, sed cum vitia se inuicem expugnent, poterit haberi summus habitus vnius vitij sine aliis, atque ita connexi necessariò non sunt, vt latè tradit Sal. *tract. 13. d. 4. sect. 2.* 5

Malitiæ inæqualitas.

Alterum discrimen accidentale malitiæ erat inæqualitas, de qua

Dicendum est dari malitias inæquales fœditatis genericæ, specificæ & indiuidualis, quarum indiuidualis ex circumstantiis desumpta nonnumquam specificã, atque ea obiecto deriuatam superat, ac proindè malitia inferioris speciei fœdior est malitia specificè grauiori: huius autem inæqualitatis fontes ijdem sunt qui ipsius malitiæ, obiectum videlicet, & circũstantiæ.

Dixi primò malitias esse inæquales grauitate, & fœditate contra Stoïcos, qui omnia crimina paria faciebant, quamvis in vno peccato plura aliquandò simul concurrere, vti in parricidio, fatebantur, vt ex *paradox. Tull. 3.* colligitur, & *in Stoba. Eclog. Ethicis. c.4.* vnde aliqui colligunt Stoïcos distinctionem, & inæqualitatem materialem peccatis tribuisse, non formalem, quatenùs peccatum, aut malitia est dissonantia

à lege, aut transgressio legis quæ in indiuisibili consistit, idque vnum probat ipsorum argumentum ductum à termino, & medio, extra quod non est, quisquis ab illo in alterutram partem deflectit, siue multum siue parum ab eo remoueatur, sicut non est verum vero verius, nec falsum falso falsius; concedebant tamen esse dissimilitudinem inter peccata, atque omnes qui mentiuntur non æquè mentiri, quamvis omne mendacium sit æquale mendacium, quidquid verò sit de Stoïcorum mente hanc sententiam ipsis tribuit Laert. in Zenone, & plerique Patres dum hæreticos quosdam eadem delirantes exagitat: in iis fuit Nouat. apud Ambr. *lib. 1 de pœnit. c. 1.* omnia peccata *paribus putans æstimanda mensuris.* Iouinianus apud Aug. *Epist.* 29. & Hieron. *lib.* 2. contra ipsum Pelag. teste Hieronym. *Dial.* 1. *&* 2. *cont.* quibus Vvicleff. Lutherus, & alij ex eadem ganea subscripsisse videntur dum negant peccati venialis, & mortalis discrimen ex natura rei apud Bellarm. *lib. 1. de statu peccati c.* 4. Reiiciuntur verò hi omnes primò quia sæpius scriptura distinguit crimina grauitate Ioan. 19. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Neque interest ad hoc negotium, qua ratione peccatum Iudæorum maius fuerit peccato Pilati, quâ de re plura Vasq *d.* 99. *c.* 1. Tolet. Ioan. 19. Aug. *tract.* 118. in Ioan. Cyrill. *lib.* 12. *c.* 22. & S. Gregorius *in Psalm.* 3. 1. *Cor.* 5. auditur fornicatio qualis nec inter Gentes. Hierem. 7. peius operati sunt quàm patres eorum. Iniquitas Israël & Iuda, magna est nimis valdè. Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*, quo loco triplicem ordinem grauitatis peccatorum distinguunt, cùm diuersas assignet pœnas: quid verò sit appellare fratrem suum Racha, & quid ea supplicia quæ comminatur Christus, vide Interp. & Bellar. *lib.* 1. *de statu peccati cap.* 9. Matth. 12. qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc sæculo, neque in futuro. Consentiunt PP. *ll. allatis* dogma istud hæreticorum conuellentes, & Concil. Tridentin. discrimen inter veniale & mortale peccatum constituens vt dicetur inferius. Totius denique humani generis sensus, vt ait Aug. *Epist.* 29. vnde diuersæ pœnæ diuersis criminibus assignatæ sunt apud omnes nationes. *Nam vt ferula cædes, meritum maiora subire verbera non vereor, cum dicas esse pares res furta latrociniis.*

6 Falsum autem est omnem à medio quod indiuisibiliter constat recessum æqualem esse, etsi omnis recessus non sit in medio: alius tamen est alio elongatior à medio: neque omnia mendacia sunt æqualia, quamvis omnia sint aberrationes à veritate, daturque falsum falso falsius, & verum verius vero vt agnouit ipsemet Arist. 4. *Met. c.* 4 *text.* 18. pluribus; *eum enim qui dicit quatuor quinque:* non tam mentiri putat, atque eum qui dicit esse mille; quod explicat Suar. *d.* 9. *met. sect.* 1. *n.* 4. de vna propositione dicitur alia minus falsa, quod aliquid admixtum habeat de veritate contraria, neque alia sit verior, quod minus falsitatis habeat, cum omnis propositio vera careat totâ falsitate, & propositio falsa dicat carentiam omnis omninò veritatis, in qua carentia omnia mendacia sunt æqualia, sicut & omnia vera inter se; quod non obstat intensioni veluti graduali quæ in veritate, & falsitate reperitur. Sicut licet omnis propositio certa excludat omnem dubitationem, & formidinem, vera tamen dicitur altera certior, non quoad carentiam formidinis, quam vtraque habet, sed ratione principiorum obiecti scilicet, & subiecti à quibus ea certitudo promanat, si etiam comparemus propositionem cum suo obiecto, hoc est cum extremis, aut connexa esse pronuntiat, aut negat: conformitas, aut difformitas propositionis obiectiuæ, & formalis consistit in indiuisibili, neque recipit maius, aut minus. Quia tamen in quibusdam ea conformitas propositionis cum obiecto immutabilior est, magisque repugnat vnam non conformari quàm aliam, & quæ fundatur in esse veriori, aut minùs impossibili, verior esse dicitur. Idem quoque illustrius apparet in recessu locali, & positiuo à termino, à quo magis differre dicitur qui longius, quàm qui propius est: cùm igitur malitia sit dissonantia, & recessus quidam à recta ratione, etsi omnis malitia carentiam conformitatis cum ratione dicat, vna tamen est elongatior quàm altera, quam fœdiorem, & turpiorem proindè appellamus. Scio quidem laborare eos qui rationem malitiæ in priuatione constituunt, in assignanda ista inæqualitate, vnde tandem Vasq. *d.* 99. à dissonantia positiua sumendum dicit, ipseque S. Thom. *q.* 73. *art.* 2. sed illud inferius à pluribus vrgebitur, mihi modo sufficit eam dissonantiam in qua formaliter constituimus malitiam, modo fœdiorem, modò minus fœdam posse esse, siue hoc habeat ratione maioris, & minoris rectitudinis qua priuat, quod difficile prorsus intellectu est, siue contrarietatis, & repugnantiæ cùm recta ratione, quam hactenùs dissonantiam appellauimus: id enim constabit ex dicendis.

Dixi secundò triplicem esse hanc turpitudinis moralis inæqualitatem secundùm rationem genericam, specificam, & indiuidualem, intra eandem speciem; quod pridem obseruarat Durand. *in* 2. *d.* 42. *q.* 8. qui tamen non placet quòd peccatum veniale, & mortale ponat sub diuerso genere, eo quòd mortale priuet rectitudine magis debitâ quàm veniale: cùm tamen aliquando hæc peccata solâ ratione indiuiduali differant, & sub eadem specie contineantur (vt patet in furto vnius oboli, & centum aureorum.) Deinde peccata mortalia distinguit grauitate Durand. quia aliqua proximè deordinant à fine, quem pro obiecto respiciunt, vt blasphemia, idololatria, & alia quæ immediatè versantur circa Deum: alia deindè peccata versantur circa proximum, eiúsque personam, v. g. homicidium & ea secundum grauitatis gradum obtinent, quia homo est finis sub fine. Tertio denique loco sunt ea quæ deordinant circa res exteriores, quia ea sunt tantùm circa media, & non nisi remotè circa finem, à quo tamen tota deordinatio sumenda est: quæ est etiam mens S. Thom. *quæst.* 73. *art.* 3. quod exemplo ægritudinis quæ grauior est quo magis repugnat principio conseruanti humorum commensurationem vt cordi, & aliis principibus partibus: finis autem est principium ex quo omnia agibilia ordinat recta ratio: quare quod immediatius opponetur fini, magis commensurationem cum ratione in qua bonum virtutis est, tollet, verum ea doctrina Duran. manet, quia assignat tantùm gradus genericos grauitatis, nam vt aduertit S. Th. etiam inter peccata quæ deordinant proximè à fine vltimo sunt inæqualia grauitate, & inter ea quæ committuntur in proximum, & quæ circa res externas quas ipse media appellat fiunt, vt experientia docet. Blasphemia enim grauior est leui aliqua irreligiositate: detractiò, & homicidium inæqualia sunt, sicut & furta. Quare hæc distinctio grauitatum eodem modo sumi debet atque *superiùs* distinctionem specificam, & essentialem malitiarum sumebamus, ex oppositione videlicet cum naturâ rationali, seu recta ratione practica, quæ tùm ex obiectis, tùm ex præceptis quæ per eos actus violantur nascitur, vti fuit explicatum, sensus itaque assertionis est, malitias essentialiter diuersas esse inæquales in ipsa ratione malitiæ, vt fur-

tum,

tum, & homicidium, quæ sub eadem specie subalterna iustitiæ conueniunt, & in specie atoma differunt, & aliæ malitiæ differunt toto genere, vt quæ immediatè versantur circa Deum, & quæ circa proximum, aliæ solo indiuiduo in eadem specie infima, vt duo homicidia, duo furta, in quibus omnibus inæqualem fœditatem reperiri, quæ hactenùs dicta sunt satis docent: etsi enim sit vna, regula rationis, à qua dissonat formaliter malitia, ea tamen vt optimè vidit idem Durand. *loco citato n.* 8. non est circa vnam dumtaxat materiam, & magis seruanda est in vna quàm in alia, & maior est transgressio in vna quàm in alia; sicut si omnes lineas trāsilire prohibitū esset, peius esset transgredi eam cuius transgressioni esset inflicta pœna capitis, quàm si sub leuiore aliqua tantùm mulcta iodicta esset. Deinde regula rationis etiam circa eandem materiam plura respicit, cum honestas virtutis, & bonum, ex obiecto, & omnibus circumstantiis ea surgat. Quare maior est difformitas, & transgressio quandò omnes circumstantiæ violantur quàm si vna tantùm, aut altera, aut si obiectum malum sit, & omnes circumstantiæ seorsim sumptæ honestæ, quamvis ex consortio obiecti mali quod vestiunt, inficiantur.

8 Dixi tertiò aliquandò malitiam, quæ reperitur in actu inferioris speciei, esse deteriorem eâ, quæ in actu superioris speciei est, v.g. peccatum quod opponitur ignobiliori, grauius aliquando esset eo, quod opponitur virtuti nobiliori, peccatum minùs fœdæ speciei ex circumstantiis adeò nonnunquam crescere, vt superet grauitatem alterius, quod pertinet ad speciem essentiâ suâ fœdiorem: quamvis enim numericæ istæ malitiæ, si secundùm rationes essentiales & primas ex obiecto secundùm se considerato sumptas spectentur, sint grauiores indiuiduo teterioris speciei subiecto, & contento in specie, fœdiori generi subtracta tamen ex annexis circumstantiis tanta difformitas emanat, tantáque fœditas profluit, vt faciant dissonantiam cum recta ratione turpiorem multò quàm ea, quæ reperiebatur in obiecto ex sua natura magis fœdo, ac proinde magis Numen offendant, & grauiore plerumque supplicio puniantur. Ita Sal. *tract.* 13. *d.* 5. *n.* 13. *&* 14. & Suar. *d.* 16. *de fide, sect.* 1. *n.* 6. *& lib.* 3. *de iuramento, c.* 3. *n.* 10. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 19. *q.* 4. contra Vasq. *in not. ad art.* 3. *&* 4. *d.* 74. & Curiel. *in eosdem art. ad* 4. peccatum enim culpabilis ignorantiæ fidei quod in homine fideli reperitur, leuius est homicidio, aut sporciciis contra naturam admissis, licèt fides sit virtus nobilior iustitiâ, aut castitate: veritas nobilior est temperantia, & tamen ebrietas grauior est mendacio: timiditas leuius est peccatum intemperantiâ ex S.Thom. 2. 2. *q.* 142. *art.* 3. licèt fortitudo sit nobilior virtus temperantiâ, fornicatio, quæ opponitur temperantiæ, est grauior furto, vt ait S.Th. *eadem* 1. 2. *q.* 154. *art.* 3. cùm tamen furtum virtuti omnium nobilissimæ, scilicet iustitiæ repugnet. Deinde optimè vrget Gab *in* 4. *d.* 39. *q.* 5. *art.* 3. *dub.* 4. ex eo quòd violatio diei festi operando seruiliter sit minus peccatum homicidio, quod tamen est tantùm in secunda tabula. Itaque verum non est peccatum oppositum nobiliori virtuti, cuius honestatem, & rectitudinem tollit esse semper absolutè fœdius peccato quolibet inferiori virtuti contrario. Rationem reddit Suar. *ll. cc.* quia quælibet virtus habet plures actus inæqualis perfectionis, & specie distinctos, vnde fieri facile potest vt nobilissimus actus virtutis inferioris excedat dignitate infimum actum virtutis nobilioris, vt etiam contingere in speciebus naturalibus sub inæqualibus generibus contentis existimant præter Suar. *l. c. & lib.* 6. *de gratia cap* 13. *n.* 11. *& d.* 35. *Met. sect.* 2. *n.* 31. Molin. 1. *p. q.* 10. *art.* 5. *d.* 2. *conc.* 3. *ad* 2. Victoria, & Canus apud Ban. 1. *p. q.* 5. *art.* 1. quibus consentit ipse Ban. probabile existimans cœlum nobilius esse quolibet viuente vnico homine excepto. Val. 1. *p. d.* 1. *q.* 3. *p.* 6. *&* 1. 2. *d.* 8. *q.* 4. *p.* 1. Cùm igitur peccatum grauius, aut leuius dicatur pro oppositione, quam habet cum nobiliori, aut ignobiliori virtute, sumenda est ea oppositio secundùm actum virtutis, cui directè opponitur actus malus; quare cùm actus nobilissimus virtutis ignobilioris, sit nobilior infimo actu virtutis superioris, vt dixi, peccatum huic actui inferioris virtutis oppositum erit fœdius illo, quod opponetur actui infimo nobilioris virtutis. Ratio à priori est: quia nullus actus malus opponitur adæquate tali virtuti contrariæ; sed tantùm alicui eius actui, sicut etiam nullus actus bonus totius virtutis ad quam pertinet amplitudinem attingit: atque hinc tantùm haberi potest, peccatum maximum in specie superiori esse fœdius quolibet peccato inferioris speciei, & illud quod opponitur nobilissimo actui superioris virtutis esse quoque grauius eo omni, quod actibus etiam nobilissimis virtutis inferioris repugnat, atque ita seruatur veritas vulgati axiomatis à S. Thom. & Aristotele vsurpati, quod vnum ferè nobis obiiciunt aduersarij, illud peius esse quod meliori, & maiori bono opponitur: dico tamen ita se habere hanc minorem, aut maiorem fœditatem actus praui, si sola ratio specifica, quæ ab ea oppositione cum virtute contraria consideretur: nam in indiuiduo ob varias circumstantias quæ malitiam ex obiecto desumptam non mutant, sed augent tantùm, potest adhuc ita crescere ista grauitas, vt superet indiuiduum alterius speciei, cùm peccatum grauioris teteriorísque speciei sæpè sit tantùm veniale, & peccatum inferioris sit aliquandò mortale, vt de exigua, & leui aliqua distractione inter orandum, & verbo detractorio patet.

Quartò, assignaui fōtes huius inæqualitatis hos ipsos, à quib. primaria malitia profluit, obiectū videlicet & circumstantias, quia vt se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. In omissionib. igitur ducenda est grauitas ex forma quā remouet, seu, ex actu præcepto, qui omittitur spectata maiori, aut minori obligatione, qua tenebamur operandi aduertentia, voluntate, causis remouentibus, & impedimentis & cætera dispositione omittentis, tum an fuerit pura omissio, an per priorem, aut comitantē volitionem volita; hinc enim etiam aliqua fœditas profluere poterit. 9

Igitur quoad omissiones spectandum est imprimis obiectum, à quo est primaria, & specialis malitia, vt ait S.Thom *q.* 73. *art.* 3. non quia ea malitiam omnem aliam in eundem actum aliunde deriuatam superet (id enim falsum esse ostendimus) sed quia intima est & inseparabilis ab actu, qui exerceri nequit à sciente & aduertente circa tale obiectum, quin ab eo malitiam totam hauriat, & substernitur malitiæ, deinde à circumstantiis accidenti, sine qua hæc primaria consisteret; neque crescit ipsa in se intensiuè ex alterius consortio, sed ex duabus illis fit vna maior malitia actus.

Considerandæ igitur circumstantiæ secundo loco 10
non illæ genericæ quæ cum omni actui malo intimæ sint, & veluti essentiales, peculiarem malitiam conferre nequeunt; de his autem olim fusiùs disputatum: nunc autem indico paucis dumtaxat cum Valent. *q.* 3. *d.* 6. *p.* 3. singillatiùs eos fontes, à quibus impuri isti latices scaturiunt.

Primò igitur ab obiecto sumenda est primaria grauitas malitiæ, vt monuimus cum S.Thom. *art.* 3. *q.* 13. Secundò ex dignitate virtutis cui opponitur actus

malus, modo hactenùs explicato. Tertiò ex conditione & natura ipsius peccati, vnde peccata spiritualia grauiora putat S. Thom. *art.* 5. *q.* 73. peccatis carnalibus, qua de re *infrà* ex causa peccati: peccatum enim ex malitia grauius est, quàm ex passione, aut ignorantia ex *art.* 6. quia hæc posteriora peccata minùs libera sunt, minúsque voluntaria. Quintò ex dignitate personæ in quem peccatur, quare peccata in Deum quandam infinitatem participant, & ea quæ fiunt in personas Deo coniunctiores. Ita S. Thom. *art.* 9. quia persona est quodammodò obiectum. Sextò ex dignitate personæ peccantis qui cùm plura Deo debeat, grauiùs in illum quoque peccat: quod S. Thom. *art.* 10. intelligendum monet de peccato ex scientia certa commisso, primò quia facilius ea persona resistere poterat. Secundò maior est eius ingratitudo. Tertiò specialem habet repugnantiam sæpè cum eo acto, vt princeps cum violatione iustitiæ. Quartò ob exempli prauitatem: peccatum autem quod ex infirmitate subripit minus digniori personæ maiorique virtute præditæ imputatur, quia minùs eiusmodi peccata cauere negligit, quare minùs voluntaria sunt. Septimò ex nocumento per actum malum proximis illato, quandò illud ad culpam imputatur, qua de re *alibi* ex arctiori legis vinculo secundùm intentionem legislatoris. Nono ex intentione, & continuatione actus. Decimò ex loco & aliis circumstantiis, iuxta regulas olim traditas.

PRINCIPIVM VII.

Distinctio malitiæ mortalis, & venialis.

1 DICENDVM est dari discrimen ex natura rei, & non solùm ex Dei beneplacito, aut destinatione ad pœnam, aut non imputatione, non tamen essentiale discrimen esse inter malitiam mortalem, & venialem: quæ posterior malitia ratione obiecti vel materiæ, vel modi quo fit est leuis tantùm inordinatio, neque Dei amicitiam dissoluit, idem actus ex mortali fieri potest venialis, & venialis in mortalem euadere: incertum est an potuerit reperiri in Angelis & in Adamo innocente; re autem ipsa sæpiùs est cum solo originali. Prima parte huius assertionis statuo discrimen inter peccatum mortale & veniale ex ipsa natura rei petitum.

Dantur peccata venialia.

2 Reiiciò imprimis Iouinianum, & Pelagium, quos paritatem omnium peccatorum, Stoïcorum more induxisse *suprà* retulimus. Secondò reiicio Vvicleff. qui apud Vvaldens. *tom.* 2. *de Sacrament. c.* 154. omnia peccata mortem æternam mereri asseruit illámque reipsa in reprobis illis rependi, non autem in electis, in quibus idcircò omnia dicuntur venialia, quia in illis veniam & condonationem reipsa consequuntur. Tertiò Lutherum, qui *lib. de captiuit. Babylon. cap. de baptis.* ait omnia peccata condonari & nulla imputari credentibus; nullum autem non credentibus condonari, ne proindè omnia peccata esse venialia, vnâ exceptâ infidelitate. Quartò Caluin. *lib.* 3. *instit. cap.* 2. §. 11. omnia peccata, quæ fiunt ab electis post fidem susceptam esse venialia: quia manent cum fide, quæ semel habita deperdi nequit. Reiicio quintò Gerson. qui *tract. de vita spirituali lect.* 21. ait, omne peccatum æternam pœnam mereri, aliqua tamen esse tantùm venialia ex mera Dei misericordia statuentis ne pœna nisi temporali plecterentur. Hanc opinionem refert Almain *tract.* 3. *moral. c.* 10. nec enim reiicit, atque argumentis contra eam adductis conatur satisfacere, quare & in eam inclinare videtur; quam sententiam plurimi temerariam nominant apud Vasq. *d.* 142. *c.* 2. & Petrus Soto *lect.* 6. *de discrimine peccat.* Stoïcorum errori proximam eo quòd cùm dicat Gerson omnia peccata cùm sint offensæ Dei habere infinitam malitiam & inter infinita non sit maius, aut minus, sequatur ex mente Gersonis omnia esse paria; qui non rectè satisfacit inter infinita esse inæqualitatem: nam linea infinita non æquabitur superficiei infinitæ, quia in superficie infinita est duplex infinitudo, altera longitudinis, altera latitudinis; & in linea est solùm infinita longitudo, quæ omninò æquabitur infinitæ longitudini superficiei. Neque potest admitti vnum infinitum altero maius, qua parte vtrumque est infinitum, nisi admittatur infinitum clausum terminis, quod ipsi notioni infiniti repugnat; quæ omnia *alibi* suis locis sunt demonstrata. Verùm licèt hæc sententia errori Lutheranorum, & Caluinistarum fauere videatur, longè tamen alia fuit mens Gersonis viri maximè pij, & Catholici quam eorum Ganeonum, quos accuratè confutarunt Bellarm. *lib.* 1 *de statu peccati à cap.* 6. *ad finem*, Staplaton. *lib.* 12. *de iustific. toto*, & alij passim. Et sanè Adami inobedientiam, Dauidis adulterium, & homicidium, & Petri negationem, grauissima fuisse peccata, atque illis imputata, cùm tam diris pœnis castigata fuerint, negare non possunt Vvicleff. & Caluin. & tamen hi omnes electi & prædestinati fuerunt, quibus etiam exemplis confutatur Lutherus, qui grauia peccata negat cum fide consistere, ac consequenter solam infidelitatem esse graue peccatum: neque enim adulterum Dauidem dicet infidelem. Secundò Scriptura apertè meminit peccatorum grauium, quæ animæ mortem inferant, & leuium etiam quæ in iustis vnà cum gratia & charitate reperiantur. *Matth.* 5. vbi varias pœnas assignat, *Qui dixerit fratri suo, racha, reus erit consilio: qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*, *Lucæ* 6. Alia comparat trabi, alia festucæ, *Matth.* 12. de omni verbo otioso monemur esse reddendam rationem in die iudicij: quis tamen dicat ob ea solum verba damnandum aliquem, cùm soli operarij iniquitatis amandentur in ignem æternum? Paul. *ad Ephes.* 5. singillatim enumerat crimina quæ excludunt à possessione regni Dei, neque distinguit inter fideles, aut non fideles, debuissétque breuiùs dicere nullum peccatorem possessurum illud regnum, aut solum infidelem ab eo excludendum. Denique celebris est locus eiusdem Pauli 1. ad Cor. c. 3. *Si quis superædificat supra fundamentum hoc*, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum stipulam *vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem.* Ex quo loco primò colligunt DD. Purgatorium, vt latè Suar. *tomo* 4. 3. *p. d.* 45. *sect.* 1. *n.* 14. & Bellarm. *lib.* 1. *de Purgator.* c. 4. Secundò, colligunt peccata venialia cùm S. Th. *hic q.* 89. *art.* 2. atque omissis variis interpretationibus, quas dabunt Interp. tum Pauli ipsius, tùm S. Th. placet Vasq. expositio *l. cit.* cui etiam valdè fauet Serrarius *in comm. M. S.* agere Paulum de prædicatoribus, non qui malam doctrinam, & hæreticam, Christo eiusque fidei tanquam fundamento à se iacto superstruxerint, sed qui bonam doctrinam non benè

benè, sed vanitate quadam & curiositate proponerent fidelibus probandam, nempè esse illud concionatoris opus per ignem diuini iudicij & Purgatorij etiam, & saluandum quidem Prædicatorem, sed per ignem; quod non conueniret falsam doctrinam proponenti. Cùm igitur Paul. obiurgasset Corinthios quasi carnales propter contentiones, & schismata quibus distrahebantur, cùm alij dicerent se esse Pauli discipulus, alij Cephæ, alij Apollinis, ostendit nihil conferre aut Paulum, aut Apollinem, sed solum Deum, cuius sunt ministri aut adiutores: & licet alius fundamentum posuerit, alius superædificauerit, vnus plantarit, rigarit alter; nullam hac in parte esse differentiam, cùm omnis fructus sit à Deo, & quisque sit mercedem suam accepturos commensuratam labori quem in hoc diuino ministerio exhibuerit, & sicut qui supra firmum fundamentum ædificarit aurum, aut lapides pretiosos etsi tota domus conflagret, non peribit, quod ex auro & argento aliáque eiusmodi materia flammis impervia extructum fuerit. Ita qui vtilem & sanam doctrinam Christi ædificauerit, super eam quam tanquam sapiens Architectus vt ego, qui Christum ipsum, vt fundamentum posui in cordibus vestris, accipiet mercedem: eius enim opus districto Dei iudicio examinatum permanebit. Qui autem fœnum, & stipulam firmissimo licet fundamento superstruxerit, admoto igne totum illud ædificium conflagrabit; ita qui inutilem & vanam doctrinam supra Christi fundamentum prædicatione ædificauerit, igne diuini iudicij consumetur: inutilis enim, & vana tota ea ædificatio reputabitur, atque ipse doctor & faber quòd male ædificauerit, punietur, non quidem æternâ pœnâ, sed ita vt per ignem incolumis purgatus tamen euadat. Hanc expositionem pluribus etiam firmat Iustinian. *in Com.* ex quibus habemus dari aliqua peccata venialia, quæ igni facile consumantur, atque ideò fœno, & stipulæ comparentur, cùm mortalia & grauia plumbo, & ferro comparentur, vt obseruat Gregor. *lib.* 4. *Dialog. c.* 39. His adde Prouerb. 24. 16. *Septies in die cadit iustus.* & 1. Ioann. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Consentiunt omnes Patres quos dabunt laudati Auctores. Quæ autem obiiciunt aduersarij, nullius momenti sunt: nam vel de grauiori peccato agunt, vt Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* ad Roma. 6. *Stipendia peccati mors,* vbi de Idololatria, & aliis sceleribus loquitur Ezechiel: Paul. autem de immunditia, vt patet ex præcedentibus, aut de venialibus purgandis ante ingressum cœlestis Sionis, in quam nihil inquinatum intrabit, vt illud Ioan. 13. *Si non lauero te, non habebis partem mecum:* si eam pedum lotionem de abstersione peccatorum & affectuum cum Aug. interpretemur, vnum illud videtur esse difficile, quòd dicat Christus Matth. 5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum:* vbi etiam minima peccata viam regno obstruere indicat. Et sanè cùm impediant impletionem primi & summi mandati dilectionis diuinæ ex toto corde, id æquum videtur.

Respondeo tamen per minima mandata non intelligi leuia quædam, quorum transgressio sit venialis tantum, sed mandata quæ ipse Christus imponebat, maximè quod ad actus internos, quæ præcepta minima existimabant Pharisæi: docebant enim homicidium, adulterium, & eiusmodi alia crimina externa, esse quidem mala, sed actus internos parui faciebant: dilectio autem Dei super omnia solo peccato mortali impeditur.

3 Ex his verò sequitur, non tantùm dari peccata mortalia & venialia etiam in electis & prædestinatis, sed etiam ea ex natura rei inter se differre, quod negasse videntur aliqui Catholici: quia non potest reddi vlla ratio propter quam diuinam amicitiam non dissoluant, & aliqui actus mali pœnam æternam non patiantur, nisi quia reipsa leues sunt culpæ. Sicut enim inter homines quælibet offensa non dissoluit amicitiam: ita neque inter Deum. Neque dicas, Deum ita destinasse: cùm enim sit æquissimus, & pœna debeat crimini respondere, cur aliqua crimina æternis cruciatibus, alia temporalibus tantùm plecteret, si omnia forent æqualia? pœna enim supponit condignitatem, quod autem aliquando peccatum veniale mortali coniunctum æternùm puniatur, hoc est per accidens: & quamvis etiam de ea re sit difficultas *alibi* examinanda, malè autem Almain. ait maiorem esse malitiam leuissimæ huius noxæ, quàm sit reatus & obligatio ad pœnam, quam ipsi destinauit Deus, quia fugienda est quælibet culpa præ quocumque incommodo & puniri etiam potuit à Deo quacumque pœna, quæ semper minor erit priuatione visionis beatificæ, quam saltem ad tempus retardat. Quorum omnium ratio à priori est malitiæ infinitas, quæ ratione personæ offensæ in qualibet culpa legem Dei violante reperitur, vnde addit Almain. implicare contradictionem quodlibet peccatum non esse infinitæ malitiæ, cùm sit offensiuum Dei. Et confirmauit à contrario: nam quodlibet bonum opus, v.g. calix aquæ frigidæ pauperi exhibitus, meretur vitam æternam: ergo & quodlibet malum opus pœnas æternas, quamquam suauissima Dei misericordia eas tam atroces pœnas grauioribus tantùm quibusdam culpis destinarit.

Respondeo, reatum pœnæ esse effectum consequentis malitiæ, ac proinde ipsi proportionatū; quare falsum est leuissimam etiam malitiam esse maiorem reatu pœnæ ipsi destinatæ, neque excessus malitiæ supra omnem pœnā rectè colligitur ex eo quòd quodlibet nocumentum subeundum sit potiùs, quàm admittenda culpa venialis: cùm enim culpa sit aliquid essentialiter illicitum, nullâ occasione licitum reddi potest: alioqui desineret esse culpa ac proinde nihil ad eam admittendam cogere potest. Falsum etiam est, Deum pœnam æternam & maximam infligere posse pro leuissima culpa per modum pœnæ, & iudicis quamvis ratione supremi dominij id posset. Neque meretur culpa leuis priuationem visionis beatificæ, sed solum eam impedit, aut retardat, atque, vt ait Vasq. *d.* 142. *n.* 9. iustus decedens cum peccato veniali cùm sit filius, & habeat ius ad hæreditatem, non potest ad illam habere impedimentum perpetuum; quare postulat purgari aliquando. Salas autem *tract.* 13 *d.* 16. *n.* 24. negat breuem carentiam visionis beatificæ esse maiorem pœnam quibuslibet aliis, alioqui non liceret optare dilationem mortis ac consequenter visionis beatificæ ad bonum aliquem finem: malitia infinita nequidem propriè est nisi secundùm quid in peccato mortali, multò minùs in veniali, vndè neque ad eius deletionem opus est infinitè detestari illam. Denique minimum opus factum ex charitate meritorium est, quia ratione principij à quo elicitur transfertur in ordinem quendam altiorem, & supernaturalem à quo sumit proportionem cum beatitudine, & illius condignitate, sicut omnia Christi opera ratione vnionis ad diuinum ordinem efferebantur, & infinitè meritoria reddebantur; vndè enim sequitur minimam noxam dignam esse pœna infinita?

In quónam peccatum mortale differat à veniali?

5 Dixi secundò hoc discrimen malitiæ mortalis, & venialis, quod neque ex diuina deputatione, neque ex extrinseca aliqua conditione, sed ex natura rerum petitur, non esse essentiale, sed tantum accidentale, hoc est has malitias si præcisè secundùm rationem venialis, & mortalis spectentur, differre tantùm secundum maius, & minus, grauitatem, & leuitatem, non autem secundum aliquid essentiale: quod vt distinctè probetur & variæ sententiæ capiantur, inquirenda est prima radix differentiæ harum malitiarum, seu peccati mortalis à veniali.

Primò igitur aliqui penes reatum pœnæ distinguunt, quia pœna æterna debetur mortali, non veniali: verùm ea differentia prima non est, debitum enim illud pœnæ diuersæ, diuersam quoque malitiam supponit non facit, & in eadem specie malitiæ reperiri potest, vt ait S. Thom. *q. 72. art. 5. ad 2.*

Secundò distinguunt alij, quia mortale peccatum est contra legem, veniale autem est tantum præter legem; sed & veniale repugnare legi, & tantùm dici præter legem quod fini legis, qui est dilectio, non opponatur, cùm reperiatur saltem cum dilectione habituali *alibi* dictum est, neque immoror in subtili distinctione Caieta. *in art. 1. q. 88.* scilicet veniale esse tantùm contra legem secundùm quid, & mortale esse contra legem simpliciter.

Tertiò Scot. *in 2. d. 21. q. 1. §. Dico ergo*, ait peccatum mortale esse deordinationem à fine oppositam ordinationi sine qua finis non potest haberi, & quæ vim præcepti obtinet: veniale verò esse deordinationem oppositam ordinationi, sine qua finis haberi potest, sed tamen est vtilis & vim tantùm consilij habet. Scot. ferè exscripsit Gab. *in 2. d. 22. q. 1. art. 3. dub. 1 littera G.* quod amplius replicat *in 4. d. 16. q. 5. art. 1. not. 1.* subscribit Bassolis *in eamdem dist. q. 1.* sed facilè reiicitur hæc sententia, quia iam ostendimus peccata venialia esse contra legem; & quia non seruare consilia, v.g. non esse Religiosum, non seruare virginitatem, sed nubere, nullum peccatum est: neque dicas nolle seruare consilia esse peccatum veniale: Respondet enim Vasq. *d. 143. c. 1.* & Curiel in *art. 1. q. 88. dub. 3. §. 2.* nulli posse displicere consilium, quia bonum est, sed propter incommoda, & difficultates ipsi annexas, posseque sibi complacere in obiecto opposito, v.g. non esse Religiosum, quod est quid indifferens: quare à motiuo suam bonitatem, aut malitiam trahet.

Quartò alij volunt peccatum mortale esse inordinationem circa finem vltimum à quo auertit, veniale autem circa media, seu ea quæ sunt ad finem; quod se colligere putant ex S. Thom. *q. 72. art. 5. & q. 88. art. 1.* verùm optimè Val. *d. 6. q. 18. p. 1.* Vasq. *d. 143. c. 1.* Curiel *in eum art. 1. q. 88.* Salas *d. 16. tract. 13. n. 58.* aduerterunt aliam fuisse mentem S. Doctoris locis citat. cùm *q. 78. art. 5. ad 1. & 2.* dixerit posse esse hæc peccata eiusdem speciei, ac consequenter circa idem obiectum versari, quod exemplo adulterij & primi motus eius ostendit. Sensus itaque est malitiam mortalem importare inordinationem auertentem ab vltimo fine, & consequenter irreparabilem, quantùm est ex parte principij intrinseci; sicut mors, quia procedit ad destructionem principij vitalis, irreparabilis est secundùm naturam; principium autem totius ordinis in moralibus est finis vltimus à quo auertimur peccato mortali, quia tollit charitatem, qua illi fini vniebamur: malitia autem venialis quia non habet inordinationem à fine, neque auersionem ab eo, cùm non tollat principium, est reparabilis: quia tamen à fine cōsequendo retardat, dicitur esse auersio ab iis quę sunt vtilia ad finem, quare quoties non tollit finem circa quodcumque obiectum fiat, dicitur culpa venialis, vt obseruat Caiet. in *comm. art. 5.* quare non erat quod deindè in *art. 1. q. 88.* vti & Conrad. distinguerent de veniali ex genere suo, & per accidens, ex leuitate malitiæ, & defectu deliberationis, quod prius illud nunquam sit circa finem, sed solum circa media, & de hoc tantùm egisse S. Th. quia cùm doctrinam generalem tradat S. Doctor, & distinguat peccatum mortale à veniali, omnia venialia debuit comprehendere; quod etiam fecit, vti à nobis est expositus, ait enim culpam venialē non auertere à fine vltimo, priuando nos habituali coniunctione cum illo, ac proinde non esse reparabilem: mortale autem simpliciter à fine auertere eiusque inordinationem summam esse, cùm tollat primum ordinis moralis principium, scilicet finem; vndè ea culpa irreparabilis est, sicut qui errat in primis principiis impersuasibilis est: qui autem adhuc ea retinet per eadem reuocari ad sanam mentem, & errorem dedoceri poterit.

Quintò Suar. *hic tract. 5. d. 2. sect. 2. & 4.* & Becan. *tract. 2. c. 2. q. 2.* peccato mortali tribuunt deformitatem quandam in ordine ad Deum, & vltimum finem distinctam ab ea quam habet ex obiecto, & qua caret peccatum veniale: licet enim non habeat debitum ordinem ad vltimum finem (actus enim venialiter malus, est inordinabilis ad vltimum finem) ea tamen carentia communis est omni peccato, cui vt fiat mortalis, accedat necesse est offensio quædam vltimi finis, & amoris illi debiti, quæ consistit in contemptu quodā virtuali illius vltimi finis; vndè colligit hanc deformitatem primò esse reuocandam ad speciem malitiæ odij Dei, eo modo quo malitia omnis quæ ex circumstantia indirectè volita oritur, ad illud vitium reducitur ad quod pertineret si fuisset directè volita; honestas autem diuinæ amicitiæ debetur conditionatè cuilibet actui humano: si enim homo operetur, tenetur sua actione non lædere diuinam amicitiam.

Colligit secundò hanc deformitatem quæ peccatum mortale, vt sic constituit, diuersam esse ab ea quæ sumitur ex obiecto; quia hæc postrema est contra rationem vt est regula iustitiæ, temperantiæ, aliarumque virtutum, prior illa est contra rationem eandem rectè dictantem de amore & existimatione vltimi finis habenda. Quare & quodammodo infinita est & ad auersionem propriè spectat, cum malitia ex obiecto sit omnino finita, & primariò ad conuersionem spectet.

Colligit tertiò omnia peccata mortalia, vt mortalia, habere quandam deformitatem eiusdem speciei, in qua conueniant, licet in malitiis ex obiecto deriuatis disconueniant; atque ita exponit Suar. illud Iacobi, *Qui peccat in vno, factus est omnium reus*; additque odium Dei formale vnam tantùm habere malitiam deordinationis, sed perfectissimam quæ duplici illi quæ in reliquis peccatis mortalibus reperitur, æquiualeat, quia directè fertur in ipsam auersionem, quamquam quia ex aliquo inordinato amore procedit, continet etiam virtute malitiam, quæ ex conuersione ad obiectum malum, & commutabile in aliis peccatis oritur.

Quartò colligit Suar. separabiles esse has deformitates; nam posita ignorantia inuincibili Dei, & vltimi finis in eo qui tamen sciat adulterium esse malum morale, actus ille haberet totam deordinationem ex obiecto sumptam, non tamen eam quæ con-

stituit peccatum mortale, & auersionem ab vltimo fine continet.

Colligis quintò, peccatum mortale, & veniale distingui specie, quanquam in malitia deriuata ex obiecto proximo possint conuenire vt in furto paruo, & magno patet, diuisionémque peccati in mortale, & veniale esse analogi in sua analogata, cum veniale non nisi imperfectam rationem peccati participet cùm deordinationem quæ sit virtualis contemptus, & odium vltimi finis, non contineat, cùm versetur vel circa res quæ non sint media simpliciter necessaria ad obtinendum vltimum finem, aut eius amicitiam conseruandam, vel ratione indeliberationis, & subreptionis non sit actio perfectè humana.

5 Reiicitur tamen à Coriel *in art. 2. q. 88. in comm. §. 2.* & Sal. *d. 16. tr. 13. n. 60.* qui refert etiam Zumel. *in art. 2. cit.* Ratio est, quia auersio ab vltimo fine, contemptus virtualis, & odium Dei, ex quo sequitur dissolutio eius amicitiæ in peccato mortali, fundantur in obiecto, vel modo procedendi peccati mortalis: quia videlicet obiectum magis contrarium est rectæ rationi, à qua repugnantia habet turpitudinem, coniunctionem cum vltimo fine dissoluentem, & circa tale obiectum ex plena rationis deliberatione versatur animus; quæ quia non reperiuntur in peccato veniali, cuius materia aut leuis est, aut si grauis est, ad eam imperfecto quodam modo neque omninò humano per subreptionem & deliberationem tantùm inchoatam tendit. Ideò inest contemptus & auersio grauis à fine, tollens coniunctionem cum ipso; hic autem excessus peccati mortalis supra veniale, in quo fundatur grauitas inordinationis eius, est tantùm secundùm maius & minus, ac proindè discrimen essentiale nequit inuehere, maximè si loquamur de iis quæ sunt venialia tantùm ex leuitate materiæ, & defectu plenæ deliberationis, non negamus enim ea quæ sunt venialia ex suo genere & obiecto differre specie à mortalibus ex suo genere, cùm habeant obiecta specie diuersa, ex quibus consequenter nascuntur connaturaliter deordinationes specie diuersæ, licet addita circumstantia, augente, aut diminuente, augeatur aut diminuatur ea deordinatio, ita vt mortale fiat veniale, & veniale mortale, vt *inferiùs* dicemus, quod sufficit vt negemus rationem malitiæ mortalis vt sic, esse essentialiter diuersam à veniali. Deindè cùm secludi possint duæ malitiæ, quæ in quolibet mortali reperiuntur ex aduersariis, quæro, an sepositâ deformitate odij Dei virtualis ab admissio, eius malitia sit adhuc grauis, an non? Si primum, ergò distinguitur à veniali etiam seclusa malitia mortali, & grauem deordinationem, atque adeò ipsam auersionem ab vltimo fine retinet, quia eo ipso quòd illud obiectum fundet grauem dissonantiam cum ratione recta, fundat quoque inordinabilitatem ad vltimum finem, aut potius auersionem ab ipso, & contemptum virtualem Dei legislatoris, cuius lex per legem naturalem, quæ est ipsa recta ratio, vt olim diximus, nobis promulgatur: quare ea deformitas auersionis & contemptus virtualis ac iniuria, implicita Dei vt supremi domini seiungi nequit ab actu grauiter rectæ rationi dissonante: si autem seclusâ malitiâ & difformitate, quam mortalis propriam dicunt aduersarij, & à difformitate ex obiecto desumpta, vtpotè communi etiam veniali distinguunt, maneat leuis tantum inordinatio in actu circa idem obiectum, & eodem modo, hoc est cum plena delectatione tendente, sequeretur in homine Deum inuincibiliter ignorante adulteria & homicidia non esse nisi leuia peccata, & non digna pœnâ æternâ, quod pluribus reiicit Salas *disp. 16. sit. num. 60.* & grauiori censurâ damnat; nam etiam idem sequeretur in eo qui leui culpa non aduertit ad Deum, vt contingere potest dum eiusmodi scelera admittit. Itaque tunc ea crimina non essent necessaria materia confessionis, cuiusmodi sunt sola mortalia, quorum rationem ista peccata tunc non participarent. Denique ostendi ad auersionem à Deo in omni malitia imbibitam opus non esse cognitione Dei, sicut neque vt quis à termino realiter discedat opus non est, vt de eo cogitet: atqui in auersione à fine vltimo S. Thom. & alij passim Theologi rationem peccati mortalis constituunt.

Dicendum igitur est discrimen primum, & radicale harum malitiarum esse illud quod assignauimus in assertione, nempe quòd peccatum mortale tum ratione obiecti & materiæ, tum ratione modi, quo committitur, habeat totum quod requiritur, vt sit grauis offensa Dei, & eius amicitiam dissoluat, atque à fine vltimo auertat: peccatum autem veniale siue ratione obiecti, siue ratione modi tendendi in illud, sit tantùm leuis inordinatio, quæ non auertat à fine vltimo, neque charitatem, qua illi habitualiter coniunguntur tollat. Ita S. Thom. *quæst. 72. art. 5. & quæst. 88. art. 7.* dum per auersionem à fine hanc differentiam explicat, vti nuper exposuimus, Curiel *in art. 1. quæst. 88. dub. 5. §. 3.* Salas *dub. 16. tract. 13. n. 40.* definiens peccatum mortale quod sit cum plena deliberatione contra præceptum grauiter obligans formaliter. Azor. *tom. 1. lib. 4. cap. 9. quæst. 5.* ait culpam venialem esse actionem leuiter rectæ rationi aduersantem. Eo etiam referas distinctiones, quas enumerat Vasq. *disp. 145. cap. 4.* quæ vel ex auersione à fine, vel à pœna, aut oppositione cum præcepto ad salutem necessario sumuntur. Richardus *tractatu de discrimine horum peccatorum*, ait illud esse mortale quod sine graui corruptione sui, aut Dei contemptu, aut læsione proximi fieri nequit. Durand. *in 2. d. 42. q. 6.* distinguit ex oppositione ad charitatem & dilectionem Dei: hæ enim omnes distinctiones ex grauitate & leuitate materiæ, aut modo procedendi perfectè, vel indeliberatè nascuntur, neque discrimen essentiale necessariò inuehunt, neque alia probatione, quàm ipso communi omnium sensu & natura malitiæ prius expositâ, atque aliorum discriminum reiectione firmari debet hæc nostra sententia, ex qua 6

Sequitur primò, peccatum veniale ex sola leuitate materiæ, aut subreptione, & defectu deliberationis perfectæ, esse eiusdem speciei cum mortali intra eandem materiam, vt furtum magnum cum paruo, aut motus indeliberatus circa castitatem cum peccato intemperantiæ circa eandem castitatem: peccata autem venialia ex suo genere seu obiecto diuersæ esse speciei à peccato mortali etiam ex genere suo, v. g. mendacium, & verbum otiosum differt specie à blasphemia. 7

Sequitur secundò, diuisionem malitiæ in venialem, & mortalem, si sumantur in ratione motus secundùm dissonantiam, quam dicunt cùm recta ratione, non esse analogi in analogata, cùm etiam venialis sit verè malitia independenter à mortali, neque attributionem fundantem veram analogiam habeant: si verò sumantur prout dicunt ordinem ad vltimum finem, & ad coniunctionem cum eo, qua ratione dicunt vulgò spectari peccatum à Theologis, quia veniale non auertit ab vltimo fine, videtur quandam rationem tantùm imperfectam peccati participare, diuisio erit analogi. 8

Sequitur tertiò, hanc diuisionem esse subiecti in accidentia, si sumatur in ratione tantum malitiæ, cui 9

accedit aut grauitas, aut leuitas; si autem sumatur materialiter ratione obiectorum, quorum aliqua inferant in se absolutè sumpta, grauem, alia leuem inordinationem, quæ tunc diuersæ sunt speciei, non ratione solius leuitatis, aut grauitatis, sed diuersitatis dissonantiæ cum recta ratione, quam ea obiecta nata sunt fundare, erit diuisio generis in suas species, vt iam diximus, atque ita varia loca S. Thom. conciliabis & corollariis à Suar. Becan. *supr.* deductis satisfacies. Vide Valent. *disp.* 6. *quæst.* 18. *par.*. 2. Vasq. *disp.* 144. & Sal. *disp.* 16. *cit. sect.* 21. circa has diuisiones.

Quotuplex sit peccatum veniale?

10 Assignaui tertio loco duplicem malitiam venialem, vnam quæ sumitur ab obiecto, quod, cùm non habeat nisi leuem inordinationem radicalem, fundare non potest nisi leuem inordinationem formalem. Eam vocat ex genere venialem S. Thom. *q.* 88. *art.* 2. vt mendacium, verbum otiosum, cùm quædam sint obiecta quæ malitiam grauem apta sunt fundare, vt quæ immediatè fiunt contra Deum vt blasphemia, & quæ contra proximum, vt furtum, homicidium, adulterium. Altera malitia dicitur leuis ratione materiæ tantùm, quia etsi pertineat ad obiectum graue, paruitas tamen materiæ malitiam eam, cuius obiectum, ad quod spectat, capax est, fundare nequit, cùm in moralibus, & communi æstimatione, non magni fiat, vt furtum vnius oboli: aut certè quamvis materia sit grauis & apta refundere grauem malitiam in actum, non nisi per subreptionem quandam, & sicut sopita ratione, aut non enubilata, atque semiplena libertate circa eam versamur; hi enim actus cùm non sint perfectè humani, quia non perfectè liberi, vt ait Durand. *in* 2. *d.* 42. *q.* 6. non imputantur ad grauem culpam.

Transitus mortalis in veniale.

11 Quarta assertionis parte assignaui mutuam quandam & reciprocam inter eas malicias conuersionem, cum vna in aliam alicuius circunstantiæ detractione, aut additione transeat, &

Primò quidem mortale peccatum fieri quandoque veniale asserit S. Thom. *art.* 6. *q.* 88. atque, id non fieri quòd peccato mortali addatur deformitas peccati venialis: illa enim non tolleret difformitatem mortalem, sed eam potius augeret. Fit hæc itaque mutatio primò per subtractionem deliberatæ rationis. Consentiunt omnes qui motus subitos propter semiplenam tantùm libertatem, dicunt esse veniales tantùm culpas. Quænam verò deliberatio ad grauem noxam exigatur dicemus *infrà*; moneo tantùm deliberationem eam esse perfectam ex Caiet. *vers. deliberatio, in summa*, quando quis aduertit culpam esse grauem eo modo qui perfectè expergefactus est, & non semisopitus, vel aliâ cogitatione totus distractus, non autem opus est, vt aduertat esse malitiam mortalem, vt monet optimè Vasq. *disp.* 107. *num.* 14. sed eam esse grauem: alioquin malitia quatenùs grauis, non esset voluntaria: qui etiam aduertit *tract. de restitutione, cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 24. in quibusdam materiis valdè connaturalibus, vt motibus iræ, exigi perfectius voluntarium, atque perfectiorem proinde deliberationem. Et Less. *lib. de iustitia, cap.* 7. *n.* 27. ait motus internos ex genere mortales faciliùs fieri veniales ex imperfecta deliberatione, quàm externos, qui statim mentem ad considerationem excitant. Non placet autem quod *in hunc art.* Caiet. obseruat actum indeliberatum esse tantùm reductiuè in eadem specie cum actu deliberato.

Secundò, fit ea mutatio defectu pleni consensûs, qui defectum aduertentiæ sæpè sequitur: est autem languida quædam repulsio prauæ suggestionis, cum firmo tamen animi proposito non admittendi crimen, cuius etiam tunc nullum est periculum. Vide Reginald. *lib.* 15. *num.* 31.

Tertiò, ex paruitate materiæ, vt in furto, aliquando tamen in qualibet materia, tota ratio grauis culpæ reperitur, vt in modico Dei odio, & in omnibus ferè peccatis circa Deum versantibus: materiæ autem paruitas spectanda est attento fine legis, & aliis circunstantiis prudentis arbitrio: eadem enim materia sub varia consideratione leuis, aut grauis esse potest. Vide Sanch. *lib.* 1. *in decal. c.* 4. *à n.* 1. *ad* 9. *& n.* 17. *&* 18. sicut embrio est in specie hominis generandi. Non placet autem quod S. D. dicat per eum defectum deliberationis solui speciem moris, non placet, inquam, quia perfectum & imperfectum non variant species. S. autem Thom. speciem moris accepit in ordine ad charitatem, extinguit peccatum mortale, & actus grauitate malos ex obiecto cum plena deliberatione, qua ratione nuper diximus diuisionem peccati in mortale & veniale esse analogam.

Transitus à peccato veniali in mortale.

Veniale potest mutari in mortale, ita vt idem numero actus tum internus, tum externus in genere naturæ, & moris spectatus possit successiuè esse venialis & mortalis. Ita Vasq. *disp.* 45. Suar. *tract.* 5. *d.* 2. *sect.* 6. vbi vniuersim pronuntiat veniale transire in mortale, Curiel *in art.* 4. *quæst.* 88. Salas *d.* 16. *tract.* 13. *sect.* 24. 12

Et quidem de actu externo siue alterius potentiæ, quàm voluntatis, quem imperatum diximus posse fieri ex veniali mortale omnes æquè consentiunt; cùm enim actus ille propter diuersos fines imperari possit, diuersam malitiam à fine operantis hauriet, etsi idem ipse in genere naturæ perstet.

De actu autem interno voluntatis idem ostenditur contra Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 9. Conrad. *in art.* 4. *quæst.* 88. quia idem actus è bono potest euadere malus, atque è contrario, vt superiùs dictum est. Potiori ergo iure ex veniali fiet mortalis, cum in primo casu fiat transitus ab vna specie moris in aliam; hic autem sæpiùs intra eandem speciem, & solùm penes magis, aut minus fit ea mutatio: deinde etsi mutetur apprehensio, & deponatur, v. g. conscientia erronea, potest pergere voluntas in eodem actu, & propter idem motiuum internum, quod iam ostendit esse prohibitum intellectus. Quod etiam prohibet, eundem actum numero, & circa idem motiuum perseuerare post plenam & perfectam considerationem, ac libertatem, cuius defectu erat priùs tantùm venialis. Ex quibus 13

Probatur tertiò, manere actum internum voluntatis non tantùm in genere naturæ, sed etiam in genere moris; vbi enim idem est obiectum, & idem motiuum, etsi varietur causa, seu cognitio applicans, & aliæ circunstantiæ extrinsecæ obiecto, & solùm pertinentes ad operans, manet eadem moralitas in actu 14

Dices S. Thom. *art. cit.* perspicuè negare, eundem actum numero successiuè vtramque hanc malitiam induere posse. 15

Respondet Suar. ita loqui S. Thom. quòd in genere moris, & non in hominum æstimatione, atque

in

in ordine ad charitatem, atque vltimum finem, vnde Theologi solent maximè rationem peccati ducere, facta fuerit ingens mutatio,& totam hanc litem pertinere ad modum loquendi. Vasq.loqui S.D. de peccato veniali ex suo genere, quod euadere nequit in mortale,nisi accedat aliqua circunstantia difformans, quæ transeat in rationem obiecti, ac proindè mutationem actus circa obiectum nouâ conditione vestitum necessariò arguat. Alias solutiones dabit Salas *d.*16.*cit.n.*71.

16 Venio ad modos, quibus fit hæc mutatio, & in primis negant fieri sola consuetudine, aut duratione seu continuatâ seu iteratâ, & tepeditate actûs venialis. Ita communiter omnes: rationem reddit à priori Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.*28. *num.* 9. & *lib.* 5. *de voto, cap.*5. quia consuetudo auget tantùm extensiuè numerum peccatorum venialium, & voluntarium in posterioribus, ex quibus non crescit malitia ad mortale vsque peccatum, quia hæ omnes malitiæ non sunt partes vnius, neque vnam componunt, sed faciunt tantum collectionem quandam leuium transgressionum, quæ non æquant extensiuè vnam mortalem. Confirmatur exemplo eius qui sæpè mentitur, aut profert verba otiosa: quis enim dicat eum esse in statu peccati mortalis, aut in eius proximo periculo, cui tamen se exponeret, quoties plura peccata venialia priùs admisisset. Cùm enim sciri nequeat, quis numerus præsupponi debeat ad malitiam hanc grauem, semper in periculo grauiter peccandi versaremur. Plures alias rationes congerit Sal. *d.*11.*sect.*15. vbi *num.*75. ait nullum auctorem, contrarium docuisse. Suar. tamen *loc. cit. de legib.* nominat Panormitan. Hinc

17 Colliges primò quandònam per leuia plura furta admittatur peccatum mortale, qua de re S. I. *disp.*16. *sect.* 27.& alij in materia de iustitia. Respondent enim quando materia peruenit ad grauem quantitatem quæ graue nocumentum inferat, commuti peccatum mortale, vel ratione retentionis, quæ fertur in totam illam summam, vel vltimum furtum, quod in se consideratum, leue esset, ratione præcedentium fit graue, quia complet, graue damnum inferre, & tunc ex multis venialibus non fit vnum mortale, sed peccatum veniale ratione præcedentium fit mortale. Vnde infert Vasq. *disp.*146. *cap.* 2. primo eum, qui furto leui complet graue damnum ab aliis allatum, cuius tamen ipse conscius est, peccare mortaliter; quod negat Less. *cap.*12. *num.* 43. *lib.*2.quòd ea acceptio sit minima, & per se non infecta nisi paruum damnum. Addit Vasq. & alij communiter, si non sit conscius grauis damni, quod illo suo furto consummatur, nisi post furtum commissum peccare in retinendo, non peccasse tamen nisi leoiter furando. Secundò, eos omnes peccare mortaliter, qui scienter alicui graue damnum inferunt etsi singuli leues tantùm quantitates subtripiant; quia sunt causa simul damni notabilis, neque vni potiùs quàm alteri debet imputari. Si autem singuli ex his damnum magnum inferant, & alius accedat qui leue aliquid tantùm subtipiat, non peccabit mortaliter, quia ille notabile damnum non intulit. Idem docet Couarr. 1. *variar. cap.*5. *num.* 11. Medin. c. *de restit. quæst.*10. Petrus à Nauarra *lib.* 3. *cap.* 1.*num.*48. Lessius tamen *c.cit.num.*52.negat eum qui modico furto complet damnum ab aliis illatum, modò neque hortatione, neque exemplo, neque vlla alia ratione fuerit causa ab aliis irrogati damni peccare mortaliter, quia & modicum est eius furtum, & ipse non est causa magni, cui cooperatur tantùm per accidens, & præter intentionem, qua ipsa non est nisi causa parui damni, quod per accidens est coniunctum cum aliis damnis, neque vlla est causa, propter quam magni damni causa dicatur, cùm non retinear illud ratione cuius damnum exsurgit, neque alia ratione illud effecerit, sicut qui dat vnum florenum illi, cui iam nouem dati sunt, non censetur dedisse 10. florenos, etsi dederit decimum, neque obstat quòd hic ad restitutionem totius compelli possit, quia possumus compelli etiam sub peccato mortali ad id, ad quod alias non teneba[mur], nihil etiam absurdi est, quemlibet ex multis ea ratione minutis furtis grauem læsionem inflixetiot, non teneri nisi ad minutarum furtorum restitutiones singulas, & tantùm sub veniali, & non sub mortali vllum. Tertiò qui à pluribus notabilem summam subtipit, à singulis tantùm aliquid leue, peccare mortaliter: quia summa vsurpata notabilis est,quam sub mortali tenetur restituere: ergo & non vsurpare tenebatur.

18 Colliges secundò, cur multiplicatione leuium furtorum pecuniatur tandem ad vnum notabile & graue, & id non contingat in multiplicatione leuium mendaciorum, aut verborum otiosorum. Ratio est: quia aliquando malitiæ ita copulantur, vt vnam componant, & actus plures in vnum veluti moralem coalescunt ratione obiectorum, quæ veluti continuantur. vt vides in furtis pluribus. Quando verò malitiæ leues nullam inter se copulam habent, ratione cuius voluntas aliquo actu in totam eam malitiam ferantur, sed semper in partem exiguam eius, aut in malitias leues disparatas, tum nunquam peccatum aliàs leue, fit mortale ratione præcedentium; hanc autem materiarum continuationem Vasq. & Sanch. *lib.*7. *in decal. cap.* 4. *num.* 10.& 11. fieri aiunt non tantùm in materia iustitiæ ratione damni illati; sed etiam in aliis, vt in materia temperantiæ, vnde inferunt, eum qui pluribus leuioribus compotationibus tandem sanitati suæ graue detrimentum creauit, illo actu, quo damnum veluti consummauit, peccasse mortaliter, & qui pluries in die ieiunij sumit cibum, licèt exiguum, & qui singulis comestionibus seorsum spectatis non esset sufficiens violando ieiunio, in vltimo tandem, in quo quantitas sufficiens ad eam violationem ponetur, solui verè ieiunium, & si eodem die festo sæpiùs se[rui]lia exerceat, ita vt tempus per vices insumptum vnum notabile constet, reus erit violati grauiter festi diei; secùs si pluribus diebus aliquantulo tempore seruiliter operetur.

19 Colliges tertiò, cum Suar. *lib.*5.*de voto cap.*5.*n.*10. & Sanch. *cit.num.* 14. leuem voti transgressionem sæpiùs repetitam non esse grauem nisi per quandam continuationem moralem, vna veluti transgressio constetur, quod fit primò quando prioribus transgressionibus relinquitur obligatio, quæ præsenti coniungatur; illa enim tandem grauis erit & eius violatio erit quoque grauis, v. g. qui vouerit dare singulis diebus terruncium, ita vt obligatio non sit affixa diei, quia non sit peculiari aliquo eius intuitu, vbi omisit per aliquot dies, tenetur sequentibus supplere, eæque omissiones tandem grauem aliquam summam conflabunt, quæ vbi omittetur, violabitur grauiter votum. Quæ fuit etiam sententia Vasq. *d.cit.* Secundò fit quando ex actibus pluribus vnus moraliter componi censetur, vt ex pluribus horis Canonicis vnius diei,censetur recitatio integra illius diei conflari: quare, qui in singulis horis leuem aliquam partem omiserit, si tandem in vltima hora omissio leuis coniuncta cum reliquis faciat notabilem omissionem, poterit esse grauis. Quia verò recitationes

citationes singulorum dierum non ordinantur ad vnam recitationem integrandam, etsi quis pluribus diebus consequenter leue aliquid omittat, nunquam admittet peccatum mortale, quia neque hæ materiæ, neque actus continuantur. Hinc, si quis voueat recitare singulis diebus per mensem orationem Dominicam, plures omissiones non sternent vnquam viam vni graui; si quis autem vouisset Rosarium per tres dies, ita vt singulis diebus tertiam partem recitaret, quia hæc tripartita obligatio vnam tantùm conflat recitandi integrum Rosarium, si singulis diebus aliquid omitteret leue, quod tamen tertio die graue ex præcedentibus omissionibus redderetur, peccaret mortaliter.

20 Colliges quartò, quomodo peccet is qui vult committere omnia, aut plurima peccata venialia, quia non vult cauere nisi sola mortalia: respondet enim Sal. *d.* 16.*cit. sect.* 26. quando abest periculum peccandi mortaliter vel ex eo proposito, vel quia obiecta, & materia eorum peccatorum venialium, quadam continuatione fiunt vnum quid modo *suprà* explicato in minimis furtis, velle committere peccata venialia, modò non habeant anneaam malitiam peccati mortalis, non esse peccatum mortale. Idem fatetur Suar. *lib.* 5. *de voto.cap.* 5. *num.* 10. de eo qui habet propositum non implendi votum per plures actus leues sine cognitione aut augmento inter se multiplicatos, quia non est propositum committendi peccatum mortale, cùm ea materia sit tantùm grauis extensiuè plura peccata venialia confusè complectens, & non intensiuè in ordine ad moralem transgressionem, cùm nunquam contineat in executione obiectum peccati mortalis. Eadem ratio est de illo, qui haberet plura leuia voto eodem die implenda, & vellet ea omnia omittere, non peccaret mortaliter, & qui vellet plura leuia mendacia proferre. Neque Sanch. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 5. *num.* 4. alia de causa damnat culpæ lethalis voluntatem admittendi obuia quæque venialia quam ratione periculi ferè euidentis incidendi tandem in mortale.

Secundò veniale non fit mortale ex sola conditione operantis, cuius videlicet sanctitas, aut dignitas malitiam leuem ex materia & obiecto ad mortalem augeant. Ita Azor. *tom.* 1. *lib.* 4.*cap.* 9.*q.* 14.

Tertiò accessio noui præcepti, seu diuini, seu humani actum leuem prohibentis, si materialiter tantùm sit diuersum, non reddit illum mortalem. Ita Sanch. *lib.* 1. *in decalog. c.* 5. *num.* 1. & alij passim: & sequitur ex dictis *alibi* contra Almain. *c.* 11 *tract.* 3. *cap.* 2 t. de peccatis, quæ nouo voto prohibentur.

Quartò sola intensio actus, perseuerantia in eo, & libido non affert mortalem malitiam, si iam ex obiecto non adsit, quia est idem actus specie intensus, ac remissus, diu, aut breui tempore durans contra Bonan. *in* 4. *d.* 16.2.*p.a.t.* 3.*q.*1.

21 Reiectis modis quibus aliqui falsò existimarunt peccatum veniale fieri mortale, aperiendi sunt veri modi, quibus id sæpè contingit.

Primò ratione finis, v. g. si quis vsurpet mendacium ad fornicandum, ea tunc finis circunstantia transit in obiectum, vt docet S.Thom. *q.* 88.*art.* 5.

22 Secundò, quando in veniali constituitur vltimus finis, vt asserit S. Thom. *a. c.* de qua constitutione finis vltimi sunt plurimæ lites, dicendum est id fieri quoties eo affectu quis in veniale fertur, vt non dubitet eius causa mortale admittere, si aut occurrat, aut necesse sit, vt qui ex affectu ad studia omittit Sacrum die festo, tuncque ait Sanch. *lib.* 1. *in decal. cap.* 5. *num.* 15. fatendum in confessione affectum illum omnium qui causa omissionis Sacri fuit, & ipsam omissionem: quia sunt duo ibi peccata mortalia, quod etiam habet Suar. *tom.* 4. 3.*p. d.* 21. *sect.* 4.*n.* 11. atque id tantùm voluit Bonau. dum ait veniale ex nimia complacentia fieri mortale sicut & Aug. relatus à Glossa *d.* 25.*c. vnum*, &c.

Tertiò, ex contemptu formali, vt latè habet Suar. 23 *lib.* 3.*de legib.cap.* 28. Salas *d.* 16. *tract.* 13. *sect.* 28. & *d.* 70.*de legib. sect.* 8. Sanch. *lib.* 1.*in decalog. cap.* 5. *n.* 8. Est autem contemptus formalis iudicium, quo res aliqua vel persona habetur in minori æstimatione quàm par sit, & depretiatur; quod iudicium approbatur affectu quodam voluntatis, eam vilem æstimationem habere volentis, aut ex externo aliquo signo prodere. Dici autem rem vel personam contemni & depretiari; quod est diligenter aduertendum: quia transgressio legis ex contemptu rei præceptæ quasi leuis sit, non est semper peccatum mortale, cùm aliquando reuera res quæ despicitur, leuis est, ve ait Caiet. *in summa, verbo contemptus.* & Suar. *loc.cit.* Sanchez tamen vbi res præcipitur diuino præcepto ait eius paruipensionem ab executione remouentem, esse noaam mortalem, quia continet tacitam blasphemiam, sed in quo ea blasphemia sita sit, non video. Less. *lib.* 2.*de iust.cap.* 46. *num. pen.* quando res contemnitur, quia est parui momenti, & non præcipitur sub mortali, atque adeò violatur, aie fortè ibi non esse mortale. Quando autem contemptus & paruipensio terminatur ad ipsum etiam legislatorem, si ille sit Deus, est peccatum mortale: nam despicere Deum & ex eo despectu operari, habet grauem inordinationem, etsi res, quæ omittitor, sit leuis, leuémque alioquin obligationem inducat, aut etiam pertineat tantùm ad consilium: si verò legislator, qui despicitur, sit homo, ille autem vel contemnitur quatenùs est quidam homo imprudens infimæ sortis, aut quia habet exiguam, & circa leuia tantùm auctoritatem; & tunc ille contemptus non est necessariò peccatum mortale, vt aiunt Sanch. Suar. Less. citati, vel despicitur quatenùs prælatus est, vnde despicitur ipsa potestas legislatiua, & est peccatum mortale, vt asserunt iidem auctores cum Azor. *cap.* 7.*lib.* 4. *tom.* 1. *quæst.* 1. vbi etiam optimè distinguit superbiam & inobedientiam à contemptu: superbia enim est non seruare præceptum, quia non vult subiici: si verò quia non vult parere, aut ne pareat, est specialis inobedientia, & in ea malè contemptum locat Salas *disp.* 10. *de legib. sect.* 8. Contemptus autem, vt dixi, est violatio legis, vel illa vna cum legislatore depretietur: dicitur tamen aliquando superbia contemptus, quia ex superbia nascitur, alias inobedientia, quia eam causat: loquimur autem de contempto formali, quo aliquid fit intendendo directè alterius despicientiam: si enim fiat aliquid tantùm, quo vnus aliis postponitur, reipsà ille contemnitur: ille tamen contemptus materialis tantùm dicitur, quia non intenditur ab operante: quando autem est formalis, affert malitiam nouam & distinctam ab ea, quam habuisset actus ex obiecto, seu ex violatione rei præceptæ.

Quartò, peccatum veniale fit mortale ratione scandali consequentis, non tantùm formalis & specifici, 24 quo quis ruinam proximi specialem, eámque grauem suo opere intendit, atque id eo affectu exequitur, sed etiam generalis dum quis præuidet grauem ruinam specialem proximi ex suo opere, etsi eam ruinam non intendat, neque eo animo faciat. Dicitur autem scandalum genericum, quia non transfert peccatum, ex quo ruinæ occasionem præuidet ad simile peccatum, vt qui fornicando alium ad fornicationem inducit, duplicem committit fornicationis culpam,

pam, tenetûr autem ab eo opere abstinere, ex quo sequi timet ruinam proximi, quam tamen, vt dixi, non intendit, vnde fœmina quæ scit se amandam turpiter, non tenetur se priuare sua libertate eundi per vrbem, secùs si quadam vanitate ducta eius à quo turpiter amari se præuidet, conspectui volens offerat: tunc enim à mortali non vult eam excusare Sanch. *lib.* 1. *in decal. cap.* 6. *num.* 16. idem dicendum est de iis qui ministeria indifferentia exhibent absque intentione ruinæ proximi, qui inde tamen occasionem peccandi sumpturus est, idque præuidetur: sed de scandalo fusius 2. 2. vbi de peccatis charitati oppositis. Adi interea Vasq. 1. 2. *d.* 102. Valent. 2. 2. *d.* 3. *q.* 18. & omnium latissimè Sanch. *lib.* 1 *in Decal cap.* 6. & 7. Sufficit præsenti instituto aliquando ea circunstantia scandali generalis, peccatum veniale malitiam mortalis accipere, vt si quis verbum amatorium ioco diceret coniugatæ præsente viro zelotypo, vnde probabiliter grauis rixa timeatur.

25 Quintò ratione periculi incidendi in mortale, quod periculum tunc adesse censetur ex Sanch. *lib. cit. cap.* 8. quando ex ea occasione frequentius homines similis conditionis ad malum inducuntur vt experimento constat, in eo qui ita se exponit id contingere frequenter: temperat tamen Sanch. *n.* 3. nisi grauis ratio vrgeat, ita se exponere: quia id periculum tunc minùs est voluntarium. Hinc crebræ monitiones Patrum, vel sapientum, vt vitemus leuia delicta, quia ea sæpè nos in periculum grauioris culpæ coniiciunt: vt enim rectè Pelagianus Auctor *lib. de diuitiis*, falsò existimatus Xistus III. *Occasiones peccatorum occasionibus valetudinum similes sunt: sicut enim corpus inualidum pristinam difficilè recipiet sospitatem, nisi omnes priùs occasiones, per quas infirmitatum causæ ministrantur, abstuleris, ita anima à peccatorum depressa morbo & iniquitatum febribus exæstuans.* Vide Chrysost. *hom.* 87. *in Matth.* & *hom.* 8. *in* 1. *ad Cor.* ad illud: *Fundamentum aliud: & in cap.* 1. *ad Galat. Et volunt subuertere*: & *hom.* 12. *in Epist. ad Roman.* Cyprian. *lib. de liuore, init.* Basil. *in regul. Breuiar. reg.* 293. Atque ita exponendum est illud Aug. relatum *in c. tres sunt de pœnit. dist.* 1.

Denique hinc elicies quàm difficile sit, has culpas inuicem distinguere. Consulenda itaque est materia, modus deliberatè procedendi, obiectum, obligatio, varia præcepta, & circunstantiæ, vt ex iis grauitatem culpæ, aut leuitatem metiamur, eóque reduces regulas omnes, quas de hac materia tradit Valent. 1. 2. *d.* 6. *q.* 18. *p.* 3. Stapleton. *lib.* 12. *de iust. cap.* 4. & 5. & alij.

Subiectum peccati venialis.

26 Vltima parte assertionis assignaui subiectum peccati venialis, dixique primò potuisse reperiri in Angelis antequàm peccarent mortaliter, aut in pura natura spectatis; quod 1. *part. tract.* 3. *d.* 3. *sect.* 8. traditum.

Dixi secundò incertum esse an potuerit reperiri in Adamo innocente: affirmant Scot. *in* 2. *d.* 21. *q.* 8. Gab. *ibid. quæst.* 22. *quæst.* 1. *dub.*.. *art.* 3. Bassolis *ibid. eadem disp. quæst.* 1. Rubio *ibid d.* 21. *quæst.* 1. *art.* 1. & alij Scotistæ, quibus accedit Suar. *hic tract.* 5. *d.* 2. *s.* 7. Negant verò S. Thom. *quæst.* 89. *art.* 3. & omnes eius ibi Interpretes cum Val. *disp.* 6. *quæst.* 19. *part.* 2. Vasq. *disp.* 148. Sal. *tract.* 13. *disp.* 17. *num.* 12. & Suar. *lib.* 3. *in Hexameron cap.* 13. *à num.* 17. & *prologom.* 4. *de gratia, c.* 3. *n.* 4. vnde sententiam quam iunior docuerat retractauit. Ratio allata à S. Thoma, & à reliquis exposita, petitur ex natura illius status innocentiæ, cuius integritas, perfectio, ac felicitas læsa fuisset peccato veniali, non tantùm per subreptionem, sed etiam ex leui materia admisso, quia illud quoddam malum est, & malum aliquod pœnæ, cuius reatum inuehit & necessariò secum affert, cùm omne malum August. ab eo felicissimo statu excludat *lib.* 24. *de ciuit. cap.* 10. nec aberat quidquam quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quod carnem animúmve hominis feliciter viuentis offenderet; amor erat imperturbatus in Deum: erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omninò aliunde malum, quod contristaret, imminebat. Peculiari itaque Dei prouidentia, quam integritas, & summa, atque imperturbata illius status felicitas exigebat, præseruabatur ab omni culpa veniali.

Responderi posset, id incommodum non fore connexum per se cum statu innocentiæ, vt a Deo fuerat institutus; sed per accidens ratione peccati, quare ea ratio non conuincit. Scotistarum autem argumenta probant tantum iustitiam originalem, & reliquos habitus infusos non habuisse vim impediendi peccata venialia, cùm non prohibuerint mortalia. Quare Thomistæ ad peculiarem Dei prouidentiam illi statui debitam recurrebant.

Tertiò denique reperiri cùm solo originali quandoque in adultis non baptizatis affirmaui cùm omnibus ferè recentioribus contra S. Thom. *q.* 89. *art.* 6. & eius eo loco discipulis cum Victoria *relect. de puero veniente ad vsum rationis. part.* 3. Atque vt plurima quæ tum Victor. tum Salas *d.* 8. & Curiel *in hunc art. S. Thom.* aliique fusè disputant, omittam. Probatur nostra sententia, non ex eo quòd priùs alucescat ratio sufficiens ad peccandum venialiter, quàm ad peccandum mortaliter, vti voluit Durand. *in* 4. *d.* 16. *quæst.* 2. *num.* 7. id enim optimè reiicit Victoria 2. *part. relectio.* quia cùm peccata mortalia notiora sint peccatis venialibus, ea scimus cognoscere, non negamus posse occurrere aliquem motum indeliberatum circa materiam grauem, quam deliberatum, atque ita per subreptionem posse peccare venialiter, sed negamus facultatem esse priùs expeditam ad liberè peccandum circa honestum leue, quàm graue. 27

Probatur igitur euertendo duplex fundamentum contrariæ sententiæ: primum petitur ex parte conuertendi se ad Deum, vbi primum affulget plena ratio; quod si omittatur, peccatur mortaliter in re, videlicet graui, sin autem fiat, iam iustificatur puer, & peccatum originale deletur. Hoc præceptum conuertendi se in Deum, non est, vt fatentur modo omnes Thomistæ de amore Dei super omnia, cùm tunc neque habeatur illa actualis cognitio, neque ab omnibus tunc haberi teneatur, sed de implicita quadam conuersione per amorem, aut acceptationem boni in communi, ad quod aliqui dicunt teneri, & deliberare de suis actionibus in communi; & proponere honestum in communi amplecti. Verùm quæro primùm vnde colligitur hoc præceptum, vnde obligatio eius sub mortali, vnde certum bonum in communi tunc occurret primum cogitandum, aut totius vitæ, & omnium actionum cursus, de quo deliberare teneatur? obligabitur quidem si agat tunc honestè agere, sed cur ea obligatio sub mortali? Si enim tunc leue mendacium dicat, cur illud mortale fuerit? Deinde quid si eius obliuio, aut inaduertentia sit, & ex ea aliquid leuiter inhonestum committatur? Quid si vbi primum habet planum eum vsum rationis subitus aliquis motus indeliberatus, sed veniale tamen sufficiens subrepat? Deinde altera pars argumenti, videlicet posita ea conuersione in Deum quam non nisi implicitam & naturalem esse fatentur Thomistæ, 28

Thomistæ, sequuturam iustificationem & originalem maculam abstergendam, quantam difficultatum segetem suppeditat, sed id aliò, vbi de causis, & modo iustificationis, reiiciendum est.

29 Alterum fundamentum erat puerum cum solo originali veniale admittentem posse in eo statu mori, qua tunc pœna torquebitur & quo loco? Huic difficultati plures hactenus allatas solutiones collegit Salas *disp.* 18. *tota sect.* 7. Valent. *part.* 3. *quæst.* 19. putat eum puerum nunquam ita moriturum. Idem dicit Vasq. *disp.* 149. *num.* 10. & Azor. *lib.* 4. *cap.* 10. *quæst.* 6. Suar. verò *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 6. existimat non incongruè dici per voluntariam detestationem & contritionem remitti illam culpam, vt fieret in pura natura, aut etiam per pœnam Purgatorij purgari, & denique ad limbum puerorum illum detrudi: quæ omnia incerta sunt.



PRINCIPIVM VIII.

Diuisio malitiæ.



1 VARIE partiuntur malitiam Theologi apud Valent. *t.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 2. *part.* 2. & Salam *d.* 3. *sect.* 3. *tract.* 13. ferè ex S. Thom. *quæst.* 72. & 73. quæ membra tumultuariè enumero potiùs quam expendo, cum ex hactenùs dictis, & iis quæ reliquo tractatu disputabuntur, dignosci facilè possint.

Primò igitur, alia est personalis malitia, alia originalis, de qua deinde.

2 Secundò, malitia actualis & habitualis quæ peracto actu malo perseuerat: estque effectus malitiæ actualis, de qua *l.* 5. dictum; priorem illam seu actualem Aug. vocat *in Enchi. cap.* 64. peccatum actiuum.

Tertiò, malitia mortalis & venialis quarum natura *modò suprà* sufficienter exposita est.

3 Quartò, malitia carnalis & spiritualis, de qua S. Thom. *quæst.* 72. *art.* 2. propter illud Pauli 1. *ad Cor.* 7. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* In quæ verba Chrysost. Theod. Oecumen. & alij interpretes peccati carnalis & spiritualis meminere, sicut & in eiusdem Pauli locum ad Ephes. 2. *Nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum.* Peccata spiritualia talia esse negabant Materiatij, & Manichæi, qui omnia esse dicebant à carne, ac proindè sola esse carnalia. Alij, quos confutat Tertull. *lib. de pœnit. cap.* 3. carnalia peccata ab anima materiali, & mortali, spiritualia ab immortali oriri dicebant: eiusdem erroris meminit Orig. 3. *peri. cap.* 4. id colligebant ex pugna affectuum, & luctâ spiritus, & carnis, cuius meminit Paul. *ad Rom.* vnde tamen Aug. *lib. de duabus animabus, cap.* 13. potiùs colligit animæ vnitatem: *quia (inquit) cùm hoc accidit, vnum mortale esse sentio, vtrumque considerantem, & alterum eligentem.* Author imperfectus *in Matth. hom.* 16. spiritualia peccata mystica tantum significat; carnalia verò, quæ eo nomine propriè significantur, v.g. fornicatio est peccatum carnale, idololatria autem, quæ fornicatio spiritualis dicitur, est peccatum spirituale. Tertull. *lib. de pœnit. c.* 3. *Spiritualia (inquit) & corporalia nominantur, quod dictum omne aut agitur, aut cogitatur*: quia putat spirituale peccatum esse internam cogitationem, carnale opus externum, alij carnale quod exterius consummatur, spirituale quod interiùs totum perficitur: alij quod quædam versantur circa voluptates sensibiles, alij circa intelligibiles, atque ea est mens S. Th. atque veterum plurium. Method. *orat. de resurrect. relata ab Epiphan. hæres.* 64. Hieronym. *in Ep. ad Ephes. cap.* 1. August. *lib. de duab. anim. cap.* 13. & *lib.* 14. *de ciuit. cap.* 2. Cassian. *collat.* 5. *cap.* 4. & Gregor. *lib. moral. cap.* 17.

4 Quintò, malitia diuiditur in eam, quæ committitur in Deum, proximum, & nos ipsos: quam distinctionem sumit ab obiecto S. Thom. *quæst.* 72. *art.* 4. ac proindè specificam facit: obiecta verò formaliter diuersificantur à triplici ordine ad regulam rationis regulantem. Nos ita censemus circa hæc tria, eorum omnium peccatorum, quorum Scriptura meminit: nam 1. *Reg.* 2. *vers.* 25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Peccatum hoc in Dominum interpretatur S. Cyprian. *explic. ad Mart. cap.* 4. idololatriam, Amb. *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 8. maximum delictum, cùm non sufficiunt suffragia Anast. Antio. *q.* 58. *in Script.* blasphemiam. Peccata in proximum continentur in secunda tabula Decalogi: Hominis autem in seipsum varia diuersis locis scripturæ numerantur.

Primò intemperantia voluptatum carnalium, quando sunt sine proximi iniuria, 1. ad Cor. 6. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat.*

Secundò intemperantia gustus, Osee 4. vers. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.*

Tertiò prodigalitas facultatum externarum.

Quartò, negligentia in bonis corporis, vt fortunarum, & in animi procurandis.

Quintò, tristitia pusillanimitas, desperatio, & alia eiusmodi quibus homo in seipsum sæuit.

Sextò, malitia cordis, oris, operis, quæ sumi debent eum quadam exclusione, ita vt cordis peccata interiùs tantùm perficiantur, videlicet, v. g. Si verò S. Thom. dum *art.* 7. *quæst.* 72. dixit hæc tantùm differre specie incompletâ, aut vt gradus tendentes ad eiusdem speciei complementum, sumi hæc peccata vt ad vnum externum consummandum referantur, vt habent ibi Caietan. Conrad. & Medin.

Septimò, peccatum admittitur per excessum, aut defectum; quæ specie distinguit S. Thom. *quæst. cit. art.* 8. quia habent diuersa motiua, motiuum verbi gratia intemperantiæ est amor nimius delectationum corporearum; motiuum insensibilitatis est earundem voluptatem odium. 5

Octauò, peccatum admittitur ex ignorantia, passione, & malitia, quæ diuisio elucidabitur *infrà*, vbi de causis interius peccati.

Nonò, malitia commissionis, & omissionis cuius diuisionis membra, quia continent grauissimas difficultates, seorsim exponenda sunt, fit itaque.



PRINCIPIVM IX.

De malitia omissionis.



1 NATVRA huius malitiæ non est cognitu difficilis, statim enim appparet eam esse carentiam, seu priuationem actus ex præcepto affirmatiuo debiti, sic enim non conformamur regulæ nostratum actionum, atque hinc facilè

Colligitur primò quæ ad distinctionem essentialem huius malitiæ pertinent: ea enim petenda est ex forma

forma quā priuat, nempè ex actu debito, & pro tempore quo debetur; alioqui enim culpabilis non esset omissio, quia transiret in puram negationem, quam nemo vitio verteret, nisi simul omnium nos præceptorum, quorum actus non exercemus reos faciat.

Colligitur secundò, vnde sumenda sit accidentalis quoque distinctio, seu inæqualitas & grauitas malarum omissionum, nempè ex præcepto, obligatione, & modo obligandi, vt fusiùs docet Vasq. *d. 99. c. 5.* & Sal. *d. 2. tr. 13. sect. 1.* Suar. *tract. 5. d. 3. sect. 5.*

Colligitur tertiò, quomodo huic malitiæ conueniat ratio diuinæ iniuriæ, & auersionis ab vltimo fine, in quibus aliqui naturam peccati constituunt: quia enim actus præcepti debentur Deo, non tantùm ratione obedientiæ, quam illi vt supremo legislatori debemus, sed etiam titulo supremi dominij, in quo ius strictum iustitiæ fundatur, quô que nos Deo obstringimur, licèt fortassis nobis eodem reciproco iure obnoxius esse non possit, æquè illum iniuriá afficimus iusque illius violamus, dum opus, ad quod obligamur, non reddimus per meram, & voluntariam feriationem, atque dum aliquid aliud turpe positiuè admittimus, vt patet in humanis. Seruus enim dum ab opere, quod debuerat exhibere, feriatur, iniuriam domino æquè irrogat, atque dum eius bona auertit. Ex quibus sequitur omissionem quoque malam, esse ab vltimo fine auersionem interpretatiuam: formalis enim non requiritur, ne quidem in peccato commissionis; eo enim ipso quòd non tendat in finem per actum per quem tendere debebat, peccat, & Deum iniuriâ afficit, atque ratione malitiæ moralis & culpæ, quam contrahit, à Deo recedit, seu auertitur: & licèt nondum positiuè ad bonum commutabile conuertatur, tamen iam interpretatiuè eò quòd à Deo se auerterit, ad bona creata mentem animúmque vertisse censetur.

Colligitur quartò, malitiam moralem non conuenire omissioni, & commissioni nisi æquiuocè, aut ad summum analogicè, neque vnum cóceptum aut formalem, aut obiectiuum respectu horum inferiorum obtinere: cùm enim alterum ex his membris sit merè priuatiuum, siue non ens, quod operans habere deberet; & alterum sit positiuum, siue ens, licèt non distinctum ab actu quem denominat, modo *superiùs* explicato nihil ipsis commune esse potest, vt ex Metaphysicæ principiis perspicuum est. Quis enim dicat, calorem & non frigus participare rationem aliquam communem, ratione cuius sint realiter mala igni; aut venenum, & non pharmacum per vnam formam communem esse hominis malum. Conueniunt igitur hæc membra solo dumtaxat nomine; quare non benè aliqui ex ea comparatione argumentabantur vt inde probarent, malitiam actus commissionis priuatiuam esse oportere, quòd de omissione & cómissione prædicetur essentialiter malitia, tanquam aliquid commune de inferioribus.

Colliges denique dari posse omissionem aliquam in indiuiduo indifferentem, neque bonam, neque malam: cùm enim ea sit actûs carentia, fieri potest, vt neque actus sit debitus, ac proindè eius carentia non sit mala, neque indebitus seu prohibitus, & consequenter eius etiam carentia bona non sit.

His obseruatis restant tres difficultates vulgares paucis expediendæ. Prima an requiratur actus aliquis positiuus ad omissionem. Secunda quomodò actus omissioni malæ coniunctus ab ea sordeat. Tertia quandónam censeatur admitti peccatum omissionis. De quibus sic

2 Statuendum est, dari minimè posse puram omissionem malam, quando verò coniungitur illi aliquis actus, vt ferè semper cótingit, ille solùm qui eius causa fuit, aliquomodò ab ea inquinatur; qui autem concomitanter tantùm se habet, etsi sit incompossibilis cum obseruatione præcepti, quod ea omissione violatur, per eam coniunctionem non inficitur. Incurritur denique peccatum, quando causa omissionis culpabiliter ponitur, non autem quando deindè ea contrahitur, si ampliùs non sit in libera potestate voluntatis, vt ponatur, aut impediatur.

Datur pura omissio.

Admisi primò omissionem puram, hoc est, quæ à nullo actu positiuo tanquam causa per se, aut per accidens pendeat, & quo in se vel in alio volita fiat. 3
Ita Durand. *in 2. d. 35. q. 2. n. 4.* Bass. *ib. q. 7. a. 1.* Val. *d. 2. q. 1. p. 2.* & *d. 6. q. 1. p. 4.* Mend. *q. 15. de anim. sect. 4. s. 7.* Suar. *l. 7. de Ang. c. 5. n. 18.* & hic *tr. 5. d. 3. s. 2.* quamvis *l. 1. de grat. c. 24. n. 41.* contrariam sententiam probabilem putet, Sal. *tr. 3. d. 1. n. 21.* & *tr. 13. d. 2. n. 82.* Kon. *d. 3. de act. supernat. n. 101.* Pesant. *q. 71. a. 5. d. 7.* Curiel. *ib. dub. 11. §. 3.* Almain. *tr. 3. m. c. 14.* estque sine dubio sententia S. Th. qui *1. 2. q. 6. a. 3.* admittit voluntarium indirectè posse fieri sine omni actu, & *q. 71. a. 5.* de essétia omissionis malæ negat esse actum positiuum. Et quamvis deinde addat illi coniungi semper actum, qui sit causa saltem per accidens, loquitur de eo quod ferè semper moraliter loquendo contingit, vbi eum *ibid.* exposuit Med. & Val. Et confirmatur ex iis, quæ habet *2. 2. q. 79. a. 3. ad 1.* omissionem nempè esse peccatum actuale, non quia habet actum sibi essentialem, sed quia negatio actus reducitur ad genus actus, & non agere accipitur vt agere quoddam: quare minùs S. D. mentem videntur assequuti Cont. *q. 71. a. 5.* Capr. *in 2. d. 35. q. vnic. a. 1. con. 1.* & *a. 3. ad argum. Durand contra 2. con.* Caiet. *q. 63. a. 5. 1. p.* negantes dari omissionem voluntariam quæ vel in se per actum directum, vel in alio sibi incompossibili volita fuerit, quod non appareat, qua ratione voluntaria & libera esse possit omissio, quæ nullum omnino actum positiuum terminet. Vasq. *d. 92. cap. 2.* idem asserit: quia si omissio sit actus omissionis, illa habet necessariò coniunctum aliquem actum exterioré, aut quasi actum, qui sit causa illius, qui enim non audit Sacrum, aut scribit, aut ambulat, aut quiescit, aut dormit, aut eiusmodi aliud agit, vel quasi agit; hic autem actus exterior fieri nequit sine actu interno eum imperante, ac proinde neque erit omissio externa, nisi volita per accidens in actu, quo volita est eius causa. Si verò omissio sit actus interni, vt fidei, & charitatis, præter cognitionem saltem confusam de præcepto quæ admitti debet vt consequens omissio sit mala, prætereà datur aliquis actus tùm in intellectu, tùm in voluntate, qui sit causa omissionis, quo nimirùm ita detineatur intellectus, vt nó cogitet quæ cogitare debuit, & voluntas non velit quæ velle debuit: quoad intellectum, res videtur manifesta. Cùm enim à cogitatione, quam debebat habere distrahitur, debet ad aliud obiectum diuerti, cùm solo voluntatis imperio ab omni prorsus opere feriari non possit, neque ab vna cogitatione nisi circa aliquod obiectum occupetur, diuerti: voluntas verò potest quidem circa quodlibet obiectum creatú, seu non plenú bonú cohibere suum actum vi libertatis exercitij, quá vnam saltem retinet circa eiusmodi obiecta, sed nequit nisi breuissimo tépore, ita otiosa ab omni actu manere, quo tépore vsq; adeò breui præceptú affirmatiuú non obligabit. Bec. *tr. 2. c. 3. q. 2.* omissioné actûs externi puram esse posse negat: secùs de omissione interna. Quæ distinctio mihi inutilis videtur: etsi enim non possit homo exteriùs cessare ab omni actu, aut quasi actu, quandoquidem sedere, quiescere dormire, & quilibet

quilibet alius eiusmodi status, inter quasi actus numeratur à Becan. & Vasq. tamen illi actus, aut quasi actus non sunt per se coniuncti cum omissione externa, cùm sæpè aut non sint cum actu omissioni opposito incompossibiles, vt ambulatio cum recitatione horarum Canonicarum; quæ omittitur, aut licèt sint ita incompossibiles, non sunt tamen causæ omissionis, sed concomitanter se habeant, cùm suscipiantur post decretam omissionem, aut saltem non assumantur, vt fines, aut media omissionis illius.

4 Probatur itaque vniuersim assertio à Durando & Bassol. *loc. cit.* quia potest dari pura omissio quæ sit voluntaria indirectè, ac libera eò quod voluntas liberè non eliciat actum, quem poterat & debebat elicere & potest ea pura omissio esse culpabilis. Consequentia apertissima est: vbi enim libertas reperitur, ibi iam habetur totum fundamentum moralitatis, & malitiæ capacitas, si ab obiecto, aut circunstantiis, aut præcepto, aut aliundè deriuanda est: antecedens est cum S. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 3. & à nobis aliàs ostensum est: neque negatur ab aliis. Et vlteriùs probatur: quia (vt ait Durand.) velle facere, & non velle facere non contradictoriè opponuntur ratione subiecti, ita vt necessariò illi alterum insit; sed solùm velle facere quod est præceptum, & illud non velle facere; quod vltimum nollium actum importat. Neque vt liberum sit, magis petit actum præuium, quo sit volitum obiectiuè, & formaliter istud non velle, quàm ipsum velle postulat aliud velle, quo mediante pendeat liberè à voluntate: sed sicut voluntas liberè vult suum primum velle, eo ipso quòd ita velit primò vt possit non velle; ita etiam liberè primò & immediatè non vult, eò quòd ita non vult, vt tamen possit non velle, si velle, aut non, vt loquitur Durand. non fixerat in actum, cuius habet dominium, atque in eo libertatem contradictionis consistere optimè vidit Bassol. qui etiam rectè addit voluntatem, si obiectum non repræsentaretur, non volituram sine velle actu præuio: & ex eo quòd obiectum repræsenteretur etiã poterit non velle per putam carentiam volitionis, sine vlla alia volitiane, quæ vel retineretur ad eam carentiam, vel ad aliud obiectum, & quæ cùm priori sit incompossibilis. Vnde enim est illa necessitas in voluntate, cùm cognitio vtriusque obiecti, aut vnius eiusdémque, secundùm diuersas eius formalitates, amabilitates, aut repudiabilitates, inseruiat tantùm ad libertatem exercitij, quæ solùm dicit amari obiectum, ita vt possit non amari, aut non amari ita vt possit amari, quod totum ostendit Mendo. quia libertas non exigit potentiam faciendi duos actus incompossibiles, sed faciendi, aut non faciendi vnum & eundem. Et sanè si Petro amanti beatitudinem, Deus negaret concursum nolendi, aut odio habendi eandem beatitudinem, ille amor liber esset quia posset non amare, & non velle beatitudinem, & tandem non posset non velle per actum terminatum ad eam carentiam, aut per aliam volitionem illi incompossibilem: ergo per puram omissionem.

5 Confirmat §. 131. Deneget Deus Christo concursum ad omnes actus præter ad istum, *Volo concionari*: deindè prohibeat concionari, ille omittet concionem, alioqui peccaret, non eliciet tamen hunc actum, Nolo concionari, aut alium incompossibilem cum volitione concionandi, cùm non ad vllum ex his actibus concursum habeat.

Dices voluntatium esse exercitium voluntatis, & esse liberum, in actu inferre potentiam agentem in actu secundo quæ non contingunt in pura omissione: quis enim dicat non videre, aut non intelligere esse exercitium potentiæ visiuæ, aut intellectiuæ, & potentiam vitalem tendere in suum obiectum per non actionem. Denique potentia libera est, quæ potest facere, aut non facere; atqui cum omissio pura non sit terminus factibilis respectu eius nequit dici potentia factiua.

Respondeo tamen omissionem esse tantùm carentiam voluntatij positiui, neque cōsequenter afferuntur exempla non visionis & non intellectionis: magnum enim est discrimen inter potentiam liberam, & reliquas omnes, quia potentia libera ex duabus partialibus facultatibus agendi & non agendi coalescit: est enim voluntas potētia volendi, & non volendi illiúsque est exercitium veluti adæquatum, aut voluntatum adæquatum est, velle & non velle; quare non velle respondet partiali facultati non volendi, sicut velle oppositæ partiali facultati volendi ac proinde licèt non velle sit carentia voluntarij respectu potentiæ volendi, est tamen exercitium potentiæ non volendi. Aliæ verò omnes potentiæ non habent duplicē hanc facultatem faciendi, & non faciendi, sed solam potestatē faciendi, videndi videlicet, intelligendi, mouendi, quare non factio, seu non visio, non intellectio non est earum exercitium, quia non oritur à potentia non faciendi, sed potiùs ab impotentia faciendi. Non habent itaque hæ potentiæ pro adæquato exercitio facere, & non facere; sed solùm facere. Hinc vides potentiam non volendi, esse formaliter in actu secundo, & per illum constitui suo modo vitaliter terminatam, seu tendentem per ipsam non tendentiam, quia huius sunt actualis tendētia & non tendentia. Deniq; quod dicitur, potentiam liberam posse facere, aut non facere, verum est, etsi potētia comparetur ad puram omissionem; prout enim potentia est libera, est & indifferens adhuc, & nondum determinata, est potentia factiua etiam respectu omissionis: potest enim omittere & non omittere, vt iam est determinata ad actum, est tantùm potentia factiua physica, quæ terminatur ad actionem physicam, quamquam aliqui dicant remanere respectu omissionis potentiam logicam, cuius terminus est non actio, quæ non est aliquid factibile. Verùm non est opus ea distinctione; dicendum enim simpliciter est eam physicam potentiam esse faciendi, & non faciendi, &, vt monui, teneri exerceri libertatem, quando aliquid ita non fit vt tamen fieri potuerit, si libuisset facienti. 6

Ex quibus tandem sequitur, puram omissionem, & liberam & culpabilem esse posse. Quod autem aiebat Vasq. voluntatem vix posse feriari ab omni actu circa obiectum finitum, positâ eius cognitione in intellectu, falsum est, si de liberis actibus agamus, & motus primo primos, ac indeliberatos seponamus: falsum etiam quod addit tam breuem illam temporis esse moram, quo suum omnem actum potest cohibere voluntas, vt tunc temporis præceptum affirmatiuum obligare nequeat, falsum (inquam) hoc est, quia & illa mora diuturna esse potest: si enim liberè ad aliquod tempus feriatur, voluntas, cur non & ad multum & præcepto pro eo temporis pūncto nihil obstringi prohibet. 7

Dices primò, pura omissio meritoria dari nequit, ergo neque mala: videtur enim eadem omninò paritas. Antecedens autem quia neget? neque enim non operari malū, si nihil aliud sit, dignū præmio videtur.

Respondeo ad honestatem actionis ipsam honestatem intendi debere, & non solùm præuideri, vt coniunctam actioni, vti *supr. d.* 5 dictum est: puræ autem omissionis honestas, si præuideatur, iam pura omissio non est, sed actum coniunctum habet, qui sit causa honestatis illius: ad malitiam verò actionis satis est eam præuideri, neque intendi debet, immò sæpè operans nollet eam annexam esse malitiam suo actui, quare vt omissio sit mala satis fuerit, vt talē cognosci, etsi

etsi neque ipsa omissio, neque eius malitia per actum positiuum intendatur.

8 Dices secundò, per omissiones producuntur habitus vitiosi, quia minuuntur & sensim pereunt habitus virtutum oppositarum, atque comparatur facilitas praecepta quaedam earum virtutum, atque actus omittendi; quae omnia, nisi sit adiunctus aliquis actus omissioni, contingere nequeunt. De hoc argumento eruditè disputat Curiel. *in q.71. art.5. dub.1. §. 5.* certum est per puras omissiones nullum generari habitum, qui actum pro causa effectiua requirit; per actus verò coniunctos omissionibus gignuntur habitus inclinantes ad actus similes iis, a quibus geniti sunt; qui possunt deinde occasiones omittendi praeceptorum & virtutum actus, quibus sunt incompossibiles, suppeditare, aut quia voluntas eo veluti pondere depressa tanta grauitate, & impetu ad eiusmodi actuum habituumque obiecta fertur, vt facilè ab aliis obiectis etiam ex praecepto obligantibus auertatur. Quod attinet ad habitus virtutis appositae destructionem,

9 Respondeo eam contingere per solam cessationem actuum, non tantùm per accidens, quod dum cesset à propriis actibus, facilè contrarios admittat, sed etiam per se, quia omnis habitus sit mediae cuiusdam naturae inter entitates permanentes, & successiuas, quae licet habeat simul omnes, aut saltem plures suas partes, quod non conuenit successiuis, postulet tamen sensim perire, vbi non reducitur ad actum, ad quem essentialiter ordinatur; quâ ratione etiam perit imperius impressus, quem constat tamen esse qualitatem permanentem, & non simpliciter successiuam, atque id totum in habitu memoriae solâ feriatione cessanti, facilè videtur, quod docet fortè S.Thom. *1.2.q.5 §.a.5. in cap.licet.ad 2.* cùm dicat esse causam remouentem prohibens, sed Gabr. *in 3.d.23.q.7.art.5.dub.6.* id totum optimè exponit. Reiiciendus verò est Medin, qui *in art.5.q.71.* ait generari per puram omissionem habitum vitij, quia in ea continetur virtualiter iste actus, *Volo non seruare praecepta iustitiæ*, qui saepiùs repetitus tandem habitum gignet; sed inintelligibile est, causam tantùm virtualem producere effectum aliquam realem. Secundò, quia ferè semper dum actus imperatus omittitur, aliquis alius exercetur, si vnus & idem saepiùs exerceatur generabit habitum, qui vel destruet habitum virtutis, si oppositus sit, vel ab eius exercitio mentem auocabit, atque ita erit causa per accidens destructionis eius.

Actus, qui est causa omissionis malæ, eius malitiâ sordet.

10 Altera assertionis parte dixi solos actus, qui influunt in omissionem malam, eam directè, vel indirectè causando, quia suot vel fines eius vel media (neque enim apparet qua alia ratione in eam influant) sordere illa ipsa malitia, qua inficitur ipsa omissio: caeteros verò, qui tantùm disparatè & concomitanter se habent ad illam, non inquinari; vnde enim refunderentur istae sordes? simultas enim temporis, aut potentiae vel subiecti eam malitiam non afficiabit, vt patet. Neque hanc assertionem ita in vniuersum pronuntiatâ vllus reuera negat, praeter vnum forrassis Duran. *qui in 2.d.35.q.2. n.6.* ait, actiones, quae ad omissionem malam aliter quàm ad obiectum comparantur, vitus eius non haurire, eo quòd alij omnes actus quamvis cum praecepti obseruatione incompossibiles sint indeterminati: potest siquidem impediri auditio Sacri, studio, somno, ambulatione, ludo; cùm tamen peccatum omne commissionis sit determinatum, & deinde plures ex his actibus incompossibilibus, sunt boni, vt studere, domi orare, aegros inuisere, voto aliquo se exsoluere tempore Sacri. Verùm si isti actus se habeant per modum alicuius causae, & aliqua ratione influant in omissionem, perspicuum est ab ea inquinari, cùm omnis causa peccati sit mala vel in se, vel in suo effectu, & olim diximus bonum finem sordere à mala electione, & vicissim bonam electionem à bono fine, causam ab effectu, & effectum à causa; neque vt vides hos effectus in se, ita spectatos bonos esse: nam à suo fructu genmen & arbor inficitur. Peccatum autem determinatam habet malitiam, videlicet illam ipsam quae est in omissione, à qua in actum coniunctum per modum causae deriuantur. Itaque constant vnum tantùm omneto peccatum, sicut actus exterior & interior; & in altero est malitia tantùm intrinsecè, in altero participatiuè: quamvis lis sit de nomine, an eiusmodi peccatum dicendum sit omissionis cum Vasq. *d.95.cap.3.* & Becan. *cap.3. tract.2. q.5. num.5.* quia. vti dicebam, reuera ex hac coniunctione cum omissione mala, nullam aliam habet malitiam quàm ab omissione deriuatam, quae, vt constat, alia non est, quàm omissionis; peccatum autem denominatur à malitia formali, non autem à materiali; quod hîc nullus diffitetur esse actum commissionis: alij tamen, vt Val. *1.2. d.6. quæst.1. part.4.* & Salas *tract. 13.d.2.n.105.* peccata commissionis vocant, quia actus positiuus etiamsi habeat priuatiuum aliquid pro obiecto, vt desiderium mortis alienae, est tantùm peccatum commissionis. Igitur & volitio omissionis malae, erit quoque peccatum commissionis. Verùm modò de re constet contra Durand. tantum rixa de voce fuerit.

Restat tamen grauis difficultas; quinam actus cum omissione mala coniuncti censeantur se haberi per modum causae, & quinam concomitanter tantùm. 11

Nam Valent. *l. proximè allato* putat omnem actum qui cohaeret, nequit cum obseruatione praecepti affirmatiui propter quandam incompossibilitatem quam habet, esse causam saltem per accidens & indirectam omissionis malae talis praecepti, ac proinde eius virus combibere, quia licet ex alio item actu aequè cum obseruatione praecepti incompossibili, secutura esset omissio, si positus fuisset, tamen reuera ea sequitur ex hoc actu, qui positus est, ac proindè causa eius est: sicut licet ab alio quàm Sempronio potuisset occidi Titius, aut incendi domus, si idem pugio in viscera Tirij adactus fuisset capulo tenus, aut eadem fax in domum iactata, tamen reuera à Sempronio periit Titius, & incensa domus est. Deinde possis qui statuit non recitare horas tota nauigatione, Breuiarium in mare proiicere, aut qui rem subreptam non restituere domino destinauit, in varios distrahere, & qui castitatem, cuius voto se reum fecit, violare certus est, vxorem ducere posset sine peccato, Quae omnia alia de causa absurda non sunt, quàm quia hi actus sunt incompossibiles cum obseruatione praecepti affirmatiui, ac proinde causa omissionis illius censentur, ab eàque virus hauriunt. 12

Durior tamen videtur haec sententia, immò & falsa, quia ex sola incompossibilitate cum obseruatione praecepti affirmatiui, non sequitur actum esse causam omissionis malae: ergo neque ab ea infici. Haec consequentia perspicua mihi videtur: si enim actus non sit causa, & solum concomitanter se habeat, non est vndè fiat malus, vt omnes fatentur, ipséque Valent. Iam verò actum hunc non esse causam omissionis ostenditur, non tantùm quia si ille non fuisset positus, fuisset posita omissio, sed etiam quia, si neque ille, neque vllus ex similibus 13

eiusdem prorsùs rationis positus fuisset, sequuta tamen fuisset eadem omissio, & non obseruatio præcepti, quod est certum indicium, nullum influxum talis actu in eam omissionem fingi posse, quod non reperitur in confessione Titij à Sempronio, aut incensione domûs ab eodem: quia sublatâ illâ numeto actione Sempronij, & similibus solo numero diuersis positis, produxissent iidem omninò effectus: & confirmatur: quia non potest omissio pendere ab actu coniunctò, nisi aut tanquam obiectum illum terminando, quod in sola volitione directa omissionis reperitur, aut tanquam à fine, aut tanquam à medio; quia vel illa omissio ad eum actum assumitur vt medium ad finem, v.g. omittitur Sacrum vt studio vacetur; atqui potest dati actus incompossibilis cum præcepto audiendi Sacrum, quod neque sit medium neque finis: statuit nempe aliquis non audire Sacrum, interea tamen ne maneat otiosus, studet, ludit, ambulat; hi actus omninò disparate se habent ad omissionem Sacri, neque in eam quicquam influunt, proiectio autem Breuiarij à Clerico, distractio rei alienæ, & matrimonium in exemplis allatis sunt actiones malæ, quia eripiunt deindè facultatem præceptum obseruandi quoties vrgebit etsi muretur voluntas, vt mutari potest, & quia tenouant virtualiter voluntatem omittendi: de his tamen exemplis vide pluta apud Vasq. d. 93. c. 2.

14 Qui tamen minùs probatur eò quòd dicat actionem incompossibilem cum obseruatione præcepti, quæ primò eligitur post propositum illud violandi, esse causam omissionis & ab illa fordere; quod etiam Becan. c. cit. q. 4. Reginald. lib. 15. praxis n. 12. dixerunt, & interea ne otietur, ambulat, ambulationem malam facit; si autem deindè inter ambulandum cantet, sibilet, aut oret, nulla ex his actionibus mala erit. Verùm cùm hæc prima actio neque medium sit, neque finis respectu omissionis prauæ, neque appareat quâ alia ratione in eam influat, non est cur eam ex eo consortio potiùs infici dicamus quàm consequentes omnes actiones, etiam incompossibiles, falsèmque exercebuntur quandiu vrgebit præceptum affirmatiuum; quod tamen diffitetur Vasq.

15 Denique Salas *tract. 13. d. 2. n. 101.* opera incompossibilia cum præcepto si non supponant impotentiam implendi illud, ait esse peccata: quia tunc reddunt hominem simpliciter impotentem: si verò supponant impotentiam implendi præceptum etsi nouam addant impotentiam, quia est tantum prohibitum, afferre impotentiam; non autem illam augere, non esse peccata; atque hinc fit, vt proiectio Breuiarij, sit nouum peccatum, quia affert impotentiam illud implendi toto etiam tempore subsequenti, quo obligabit. Verùm si iam sit firma voluntas omittendi præceptum, nulla ratio est, propter quam suscepta deindè actio incompossibilis, cùm impotentiam ratione suæ incompossibilitatis supponat, sit mala, vt docui. Itaque maneat posita conclusio, omnem actionem, quæ aliqua ratione influit in omissionem malam, siue vt finis, siue vt medium, siue in aliquo alio genere causæ, siue sit compossibilis, siue incompossibilis cum obseruatione præcepti, eius malitiam participare, vt optimè aduertit Curiel. *quæst. 71. art. 5. dub. 2. §. 3.*

16 Quandònam verò contrahatur omissionis peccatum, dissensio est de vocibus. Quando ponitur liberè causa futuræ omissionis, contrahitur peccatum; quandò verò omittitur præceptum eo tempore quo obligabit, & non est ampliùs in nostra potestate illud obseruare, non contrahitur peccatum nouum & & distinctum à priori; imò neque ea omissio externa peccatum propriè dici potest, sed peccati effectus: quia cùm careat libertate, careat quoque moralitate omni, & malitiâ necesse est. Ita Curiel. late *art. cit. dub. 3.* Vasq. *d. 94. cap. 2. & 3.* Azor *cap. 3. quæst. 4. lib. 4. tom. 1.* Pesant *in q. 71. art. 5. d. 3.* Lessius *lib. 4. c. 3. n. 29. & lib. 2. cap. 12. num. 18.* Molin. *1. p. q. 14. art. 13. d. 18.* contra Val. *d. 6. q. 1. p. 4.* qui ait vtroque tempore committi peccatum, quamvis omissio deinde nullam addat nouam malitiam, sed peccatum velut consummet, quod antea tantum erat inchoatum. Salas verò *d. 2. tract. 13. n. 109. & seq.* Becan. *cap. 1. tract. 1. quæst. 6.* Suar. *tract. 5. d. 3. sect. 4.* dixerunt has omissiones etiam quandò non sunt in nostra potestate, vt videntur, verè & propriè denominari peccata, denominatione tamen extrinsecâ, vti actus externi ab internis malitiam hauriunt, sequuti suot Medin. *quæst. 71. art. 5.* Verùm omnes hi effectus consequentes & inevitabiles, vt etiam olim docui, non tantùm nouam malitiam non afferunt, vt omnes docent, sed neque vllius omninò capaces sunt defectu libertatis, vt dixi: vnde Suar. deindè *lib. 3. de iuramento c. 7. num. 8.* nihil voluit in hanc partem definire, & quæstionem de nomine esse dixit, vt iam monui.



PRINCIPIUM X.

De subiecto malitiæ.



Duplex est, remotum, & proximum; hoc est actus internus qui formaliter denominatur malus: externus enim malitiam formalem ab interno deriuatam, extrinsecè tantùm participat, quamvis & ipse malitiam obiectiuam habeat. Subiectum remotum est potentia, à qua elicitur actus peccaminosus & malus, quamvis, si loquamur de malitia omissionis, ea proximè sit in potentia, cùm consistat in carentia actus debiti operanti, seu potentiæ illius: de vtroque hoc subiecto disputabo, de remoto quidem 1. *quæstione* quâ quæram quænam potentia sit subiectum malitiæ; de proximo altera quæstione, quæ docebit quinam actus potentiæ, malitiæ saltem remotè capaces sint, & illam proximè in se admittant.

QVÆSTIO I.

An sola voluntas sit subiectum actus moraliter mali, seu peccati?

Vnica distinctio duplicis malitiæ tricas omnes præscindit, & difficilia componit: altera igitur malitia obiectiua est, altera formalis, vt constat ex superioribus, prior reperitur in obiecto actus mali, & in eo fundat, seu causat malitiam formalem, quæ est forma, à qua propriè & intrinsecè actus denominatur malus: obiectum autem actuum voluntatis sunt actus externi, hoc est aliarum potentiarum, qui habent etiam ipsi pro obiecto materiam externam, siue nudam, siue circunstantiis suis vestitam. Dicendum igitur est actus externos voluntati sive ad potentias internas appetitum, & intellectum, siue ad executrices, & motricem pertineant, etiam formaliter & intrinsecè malos esse malitiâ obiectiuâ; non autem malitiâ formali, si considerentur quatenus procedunt à suis principiis effectiuis præscindendo à libera dependentia quâ habent à voluntate, cuius imperio fiūt, 1

aut

aut omittuntur, cuiúsque actionem, aut non actionem tanquam obiecta terminant; actus autem voluntaria liberè & ex deliberatione agentis sunt mali malitiâ formali, quam deriuari in actus aliarum potentiarum motioni voluntatis subiectarum, & ea de causa propriè & formaliter mali, seu peccata denominantur, non à forma sibi inhærente, sed denominatione tantùm extrinseca sumpta à malitia, quæ est formaliter in actu voluntatis, à quo procedunt. Hæc conclusio nullum in reipsa repugnantem habet, & probata est olim: cùm enim fundamentum totius malitiæ sit voluntarium liberum, quod in sola voluntate reperitur, necesse est in eo quoque primariò reperiri malitiam supposito obiecto malo & in actum deindè externum deriuari. Atque ex his

2 Sequitur primò, rectè componi quæ habet S.Thom. *quæst.* 74. *art.*1. nam ait voluntatem esse subiectum peccati; quam propositionem Contad. malè negat esse vniuersalem, & ad aliquos tantùm actus, scilicet voluntati internos restringi, vt Caiet. *in art.* 2. & Curiel. *ibid.* Vasq. *d.* 103. Azor. *lib.* 4. *cap.* 21. *q.* 1. 2. *&* 3. & alij apertéque innuit. Suam Conr. conclusionem probat, quòd omnis actua immanans recipiatur in suo principio effectiuo, actus autem virtutum & vitiorum immanentes sunt, suáque principia formaliter denominant, & sunt præterea omnes voluntarij, ac proindè à voluntate, vt à principio, pendent. In eodem igitur principio, sicut in subiecto reperiuntur. *Art.* tamen 2. ait in aliis quoque potentiis reperiri peccata, seu actus malos: quia neque earum potentiarum actus sunt obiectiuè mali, & non formaliter nisi malitiâ communicatâ à voluntate, ita vt sit vna eadémque malitia formalis in actu interno & externo voluntatis, sed diuersimodè; in altero quidem intrinsecè, & in altero extrinsecè. Vnde

3 Sequitur secundò, quòd in titulo quæstionis quærebatur, solam voluntatem esse subiectum inhæsiuum malitiæ formalis ratione sui actûs; subiectum autem denominatiuum esse alias quoque potentias mediantibus propriis actibus, qui verè & propriè dicuntur, siue, vt ait Curiel. §. 3. peccata, quantùm ad materiale esse inhæsiuè in potentiis voluntati subiectis, non quantum ad formale. Pesaut. *in art.* 1. *quæst.* 74. *d.* 1. vocat voluntatis subiectum morale peccati; aliæ verò potentiæ sunt tantum subiecta physica. Hinc vides quomodò error, infidelitas, & alij eiusmodi actus intellectûs verè peccata sint, & tamen maneat prima propositio S. Th. peccatum esse solum in voluntate, quod de actibus quoque appetitûs, & membrorum quoque externorum ostendit Curiel. sunt enim hi omnes actus tantùm voluntarij, licèt inordinati, ac proindè habent omnia necessaria ad veram malitiam, quæ est inordinatio seu difformitas liberæ actionis vel omissionis: quæ libertas est tantùm à voluntate, imò & inordinatio, cùm, vt iterùm monebimus inferiùs, actus externarum facultatum non ordinentur à ratione practica, nisi medio voluntatis imperio, & ea etiam de causa, licèt in his potentiis sint peccata modo exposito, non dicuntur tamen eæ potentiæ peccare, sed sola voluntas. Reiiciendus itaque Almain. qui *tract.* 3. *moral. c.* 14. ait in sola facultate motrice reperiri peccata, non in aliis sensibus externis, quia hæ non subduntur voluntati; v.gr. visiones, & auditiones peccata non sunt, sed apertio oculorum, & exhibitio patulatum aurium, quæ fiunt per motum localem. Verùm non ille dumtaxat, sed ipsa etiam applicatio facultatis videntis libera est, potest enim ita distrahi animus, vt apertis oculis nihil videatur; quod verò Scot. in 2. *d.* 42. *q.* *ad quæstionem* 3. ait etiam nutritiuam & alias potentias vegetantes subiici voluntati, eo quòd pendeant à potentia motiua, cuius est applicare, v.g. cibum nutrienti, ac proindè earum actiones peccata materialiter esse dicat, hoc est obiectiuè, reiicitur à Vasq. *in notis ad art.* 7. *q.* 72. *dubitatione* 3. quod sola applicatio harum potentiarum sit in nostra potestate, non verò earum actio; vbi semel applicatæ sunt: verùm nihil aliud voluit Scot. vti exemplum facultatis nutrientia, cuius actio à motrice pabulum applicante dependet, satis ostendit, quàm quod diximus.

Sequitur tertiò, falsò Nouatores peccatum in facultate appetitus sensitiui constituisse, cuius omnes motus etiam independenter à voluntate peccata mortalia faciunt, quos damnat Tridentin. *sess.* 5. definitque concupiscentiam relictam ad agonem in renatis, nocere solis consentientibus, vocari à Paulo peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: quæ omnia pluribus illustrat Stapluton. *lib.* 3. *de iustificatione.* 4

Sequitur quartò, reiiciendam esse sententiam Caietan. *in artic.* 4. tribuentis sensualitati imperfectam libertatem, quæ ad peccatum veniale sufficiat: sequeretur enim duplex peccatum admitti semper ab eo, qui in bonum sensibile fertur læthaliter: esset enim in actu voluntatis peccatum mortale, & in appetitu veniale. Secundò dæmonem qui commotione humorum potest incitare appetitum, nos efficaciter ad peccatum impellere dum libuerit; eum autem qui acriter repugnat his motibus, quia tamen sæpiùs effrenes sunt, neque obsequuntur moventi, peccare; quod definitioni Trident. *superiùs* allatæ non conuenit: quare sententiam Caietan. improbabilem vocat Suar. *tractat.* 5. *d.* 5. *sect.* 5. & aliis grauioribus censuris configit; libertatem autem etiam imperfectam appetitui malè concessit Caietan. maximè eam, quæ ad peccandum exigitur, cùm enim ea supponat cognitionem honestatis & turpitudinis obiecti, quæ rationes cadunt in solam facultatem intellectiuam, & non in sensitiuam, à qua immediatè mouetur appetitus sensitiuus, statim apparet eum destitui iis quæ ad peccatum necessaria sunt, neque est quod Caietan. recurrat ad consortium appetitûs cum voluntate, quia non mouetur à voluntate nisi mediante phantasia, & licèt à voluntate immediatè ageretur, eius tamen libertatem non participaret nisi extrinsecè, quando actu ab ea moueretur, vnde non efficeretur quod vult Caietan. eum ex suâ naturâ libertatem ad venialem noxam sufficientem habere. Denique in hanc tantum sententiam ducitur Caietan. vt loca S. Thom. conciliaret, quæ facilem tamen habent explicationem: *quæst.* siquidem 74. *art.* 2. *ad* 3. negat in membris externis esse peccatum, quia sunt sola organa, quæ aguntur, & non agunt, in appetitiuis autem facultatibus, quia sunt liberæ, esse posse: *&* *art.* 4. negat in sensualitate posse esse peccatum mort. vbi S.D. si loquitur de sensualitate, vt mota à voluntate, aut illi coniuncta, falsum dicit: quia eo modo non solùm in voluntate, & sensualitate, sed in aliis quoque potentiis reperitur peccatum mortale. Loquitur itaque de appetitu seorsim, & in se spectato, qua ratione fatetur peccati venialis capacem non mortalis. Plurimi sunt Interp. in conciliandis hisce locis. Vasq. *d.* 103. hanc difficultatem proposuit, sed non soluit, cùm tamen mihi videatur S.Doctorem suam mentem satis explicuisse, & *art.* quidem 2. optimam differentiam statuit inter potentias externas & appetitum, quod illæ dumtaxat moueantur à voluntate & nullo modo moueant 5

seipsas; appetitus autem & moueatur, & moueat, seipsum: quia enim membra applicantur operi per merum imperium, appetitus autem media apprehensione & repræsentatione obiecti; à qua ad suam actionem determinatur, eo ferè modo, quo voluntas sublatâ indifferentiâ, hinc fit vt membra externa moueantur tantùm: appetitus autem & moueatur, & se moueat. Vnde fit vt in membris externis alio modo dicatur esse peccatum, quàm in appetitu qui ad illud alio longè modo concurrit, scilicet non subiectiue tantùm sed actiuè quodammodo.

6 Quod verò S. Th. neget peccatum mortale esse in sensualitate, quod etiam soli rationi superiori videtur tribuere *art.* 6. 7. 9. *&* 10. maiorem habet difficultatem, obseruandúmque Mag. *in* 2. *d.* 24. & veteres Scholasticos in eum locum, & S. Thom. *hic & q.* 74. *art.* 7. sequutos S. Aug. *lib.* 12 *de Trinit. c.* 12. 13. *&* 14. duplicem rationem, seu, vt alij loquuntur, portionem in homine & secundùm naturam intellectualem spectato distinguere, inferiorem scilicet, & superiorem, hæc verò est, quæ æternis conspiciendis vel consulendis adhæret, inferior autem quæ temporalia tantùm spectat. Aug. superiorem viro, inferiorem Euæ, & sensualitatem serpenti egregiè comparat, omissis autem quæ circa hanc rationis partitionem philosophantur veteres apud Carthusianum *illa d.* 24. *q.* 5. satis fuerit eas distingui penes motiua, & regulas, quibus humanas actiones dirigant: ita vt fiat veluti duo tribunalia, in quibus momenta omnia expendantur, quorum supremum est illud quod in ordine ad vltimum finem iudicat: quare non modo quoties spectantur motiua supernaturalia, sed etiam quando ipsa honestas naturalis obiecti, aliáque ad eam inducentia considerantur, opus est rationis superioris: inferior enim bonum tantùm sensibile & delectabile respicit, vt ait Vasq. *d.* 105. *c.* 5. Differunt quoque penes materiam, quia superior non modò spiritualia & æterna bona considerat, sed ad ipsa quoque sensibilia, quatenùs æternæ legi subiecta sunt, extenditur, cùm inferior ad sola sensibilia coarctetur. Ex quibus facile S. Doctoris mentem interpretabere. Ait igitur primò omne peccatū mortale esse in ratione superiori *art.* 7. *&* 8. hoc est nullum consensum voluntatis posse esse peccatum mortale, nisi intellectus & voluntas, vt habent vim rationis superioris, aduertant, vel facile possint aduertere, quale id sit quod voluntas amet, quia vt ait Pesant. *d.* 1. *in art.* 4. *q.* 74. Axor. *l.* 4. *c.* 21. *q.* 6. peccatum mortale auertit ab vltimo fine, quem considerare pertinet ad solam rationem superiorem, vel quia, vt ait Vasq. *d.* 104. *c.* 5. peccatum mortale dicit priuationem charitatis, & gratiæ, quæ in sola voluntate, & non in appetitu etiam vt moto reperitur, ac proindè in appetitu solum veniale concedit, non mortale, nisi in ratione motis, non in ratione mortalis seu vt est quidem actus, qui causat eam priuationem gratiæ, aut illius saltem debitum affert, etsi eam reipsa non inducat, cùm perfectè gratiam, quæ non est, tollere nequeat; ipsa tamen priuatio, aut debitum eius in sensualitate non est, vt patet.

7 Secundò ait S. Tho. *art.* 10. in ratione superiori non esse aliquando peccatum veniale ex indeliberatione circa proprium obiectum vt contingit in subitaneis motibus, infidelitatis, blasphemiæ, &c.

Tertiò, non potest esse peccatum mortale quando circa proprium obiectum ex plena deliberatione procedit; quia (vt ait *eodem art.* 9.) ea materia est ex genere suo grauis & obiectum mortale, quod non impedit quominùs aliquod peccatum in indiuiduo ob exiguitatem materiæ quæ in obiecto & ex suo genere malo assignatur, veniale fiat, vt in voti leui infractione concedant omnes.

Quartò in ratione superiori & virium inferiorum directiua potest esse veniale peccatum. Ita *art.* 9. ob leuitatem videlicet materiæ, non tamen ex subreptione, quia ratio superior non occupatur circa materiam inferiorum potentiarum, nisi prout consulit rationes æternas circa ipsas, atque proindè vt deliberans: nullus igitur occurrit motus indeliberatus. Aduertit tamen Suar. *d.* 5. *s.* 3. quamvis motus indeliberati peccaminosi non tribuantur superiori rationi, vt causæ mouenti, illi tamen vt non impedienti assignati: potuit enim tunc & debuit aduertere turpem esse; atque ex his vides quandò peccatum mortale tum in inferiore, cuius obiecta sunt materia, tum in superiore esse dicatur, aut negetur à sancto Thom. 8

Quintò *A.* 7. ait consensum in actum pertinere ad rationem superiorem, consensum autem in delectationem ad inferiorem, quamvis & ad superiorem quandoque pertineat. Videtur eadem Aug. mens *lib.* 12. *de Trinit. c.* 12. probat S. D. quia in omni iudicio vltima sententia pertinet ad supremum iudicatorium, quod in homine est ratio superior, quæ humanas actiones ex regulis æternis dirigit; cum autem de pluribus iudicandum est, finale iudicium est de eo quod vltimo occurrit: in actibus autem humanis æstimandis primò occurrit delectatio, quæ est aliquid præuium ad actum ad quem incitat, & vltimo actus ipse; quare ad rationem superiorem pertinebit consensus in actum, seu iudicium de eo, quamvis quia supremus iudex potest etiam de iis quæ inferiori subduntur, iudicare, ratio etiam inferior possit de delectatione quoque iudicare & in eam consentire. Hæc doctrina Thomistarum ingenia diu exercuit, quia ratio inferior quæ sola motiua & bona sensibilia consulit in delectationem consentit, ita iisdem motiuis temporaneis dumtaxat consideratis in opus quoque consentit. Ratio autem superior vbi negligit æterna consulere, tum in delectationem, tum in opus quoque & æquè primò trahi se patitur. Quare tota ea distinctio in hac parte videtur inutilis & falsa. Caiet. & Curiel in hunc articulum respondent, vtrumque consensum tum in opus, tum in delectationem esse in parte superiori, quandò rationes æternæ considerantur, in inferiori, quando motiua temporalia solum spectantur; quod etiam fatetur Vasq. *d.* 105. *c.* 5. qui colligit omne peccatum etiam veniale pertinere ad rationem superiorem, quia per æternam quæ ea consulit iam monuimus esse intelligenda quæ pertinent ad ipsam honestatem, & turpitudinem moralem obiecti & actus eliciendi, sine qua aduertentia nulla potest esse malitia neque in delectatione, neque in actu. Quod autem ad SS. Th. & Aug. pertinet Caietan. eam distinctionem intelligendam esse per quandam appropriationem dicit, quia delectatio occurrit primo rationi inferiori, vt bonum quoddam ipsius, temporale scilicet; actus autem occurrit iudicandus an sit licitus, an illicitus secundum rationes æternas, quod ad superiorem pertinet, si tamen ratio superior non reprimit motum inferiorem consulendo leges æternas, iam consensus in delectationem ipsi quoque imputatur non positiuè & vt mouenti, sed negatiuè. Med. ibid. ait rationem inferiorem nunquam in actum consentire nisi aliquid participet de superiori, quatenus videlicet ratione superiori vel regulatur, vel non regulatur, cum regulari possit, & debeat: vnde consensus in actum optimè tribuitur rationi superiori: delectatio autē vel ipsa est vltimus actus vltimo iudicio definitus, vt cum quis vult delectari in re turpi cogitatione, & tunc ad rationem 9

supe

superiorem pertinet, & est tantùm præambula actus consequentis, & est partus rationis inferioris, quod nō satis explicat Medin. quare Vasq. *d.* 105 *cap.* 5. & Cont. *in a.* 7. dicunt rationem inferiorem apud Aug. quem sequutus est S. Thom. consentire delectationi quando ea sola ducitur cupiditate nondum considerata ratione virtutis, aut malitiæ, hocque est mulierem comedisse, sed ibi nullum peccatum est, donec vir, seu ratio superior consentiat; quia Aug. ait rationem violenter aliquando commotam cupiditatem, quam mulieri comparat, compescere, & tunc non trahit nos in peccatum: si autem, inquit, ratio consentiat, & quod libido commouerit faciendum esse decernat, ab omni vita beata expellitur homo, à qua expositione non multum abest Azor. *lib.* 4. *c.* 21. *q.* 7.

Statò dicit S. Thom. in sensualitate esse peccatum veniale; quod intelligendum est quatenùs præuenit plenam aduertentiam, & deliberationem: non tamen omnem, ita Azor. *q.* 5. *cap. cit.* Sal. *n.* 35. *d.* 6. *tract.* 13. & alij communiter.



PRINCIPIVM X.

Quinam actus voluntatis, & motus appetitus sensitiui sint formaliter mali, seu peccata?

1 DICENDVM QVA est, omnes actus voluntatis absolutos, siue efficaces, siue inefficaces sint, versantes circa quodlibet obiectum malum vt malum, & non propter rationem aliquam boni in eo relucentem, aut illi connexam, non tantùm præscindendo sed excludendo malitiam motiui, & obiecti formalis, malos esse; actus vero conditionatos supponentes conditionem totam obiecti turpitudinem excludentem, omni quoque malitia carere: motos appetitus sensitiui si præueniant omnem intellectus aduertentiam, & voluntatis consensum, malitiæ incapaces esse, si semiplenam aduertentiam sequantur, esse venialiter malos; si plenam denique aduertentiam supponant etiam mortaliter malos esse posse, siue formalem, siue virtualem, siue interpretatiuum tantùm consensum voluntatis adiunctum habeant.

Varij actus voluntatis, & appetitus.

2 Obseruandum imprimis est actus voluntatis alios esse absolutos, alios conditionatos: absoluti versantur in obiectum vt in se est, nulla facta hypothesi: conditionati respiciunt quidem obiectum sed vt affectum aliquâ conditione, v.gr. si possibile esset, amarem: si non esset dies ieiunij, carnes manducarem: atque hos actus non tantùm esse futuros, sed reuera præsentes in voluntate, esseque tantum conditionatos ex parte obiecti & non subiecti, ostendimus *alibi* contra Vasq. *hic d.* 42. *c.* 4. neque enim est tantum propositum de volitione futura obiecti, positâ conditione vt ait Fons. *9. metaph. c.* 2. *q.* 5. *sect.* 5. aut approbatio qua sibi in actu futuro conditionatè voluntas complacet, vt existimauit Valent. 1. 2. *d.* 2. *q.* 8. *p.* 4. sed verus actus elicitus à voluntate circa obiectum conditionatum; vnde Fonseca eum vocabat mixtum, quod sit partim absolutus ratione subiecti, & voluntatis, in qua reuerà præsens est, partim conditionatus ratione obiecti quod non absolutè respicit, sed sub conditione; atque ita exprimitur, Volo mihi bonum illud, si conditio possibilitatis, aut alia quæpiam illi accedat. Rationem horum omnium reddimus *l. c.* quia obiectum conditionatum atque vt tale propositum, amabile, aut repudiabile est. Ergò iam amari potest, & non tantùm vbi reipsa ponetur conditio: quia hæc cōditio supponit in obiecto bonitatem, aut malitiam, vel amabilitatem, aut repudiabilitatem, sed tantùm addit aut possibilitatem, aut aliud quidpiam quo licita fiat, aut illicita eius prosecutio, vel fuga, vt in comestione carnium in quadragesima fit perspicuum: prohibitio enim non dat bonitatem, aut malitiam naturalem illi comestioni, sed tantùm facit illicitam, & malitiam moralem affert, in quam nunquam tendit voluntas: potest igitur velle carnes, sub ea conditione, si nulla esset prohibitio; quod tamen non est velle non esse prohibitam comestionem illam, vt videtur sentire Sanch. *l.* 1. *in Decal. c.* 2. *n.* 23. vnde negat ea quæ sunt intrinsecè mala posse licitè sub ea conditione, si mala non essent, appeti, quia hoc esset velle naturas rerum immutari. Verùm vt dixi dum voluntas vult obiectum sub aliqua conditione, & hypothesi, non vult propterea poni eam conditionem: duæ enim illæ voluntates diuersissimæ sunt, vt patet ex eorum obiectis, vt inferiùs iterum insinuabitur. Conditio itaque supponit in obiecto vim motiuam voluntatis, atque ita diximus differre voluntatem ab aliis potentiis, maximè cognoscitiuis, quæ non habent in suo obiecto proportionabiliter sibi proposito rationem formalem, & motiuam, v.g. in eo actu qui ita intelligeret, si obiectum esset intelligibile, intelligibilitas affert rationem constitutiuam obiecti illius. Quare antequam ea ponatur, non potest attingi ab intellectu, atque ita argumentum est Vasq.

Vterque autem hic voluntatis actus tum absolotus, tum conditionatus iterum diuiditur in efficacem, & inefficacem, nam etiam aliquem actum efficacem conditionatum nominari, & esse ostendimus olim: quamvis enim ex actu conditionato nullum opus reipsa sequatur, quamdiu non ponitur conditio in obiecto, eius tamen aliquando naturæ est, vt positâ conditione, sequutura sit efficax electio, & executio mediorum absque vlla alia intentiue efficaciore: quod igitur effectum consequentem non habeat modo hic actus, per eum non stat, vt ita dicam, sed per obiectum quod caret conditione requisita ad eam efficacitatem terminandam; sæpiùs enim videmus causam a. licèt habeat vim agendi aliáq; omnia ad actionem requisita, impediri tamen ab effectu, alterius causæ concursu, aut incapacitate subiecti, habétque tunc efficacitatem in actu primo cum inefficacitate in actu secundo propter impedimentum extrinsecum, quamquam efficacitatem etiam in actu secundo aliquam habeat: nam detestatio de peccato præterito, quæ actus conditionatus est, cùm per eam voluntas velit non peccasse, si possibile foret, efficaciter, & reipsa excludit quandiu præsens est, omnem actum similem præterito, vt ait Suar. *tom.* 4. 3. *part. d.* 3. *sect.* 3. *num.* 6. quia tamen ferè nunquam hi actus habeot efficaciam in actu secundo, cùm aut nunquam ponatur conditio, aut sæpiùs poni non possit; vndè nunquam per eos tendit in opus voluntas; idcircò diuisio actus in efficacem, & inefficacem pertinet potissimum ad absolutos. 3

Efficax igitur actus est ille, qui tendit ad opus: per eum enim vult voluntas reipsa consequi quod delectat ipsam, aut fugere quod ei displicet. Inefficax est simplex complacentia, vel displicentia rei sine vllo ordine ad rei executionem, diciturque delectatio 4

morosa non autem mora temporis, cum etiam momento temporis committi possit, & aliquandò per longum tempus sine noxa perseueret, si videlicet non sit aduertentia in intellectu sed à consensu voluntatis, qui in ea supposita intellectus deliberatione præstatur. Ita eam distinguit Azor. *lib.4.c.5. q.1.* à desiderio, quod illud sit semper voluntas complendi opus, & ad illud perueniẽdi ac proinde efficacitatem includat, sicut & consensus, & sicut idem ait *cap.6. in fine* obiectum huius delectationis seu affectus inefficacis est duplex, ipsa nempè cogitatio, & obiectum cogitatum; quod non est tantùm materia venerea, sed alia omnis pertinens ad quolibet præceptum vt docet Sanch. *lib.1 in d.c.2.n.4.* Vasq. *d.111.n.17.* & alij: communiter tamen Authores de delectationis morosæ malitia disputantes, de venere agunt, quia illa & frequentior & maiori periculo obnoxia est. Latum verò discrimen constituunt inter delectationem quæ est cogitationis, & eam quæ est de re cogitata; nam prior non attingit obiectum cogitatum, aut cognitum, imò sæpè adiunctam habet eius displicentiam. Cùm vt ait S.Thom. *q.74.art.8.* sæpè lætemur nos scire aut cognoscere modum quo perpetrata sunt plura crimina, quæ prorsùs execramur. Quare ea delectatio ita terminatur in cognitione, vt nullum affectum in obiectum cogitatum inuehat: neque enim illud vt delectabile repræsentatur; sic aspectu duelli, aut alterius rei malæ subtiliter, & ingeniose perpetratæ, aut ex narratione, vel lectione fraudium belli iniusti raptarum Virginum delectamur; quamvis quæ ita malè committuntur oderimus. Posterior delectatio attingit ipsummet obiectum immediatè, & non eius notitiam, vel cogitationem, quæ vt obseruat Vasq. *d.109.c.1.* habet tantùm rationem conditionis, aut applicationis necessariæ, vt obiectum sui delectationem excitet: ad hoc enim opus est vt vel per sensum, vel intellectum applicetur affectui: vnde infert Lessius *lib.4.c.3.n.107.* hanc delectationem esse prorsùs similem ei quæ ex reali obiecti præsentia, & eius actuali fruitione percipitur, cùm quodlibet fiat nobis tum reipsa præsens, tum cognitione sensitiua, aut intellectiua, & vtroque modo eandem voluptatem ingeneret vt patet in somniantibus, qui se loqui, comedere, & bibere putant: phantasia enim, seu sensus interior, & multò magis intellectus vim habent percipiendi omnia sensuum externorum obiecta. Quare si obiectum sensibus externis perceptum delectationem ingenerat, quidni etiam quando erat in phantasia, vel intellectu, etsi actu non existat, obiicitur? Vnde etiam fit vt hæc delectatio totam suam malitiam, & speciem hauriat ab obiecto sicut & efficax affectus. Ita Azor. *tom.1.lib.4.c.6.q.1.& 3.* Pesant. *in q.74.d.2. & 3.* Sanch. *lib.1.in decal.c.2.n.8.& 9.* contra Vasq. *d.111.cap.3.* vbi negat actum inefficacem desumere suam malitiam ab obiecto, sed primario eam ex se habere, ex oppositione videlicet cum peculiari aliqua virtute quam importat: si enim ea careat bonus erit, vel indifferens, atque in eo distinguit simplicem complacentiam, seu delectationem ab efficaci affectu qui totam suam speciem, & malitiam petit ab obiecto, quod est opus externum, à quo vt ab effectu inficitur; probat autem, quia aliquando actus efficax est bonus, & inefficax malus circa idem subiectum; qui enim efficaciter vult vxorem ducere, & cum ea delectari, non peccat; qui tamen per simplicem complacentiam iam de accessu ad illam delectatur, peccat: è contrà verò Religiosus delectari potest in magnis sumptibus erogandis, non tamen eos velle efficaciter absque graui culpa: licet gaudere de pollutione in somnis inculpabiliter nata, tam tamen efficaciter velle nefas est. In quibus omnibus cum idem maneat obiectum, & ex sola mutatione voluntatis simplicis in efficacem varietur grauitas malitiæ, signum est eam non deriuari ab obiecto in istos affectus eodem modo, sed affectum simpliciter eam primariò habere ex sua natura propter oppositionem cum aliqua virtute peculiari. Ratio à priori etiam videtur, quia simplex complacentia tota interius consummatur, vnde malitiam non sumit ab actu exteriori & opere circa quod non versatur sicut efficax. Hinc elicit Vasq. *d.112.c.2.* quoties in opere externo est duplex malitia, vt in adulterio, raptu, incestu propter oppositionem quam habent cum diuersa virtute, non refundi eam vtramque malitiam in delectationem morosam, cùm enim illa v.g. in exemplis allatis solum opponatur castitati & ex ea oppositione suam habeat malitiam: oppositio cum iustitia in adulterio & raptu cum pietate, & in incestu cum Religione, cum copula sacrilega sunt circunstantiæ impertinentes ad malitiam contra castitatem, etsi illam comitentur in his obiectis, ac proindè ab illis non sordebit delectatio morosa quæ ex sola oppositione cum castitate suam sumit malitiam, non ab opere externo & obiecto, in quo malitia fornicationis & religionis, aut iniustitiæ commictæ sunt, quam doctrinam non improbat Less. *lib.4. cap.3.n.123.* Sal. *tract.13.disp.6.n.56.* Bonacin. *q.4.de mat.p.4.n.19.*

Probatur tamen nostra sententia, nempè malitiam 5
& speciem delectationis morosæ ab obiectu desumi, ac proinde eius grauitatem vel leuitatem, imprimis, quia ab obiecto suum habet esse specificum etiam in in genere moris; ergo & ab illo suam malitiam; illa enim vnica est ratio propter quam actus efficax sordeat ab obiecto, quam enim assignat Vasq. falsa est, alioquin obiectum vt obiectum numquam daret speciem aut malitiam actui, sed solùm quatenus est effectus: esse autem effectum, est dumtaxat quædam circunstantia in ratione obiecti, vt patet, & quamvis delectatio non tendat in executionem operis externi, tendit tamen in obiectum malum quod approbat & vult, indeque & malitiam & speciem sortitur: quod enim eam Vasq. ab oppositione cum virtute capit, non vrget: vnde enim eam oppositionem habet nisi à suis causis à quibus suum esse morale accipit, in quibus quis non videt præcipuum esse obiectum? & licet in actu interno tota hæc delectatio consummetur, non tamen ita vt omni obiecto & materia careat, vti in aliis peccatis quæ interiùs consummantur, vt odio Dei contingit, illa enim lex non tendit in opus externius & obiectum de quo sint, & circa quod versentur habent. Si itaque obiectum malum placeat voluntati, illam complacentiam inficiet, licet ad opus externum non terminetur. Argumenta Vasq. non probant delectationem, seu affectum inefficacem de obiecto malo, non esse malum, neque quandò efficax & inefficax differunt malitia, tendere idem in diuersum obiectum, vt apparet expendenti exempla allata à Vasq. nam ducere vxorem est aliquid bonum, ac proindè eius voluntas efficax bona est. Venereus autem cum ea quæ nondum vxor est, congressus malus, ac proinde, delectatio de eo tanquam præsenti mala est, quia est inchoatio quædam operis mali: gaudium de pollutione quæ in somnis contigit, non est de ea præcisè, vt pollutio, sed de commodo aliquo illi annexo, quod tamen non licebit procurare media pollutione, neque propterea efficaciter velle pollutionem ad eiusmodi commodum percipiendum, illius enim desiderij immediatum obiectum esset aliquod malum, ipsa nimirum pollutio, quæ obiectiuè mala est.

Non

6 Non nego tamen aliquandu obiectum malum non tefundere totam malitiam, quam habet in affectum inefficacem, qui hac in parte differt ab efficaci, qui necessariò totam fœditatem sui obiecti participat, vt aduertit optimè Pesant. *d.3.cit.* Azor. *c.6.lib.4.cit.q.3.* Sanch. *lib.1.in decal. c.2.n.11.* Kon. *d.44.de sacramentis n.108.* ratio huius discriminis est, quia affectus efficax fertur in opus vt reipsa exequendum, opus autem illud nun habet necessariò malitiam omnium circunstantiarum cognitarum, v.g. fœdatio vxoris alienæ, habet malitiam adulterij, quamvis qui eam fœdat, non accedat vt ad alienam, & talem esse nolit, ergò io voluntatem efficacem & tendentem in totum illud opus, tota eius malitia tefundetur; at verò voluntas ioefficax & delectatio morosa quia non tendit in opus exequendum exterius, sed in solam eius malitiam apprehensam, potest in vnam tantum eius malitiam ferri, aliis vel non apprehensis, vel per illum præcisis, potest enim quis delectari de vxore aliena, non vt aliena est, sed vt pulchra est, licet non sua, non cogitando esse alienam, aut Deo sacram, aut cognatam, & ea delectatio tunc ad simplicem fornicationem pertinebit, quia motiuum voluntatis ab intellectu propositum excludit omnes rationes alias turpes, & restringit malitiam ad fœditatem simplicis fornicationis: si tamen intellectus eas omnes rationes fœdantes diuersimodè obiectum, voluntati repræsentet, neque vllas excludat saltem implicitè, tunc multiplex illa fœditas in voluntatem etiam inefficacem deriuabitur: quia tendit in totum obiectum propositum & apprehensum cùm voluntatis non sit præscindere vnam rationem ab alia, atque hoc vnum, ni fallor, voluit Vasq. & qui eum sequuti dixerunt malitiam ductam ex circumstantiis obiecti non refundi in affectum eius inefficacem.

7 Hinc soluitur vulgaris ea quæstio, an in confessione exprimendæ sint circunstantiæ specificæ operis, de quo fuit delectatio morosa, v.g. an fuerit de coniugata, aut cognata: negat enim Vasq. *d.112.c.2.* Cum hæ circumstantiæ non mutent speciem actus: excipit tamen circunstantiam voti castitatis & coniugij in admittente eas delectationes, quia habent specialem oppositionem cum virtute castitatis, a qua oppositione suam malitiam iam habet delectatio. Sà *verſ. confessio* ait eum qui de peccatis præteritis delectatur, non teneri fateri quænam illa sint. Respondeo tamen cum doctoribus allegatis contra Vasq. quando delectatio est de toto obiecto, fatendas esse has circunstantias: secùs quandò per propositionem factam ab intellectu, restringitur ad vnam aliquam malitiam modo explicato. Hactenùs de actibus voluntatis.

8 Affectus appetitus sensitiui sunt vel fugæ vel prosecutiones circa obiectum aliquod sensibile, & vel causant affectum voluntatis, vel eum consequuntur, & in vndecim vulgatas passiones, quarum aliquæ ad concupiscentem, aliæ ad irascentem pertinent, distribuuntur: quæ partitio communis etiam est actibus voluntatis; differunt tamen tum circa obiectum, quod ampliùs habet voluntas quàm appetitus, qui ad bonum sensibile restringitur, tum quia appetitus semper habet adiunctam commotionem quandam corpoream, quæ in delectationibus venereis est quædam veluti Inchoatio operis, vt obseruat Less. *lib.4.cap.3. num.113.* tum quia nulli sunt affectus conditionales in appetitu sensitiuo, vt contra Sal. *d.6.tract.13 n.189.* rectè docuit Sanch. *c.2.cit num.33.* cum enim omnis delectatio tùm voluntatis tùm appetitus, vel ex præsentia reali, vel intentionali obiecti resultet; & intellectus possit proponere obiectum vt conditione vestitum voluntati, in illud ita propositum ferri potest: at imaginatio, quæ immediatè prælucet appetitui, non potest conditionem in obiecto apponere. In his conditionalibus enim est quædam affirmatio & negatio, & in copula conditionali est illatio, ac denique collatio quædã & præcisio vnius ab alio, vt si quis velit accedere ad Semproniã si esset sua, ponit conditionem excludentẽ malitiam ab obiecto, quæ consistit in copula cum non sua: hæc ab imaginatione fieri non posse constat: verùm tamen appetitus excitatur à voluntate potest delectari de obiecto eodem de quo voluntas, quamvis illi non proponatur ab imaginatione vt conditionatum, sed vt bonum quoddam sensibile, quod tamen non appetit voluntas nisi cum quadam conditione excludente malitiam, quod non excludit dari delectationes sensitiuas conditionatas, vt contendebat Salas.

Hi omnes porrò tùm voluntatis tum appetitus af- 9
fectus non modo prælucentem sibi proportionatam cognitionem supponunt, vt existant; sed etiam aduertentiam malitiæ, quæ sola ad intellectum pertinet, seu deliberationem rationis ad malitiam, vt omnes fatentur: qui motus primò primos, hoc est ante eam aduertẽtiam subrepentes etiamsi diu perseuerarent, malos esse negant contra Nouatores *superiùs* reiectos, & Caiet. *ibid.* etiam confutatum, ac denique Henricum, qui omnes motus appetitus infidelium peccata esse contendit, non autem in fidelibus ob personæ dignitatem; quem errorem reiicit S.Thom. *1.2.q.89.A.5.* quia personæ dignitas potiùs auget peccatum, quàm diminuat, & pluribus Vasq. *d.106.* vbi etiam ostendit idem omninò dicendum siue motus appetitus præueniant imaginationem, oriantúrque ex alteratione corporis, siue ex imaginatione sequantur, & commotionem corporis efficiant; hos enim malè aliqui dicunt potuisse præuenire, ac proindè ream esse voluntatem quæ passa sit eos insurgere. Quæ omnia falsa sunt: constat enim imaginationem neque quoad suum primum motum, neque quoad imaginationem corpoream inde consequentem, neque quoad continuationem non semper subesse voluntati: quandiu enim est propositio & motio obiecti, necessariò sequitur apprehensio phantasiæ, qua durante non potest impediri commotio appetitus sensitiui, vndè plurimi motus præter rationem etiam quam præueniunt, exsurgant, & perseuerante præsentia reali obiecti, aut alteratione materiali corporis, actiones quoque phantasiæ & appetitus cohiberi nequeant; sicut neque voluptas, aut dolor; vbi tamen aduertit ratio, potest voluntas tum imaginationem, quæ ex actuali motione non procedit, alio diuertere, & appetitum reprimere, ita tamen vt cessante actione voluntatis compressæ, illæ facultates ad suos errores redeant, tum absoluto & efficaci imperio remurmurantem licèt appetitum frænare, hoc est imperare vt non repugnet dolori aut non pelliciatur voluptate, non tamen vt voluptatem aut dolorem non sentiat, ita vt duos quosdam actus in appetitu distinguere liceat, naturalem vnum & imperfectum, qui per *vellem*, aut *nollem* exprimi potest; alterum absolutum, quo appetit quod imperat voluntas, vnde sequitur motus quem imperat voluntas, licèt durent motus aliqui in membris externis ex commotione materiali humorum, quos non imperat voluntas, immò quos nollet; vnde etiam fit vt quamvis appetitus actum imperatum exequatur, non tamen nisi languide donec tota ea repugnantia vincatur. Vide quæ diximus alibi ex Suar. *tract.de vol.d.10.s.2.* ex quibus omnibus vides dari motus primò primos qui omnem rationis aduertentiam præueniant. Secundò primi appellantur qui aliquam rationem deliberationis sed imperfectam sequun

quuntur, quæ etiam diuisio motuum in ipsa quoque voluntate reperitur, vt docet Azor. *c.5. lib.4. q.3.* & Sal. *d.6.n.23.* de quibus quoad culpam eodem modo sentiendum est, ad eam enim omnes rationes deliberationis postulantur.

10 Est verò, vt iam insinuaui, duplex rationis deliberatio plena, & semiplena: prior illa necessaria est ad peccatum mortale, quia actus qui ex semiplena aduertentia procedit, non est perfectè humanus, sed quodammodò secundum quid, vt ait S. Thom. neque proinde grauis culpa; hæc autem deliberatio seu aduertentia debet esse circa malitiam obiecti propositi, si enim illud secundùm alia omnia cognosceretur, quàuis clarè & perspicuè, atque de eo consultatio haberetur, non esset tamen ea deliberatio sufficiens ad peccatum: vnde fit, vti obseruat Sanch. *lib.1. in decal. c.3. num.8.* vt possit motus primò primus esse circa malitiam, & moralitatē obiecti, & se sit clara cognitio circa naturam eius physicam. Plenam autem vulgò vocant deliberationem, vt videbis apud Vasq. *d.107. c.4.* qua homo plenè aduertit instar hominis attenti in vigilia & pridem à somno excitati, ad quod opus non est aduertat malitiam esse læthalem, sed sufficit, si clarè cognoscat illi obiecto & bono sensibili annexam esse malitiam, ac proinde ratio dictet repudiandum esse. Semiplena est tenuis quædam aut nebulosa cogitatio de malitia obiecti; cuiusmodi est in his, qui somno nondum plenè excusso euigilant, & semisopiti adhuc sunt: atque hæc ad peccatum veniale sufficit, non tamen ad mortale quamvis materia grauis sit: diximus enim nuper mortale fieri veniale defectu deliberationis plenæ, contra Okam. relatum ab Almai. *tract.3. moral. c.24.* ex hac enim diuersitate iudicij practici & deliberationis nascitur variatio libertatis quæ est fundamentum omnis moralitatis in actu volontatis, & diuersitas quoque consensos eiusdem voluntatis in motum appetitus sensiui, quem ex solo consortio cum voluntatis consensu fieri formaliter malum ostendimus nuper: consensus autem perfectus, seu plenè liber ad peccatum mortale circa grauem materiam necessarius plenam deliberationem sequitur: consensus autem imperfectus, imperfectæ quoque deliberationi succedit. Vterque autem iste consensus diuiditur in formalem, virtualem, & interpretatiuum. Formalis est, quo voluntas amat expressè, & directè obiectum sensibile, percepta licet eius fœditate, vnde vocatur etiam expressus & directus, cuius postremæ vocis etymon malè sumont aliqui ex eo quòd ipsa voluntas ipsam malitiam & fœditatem in se, & per se velit; id enim neque necesse est, neque fortassis possibile, cùm nullus intendens in malum operetur. Consensus virtualis est, quo amatur causa effectus mali, quem sequuntum ratio præuidet. Ita qui scit vbi liberaliùs potauit, facilè irasci & obscœna loqui, dum se liberè vino largiori proluit, effectus ebrietatem illam consequi solitos velle dicitur: aliquando hic consensus est directus, & expressos prout in aliquo effectu à se relicto continuatione quadam perseuerat sine interruptione, vti *superius* explicatum est. Consensus denique interpretatiuus consistit in omissione actûs, quem elicere tenebatur voluntas: cùm enim v.g. non comprimit tumultum perturbationum inferiorum, vti tenetur, censetur illis consentire, & cùm obiectum multiplicem habet malitiam ab intellectu propositam, quarum vnam directè tantùm vult voluntas, quia fertur expressè in obiectum fœditati substratum; circa alteram verò malitiam negatiuè se habet, illam velle dicitur. Aliqui Auctores hunc consensum interpretatiuum, virtualem etiam appellant non sine amphibologia. His obseruatis perspicua, & facilis redditur tota assertio, alioquin admodum implexa.

Omnes Actus voluntatis absoluti de obiecto malo, mali sunt formaliter.

Dixi igitur primò omnes omninò liberos volun- 11
tatis actus de obiecto malo esse formaliter malos, & quod ad actus efficaces omnes planè consentiunt, cum illi tendant in opus externum prout à parte, rei existit: sic autem est reuera obiectiuè turpe, & inhonestum; quoad inefficaces etiam aliquos non est ambigendi locus: qui enim de præteritis criminibus delectatur, malè agit, & tamen non habet nisi actum inefficacem, vt patet, de affectu autem circa obiectum præsens sine ordine ad opus, fuit olim nonnulla difficultas, veteres enim aliqui apud S. Thom. *q.74 A.8.* leuem dumtaxat fœditatem eiusmodi affectibus etiam circa obscœna versantibus aspergebant, sed eos reiicit eo loco S. D. & omnes deinde magno consensu Scholastici, Azor. *lib.4.c.6.q.1.* Less. *lib.4.c.3.n.109.* Vasq. *d.109.n.4.c.3.* & *disp.111. n.2.* Sal. *tract.13. d.6.n.45.* Pesant. *d.1.in q.74.* Sanch. *lib.1. in decal.c.1.n.8.* & alij omnes, qui & PP. dabunt. Ratio iam reddita est à priori, quia hi actus suam turpitudinem desumunt ab obiecto, à quo suum quoque esse participant. Si igitur materiæ seu obiecti malitia radicalis grauis sit, grauis quoque erit formalis malitia inde progerminans: ex vitiata siquidem radice fructum venenosum enasci necesse est. Quod confirmatur optimè à Less. *c.3. cit. n.110. & 119.* ex delectatione morosa venerea, quæ est similis omninò illi quæ ex rei actuali præsentia capitur, vnde & eandem corporis commotionem humorum, & spirituum pruriginem sæpissimè inflammat. Si itaque delectatio vna læthalis est, erit quoque & illi similis.

Dixi autem *de obiecto malo*, vt secluderem eam de- 12
lectationem, quæ ex sola rei malæ, vel turpis cogitatione & cognitione capitur, ea enim aliquando bona est, vt dum quis parans concionem in luxuriam, aut studēs casibus conscientiæ de cognita rerum venereaꝝ natura delectatur: alia verò est aut vana, aut inutilis pro ratione motiui, nunquam tamen per se & secluso periculo delectationis de re cogitata, aut alio quapiam læthalis est. Ita omnes, Sanch. *lib.1. in Dec.c.2. n.4.* Less. *c.3. cit n.108.* Pesant. *d.4.* aliique passim præeunte S. Thom. *q.74. A.8.* huc refert delectationem de modo, quo res aliqua ingeniosè, subtiliter, aut ridiculè fit, vt cùm quis ridet aliquem qui casu sibi tibiam fregit, aut industriam qua deletus est exercitus, capta arx, licet in bello iniusto, animi robur quo antagonistam in duello prostrauit; neque opus est, vt observat optimè Sanch. *n.6.* modum hunc, de quo delectamur esse indifferentem, vt in re bona, aut mala reperiatur: cùm enim res quæ in sui admirationem rapit, nihil mali formaliter contineat, & præscindi possit, potest quoque terminare innoxium animæ affectum, licet reipsa in re mala adhæreat. Agnosces autem delectationem esse de cogitatione & non de re cogitata, quandò non est affectus, nisi circa vnam inuentionem, & non reipsa quod ex occasione, quæ data est insurgenti cupiditati poterit inquiri, cùm simile piarum rerum artificium non eodem modo delectat: signum enim est affectum esse circa rem ipsam cogitatam. Denique opus est actu reflexo, quo quis cogitet se cogitare vt cogitatio sit volita.

Addidi delectationem de quolibet obiecto malo, 13
esse malam; qua particula comprehendo etiam ea quæ peccata sunt, quia prohibita iure positiuo siue diuino, siue humano, contra Vasq. *d.110.* Less. *lib.4.c.3.n.115.*

Salam.

Salam. d.6. *tract.* 13. *n.* 52. Reginald. *lib.* 16. *n.* 29. & Sanch. circa ea quæ præcepto negatiuo prohibentur, quia cùm in his substantia actus sit bona, poterit seclusa prohibitione à qua malitiam sortitur, amari, appetitus autem rationalis medio intellectu, rationes connexas præscindit. Sequimur tamen Azor. *lib.* 4. *c.* 6. *q.* 1. Pesant. *disp.* 1. *cit.* & Ratio euidens est. Cùm enim obiecta iure positiuo prohibita mala sint, quandiu malitiam suam retinebunt, actum circa ipsa versantem inficient, æquè atque ea quæ mala sunt ex sua natura: vtraque enim mala sunt, & quod in quibusdam malitia sit inseparabilis, in aliis separabilis impertinens est ad hanc refusionem in actum. Neque id negat Sanch. dum ait malitiam à prohibitione natam separari posse: supponit enim hoc ipso malitiam obiecti quamvis præcisibilẽ, quamdiu non præscinditur, inquinare actum, & hanc quoque præscindibilitatẽ in operibus iure naturali vetitis licet vsurpare, vt enim comestio carnium quatenùs bona est & commoda sanitati delectat Carthusianum, ita & substantia fornicationis, quæ eiusdem rationis est cum actu mortali, præscindi posset à malitia fornicationis, & ita obiici voluntati atque eam innoxiè delectare, quod quis dicat. Quare verò in die ieiunij liceat de carnibus oblectari & non de fornicatione entitatiuè considerata, statim docebo.

14 Hac aadẽ vniuersali particula comprehendi obiectum quod modo voluntati malum est, etsi in altero statu illi eidem, aut aliis malum sit: si enim absolutè spectetur tale obiectum seclusa conditione eapurgante, de qua *paulò post*, reuera actum, quem terminat, inficient, cùm nulla sit ratio propter quam malitia præsens obiecti non fundet formales actus.

15 Limitaui denique hanc assertionis partem cum addidi, posse bonum connexum cum obiecto malo, quale est bonus aliquandò effectus ex mala causa, aut subiecto [illegible] operis cum præcisione exclusiua malitiæ, modus etiam, vt aliqui volunt, subtiliter operandi posse esse obiectum delectationis non malæ, atque ita de esu carnium posse delectari Carthusianum prout commodæ sunt valetudini, quamvis sæpissimè isti actus sint conditionati, & illis appetatur obiectum vetitum conditione, *si liceret* non potest tamen fornicatio, vt est actus quidam entitatiuè idem cum coniugali amari, quia præcisio fornicationis in illo actu absoluto, est tantùm præcisiua malitiæ, & non exclusiua, quod tamen necessarium est ne actus fordeat ab obiecto. In his autem omnibus vides malum non esse obiectum voluntatis, sed solùm bonum illi connexum, v. g. qui lætatur de morte patris in gratia, non delectatur de eius morte, sed de eo euentu.

Corollaria ad praxin.

16 Ex his colliges primò non licere viduis delectari de actu coniugali præterito, neque sponsis de futuro. Ita Azor. *c.* 6. *lib.* 4. *q.* 6. & 7. Pesant. *in* q. 74. *d.* 6. & 7. Vasq. *d.* 114. *c.* 2. Suar. *d.* 5. *sect.* 7. *n.* 12. & 13. Bonac. *q.* 4. *de mat. p.* 8. *num.* 13. Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 110. Sal. *d.* 6. *num.* 199. *tract.* 13. quia illud obiectum est tunc illis personis malum: quare in illum actum illicitum tanquam præsentem & modò exercitum ferri nequeunt sine culpa: secùs si sponsi eum actum tanquam futurum, & viduæ tanquam præteritum tantùm apprehendant: hoc enim est tantùm approbare actum olim bonum, aut gaudere de expectatione boni futuri. Quæ omnia bona sunt, atque ita interpretor: qui sunt in contraria sententia cum Caiet. *in summa v. delectatio* & *tom.* 1. *opusc. opusc.* 54. *q.* 2. & 2. Coriel. *q.* 74. *art.* 8. *dub. vlt.* §. 2. Nal. *d.* 6. *q.* 4. *p.* 5.

Colliges posse coniuges in absentia mutua dele- 17
ctari de actu coniugali secluso pollutionis periculo, absque graui culpa. Ita Vasq. *d.* 113. *c.* 2. Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 121. Suar. *tract.* 5. *d.* 5. *sect.* 7. *n.* 9. Sal. *d.* 6. *cit. n.* 202. Bonacin. *q.* 4. *de mat. p.* 8. *n.* 12. Filliuc. *tract.* 21. *cap.* 8. *num.* 294. & qui multos refert Sanch. *lib.* 9. *de mat. q.* 4. *n.* 3. additque *q.* 4. etsi sequatur corporea commotio Caiet. *vers. delectatio* & Em. Sa *vers. delectatio* Carol. *b* e. contra Azor. *q.* 8. *c.* 6. *cit.* Pesant. *d.* 8. & paucos alios, quia in eo statu opus ipsum licitum est, & delectatio de eo, neque absurdum est ex solo statu quædam fieri licita, quæ mala alioquin videntur, vt in hac eadem materia tactus & oscula inter coniuges etiam extra copulam, addit tamen Sanch. fore venialem eam delectationem, quia est præter debitum finem matrimonij.

Colligea tertiò nefas esse delectar de peccatis 18
olim inculpabiliter admissis; v. g. pollutione in somnis, homicidio in amentia & ebrietate patrato, & aliis eiusmodi quæ licet obiectiuè mala sint, defectu tamen libertatis, aduertẽtiæ, aut alicuius alterius conditionis operãtis, sine culpa admissa sunt. Ita Pesant. *d.* 9. Azor. *lib.* 4. *c.* 6. *q.* 9. Sanch. *lib.* 1. *in decal. c.* 2. *n.* 16. Less. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 105. qui omnes negant licere pollutionem desiderare etiam euentutam inculpabiliter, aut de præterita gaudere solius delectationis venereæ causa, quia quoties causa excusans opus externum à mortali, non cadit in delectationem, licet opus externum sit culpæ liberum, non erit tamen ipsa delectatio: atqui causa, quæ sæpius opera externa excusat, est ignorantia, inaduertentia, defectus libertatis, & consensus, quæ in delectatione de illis operibus obiectiuè malis non reperiuntur, ac proindè non liberant à malitia, alioquin vt arguit Pesant. posset inculpabiliter velle vt quis eam inuitam & reluctantem violaret, & sicut non licet gaudere de homicidio ab amente patrato, aut illud ipsi suadere, ita neque si à nobis fuisset patratum absque culpa, neque potuit Iacob gaudere do copula habita cum Lia quam suam vxorem existimabat. Atque hæc ratio vniuersim concludit de quolibet opere malo siue sola prohibitione positiua tale sit, siue ex sua natura, aduertit tamen Sanch. *illo n.* 16. posse nos gaudere de transgressione præcepti, quam non sola conditio operantis, seu defectus libertatis aut consensus sed iusta causa immunem reddidit à culpa, eo quod tunc temera cessaret obligatio legis, v. g. de fractione ieiunij ratione morbi, de homicidio in sui iustam defensionem admisso, de furto in extrema necessitate patrato, quia causa excusans à culpa tũ in delectatione tum in opere eadẽ reperitur vt patet: limitant hanc regulam laudati DD. ita vt liceat pollutionem desiderare, aut de ea gaudere non ob delectationem, sed ad bonos aliquos fines, vt leuationem naturæ, moderationem libidinis, sed tunc vt etiam superiùs monui, obiectum formale illius delectationis est bonum, materiale autem non est malum, sed opus tantùm naturale, quod amplius explicat Less. *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 105. potest enim sumi delectatio de aliquo opere malo, quatenùs est causa boni effectus, sicut v. g. de morte alicuius, quæ rempublicam sedarit, duobus modis, primò quia gaudemus opus aliquod esse vel fuisse, vel à nobis admissum esse propter bonum effectum consecutum, & si illud opus sit intrinsecè peccatum, gaudium de eo captum est illicitũ, quia respectus ad bonum effectũ consecutum malitiam intrinsecam illi operi ac proindè non reddit aptum obiectum honesti gaudij, sic non licet sibi in peccato Adami complacere, quod ex eo Christi incarnatio euenerit. Si autem illud opus vel factum sit sine peccato, vel peccatum non sit de eo, vt sic & præcisè

præcisè sumpto, propter iustas causas gaudere licet: secundò gaudere possumus opus aliquod praua bonum effectum habuisse, & gaudium illud licitum est, & non de opere malo vt patet, atque ita vides licere pollutionem desiderare propter bonum; hoc est enim velle naturalem illam operationẽ sine culpa factam, sortiri finem bonum, aut delectari quod illum habuerit, vnde vides non propterea licere illam etiam in hunc finem procurare, quia causa excusans illud opus à culpa, non cadit in illud desiderium aut procurationem, vt monui, neque fas est medico pharmacum quod nullum alium habeat effectum propinare. Colligit præterea Vasq. d. 115. c. 5. eodem modo licitam esse hanc delectationem, licet in vigilia contigerit pollutio, si tamen naturaliter & inculpatè contigerit, non si ab alio quopiam in dormiente excitata fuerit, quia tunc fuit peccatum saltem in excitante, qua ratione negat etiam Sanch. licitam delectationem de fornicatione in somnis habita, quia cum ex sua natura sit actus liber, & peccatum, est aliquo modo materialiter malũ, pollutio est aliqua naturalis euacuatio, & vt sic nequidem materialiter mala est, quod enim secundò extendit etiam ad commotionem corporis eam facultatis expulsiuæ actionem necessariò consequentem, cùm tamen delectatio capitur de bono euentu pollutione præterita inculpabili, ea delectatio venerea esse non debet, hoc est cum corporis & spirituum vitalium generationi deseruientium commotione, alioquin lethalis est.

19 Colliges quartò cum Less. l.4.c.3. num. 115. eum qui vouit à fœmina temperare quoad actum externum, non admittere sacrilegium, etsi interiùs delectetur, quia votum eam delectationem non præscindit.

20 Colliges quintò eum qui in bello iniusto fingit se Ducem & egregia facinora patrantem, eaque cogitatione delectatur, qui ridet dum legit, aut audit obsidiones arcium, fusos exercitus, raptus puellarum, casus, iniurias, & eiusmodi alia non peccare, quia obiectum huius delectationis non est malum proximi, quatenus malum eius est, sed industria, & animi magnitudo quæ etiam in criminibus perficiendis elucet, idem dic de delectatione carnium in quadrages. ea enim terminatur ad aliquam vtilitatem & bonitatem eius neque attenditur prohibitio. Ita Azor q.c.6.lib.4. & alij passim.

21 Colliges sextò delectationem quæ sumitur ex cogitatis osculis, amplexibus, tactibus libidinosis, esse mortalem quoties illa de quibus cogitatur mortalia sunt, sunt autem quoties libidinosa & impudica sunt in aliis quàm in coniugibus, aduerte autem Azor. q.12. & Pesant. d.12. c. 6. cit. discrimen esse inter delectationem quæ in tactum & eam quæ in alios sensus incurrit, prior enim illa vbi voluntaria est, est ex natura sua libidinosa cùm ad generationem ordinata sit; secùs ea quæ prodit ex aliis sensibus, vt aspectu fœminæ pulchræ, quare non tam facile in eo aspectu lethalis culpa committitur quàm in tactibus.

Actus conditionati de obiecto malo, aliquando mali non sunt.

22 Egi secunda parte assertionis de actibus conditionatis, quos in sola voluntate, & non in appetitu esse constat ex notatis, dixique illos carere malitiâ quoties conditio apposita obiecto, illius malitiam prorsus excludit, siue ea conditio possibilis sit, siue impossibilis, siue sint mali iure naturali, siue positiuo tantùm; quandò verò conditio superueniens relinquit totam malitiam in obiecto, actus circa illud etiam eâ conditione affectum perseuerantem malitiam haurit. Ita Sal. d.6. tract.13.n.176. Vasq. disp. 116. n. 4. Eman. Sa vers. peccatum n. 2. Bonac. q.4. de mat. p. 8. n.10. Filliucius tract. 21. c. 8. n.296. Cutiel. 2.2 art.1. q.74. dub. vlt. §.1. Suar. d.5. sect.7. n.10. & 11. contra Azor. lib.4. c.6. q.10. Sanch. lib.1. in Decal. c.3. num. 13. Pesant d.10. qui id concedunt tantùm in iis, quæ iure positiuo mala sunt, quanquam Sanch. n.34. videatur etiam in aliis cõcedere, quoad delectationes voluntatis, de quibus solùm loquimur. Valent. verò d.6. quæst.4. part.4. Caietan. tom.1. opusc. tractat.14. dub.1. Reginal. lib. 11. num. 53. id concedunt in desiderio non de delectatione: perspicua tamen videtur nostra conclusio; cùm enim obiectum quatenùs terminat volitionem sit depuratum à malitiâ, non apparet qua ratione fœditatem, quam non habet, in volitionem refundere poterit. Neque discrimen quod assignant Authores, valet hoc loco, videlicet malitiam esse separabilem ab obiectu, quoties nascitur ex prohibitione externa, quæ per conditionem tolli potest: nam cùm conditio etiam apposita in iis quæ per se mala sunt, tollat quoque malitiam, eadem omninò erit ratio; neutra enim malitia reipsa tollitur, sed tantùm ex aduentu conditionis appositæ: neque volumus tunc illud obiectum non esse malum, seu non prohiberi; sed tantùm illud optamus, si liceat, vti *superius* in notatis expositum fuit: vnde neque ius naturæ euerti postulamus, neque dolemus Deum prohibuisse. Quod autem Valent. & alij dicunt desiderium esse de futuro, delectationem autem de præsenti obiecto, quod cùm reipsa malum sit, non potest non communicare suam malitiam, non vrget: nam desiderium est etiam actus præsens voluntatis, quare æquè sordebit ab obiecto reipsa malo, atque delectatio: neque enim est tantum propositum volendi obiectum vbi per aduentum conditionis expurgatum fuerit, sed vera volitio præsens obiecti sed conditionati, vt obseruauit Bonac. loc. cit. num. 31. Hinc

Elicies primò, eum qui vellet vlcisci suas iniurias, si non esset Dei offensa, suspendere latrones, si esset iudex, comedere carnes, si non esset ea die prohibitum, ducere vxorem, nisi esset Religiosus, aut Sacerdos, non peccare, quia hæ conditiones tollunt malitiam obiecti. Ita Bonac. n.31. & Sanch. n.24. 23

Elicies secundò eum, qui vellet, nisi esset Religiosus, aut Sacerdos fornicari, alium occidere, furari, & nisi esset infernus, peccare mortaliter, quia eæ conditiones non abstergunt malitiam obiecti, vt patet. Ita Sanch. Bonac. & alij. 24

Elicies tertiò, qui dicit, *Nisi Deum timerem, peccarem,* vel significat motiuum solum abstinendi à peccato esse solum timorem seruilem cum seruilitate, qui non aufert malitiam peccati, vel filialem, & reuerentialem timorem, & ille aufert malitiam. 25

Elicies quartò, eum qui ait, si iuuenis, si non Religiosus vlciscerer, peccare, si significet se habere præsentem vindictæ affectum, secùs si tantùm indicet, quid in illo statu fuisset facturus, vti ex aliis coniici potest. 26

Elicies quintò, eum qui vellet accedere ad Semproniam, si esset vxor eius, non peccare. Ita Sanch. num 34. Vasq. disp. 114. num. 5. Bonacin. & alij; optimè tamen limitat Sanch. ad solam delectationem voluntatis, nam delectatio sensibilis & corporea, si illi consentiat, mala erit, & de ea tantùm loquuntur Auctores, qui contrarium docuisse videntur. Ratio est, quia appetitus sensitiuus non habet vllos actus conditionatos, vt docui contra Salam. Quia verò delectatio sensibilis perpetuò consequitur voluntatis 27

luntatis delectationem, hinc fit vt ferè semper delectatio voluntatis mala sit, non præcisè in se, sed ratione periculi & effectûs consequentis, vt monet Bonac. *num* 32.

28 Eliciea sextò, eum qui dicit. *Si alterum ex istis peccatis necessariò esset admittendum, hoc potiùs admitterē*: si tunc minus eligeret, non peccare, quia tunc ea electio minoris mali ad grauius vitandū licita foret.

Consensus omnis in motum appetitûs sensitiui, de obiecto malo malus est.

29 Tertia parte assertionis egi de motibus appetitûs sensitiui qui variè comparati cum aduertentia rationis, & deliberatione, atque consensu voluntatis, malitiæ capaces, vel incapaces sunt, vt in notatis fuit expositum. Si itaque præueniant omnem rationis aduertentiam de malitia obiecti, & consensu voluntatis in illam, statim apparet non esse malos; quæ doctrina vniuersalis est, & sæpiùs tradita: cùm enim appetitus careat libertate, & eam à voluntate sumere debeat, eius nutum expectare cogitur, vt malè vel benè operetur: si verò sequatur semiplenam tantùm deliberationem quia ea generalem, & imperfectum tantùm consensum voluntatis notat, venialiter tantùm mali sunt, vt probaui in notatis: quandò verò denique plena est in intellectu deliberatio, hoc est cognitio de fœditate obiecti saltem in communi, aut expressa dubitatio, aut scrupulus de periculo eius, aut inaduertentia saltem culpabilis, tunc sunt mali venialiter, aut mortaliter pro ratione obiecti, vel consensus, qui si sit directus, & expressus, & obiectum grauiter malum, vt semper contingit in motibus sensualis delectationis venereæ, sunt peccata mortalia ex omnium consensu: si verò sit consensus virtualis eo quod sit volita causa talis motus sensualis cōsequentis, sunt grauia, vel leuia peccata, pro ratione culpæ, quæ admissa fuit in ponenda illa causa. Ita Bonacin. *q.4. de mat. p.3. q.5.* qui in vniuersum pronuntiat causam venialiter malam non communicare nisi eandem malitiam effectui, qui, vt mortale dicatur, requirit maius voluntarium quàm reperiatur in causa venialiter mala, in qua volitus & præuisus est. Idem habet Sanch. *lib.9. de mat. d.45. n.* 18. de causa pollutionis, quæ si venialis tantùm est, venialis quidem erit, & tamen pollutionis peccatum.

30 De consensu interpretatiuo, in quo voluntas protsus negatiuè se habet, ita vt neque positiuè consentiat, neque dissentiat, neque comprimat, neque delectetur motibus sensualitatis, & obscœnis, quos optimè nihilominus aduertit, quosque, si lubet, frangere posset: ita enim se habere quandoque voluntatem, malè negat Vasq. *d.*103. *n.*3. & *d.*104. *n.*3. aliqui tunc existimant non peccare mortaliter, sed venialiter tantùm, cum non videatur grauiori obligatione obstringi vt partem inferiorem sibi rebellantem comprimat, modò absit periculum consensus, immò ferè certa sibi videatur se non consensuram. Ita probabiliter Salas *tract.* 13. *d.*6. *n.*25. & *n.*67. qui etiam *n.* 73. id concedit posito periculo distillationis & commotionis corporeæ, sed non conclusionis Sanch. *lib.*1 *in Decal.* c.2. *n.*13. vbi & communiorem sententiam appellat, quamvis quia exponit se periculo consensus voluntas, & difficillimum est quòd quandònam voluntas se habuerit prorsùs negatiuè, sine affectu complacentiæ, velit in praxi elici à voluntate formalem displicentiam, quæ, quamvis efficax non sit ad reprimendum appetitum, neque etiam eò tendat; est tamen efficax ad cohibendum liberum consensum. Sequitur Sanch. eum eadem limitatione Laiman, *tract.*3. *cap.*1. In eadem sunt sententia Toler. *lib.*5. *c.*14. Reginald. *lib.*11. *n.*43. Caiet. *verf. delectatio morosa*, ipséque S.Thom. *q.*15. *de verit. art.*4. *ad* 10. Placet tamen contraria sententia, quæ est Azor. *c.*6. *lib.*4. *q.*5. Less. *lib.*4. *c.*3. *n.*117. Pesant. *in q.*74. *d.*1. Curiel. *ibid. art.*8. *dub.*2. §.2. Valent. *d.*6. *q.*4. *p.*3. Vasq. *d.*108. *c.* 2. ex suppositione illius status, quem in voluntate possibilem negat, vt iam monui, Bonac. *q.*4. *de mat. p.*7. *n.*7. Becan. *tract.*2. *c.*5. *q.*3. Suar. *d.*5. *sect.*7. *n.* 19. *tract.* 5. & alij passim. Ratio perspicua videtur: quia voluntarium indirectum, seu negatiuum, est verum & proprium voluntarium, ac liberum, vt ex S.Thom. olim demonstratum est: quid igitur impediet quominus consensus indirectus in motum sensualitatis sit mortalis, si directus & expressus fuisset, quandoquidem vterque proprius & verus consensus est? Non negarim tamen quod addidit Bonacin. maiorem motum requiri quandò consensus virtualis tantùm, aut indirectus est, vt sit peccatum mortale, quia illa expressio consensus videtur quidpiam inferre maius & grauius.

Limitant tamen Doctores laudati hanc assertionem, ita vt liceat ex rationabili causa voluntati non reprimere, & motus inferiores, & negatiuè se habere; tunc enim, vt optimè aduertit Curiel. *conclus. vltima* non dicitur consentire etiam interpretatiuè: hæc enim diuersissima sunt consentire formaliter in delectationem, & eam non reprimere, primum prohibetur præcepto negatiuo, quod obligat semper, & pro semper; vnde nunquam licet, quæcumque tandem appareat causa, consentire, aut periculo consentiendi se exponere; reprimere autem delectationem iubetur præcepto affirmatiuo, quod simul includit prohibitionem non repressionis, quæ est negatio quædam actionis. Præceptum autem affirmatiuum non obligat pro semper, & ex rationabili causa non obligat. Si igitur eiusmodi causa reperiatur in nostro casu excusans voluntatem ab obligatione reprimendi motum concupiscentiæ, & à prohibitione non reprimendi, tunc non consentiet, neque directè vt patet, cùm nullum eliciat actum positiuum complacentiæ, neque indirectè: ad id enim exigitur vt non tantùm non dissentiat liberè, sed vt teneatur positiuè dissentire. Causa porrò excusans debet esse honesta, necessaria, & vtilis non tantùm in ordine ad spiritualia, sed etiam ad temporalia; quare vulgò concedunt omnes non debere vllum propterea à confessionibus audiendis desistere, & posse quoq; ne magis ferociat appetitus ipsum præ contemptu non comprimere positiuè. Ait itaque Suar. *l.c.* non teneri nos, ad depellendam concupiscentiam, omittere aliquam actionem honestam, studium, v. g. confessionem, artem Medicinæ & eiusmodi alias actiones quotidianas, colloquium necessarium, & aspectum cum pulchra fœmina. Secundò quando opus, quod assumitur ex sua natura, tendit ad excitandam concupiscentiam, tunc ferè semper omittendum est, nisi sit ingens necessitas, vel vtilitas. Tertiò quandò opus est tantum per accidens coniunctum cum concupiscentia suborituta, tantò ob illā relinquere quis tenetur, v.g. agere iter; neque mulier pulchra tenetur se continere domi, ne quis eam offendat, aut osculum, quod pro more gentis vrbanitatis causâ inter salutandum vsurpatur, vitandum. Quartò quantò grauior est concupiscentia & magis veluti consummata, eo magis actio quæ periculum illius inuehit, fuerit omittenda, sicut quæ æquè præsens est quàm quæ futura deinde timetor. Vide Sanch. *lib.*9. *de mat. d.*45. de obligatione vitandarum causarum pollutionis; tota enim ea doctrina facilè huc transferri potest. 31

PRINCIPIVM XII.

De causis internis malitiæ.

1 QVÆRVNT *à nobis Manichæi* (inquit Aug. *lib.1. contra Iulian. cap. 3.*) *Vnde sit malum? Respondemus ex bono, sed non summo & incommutabili bono, ex bonis igitur inferioribus, atque mutabilibus orta sunt mala quæ mala licet intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum; tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus, & in aliquibus naturis esse non posse. neque aliquid esse malum nisi à bonitate defectum. sed cuius defectum nisi alicuius sine dubitatione natura.* Bonum igitur deficiens, & vertibile, causam esse mali pluribus ostendit eo loco Aug. & *lib.2. de nup.c.*28. alibique sæpiùs, nempè ipsam voluntatem creatam, quæ cùm ex nihilo sit vertibilis, ac defectibilis est, & cùm libera quoque sit, potest bonum sensibile suæ naturæ conueniens, aut disconueniens sequi, vel abiicere, & à rationis regula, cui non identificetur vt libuerit deflectere, quare aliam peccati causam quam voluntatem deficientem, negat quærendam idem Aug. *lib.3. de lib. arbitr. cap.* 17. neque reddendam causam, cur vna voluntas velit peccare, & non alia, nisi quia vult ne radicis radicem ineptè quæramus: *Quoniam* (inquit) *voluntas est causa peccati; tu autem causam ipsius voluntatis inquiris: si hanc inuenire potuero, nonne causam eius causæ quæ inuenta fuerit quæsiturus es? & quis erit quærendi modus, quis finis percunctandi ac differendi, cùm vltra radicem quærere nihil oporteat? Sed quæ tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? etenim ipsa vel voluntatis est, & à radice ista voluntatis non receditur. vel non est voluntas, & peccatum nullum habet.* Denique *l.c. in Iulian.* optimè concludit. *Ex bonis orta sunt mala, non ex bonis voluntatibus opera mala, sed ex bonis naturis voluntates malæ.* Neque aliud voluit S. Thom. 1.2. *q.* 75. *art.*1. & reliqui Theologi, dum totam peccati causam in voluntatem liberè deficientem reiiciunt, ita vt defectus voluntatis, sit causa formalis peccati, effectiua autem sit potentia libera deficiendi. Quo verò sensu negent tum S. Thom. tum reliqui dari causam efficientem, iam *alibi* insinuatum fuit; neque enim id tantùm asserunt quòd peccatum sit priuatio quædam, id enim *lib. 3. superiori* falsum ostendimus: & priuatio suam etiam causam habet per accidens, cùm vel remouetur causa productura formam: sic aër obscuratur recedente sole: vel ponitur causa formæ, ad quam alterius negatio sequitur; sic productio caloris est causa per accidens priuationis frigiditatis in aqua; causam verò per accidens non coïncidere cū deficiente, rectè obseruauit Caiet *in a.*1. *q.* 75. & patet in causis naturalibus, & artificialibus, peccata naturalia, aut artefacta ponentibus, quod per omnia causarum genera ostendit Med. *in eund. art.* 1. vbi duo quædam subtiliter obseruat: primum est, voluntatem nostram dici causam per accidens peccati, quia accidit operanti, & volenti quòd operetur non adhibita rationis regula: dicitur autem causa deficiens, quia operatur cum tali defectu non adhibitâ nempè rationis regulâ. Sic in naturalibus, quoties causa patitur aliquem virtutis actiuæ defectum, effectum mancum producit, & licet verè quidpiam efficiat, in sua tamen effectione deficit, vt apparet in membro impedito, tibia claudâ, arbore vitiosâ; & quoties causa est omni ex parte perfecta & indeficiens, vitium effectus non in eam, sed in aliam quampiam reduci debet. Quare vitium frugis nullas in causas vniuersales, quæ perfectissimè operantur, sed in arboris, aut radicis putridæ tabem referendum est. Præterea cùm defectus oriatur, vel ratione materiæ ineptæ ad efficientis actionem excipiendam, qua ratione contingunt monstrosi fœtus; vel ratione formæ, quæ secum alterius priuationem infert, cùm generatio vnius sit alterius corruptio, etiam præter intentionem operantis: voluntas nostra operans non adhibitâ rationis regulâ, & bonum aliquod commutabile intendens, in defectum & difformitatem quæ ex necessitate sequebatur ex bono commutabili amato præter rationis regulam, contra quam ipsa intenderet deducenda erat, vt si quærens thesaurum inueniret viperam. Dicitur itaque voluntas causa deficiens & per accidens malitiæ, etsi verè illam producat & efficiat.

Obseruat secundò Medin. se *in art.*1 *q.*75. *ad* 1. dixisse carentiam, seu non applicationem rationis, & 1
legis diuinæ comparatam cum nostra voluntate antequam actu operetur, esse meram negationem, neque vllam rationem mali, seu culpæ, seu pœnæ inferre: hoc enim est tantùm voluntatem creatam non esse identificatam suæ regulæ, à qua proindè desciscere potest, esséque defectibilem, quod ipsi connaturale est; hæc tamen pura negatio est prima radix, & principium peccati, vt patet. Vnde fit peccatum non habere pro causa malum aliquod, aut aliquam substantiam malam; sed bonam voluntatem cum negatione alterius boni, nempè rationis & regulæ diuinæ; quam negationem seu non identificationem habet eo ipso quòd ex nihilo condita est. Ex quibus omnibus vlterius manet soluta Manichæorum importuna quæstio, quomodo ex bono oriatur omne malum. Habemus itaque primam infelicis germinis, radicem, nempe voluntatem malam, quæ eo ipso quòd peccat mala fit, & prius mala non est. sed defectibilis tantùm aut non bona ex omni parte, seu incommutabiliter. Quia verò voluntas tum ab intellectu, tum à sensu & appetitu, tum etiam ab obiectis extrinsecis & causis impelli solet ad bonum commutabile, cui annexa est moralis turpitudo, & alij Theologi passim quasdam alias causas præter voluntatem enumerant, & in internas, atque externas partiuntur; internæ autem sunt intellectus & appetitus, ad intellectum pertinet cognitio vel ignorantia quæ causant, vel impediunt peccatum, ad appetitum pertinent perturbationes, ex quibus augeri aut minui potest malitia peccati. De his omnibus singillatim disputat S. Thom. cuius nobis vestigia premenda iam pridem indiximus.

QVÆSTIO I.

Quomodo ignorantia sit causa peccati?

Dicendum est, ignorantiam vincibilem & cul- 1
pabilem, esse peccatum, effectum, & causam peccati, eiusdem regulariter speciei cum eo, quod à sciente factum fuisset: minuit tamen aliqua ex parte peccatum, licet aliunde quando est affectata illud augeat, & vbi est cognitio malitiæ, ignorantia pœnæ non excusat ab ea, nisi per accidens in quibusdam casibus, vt in contrahendis censuris, ignorantia vincibilis, siue sit causa operis, siue non & concomitanter dumtaxat se habeat, tollit omnem difformitatem ab actu sic elicito, quare est aliqua cognitio malitiæ necessaria ad eam contrahendam, quod non impedit, quominus omnis peccans sit ignorans ex vulgari axiomate, quamquam id necesse non sit,

sit, sed stante omnimoda cognitione & aduertentia malitiæ in intellectu, possit voluntas pro suo arbitrio bonum cum turpitudine morali connexum, appetere.

§. I.

Multiplex ignorantia.

1 Repetenda est ex *alibi* dictis multiplex ignorantiæ diuisio: alia enim est prauæ dispositionis, siue error; alia puræ negationis, seu nescientia, & non importat debitum in eo, qui scientia caret: quare etiam in Angelis & in Christo (si quid ignorant) reperietur. Alia est speculatiua, quæ cognitionem principij speculatiui excludit; alia practica, quæ cognitioni operis directiuæ repugnat.

Tertiò alia est habitualis habitu scientiæ priuans, aut, si sit prauæ dispositionis, contrarium habitum & errorem perseuerantem inducens, ita vt non modò intellectus actu non aduertat, aut non cognoscat aliquod obiectum, sed etiam careat principio illud cognoscendi; alia est actualis quæ scientiam habitualem, & principia cognitionis, cui opponitur, non excludit, sed dicit tantùm eorum non vsum, & vocatur inconsideratio, inaduertentia, incogitantia, obliuio: hanc negat Vasq. *d.* 118. *cap.* 2. vocandam ignorantiam, affirmat Curiel. *in quæst.* 76. *art.* 2. *dub.* 1. Lis est de voce: nam quoad rem eodem modo se habent istæ duæ ignorantiæ, habitualis, & actualis ad causandum aut impediendum peccatum, vt docet Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 16. *num.* 8. & Suar. *tomo* 5. *in* 3. *p. d.* 4. *sect.* 8. *n.* 8.

3 Quartò. Quædam ignorantia est causa operis, quia remouet contrariam scientiam, quæ, si adfuisset, impediuisset opus; quædam est tantùm comitans quia siue ponatur, siue tollatur, eodem modo fieret aut non fieret opus, vt vides in eo, qui configit hostem existimans esse feram, & nihilo secius confixisset, si sciuisset hostem esse.

Quintò quædam est antecedens, quædam consequens: prior illa omnem voluntatis actum præcedit, neque vnquam volita est aut in se, aut in alio, explicitè, aut implicitè, directè, aut indirectè: consequens autem ita appellatur, quòd voluntaria sit, & aliquam voluntatis electionem sequatur: malè enim aliqui has denominationes sumunt ab actu voluntatis, quem causant, aut non causant. Vndè & tertium membrum comitantis in ea diuisione addunt, quia consequens non poterit sequi actum, quem causare dicitur, vt optimè aduertit Curiel. *in quæst.* 76. Itaque comparanda est ignorantia in hac diuisione cum actu voluntatis, per quem volita, aut non volita sit; si enim præueniat omnem actum voluntatis, neque vllo modo sit voluntaria, rectè dicitur antecedens: sin minus, vocabitur consequens.

Sextò diuiditur in ignorantiam iuris & facti: prior vniuersalis vocatur ab Aristotele *c.* 7. *Ethic.* quia præcepta & prohibitiones vniuersim traduntur, cùm facta omnia singularia sint; est autem triplex ius, diuinum, humanum, & naturale. Denique alia est ignorantia inuincibilis, seu iusta & probabilis, (quamuis aliqui ista nomina distinguant:) inuincibilis enim est, quæ nulla ratione etiam physicè depelli potuit, iusta tamen & probabilis, quæ licèt potuerit absolutè considerata depelli, non potuit tamen aut non debuit moraliter. Alia est vincibilis, culpabilis, iniusta, & improbabilis; circa quam diuisionem duo quærenda sunt: primum quid exigatur, vt aliqua ignorantia censeatur inuincibilis, & inculpabilis; secundum quarum rerum possit haberi eiusmodi ignorantia.

4 Quoad primum S. Thom. *artic.* 2. *quæst.* 76. ignorantiam inuincibilem appellat, quæ non potest studio superari, vnde colligunt aliqui summam diligentiam adhibendam esse, quod durum admodum & falsum est: nam constat excusari à peccato quosdam ex ignorantia peccantes, quam tamen adhibita maiori diligentia aduertere licuisset, vt in Iacobo Liam pro Rachele cognoscente, & Abimelecho Saram vxorem Abrahæ sibi docente, atque aliis patet. Rectiùs itaque Alma. *tract.* 1. *moral. capite* 4. quem sequitur Vasq. *d.* 123. *capite* 1. Curiel. *in quæstione* 76. & alij, eam esse inuincibilem; quam aliquis adhibendo omnem diligentiam, quam præcisè tenetur ad illum effectum, non potest vincere, ita vt, si culpabiliter omittat aliquid, ex quo fuisset discussa ignorantia, si tamen ad illud non tenebatur præstare ex vi effectus, quem scientia illa causare debebat, ea ignorantia inuincibilis censeatur, etsi culpabiliter contracta. Vnde Vasq. *d.* 17. culpabilem ignorantiam ab inuincibili distinguit, vti *superiùs* monebam. Verùm omnis inuincibilis dicitur inculpabilis, quia licèt omissio eius, ex quo sequuta est, fuerit mala; ipsa tamen culpa caret, cùm, vt modò dicam, præuisa non fuerit vt sequutura, & nullum etiam peccatum causet. Id totum illustrat Almaïn. exemplo Iudæi, qui cùm teneretur ex lege singulis annis Hierosolymam adire die Pentecostes; potuit omittere illud iter ex socordia eo anno, quo in Sione lex Euangelica promulgata est, delapso in linguis igneis Spiritu; ille enim ignorabat inuincibiliter teneri se lege Euangelica, & tamen per omissionem culpabilem alicuius, ad quod tenebatur, eam ignorantiam contraxerat. Quoties igitur causa ignorantiæ, peccatum est, non habet tamen illud peccatum connexionem cum tali culpa quoad obligationem sciendi, hoc est, quoties obligatio vitandæ illius culpæ non procedit ex obligatione sciendi, ignorantia est inuincibilis; vt in allato exemplo vides: obligatio enim itineris Hierosolymitani in Iudæo die Pentecostes, non oriebatur ex obligatione sciendi legem Euangelicam. Ita Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 16. *num.* 31. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *capite* 13. *quæst.* 2. & alij: ratióque perspicua videtur, quia tunc ea ignorantia non est voluntaria, neque formaliter, vt constat, neque interpretatiuè, cùm nihil amplius facere teneatur ad eam expellendam, quàm id ipsum quod fecit.

Vtrùm quæres primò quandónam teneamur expellere ignorantiam & acquirere scientiam oppositam, ita vt omissio illius, quo pellenda erat ignorantia, connexionem habeat cum obligatione talis præcepti, quod deinde defectu cognitionis violatur, verbi gratia quandónam Iudæus debuit expellere ignorantiam legis Euangelicæ, & omittere illud vnde sequutura erat ea ignorantia præcisè ex obligatione præcepti sciendi legem Euangelicam? 5

Respondeo cum Sanch. *l. c. num.* 21. Vasq. *d.* 107. *c.* 3. & 123. *cap.* 1. & 124. *num.* 5. & aliis eam inaduertentiam, seu obliuionem seu ignorantiam inuincibilem esse, licet ex omissione culpabili aliunde ortam, quoties nulla notitia nec specialis, nec confusa, nec vlla dubitandi ratio, de sciendi obligatione occurrit, quia nulla cogitatio, dubitatio, aut scrupulus malitiæ moralis, vel periculi circa hoc opus præcessit: quamdio enim aberit eiusmodi cogitatio, nullus erit locus consultandi de malitia morali obiecti, quamvis de eius vtilitate, aut suauitate deliberetur, neque vllus

quam aliquis actus qui pendent immediatè ab aliqua virtute, hoc est nulla alia virtute media, licet media potentia distincta ab ea in qua ipsa virtus est, appellē elicitos, & non imperatos; quæ tota quæstio vocum est: non est enim illa virtus principium elicitiuum secundùm substantiam actus in potentia distincta subiecti, licèt sit elicitiuum secundum moralem rectitudinem, vt iam monui. Quod totum optimè explicat ipse Caiet. 2.2. *quæst.* 81. *art.* 4. in actibus temperantiæ, iustitiæ, aliarúmque virtutum, quia facultatibus externis, in quibus non resident hæ virtutes, eliciuntur, & in actibus religionis, quæ cùm sit in voluntate, habet tamen actus pertinentes ad intellectum, vt orationes. Simili ratione dicendum est in studiositate, cuius actus internus est ab ipsa & secundùm substantiam, & secundùm honestatem elicitus, & pertinet ad voluntatem, quæ vult & imperat vt intellectus sciat, & intelligat quantùm oportet, & quandò oportet, seruatis reliquis omnibus circumstantiis: actus vero imperati, seu ab ea non eliciti secundum substantiam, eius tamen honestatem participantes, sunt tum actus sciendi intellectus, tum reliquarum potentiarum, qui ad actum sciendi primariò intentum necessarij sunt. Vnde fit vt ignorantia, seu carentia scientiæ, & multò magis error positiuus, opponantur studiositati; sicut omissio orationis Religioni. Negligentia quoque siue sit voluntas omittendi actum debitum, seu defectus in adhibendis mediis necessariis comparandæ scientiæ debitæ, eidem opponitur, vel immediatè tanquam defectus, aut carentia ipsius actûs interni studiositatis, & extremum oppositum curiositati, vel mediatè tanquam carentia actûs externi & imperati, immediatè tamen ab ipsa secundùm rectitudinem moralem eliciti. Ex quibus etiam sequitur, ignorantiam, & negligentiam sumptam pro voluntate ignorandi, aut etiam pro omissione medij necessarij ad scientiam, non esse duo peccata, sicut neque omissio orationis debitæ, est peccatum distinctum ab irreligiositate. Obseruandum verò est, aliquam esse ignorantiam oppositam prudentiæ; negligentiam item quæ incuriam quandam sollicitudini nimiæ contrariam significat, de quibus non agimus.

12 Dices hinc emergere grauiorem difficultatem, nempe ignorantiam culpabilem habere duplicem malitiam: vnam oppositam virtuti studiositatis, alteram oppositam virtuti præcipienti, saltem consequenter scientiam circa propriam materiam, in qua defectu scientiæ peccatur. Itaque, qui culpabiliter ignorans esse diem ieiunij, illud violat, peccat contra studiositatem, & contra temperantiam.

Respondeo aliquandò scientiam primò & ratione sui præcipi; aliàs verò consequenter tantùm ratione operis faciendi, quod sine cognitione exerceri nequit, quoties scientia præcipitur: primo modo peccatum est illius ignorantia, etsi nullum sit probabile periculum incidendi in nullum aliud peccatum in materia alterius præcepti, quod periculum, si immineat, iam malitiam peccati quod admittetur in violatione alterius præcepti, recipit. Quoties verò consequenter tantùm præcipitur cognitio, siue sit probabile periculum peccandi contra præceptum, aut reipsa peccetur ratione ignorantiæ culpabilis, est tantùm vnica malitia eiusdem speciei cum malitia operis per se primò prohibiti. Ita Vasq. *disp.* 119. Val. *d.* 6. *quæst.* 6. *part.* 2. Sal. *tract.* 13. *d.* 8. *num.* 13. Curiel. *in art.* 2. *quæst.* 76. *dub.* 2. §. 1. & 3. Sanch. *cap.* 17. *num.* 11. *lib.* 1. *in Decal.* Azor. *lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 12. *q.* 5. Ratio discriminis est, quia in vno casu scientia imperatur per se, vt cognitio articulorum fidei; in altero tantùm ratione alterius; nam prohibetur ignorantia quatenus est causa operis prohibiti, quod suam malitiam refundit in suam causam, quæ alioquin eâ vacaret, vt patet. Itaque in exemplo allato de violante ieiunium ex ignorantia culpabili non committitur nisi vnum intemperantiæ peccatum. Vnde colligit Curiel præcipitationem, inconstantiam, & inconsiderationem, qui sunt vulgares defectus ad prauam electionem concurrentes, non esse distincta peccata: Sanch. verò *n.* 12. qui culpabiliter ignorauit malitiam furti, aut alterius peccati, etsi illud non admiserit, teneri eam negligentiam fateri, quia ea fuit peccatum eiusdem speciei cum furto, Vasq. *d. cit.* vniuersim pronuntiat, ignorantiam eorum, quæ in operatione posita sunt, prohiberi tantùm consequenter ratione operationis, ad quam necessaria est contraria scientia; ignorantiam verò eorum, quæ posita sunt in speculatione, prohiberi per se, ac proinde esse speciale peccatum, verbi gratia negligentia sciendi mysteria fidei, est peccatum distinctum ab infidelitate, & oppositum studiositati, quod duplex peccatum à posteriori colligitur: potest enim aliquis esse affectus ad mysteria fidei, & ad credendum dispositus, qui tamen erit negligens ad scientiam mysteriorum fidei comparandam.

Verùm, hoc postremum non caret difficultate; 13
videtur enim præceptum sciendi non esse distinctum ab eo, ad quod res scita pertinet, verbi gratia præceptum sciendi mysteria fidei, ad fidem pertinere, non ad distinctam aliquam virtutem. Vnde Suar. *d.* 15. *de fide, sect.* 2. *num.* 8. ait hanc ignorantiam, licèt non sit propriè infidelitas, quæ fidei, aut piæ affectioni ad credendum opponitur, pugnare tamen cum quadam præparatione ad fidem, & eius quoque vsu, vnde fieri vt eodem fidei præcepto prohibeatur; quod de omnibus aliis materiis, quarum ignorantia per se prohibetur facilè dici poterit, atque ita peculiaris illa virtus studiositatis inutilis erit, & ignorantia non erit vnquam speciale peccatum, sed diuersum pro diuersitate materiæ, & virtutum, quibus opponetur.

Respondeo quidquid sit de hoc casu particulari ignorantiæ articulorum fidei vtrùm ad infidelitatem, an verò ad vitium studiositati contrarium per extremum deficiens referenda sit, dari virtutem peculiarem studiositatis, de qua disputat S. Thom. 2.2. *quæst.* 166. cuius est moderari studium & affectum cognoscendi, tum circa ea, quæ cognoscenda sunt, tum circa modum: vnde ad temperantiam, cuius est moderari affectum, reducitur *ibid.* à S. D. *art.* 2. quod fusiùs exponit Less. *lib.* 4. *capite* 4. *dub.* 11. nam ille affectus vitiosus esse potest per se sumptus, vt si quis studio alicui, verbi gratia pingendi, nimis addictus, ita tamen vt indè nulla alia virtutis materia per se violetur. Debet igitur dari aliqua virtus, quæ talem affectum temperet. Quoties igitur nulla virtus per se primò cognitionem aliquam aut imperat, aut prohibet, neque per excessum, aut defectum, hoc est, per curiositatem, aut ignorantiam seu inscitiam in se violatur, toties ea inscitia, seu negligentia in quacumque materia, est vitium studiositati contrarium per defectum, sicut & curiositas in eadem materia per excessum. Ex quibus facile fuerit tradere generalem regulam, qua cognoscatur quandónam inscitia sit speciale peccatum: quando videlicet nullam peculiarem virtutem ratione materiæ, in qua versatur, lædit, sed solam studiositatem modo exposito.

Iam

14 Iam verò, ignorantiam esse quoque peccati effectum euidens est; cùm omissionem culpabilem mediorum ad scientiam oppositam acquirendam necessariorum sequatur. Quod etiam ignorantiæ inuincibili conuenit. Ita infidelitas dici solet pœna peccati, quando adultus priuatur mediis ad fidem sufficientibus in pœnam peccati mortalis, quod nisi admisisset, pertinebat ad suauem Dei prouidentiam ea suo tempore suppeditare.

§. III.

Ignorantia vincibilis non excusat à peccato, neque eius speciem mutat, minuit tamen.

15 Dixi secundò ignorantiam vincibilem, & culpabilem esse causam peccati, hoc est, non excusare à peccato: quod cum S.Thom. 1. 2. *art.* 3. *quæst.* 76. omnes fatentur, quia cùm ignorantia non possit aliter excusare à peccato, quàm reddendo actum, cuius causa est, inuoluntarium, ignorantia vincibilis id non facit: cùm enim ipsa sit voluntaria, actus quoque eam consequens, voluntarius erit, saltem interpretatiuè, quod ad rationem malitiæ sufficit.

16 Addidi, peccatum causatum ab ignorantia eiusdem speciei esse, atque si à sciente factum fuisset, contra Caiet. & alios quosdam; quod vniuersim ostendimus *superiùs*, vbi circunstantias malitiæ indirectè tantùm volitas inficere actum internum docuimus. Limitaui præterea hanc assertionem: dixi enim ignorantiam etiam culpabilem, quamvis à malitia actus non excuset, eam tamen minuere. Ita S.Thom. *q.* 76. *art.* 4. & alij passim, quia minuit voluntarium, quod est fundamentum malitiæ. Hinc fit vt quoties ignorantia est tantùm venialiter culpabilis, ita malitiam diminuat, vt ex mortali venialem reddat, quia tunc peccatum est tantùm imperfectè, & venialiter volitum, cùm sit tantùm volitum interpretatiuè in ignorantia, quæ eius causa est, & tantùm venialiter mala: & sicut qui inuincibiliter omninò ignoraret fornicationem esse malam, quoties necessaria est ad seruandam vitam, non peccaret eam committendo: ita si venialiter tantùm malitiam ignoraret, venialiter tantum delinqueret. Ita censent Sanch. *lib.* 1. *in Dec. cap.* 17. *num.* 17. Valent. *disp.* 6. *part.* 3. *quæst.* 6. contra Caiet. *hic art.* 4.

17 Quando verò ignorantia est mortaliter culpabilis, & ex ea violatur præceptum aliquod diuinum, admittitur peccatum mortale, neque ea malitia ea mortali transit in venialem. Aliter contingere in his quæ prohibentur iure tantùm humano probabiliter existimat Sanch. *lib.* 1. *in Dec. c.* 17. *n.* 19. 20. *&* 21. pluribus aliis allegatis, modò enim ignorantia crassa & supina non sit, sitque peccans in ea animi præparatione, vt si nosset causam, propter quam violat præceptum humanum, non esse iustam, minimè id violaret, peccatum quod aliàs esset mortale, transit in veniale: quia id videtur postulare suauitas iuris humani, vt non æqualis diligentia in causis excusantibus à peccato adhibenda sit, atque in iure naturali, vel diuino: quare voluntarium, quod sufficiens esset ad peccatum mortale in materia iuris diuini, vel naturalis, erit insufficiens in materia iuris humani, contra Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. d.* 82. *sect.* 3. qui ius diuinum & humanum comparat hac in parte.

18 Ignorantia affectata ad liberiùs peccandum, & sine conscientiæ stimulis, auget peccatum, vt ait S. Thom. *art.* 4. *quæst.* 76; Sanch. *lib.* 1. *in Decal. c.* 17. *num.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. *quæst.* 1. & alij, quos affert Sal. *disp.* 8. *num.* 39. *tract.* 13. quia est maior ratione præcepti contemptus, intensior affectus in peccatum, vult enim excutere scientiam quæ sola cohibere poterat insanientem animum, maius periculum, cui se exponit committendi plura peccata, abiicit. Quare non benè Valent. *disp.* 6. *quæst.* 6. *part.* 3. distinguit inter deformitatem, quam habet actus ex obiecto, quam appellat speciem positiuam, & speciem priuatiuam, desumptam ex defectu rectitudinis debitæ, in quo consistit malitia operationis & hanc minui ait, esséque minùs voluntariam per ignorantiam affectatam; priorem verò illam augeri cùm tunc crescat affectus in obiectum. Verùm cùm priuatio, in qua rationem malitiæ constituit Val. voluntaria non sit directè ratione sui, sed tantùm quatenùs connexa est obiecto, quod contra rationem amatur, si crescat voluntarium ratione obiecti per ignorantiam affectatam, crescet etiam ratione malitiæ ipsi annexæ.

Si tamen ignorantia volita sit, &, vt loquitur, affectata propter alios fines quam vt liberiùs peccetur, vt v. g. vitetur labor eam comparandi quam vt leuiùs peccet ignorando præceptum, minuet culpam. Ita cit. Auctores cum Sal. *disp.* 8. *num.* 40. & Curiel. *in art.* 4. *quæst.* 76. *dub.* 2. quia transgressio legis est minùs voluntaria & magni fit, cùm, vt leuiùs, v. g. violetur, quæratur ignorantia; secludendum tamen est periculum incidendi in alia crimina; tunc enim ratione periculi cresceret malitia. 19

Ex his omnibus colliges, an ignorantiæ circunstantia exprimenda sit in confessione. Negat Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 22. *sect.* 4. & Sanch. *lib.* 1. *in Dec. c.* 17. *num.* 23. Sal. *d.* 8. *tract.* 13. *n.* 84. quia ignorantia non mutat peccati speciem, vt dixi, siue crassa, siue etiam affectata sit; quando tamen excusat à mortali, aut dubium est ne contraxerit aliquam censuram, aut exponit se periculo grauius peccandi, vt dum quia vult accedere ad Semproniam, neque vult scire quænam ea sit, quia exponit se periculo incestus, adulterij, aut sacrilegij, debet eam ignorantiam, exprimere eámque esse affectatam, & fuisse periculum alterius peccati, præterquam illius culpæ quam iam animo conceperat. 20

§. IV.

Quomodo ignorantia excuset à pœna?

Altera parte conclusionis egi de ignorantia pœnæ alicui actui inflicta; hæc autem ignorantia vel supponit ignorantiam quoque malitiæ actus, cui pœna infligitur, vel eius cognitionem; deindè vel pœna lata est iure diuino, vel humano, & actus quem affectatur altero etiam ex istis iuribus prohibitus est. Quoties itaque ignorantia, quia inuincibilis est, excusat à tota culpa, excusat quoque à pœna in eam lata, aut inferenda in foro conscientiæ: quia cap. *cognoscentes de constitutionibus*, rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. Ita Curiel *in art.* 4. *quæst.* 76. *dub.* 3. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. d.* 32. *num.* 19. vbi quoties ignorantia excusat à mortali, vult etiam ab excommunicatione lata excusare. 21

Hinc deducit primò Curiel, eum, qui actum ex diuersis circunstantiis multiplici malitia infectum admittit, & inuincibiliter malitiam, cui peculiaris pœna annexa est, ignorat, illi non subiacere, v. g. occidit sciens hominem quem inculpabiliter ignorat esse Clericum, non incurrit pœnas latas in occisionem personæ sacræ, sed in solum homicidium; quod intelligendum est, etsi ille habuisset affectum occidendi Clericum si occurrisset, quia vt 22

morofa non autem mora temporis, cum etiam momento temporis committi possit, & aliquandò per longum tempus sine noxa perseueret, si videlicet non sit aduertentia in intellectu sed à consensu voluntatis, qui in ea supposita intellectus deliberatione præstatur. Ita eam distinguit Azor. *lib.4.c.5. q.1.* à desiderio, quod illud sit semper voluntas complendi opus, & ad illud perueniēdi ac proinde efficacitatem includat, sicut & consensus, & sicut idem ait *cap.6. in fine* obiectum huius delectationis seu affectus inefficacis est duplex, ipsa nempè cogitatio, & obiectum cogitatum; quod non est tantùm materia venerea, sed alia omnis pertinent ad quodlibet præceptum vt docet Sanch. *lib.1 in d.c.2.n.4.* Vasq. *d.111.n.17.* & alij communiter tametsi Authores de delectationis morosæ malitia disputantes, de venerea agunt, quia illa & frequentior & maiori periculo obnoxia est. Latum verò discrimen constituunt inter delectationem quæ est cogitationis, & eam quæ est de re cogitata; nam prior non attingit obiectum cogitatum, aut cognitum, imò sæpè adiunctam habet eius displicentiam. Cùm vt ait S.Thom. *q.74.art.8.* sæpè lætemur nos scire aut cognoscere modum quo perpetrata sunt plura crimina, quæ prorsùs execramur. Quare ea delectatio ita terminatur in cognitione, vt nullum affectum in obiectum cogitatum inuehat; neque enim illud vt delectabile repræsentatur; sic aspectu duelli, aut alterius rei malæ subtiliter, & ingeniose perpetratæ, aut ex narratione, vel lectione fraudium belli iniusti raptarum Virginum delectamur; quamuis quæ ita malè committuntur oderimus. Posterior delectatio attingit ipsummet obiectum immediatè, & non eius notitiam, vel cogitationem, quæ vt obseruat Vasq. *d.109.c.1.* habet tantùm rationem conditionis, aut applicationis necessariæ, vt obiectum sui delectationem causet; ad hoc enim opus est vt vel per sensum, vel intellectum applicetur affectui: vnde infert Lessius *lib.4.c.3.n.107.* hanc delectationem esse prorsùs similem ei quæ ex reali obiecti præsentia, & eius actuali fruitione percipitur, cùm quodlibet fiat nobis tum reipsa præsens, tum cognitione sensitiua, aut intellectiua, & vtroque modo eandem voluptatem ingeneret vt patet in somniantibus, qui se loqui, comedere, & bibere putant: phantasia enim, seu sensus interior, & multò magis intellectus vim habent percipiendi omnia sensuum externorum obiecta. Quare si obiectum sensibus externis perceptum delectationem ingenerat, quidni etiam quando erat in phantasia, vel intellectu, etsi actu non existit, obiicitur? Vnde etiam fit vt hæc delectatio totam suam malitiam, & speciem hauriat ab obiecto sicut & efficax affectus. Ita Azor. *tom.1.lib.4.c.6.q.5.& 3.* Pesant. *in q.74.d.2. & 3.* Sanch. *lib.1.in decal.c.2.n.8.& 9.* contra Vasq. *d.111.cap.5.* vbi negat actum inefficacem desumere suam malitiam ab obiecto, sed primatio eam ex se habere, ex oppositione videlicet cum peculiari aliqua virtute quam importat: si enim ea careat bonus erit, vel indifferens, atque in eo distinguit simplicem complacentiam, seu delectationem ab efficaci affectu qui totam suam speciem, & malitiam petit ab obiecto, quod est opus externum, à quo vt ab effectu infieletur; probat autem, quia aliquando actus efficax est bonus, & inefficax malus circa idem subiectum; qui enim efficaciter vult vxorem ducere, & cum ea delectari, non peccat; qui tamen per simplicem complacentiam iam de accessu ad illam delectatur, peccat: è contrà verò Religiosus delectari potest in magnis sumptibus erogandis, non tamen eos velle efficaciter absque graui culpa: licet gaudere de pollutione in somnis inculpabiliter nata, eam tamen efficaciter velle nefas est. In quibus omnibus cum idem maneat obiectum, & ex sola mutatione voluntatis simplicis in efficacem varietur grauitas malitiæ, signum est eam non deriuari ab obiecto in istos affectus eodem modo, sed affectum simpliciter eam primariò habere ex sua natura propter oppositionem cum aliqua virtute peculiari. Ratio à priori etiam videtur, quia simplex complacentia tota interius consummatur, vnde malitiam non sumit ab actu exteriori & opere circa quod non versatur sicut efficax. Hinc elicit Vasq. *d.111.c.2.* quoties in opere externo est duplex malitia, vt in adulterio, raptu, incestu propter oppositionem quam habent cum diuersa virtute, non refundi eam vtramque malitiam in delectationem morosam, cùm enim illa v.g. in exemplis allatis solum opponatur castitati & ex ea oppositione suam habeat malitiam: oppositio cum iustitia in adulterio & rapto cum pietate, & in incestu cum Religione, cum copula sacrilega sunt circunstantiæ impertinentes ad malitiam contra castitatem, etsi illam comitentur in his obiectis, ac proindè ab illis non sordebit delectatio morosa quæ ex sola oppositione cum castitate suam sumit malitiam, non ab opere externo & obiecto, in quo malitia fornicationis & religionis, aut iniustitiæ coniunctæ sunt, quam doctrinam non improbat Less. *lib.4. cap.3.n.123.* Sal. *tract.13.disp.6.n.56.* Bonacin. *q.4.de mat.p.4.n.19.*

5 Probatur tamen nostra sententia, nempè malitiam & speciem delectationis morosæ ab obiecto desumi, ac proinde eius grauitatem vel leuitatem, imprimis, quia ab obiecto suum habet esse specificum etiam in genere moris; ergo & ab illo suam malitiam; illa enim vnica est ratio propter quam actus efficax fordeat ab obiecto, quam enim assignat Vasq. falsa est, alioquin obiectum vt obiectum nunquam daret speciem aut malitiam actui, sed solùm quatenus est effectus: esse autem effectum, est duntaxat quædam circunstantia in ratione obiecti, vt patet, & quamuis delectatio non tendat in executionem operis externi, tendit tamen in obiectum malum quod approbat & vult, indeque & malitiam & speciem sortitur: quod enim eam Vasq. ab oppositione cum virtute capit, non vetat: vnde enim eam oppositionem habet nisi à suis causis à quibus suum esse morale accipit, in quibus quis non videt præcipuum esse obiectum? & licet in actu interno tota hæc delectatio consummetur, non tamen ita vt omni obiecto & materia careat, vtriis aliis peccatis quæ interiùs consummantur, vt odio Dei contingit, illa enim lex non tendit in opus externum & aliquid bonum, sed aliquid bonum, & obiectum de quo sint, & circa quod versentur habent. Si itaque obiectum malum placeat voluntati, illam complacentiam inficiet, licet ad opus externum non terminetur. Argumenta Vasq. non probant delectationem, seu affectum inefficacem de obiecto malo, non esse malum, neque quandò efficax & inefficax differunt malitia, tendere idem in diuersum obiectum, vt apparet expendenti exempla allata à Vasq. nam ducere vxorem est aliquid bonum, ac proinde eius voluntas efficax bona est. Venereus autem cum ea quæ nondum vxor est, congressus malus, ac proinde, delectatio de eo tanquam præsenti mala est, quia est incohatio quædam operis mali: gaudium de pollutione quæ in somnis contigit, non est de ea præcisè, vt pollutio, sed de commodo aliquo illi annexo, quod tamen non licebit procurare media pollutione, neque propterea efficaciter velle pollutionem ad eiusmodi commodum perpendum, illius enim desiderij immediatum obiectum esset aliquod malum, ipsa nimirum pollutio, quæ obiectiuè mala est.

Non

6 Non nego tamen aliquando obiectum malum non refundere totam malitiam, quam habet in affectum inefficacem, qui hac in parte differt ab efficaci, qui necessariò totam fœditatem sui obiecti participat, vt aduertit optimè Pesant. d.3.cit. Azor. c.6.lib.4.cit.q.3. Sanch. lib.1.in decal. c.2.n.11. Kon.d.44.de sacramentis n.108. ratio huius discriminis est, quia affectus efficax fertur in opus vt reipsa exequendum, opus autem illud non habet necessariò malitiam omnium circunstantiarum cogitatarum, v.g. fœdatio vxoris alienæ, habet malitiam adulterij, quamvis qui eam fœdat, non accedat vt ad alienam, & talem esse nolit, ergò in voluntatem efficacem & tendentem in totum illud opus, tota eius malitia refundetur; at verò voluntas inefficax & delectatio morosa quia non tendit in opus exequendum exterius, sed in solam eius malitiam apprehensam, potest in vnam tantum eius malitiam ferri, aliis vel non apprehensis, vel per illum præcisis, potest enim quis delectari de vxore aliena, non vt aliena est, sed vt pulchra est, licet non sua, non cogitando esse alienam, aut Deo sacram, aut cognatam, & ea delectatio tunc ad simplicem fornicationem pertinebit, quia motiuum voluntatis ab intellectu propositum excludit omnes rationes alias turpes, & restringit malitiam ad fœditatem simplicis fornicationis: si tamen intellectus eas omnes rationes fœdantes diuersimodè obiectum, voluntati repræsentet, neque vllas excludat saltem implicitè, tunc multiplex illa fœditas in voluntatem etiam inefficacem deriuabitur: quia tendit in totum obiectum propositum & apprehensum cùm voluntatis non sit præscindere vnam rationem ab alia, atque hoc vnum, ni fallor, voluit Vasq. & qui eum sequuti dicetunt malitiam ductam ex circumstantiis obiecti non refundi in affectum eius inefficacem.

7 Hinc soluitur vulgaris ea quæstio, an in confessione exprimendæ sint circunstantiæ specificæ operis, de quo fuit delectatio morosa, v.g. an fuerit de coniugata, aut cognata: negat enim Vasq. d.112.c.2. Cum hæ circumstantiæ non mutent speciem actus: excipit tamen circunstantiam voti castitatis & coniugij in admittente eas delectationes, quia habent specialem oppositionem cum virtute castitatis, a qua oppositione suam malitiam iam habet delectatio. Sà verf. confessio ait eum qui de peccatis præteritis delectatur, non teneri fateri quænam illa sint. Respondeo tamen cum doctoribus allegatis contra Vasq. quando delectatio est de toto obiecto, fatendas esse has circunstantias: secùs quandò per propositionem factam ab intellectu, restringitur ad vnam aliquam malitiam modo explicato. Hactenùs de actibus voluntatis.

8 Affectus appetitus sensitiui sunt vel fugæ vel prosecutiones circa obiectum aliquod sensibile, & vel causant affectum voluntatis, vel eum consequuntur, & in vndecim vulgatas passiones, quarum aliquæ ad concupiscentem, aliæ ad irascentem pertinent, distribuuntur: quæ partitio communis etiam est actibus voluntatis; differunt tamen tum circa obiectum, quod ampliùs habet voluntas quàm appetitus, qui ad bonum sensibile restringitur, tum quia appetitus semper habet adiunctam commotionem quandam corpoream, quæ in delectationibus venereis est quædam veluti inchoatio operis, vt obseruat Less. lib.4.cap.3. num.113. tum quia nulli sunt affectus conditionales in appetitu sensitiuo, vt contra Sal. d.6.tract.13 n.189. rectè docuit Sanch. c.2.cit num.33. cum enim omnis delectatio tùm voluntatis tùm appetitus, vel ex præsentia reali, vel intentionali obiecti resultet; & intellectus possit proponere obiectum vt conditione vestitum voluntati, in illud ita propositum ferri poterit: at imaginatio, quæ immediatè prælucet appetitui, non potest conditionem in obiecto apponere. In his conditionalibus enim est quædam affirmatio & negatio, & in copula conditionali est illatio, ac denique collatio quædã & præcisio vnius ab alio, vt si quis velit accedere ad Semproniã si esset sua, ponit conditionem excludentẽ malitiam ab obiecto, quæ consistit in copula cum non sua: hæc ab imaginatione fieri non posse constat: cum tamen appetitus excitatur à voluntate potest delectari de obiecto eodem de quo voluntas, quamvis illi non proponatur ab imaginatione vt conditionatum, sed vt bonum quoddam sensibile, quod tamen non appetit voluntas nisi cum quadam conditione excludente malitiam, quod non excludit dari delectationes sensitiuas conditionatas, vt contendebat Salas.

Hi omnes porrò tùm voluntatis tum appetitus affectus non modo prælucentem sibi proportionatam cognitionem supponunt, vt existant; sed etiam aduertentiam malitiæ, quæ sola ad intellectum pertinet, seu deliberationem rationis ad malitiam, vt omnes fatentur: qui motus primò primos, hoc est ante eam aduertẽtiam subrepentes etiamsi diu perseuerarent, malos esse negant contra Nouatores superiùs reiectos, & Caiet. ibid. etiam confutatum, ac denique Henricum, qui omnes motus appetitus infidelium peccata esse contendit, non autem in fidelibus ob personæ dignitatem; quem errorem reiicit S.Thom. 1.2.q.89.A.5. quia personæ dignitas potiùs auget peccatum, quàm diminuat, & pluribus Vasq. d.106. vbi etiam ostendit idem omninò dicendum siue motus appetitus præueniant imaginationem, oriantúrque ex alteratione corporis, siue ex imaginatione sequantur, & commotionem corporis efficiant; hos enim malè aliqui dicunt potuisse præuenire, ac proindè ream esse voluntatem quæ passa sit eos insurgere. Quæ omnia falsa sunt: constat enim imaginationem neque quoad suum primum motum, neque quoad imaginationem corpoream inde consequentem, neque quoad continuationem non semper subesse voluntati: quandiu enim est propositio & motio obiecti, necessariò sequitur apprehensio phantasiæ, qua durante non potest impediri commotio appetitus sensitiui, vndè plurimi motus præter rationem etiam quam præueniunt, exsurgant, & perseuerante præsentia reali obiecti, aut alteratione materiali corporis, actiones quoque phantasiæ & appetitus cohiberi nequeant; sicut neque voluptas, aut dolor; vbi tamen aduertit ratio, potest voluntas tum imaginationem, quæ ex actuali motione non procedit, alio diuertere, & appetitum reprimere, ita tamen vt cessante actione voluntatis compressæ, illæ facultates ad suos errores redeant, tum absoluto & efficaci imperio remurmurantem licèt appetitum frænare, hoc est imperare vt non repugnet dolori aut non pelliciatur voluptate, non tamen vt voluptatem aut dolorem non sentiat, ita vt duos quosdam actus in appetitu distinguere liceat, naturalem vnum & imperfectum, qui per vellem, aut nollem exprimi potest; alterum absolutum, quo appetit quod imperat voluntas, vnde sequitur motus quem imperat voluntas, licèt durent motus aliqui in membris externis ex commotione materiali humorum, quos non imperat voluntas, immò quos nollet: vnde etiam fit vt quamvis appetitus actum imperatum exequatur, non tamen nisi languide donec tota ea repugnantia vincatur. Vide quæ diximus alibi ex Suar. tract. de vol. d.10. s.2. ex quibus omnibus vides dari motus primò primos qui omnem rationis aduertentiam præueniant. Secundò primi appellantur qui aliquam rationem deliberationis sed imperfectam se-

quun

quuntur, quæ etiam diuisio motuum in ipsa quoque voluntate reperitur, vt docet Azor. *c.5. lib.4. q.3.* & Sal. *d.6.n.25.* de quibus quoad culpam eodem modo sentiendum est, ad eam enim omnes rationes deliberationis postulantur.

10 Est verò, vt iam insinuaui, duplex rationis deliberatio plena, & semiplena: prior illa necessaria est ad peccatum mortale, quia actus qui ex semiplena aduertentia procedit, non est perfectè humanus, sed quodammodò secundum quid, vt ait S. Thom. neque proinde grauis culpa; hæc autem deliberatio seu aduertentia debet esse circa malitiam obiecti propositi, si enim illud secundùm alia omnia cognosceretur, quāuis clarè & perspicuè, atque de eo consultatio haberetur, non esset tamen ea deliberatio sufficiens ad peccatum: vnde fit, vti obseruat Sanch. *lib.1. in decal. c.3. num.8.* vt possit motus primò primus esse circa malitiam, & moralitatē obiecti, & sic sit clara cognitio circa naturam eius physicam. Plenam autem vulgò vocant deliberationem, vt videbis apud Vasq. *d.107. c.4.* qua homo plenè aduertit instar hominis attenti in vigilia & pridem à somno excitati, ad quod opus non est aduertat malitiam esse læthalem, sed sufficit, si clarè cognoscat illi obiecto & bono sensibili annexam esse malitiam, ac proinde ratio dictet repudiandum esse. Semiplena est tenuis quædam aut nebulosa cogitatio de malitia obiecti; cuiusmodi est in his, qui somno nondum plenè excusso euigilant, & semisopiti adhuc sunt: atque hæc ad peccatum veniale sufficit, non tamen ad mortale quamvis materia grauis sit: diximus enim nuper mortale fieri veniale defectu deliberationis plenæ, contra Okam. relatum ab Almai. *tract. 3. moral. c.14.* ex hac enim diuersitate iudicij practici & deliberationis nascitur variatio libertatis quæ est fundamentum omnis moralitatis in actu voluntatis, & diuersitas quoque consensus eiusdem voluntatis in motum appetitus sensitiui, quem ex solo consortio cum voluntatis consensu fieri formaliter malum ostendimus nuper: consensus autem perfectus, seu plenè liber ad peccatum mortale circa grauem materiam necessarius plenam deliberationem sequitur: consensus autem imperfectus, imperfectæ quoque deliberationi succedit. Vterque autem iste consensus diuiditur in formalem, virtualem, & interpretatiuum. Formalis est, quo voluntas amat expresè, & directè obiectum sensibile, percepta licet eius fœditate, vnde vocatur etiam expressus & directus, cuius postremæ vocis etymon malè sumunt aliqui ex eo quòd ipsa voluntas ipsam malitiam & fœditatem in se, & per se velit; id enim neque necesse est, neque fortassis possibile, cùm nullus intendens in malum operetur. Consensus virtualis est, quo amatur causa effectus mali, quem sequuturum ratio præuidet. Ita qui scit vbi liberaliùs potauit, facilè irasci & obscœna loqui, dum se liberè vino largiori proluit, effectus ebrietatem illam consequi solitos velle dicitur: aliquando hic consensus est directus, & expressus prout in aliquo effectu à se relicto continuatione quadam persenerat sine interruptione, vti *superius* explicatum est. Consensus denique interpretatiuus consistit in omissione actûs, quem elicere tenebatur voluntas: cùm enim v.g. non comprimit tumultum perturbationum inferiorum, vti tenetur, censetur illis consentire, & cùm obiectum multiplicem habet malitiam ab intellectu propositam, quarum vnam directè tantùm vult voluntas, quia fertur expresè in obiectum fœditati substratum; circa alteram verò malitiam negatiuè se habet, illam velle dicitur. Aliqui Auctores hunc consensum interpretatiuum, virtualem etiam appellant non sine amphibologia. His obseruatis perspicua, & facilis redditur tota assertio, alioquin admodum implexa.

Omnes Actus voluntatis absoluti de obiecto malo, mali sunt formaliter.

Dixi igitur primò omnes omninò liberos voluntatis actus de obiecto malo esse formaliter malos, & quod ad actus efficaces omnes planè consentiunt, cum illi tendant in opus externum prout à parte, rei existit: sic autem est reuera obiectiuè turpe, & inhonestum; quoad inefficaces etiam aliquos non est ambigendi locus: qui enim de præteritis criminibus delectatur, malè agit, & tamen non habet nisi actum inefficacem, vt patet, de affectu autem circa obiectum præsens sine ordine ad opus, fuit olim nonnulla difficultas, veteres enim aliqui apud S. Thom. *q.74 A.8.* leuem dumtaxat fœditatem eiusmodi affectibus etiam circa obscœna versantibus aspergebant, sed eos reiicit eo loco S.D. & omnes deinde magno consensu Scholastici, Azor. *lib.4.c.6.q.1.* Less. *lib.4.c.3.n.109.* Vasq. *d.109.n.4.c.3.* & *disp.111. n.2.* Sal. *tract.13. d.6.n.45.* Pesant. *d.1.in q.74.* Sanch. *lib.1. in decal.c.1.n.8.* & alij omnes, qui & PP. dabunt. Ratio iam reddita est à priori, quia hi actus suam turpitudinem desumunt ab obiecto, à quo suum quoque esse participant. Si igitur materiæ seu obiecti malitia radicalis grauis sit, grauis quoque erit formalis malitia inde progerminans: ex vitiata siquidem radice fructum venenosum enasci necesse est. Quod confirmatur optimè à Less. *c.3. cit. n.110. & 119.* ex delectatione morosa venerea, quæ est similis omninò illi quæ ex rei actuali præsentia capitur, vnde & eandem corporis commotionem humorum, & spirituum pruriginem sæpissimè inflammat. Si itaque delectatio vna læthalis est, erit quoque & illi similis.

12 Dixi autem *de obiecto malo*, vt secluderem eam delectationem, quæ ex sola rei malæ, vel turpis cogitatione & cognitione capitur, eaenim aliquando bona est, vtdum quis parans concionem in luxuriam, aut studēs casibus conscientiæ de cognita rerum venerearū natura delectatur: alia verò est aut vana, aut inutilis pro ratione motiui, nunquam tamen per se & secluso periculo delectationis de re cogitata, aut alio quapiam læthalis est. Ita omnes, Sanch. *lib.1. in Dec.c.2. n.4.* Less. *c.3. cit n.108.* Pesant. *d.4.* aliique passim præeunte S. Thom. *q.74. A.8.* huc refert delectationem de modo, quo res aliqua ingeniosè, subtiliter, aut ridiculè fit, vt cùm quis ridet aliquem qui casu sibi tibiam fregit, aut industriam qua deletus est exercitus, capta arx, licet in bello iniusto, animi robur quo antagonistam in duello prostrauit; neque opus est, vt obseruat optimè Sanch. *n. 6.* modum hunc, de quo delectamur esse indifferentem, vt in re bona, aut mala reperiatur: cùm enim res quæ in sui admirationem rapit, nihil mali formaliter contineat, & præscindi possit, potest quoque terminare innoxium animæ affectum, licet reipsa in re mala adhæreat. Agnosces autem delectationem esse de cogitatione & non de re cogitata, quandò non est affectus, nisi circa vnam inuentionem, & non reipsa quod ex occasione, quæ data est insurgenti cupiditati poterit inquiri, cùm simile piarum rerum artificium non eodem modo delectat: signum enim est affectum esse circa rem ipsa in cogitatam. Denique opus est actu reflexo, quo quis cogitet se cogitare vt cogitatio sit volita.

Addidi delectationem de quolibet obiecto malo, esse malam; qua particula comprehendo etiam ea quæ peccata sunt, quia prohibita in re positiuo siue diuino, siue humano, contra Vasq. *d.110.* Less. *lib.4.c.3.n.115.* 13

Salara.

Salam. d.6. tract.13. n.52. Reginald. lib. 16. n.29. & Sanch. circa ea quæ præcepto negatiuo prohibentur, quia cùm in his substantia actus sit bona, poterit seclusa prohibitione à qua malitiam sortitur, amari, appetitus autem rationalis medio intellectu, rationes connexas præscindit. Sequimur tamen Azor. lib.4. c.6. q.1. Pesant. disp.1. cit. & Ratio euidens est. Cùm enim obiecta iure positiuo prohibita mala sint, quandiu malitiam suam retinebunt, actum circa ipsa versantem inficient, æquè atque ea quæ mala sunt ex sua natura: vtraque enim mala sunt, & quod in quibusdam malitia sit inseparabilis, in aliis separabilis impertinens est ad hanc refusionem in actum. Neque id negat Sanch. dum ait malitiam à prohibitione natam separari posse: supponit enim hoc ipso malitiam obiecti quamvis præcisibilē, quamdiu non præscinditur, inquinare actum, & hanc quoque præscindibilitatē in operibus iure naturali vetitis licet vsurpare, vt enim comestio carnium quatenùs bona est & commoda sanitati delectat Carthusianum, ita & substantia fornicationis, quæ eiusdem rationis est cum actu maritali, præscindi posset a malitia fornicationis, & ita obiici voluntati atque eam innoxiè delectare, quod quis dicat. Quare verò in die ieiunij liceat de carnibus oblectari & non de fornicatione coitatiuè considerata, statim docebo.

14 Hac eadē vniuersali particula comprehendi obiectum quod modo voluntati malum est, etsi in altero statu illi eidem, aut aliis malum sit: si enim absolutè spectetur tale obiectum seclusa conditione caputgante, de qua paulò post, reuera actum, quem terminat, inficient, cùm nulla sit ratio propter quam malitia præsens obiecti non fundet formales actus.

15 Limitant denique hanc assertionis partem cum addidi, posse bonum connexum cum obiecto malo, quale est bonus aliquandò effectus ex mala causa, aut subiecto [illegible] operis cum præcisione exclusiua malitiæ, modus etiam, vt aliqui volunt, subtiliter operandi posse esse obiectum delectationis non malæ, atque ita de esu carnium posse delectari Carthusianum prout commodæ sunt valetudini, quamvis sæpissimè isti actus sint conditionati, & illis appetatur obiectum vestitum conditione, si liceret, non potest tamen fornicatio, vt est actus quidam entitatiuè idem cum coniugali amari, quia præcisio fornicationis in illo actu absoluto, est tantùm præcisiua malitiæ, & non exclusiua, quod tamen necessarium est ne actus fœdeat ab obiecto. In his autem omnibus videt malum non esse obiectum voluntatis, sed solùm bonum illi connexum, v.g. qui lætatur de morte patris in gratia, non delectatur de eius morte, sed de eo euentu.

Corollaria ad praxin.

16 Ex his colliges primò non licere viduis delectari de actu coniugali præterito, neque sponsis de futuro. Ita Azor. c.6. lib.4. q.6. & 7. Pesant. in q.74. d.6. & 7. Vasq. d.114. c.2. Suar. d.5. sect.7. n.12. & 13. Bonac. q.4. de mat. p.8. num.15. Lessius lib.4. c.3. n.110. Sal. d.6. num.199. tract.13. quia illud obiectum est tunc illis personis malum: quare in illum actum illicitum tanquam præsentem & modò exercitum ferri nequeunt sine culpa: secùs si sponsi eum actum tanquam futurum, & viduæ tanquam præteritum tantùm apprehendant: hoc enim est tantùm approbare actum olim bonum, aut gaudere de expectatione boni futuri. Quæ omnia bona sunt, atque ita interpretor: qui sunt in contraria sententia cum Caiet. in summa v. delectatio & tom.1 opusc. opusc. 14. q. 1. & 2. Curiel. q.74. art.8. dub. vlt. §. 2. Val. d.6. q.4. p.5.

Colliges posse coniuges in absentia mutuo delectari de actu coniugali secluso pollutionis periculo, absque graui culpa. Ita Vasq. d.113. c.2. Lessius lib.4. c.3. n.121. Suar. tract.5. d.5. sect.7. n.9. Sal. d.6. cit. n.202. Bonacin. q. 4. de mat. p.8. n.11. Filliuc. tract.21. cap.8. num.294. & qui multos refert Sanch. lib.9. de mat. q.4. n. 3. addi[t]que q. 4. etsi sequatur corporea commotio Caiet. vers. delectatio & Em. Sa vers. delectatio Carol. l. c. contra Azor. q. 8. c. 6. cit. Pesant. d. 8. & paucos alios, quia in eo statu opus ipsum licitum est, & delectatio de eo, neque absurdum est ex solo statu quædam fieri licita, quæ mala alioquin viderentur, vt in hac eadem materia tactus & oscula inter coniuges etiam extra copulam, addit tamen Sanch. fore venialem eam delectationem, quia est præter debitum finem matrimonij. 17

Colliges tertiò nefas esse delectari de peccatis olim inculpabiliter admissis; v. g. pollutione in somnis, homicidio in amentia & ebrietate patrato, & aliis eiusmodi quæ licet obiectiuè mala sint, defectu tamen libertatis, aduertētiæ, aut alicuius alterius conditionis operātis, sine culpa admissa sunt. Ita Pesant. d. 9. Azor. lib.4. c.6. q.9. Sanch. lib.1. in decal. c.2. n.16. Less. lib.4. c.2. n.105. qui omnes negant licere pollutionem desiderare etiam euenturam inculpabiliter, aut de præterita gaudere solius delectationis venereæ causa, quia quoties causa excusans opus externum à mortali, non cadit in delectationem, licet opus externum sit culpæ liberum, non erit tamen ipsa delectatio: atqui causa, quæ sæpius opera externa excusat, est ignorantia, inaduertentia, defectus libertatis, & consensus, quæ in delectatione de illis operibus obiectiuè malis non reperiuntur, ac proindè non liberatur à malitia, alioquin vt arguit Pesant. posset inculpabiliter velle vt quis eam inuitam & reluctantem violaret, & sicut non licet gaudere de homicidio ab amente patrato, aut illud ipsi suadere, ita neque si à nobis fuisset patratum absque culpa, neque potuit Iacob gaudere de copula habita cum Lia quam suam vxorem existimabat. Atque hæc ratio vniuersim concludit de quolibet opere malo siue sola prohibitione positiua tale sit, siue ex sua natura, aduertit tamen Sanch. illo n.16. posse nos gaudere de transgressione præcepti, quam non sola conditio operantis, seu defectus libertatis aut consensus sed iusta causa immunem reddidit à culpa, eo quod tunc reuera cessaret obligatio legis, v.g. de fractione ieiunij ratione morbi, de homicidio in sui iustam defensionem admisso, de furto in extrema necessitate patrato, quia causa excusans à culpa tū in delectatione tum in opere eadē reperitur vt patet: limitant hanc regulam laudati DD. ita vt liceat pollutionem desiderare, aut de ea gaudere non ob delectationem, sed ad bonos aliquos fines, vt leuationem naturæ, moderationem libidinis, sed tunc vt etiam superiùs monui, obiectum formale illius delectationis est bonum, materiale autem non est malum, sed opus tantùm naturale, quod amplius explicat Less. lib.4. c.1. n.105. potest enim sumi delectatio de aliquo opere malo, quatenùs est causa boni effectus, sicut v. g. de morte alicuius, quæ rempublicam sedabit, duobus modis, primò quia gaudemus opus aliquod esse vel fuisse, vel à nobis admissum esse propter bonum effectum consecutum, & si illud opus sit intrinsecè peccatum, gaudium de eo captum est illicitū, quia respectus ad bonum effectū consecutum malitiam intrinsecam illi operi ac proindè non reddit aptum obiectum honesti gaudij, sic non licet sibi in peccato Adami complacere, quod ex eo Christi incarnatio euenerit. Si autem illud opus vel factum sit sine peccato, vel peccatum non sit de eo, vt sic & 18

præcisè

præcisè sumpto, propter iustas causas gaudere licet: secundò gaudere possumus opus aliquod prauum bonum effectum habuisse, & gaudium illud licitum est, & non de opere malo vt patet, atque ita vides licere pollutionem desiderare propter bonum; hoc est enim velle naturalem illam operationē sine culpa factam, sortiri finem bonum, aut delectari quod illum habuerit, vnde vides non propterea licere illam etiam in hunc finem procurare, quia causa excusans illud opus à culpa, non cadit in illud desiderium aut procurationem, vt monui, neque fas est medico pharmacum quod nullum alium habeat effectum propinare. Colligit præterea Vasq. d. 115. c. 1. eodem modo licitam esse hanc delectationem, licet in vigilia contigerit pollutio, si tamen naturaliter & inculpatè contigerit, non si ab alio quopiam in dormiente excitata fuerit, quia tunc fuit peccatum saltem in excitante, qua ratione negat etiam Sanch. licitam delectationem de fornicatione in somnis habita, quia cum ex sua natura sit actus liber, & peccatum, est aliquo modo materialiter malū, pollutio est aliqua naturalis euacuatio. & vt sic nequidem materialiter mala est, quod enim secundò extendit etiam ad commotionem corporis eam facultatis expulsiuæ actionem necessariò consequentem, cùm tamen delectatio capitur de bono euentu pollutione præterita inculpabili, ea delectatio venerea esse non debet, hoc est cum corporis & spirituum vitalium generationi deseruientium commotione, alioquin lethalis est.

19 Colliges quartò cum Less. l.4.c.3. num. 115. eum qui vouit à fœmina temperare quoad actum externum, non admittere sacrilegium, etsi interiùs delectetur, quia votum eam delectationem non præscindit.

20 Colliges quintò eum qui in bello iniusto fingit se Ducem & egregia facinora patrantem, eaque cogitatione delectatur, qui ridet dum legit, aut audit obsidiones arcium, fusos exercitus, raptus puellarum, casus, iniurias, & eiusmodi alia non peccare, quia obiectum huius delectationis non est malum proximi, quatenus malum eius est, sed industria, & animi magnitudo quæ etiam in criminibus perficiendis elucet, idem dic de delectatione carnium in quadrages. ea enim terminatur ad aliquam vtilitatem & bonitatem eius neque attenditur prohibitio. Ita Azor q.c.6.lib.4. & alij passim.

21 Colliges sextò delectationem quæ sumitur ex cogitatis osculis, amplexibus, tactibus libidinosis, esse mortalem quoties illa de quibus cogitatur mortalia sunt, sunt autem quoties libidinosa & impudica sunt in aliis quàm in coniugibus, aduertit autem Azor. q.12. & Pesant. d.12. c. 6. cit. discrimen esse inter delectationem quæ in tactum & eam quæ in alios sensus incurrit, prior enim illa vbi voluntaria est, est ex natura sua libidinosa cùm ad generationem ordinata sit; secùs ea quæ prodit ex aliis sensibus, vt aspectu fœminæ pulchræ, quare non tam facile in eo aspectu lethalis culpa committitur quàm in tactibus.

Actus conditionati de obiecto malo, aliquando mali non sunt.

22 Egi secunda parte assertionis de actibus conditionatis, quos in sola voluntate, & non in appetitu esse constat ex notatis, dixique illos carere malitiâ quoties conditio apposita obiecto, illius malitiam prorsus excludit, siue ea conditio possibilis sit, siue impossibilis, siue sint mali iure naturali, siue positiuo tantùm; quandò verò conditio superueniens relinquit totam malitiam in obiecto, actus circa illud etiam eâ conditione affectum perseuerantem malitiam hauriet. Ita Sal. d.6. tract.13.n.176. Vasq. disp. 116. n. 4. Eman. Sa vers. peccatum n. 2. Bonac. q.4.de mat. p. 8. n.20. Filliucius tract.21. c.8.n.296. Cuiel. a.2.art.1.q.74. dub.vlt. §.1. Suar. d.5. sect.7.n.19.& 11. contra Azor. lib.4. c.6.q.10. Sanch. lib.1.in Decal.c.1. num.23. Pesant d.10. qui id concedunt tantùm in iis, quæ iure positiuo mala sunt, quanquam Sanch. n.34. videatur etiam in aliis cōcedere, quoad delectationes voluntatis, de quibus solùm loquimur. Valent. verò d.6.quæst.4.part.4. Caietan. tom.1.opusc. tractat.14. dub.1. Reginal. lib.11.num.53. id concedunt in desiderio non de delectatione: perspicua tamen videtur nostra conclusio; cùm enim obiectum quatenùs terminat volitionem sit depuratum à malitiâ, non apparet qua ratione fœditatem, quam non habet, in volitionem refundere poterit. Neque discrimen quod assignant Authores, valet hoc loco, videlicet malitiam esse separabilem ab obiectu, quoties nascitur ex prohibitione externa, quæ per conditionem tolli potest: nam cùm conditio etiam apposita in iis quæ per se mala sunt, tollat quoque malitiam, eadem omninò erit ratio; neutra enim malitia reipsa tollitur, sed tantùm ex aduentu conditionis appositæ: neque volumus tunc illud obiectum non esse malum, seu non prohiberi; sed tantùm illud optamus, si liceat, vti superius in notatis expositum fuit: vnde neque ius naturæ euerti postulamus, neque dolemus Deum prohibuisse. Quod autem Valent. & alij dicunt desiderium esse de futuro, delectationem autem de præsenti obiecto, quod cùm reipsa malum sit, non potest non communicare suam malitiam, non vrget: nam desiderium est etiam actus præsens voluntatis, quare æquè sordebit ab obiecto reipsa malo, atque delectatio: neque enim est tantum propositum volendi obiectum vbi per aduentum conditionis expurgatum fuerit, sed vera volitio præsens obiecti sed conditionati, vt obseruauit Bonac. loc.cit.num.31. Hinc

Elicies primò, eum qui vellet vlcisci suas iniurias, si non esset Dei offensa, suspendere latrones, si esset iudex, comedere carnes, si non esset ea die prohibitum, ducere vxorem, nisi esset Religiosus, aut Sacerdos, non peccare, quia hæ conditiones tollunt malitiam obiecti. Ita Bonac. n.21. & Sanch. n.24. 23

Elicies secundò eum, qui vellet, nisi esset Religiosus, aut Sacerdos fornicari, alium occidere, furari, & nisi esset infernus, peccare mortaliter, quia eæ conditiones non abstergunt malitiam obiecti, vt patet. Ita Sanch. Bonac. & alij. 24

Elicies tertiò, qui dicit, *Nisi Deum timerem, peccarem.* vel significat motiuum solum abstinendi à peccato esse solum timorem seruilem cum seruilitate, qui non aufert malitiam peccati, vel filialem, & reuerentialem timorem, & ille aufert malitiam. 25

Elicies quartò, eum qui ait, si iuuenis, si non Religiosus vlciscerer, peccare, si significet se habere præsentem vindictæ affectum, secùs si tantùm indicet, quid in illo statu fuisset facturus, vti ex aliis conijceri potest. 26

Elicies quintò, eum qui vellet accedere ad Semproniam, si esset vxor eius, non peccare. Ita Sanch. num 34. Vasq. disp.114.num.5. Bonacin. & alij; optimè tamen limitat Sanch. ad solam delectationem voluntatis, nam delectatio sensibilis & corporea, si illi consentiat, mala erit, & de ea tantùm loquuntur Auctores, qui contrarium docuisse videntur. Ratio est, quia appetitus sensitiuus non habet vllos actus conditionatos, vt docui contra Salam. Quia verò delectatio sensibilis perpetuò consequitur voluntatis 27

luntatis delectationem, hinc fit vt ferè semper delectatio voluntaria mala sit, non præcisè in se, sed ratione periculi & effectûs consequentis, vt monet Bonac. *num* 35.

28 Elicies sextò, eum qui dicit. *Si alterum ex istis peccatis necessario esset admittendum, hoc potiùs admitterẽ*: si tunc minus eligeret, non peccare, quia tunc ea electio minoris mali ad grauius vitandũ licita foret.

Consensus omnis in motum appetitûs sensitiui, de obiecto malo malus est.

29 Tertia parte assertionis egi de motibus appetitûs sensitiui qui variè comparari cum aduertentia rationis, & deliberatione, atque consensu voluntatis, malitiæ capaces, vel incapaces sunt, vt in notatis fuit expositum. Si itaque præueniant omnem rationis aduertentiam de malitia obiecti, & consensu voluntatis in illam, statim apparet non esse malos; quæ doctrina vniuersalis est, & sæpiùs tradita: cùm enim appetitus careat libertate, & eam à voluntate sumere debeat, eius nutum expectare cogitur, vt malè vel benè operetur: si verò sequatur semiplenam tantùm deliberationem quia ea generalem, & imperfectum tantùm consensum voluntatis notat, venialiter tantùm mali sunt, vt probaui in notatis: quandò verò denique plena est in intellectu deliberatio, hoc est cognitio de fœditate obiecti saltem in communi, aut expressa dubitatio, aut scrupulus de periculo eius, aut inaduertentia saltem culpabilis, tunc sunt mali venialiter, aut mortaliter pro ratione obiecti, vel consensus, qui si sit directus, & expressus, & obiectum grauiter malum, vt semper contingit in motibus sensualis delectationis venereæ, sunt peccata mortalia ex omnium consensu: si verò sit consensus virtualis eo quod sit volita causa talis motus sensualis cõsequentis, sunt grauia, vel leuia peccata, pro ratione culpæ, quæ admissa fuit in ponenda illa causa. Ita Bonacin. *q.4.de mat.p.3.q.5.* qui in vniuersum pronuntiat causam venialiter malam non communicare nisi eandem malitiam effectui, qui, vt mortale dicatur, requirit maius voluntarium quàm reperiatur in causa venialiter mala, in qua volitus & præuisus est. Idem habet Sanch. *lib.9. de mat. d.45. n.* 18. de causa pollutionis, quæ si venialia tantùm est, venialis quidem erit, & tamen pollutionis peccatum.

30 De consensu interpretatiuo, in quo voluntas prorsus negatiuè se habet, ita vt neque positiuè consentiat, neque dissentiat, neque comprimat, neque delectetur motibus sensualitatis, & obscœnis, quos optimè nihilominus aduertit, quosque, si luberet, frangere posset: ita enim se habere quandoque voluntatem, malè negat Vasq. *d.*103.*n.*3.*&* *d.*104.*n.*5. aliqui tunc existimant non peccare mortaliter, sed venialiter tantùm, cum non videatur grauiori obligatione obstringi vt partem inferiorem sibi rebellantem comprimat, modò absit periculum consensus, immò ferè certa sibi videatur se non consensuram. Ita probabiliter Salas *tract.* 13. *d.6.n.*25.*&* *n.*67. qui etiam *n.* 73. id concedit posito periculo distillationis & commotionis corporeæ, sed non conclusionis Sanch. *lib.1.in Decal.c.2.n.*13. vbi & communiorem sententiam appellat, quamvis quia exponit se periculo consensus voluntas, & difficillimum est quòd quandónam voluntas se habuerit prorsùs negatiuè, sine affectu complacentiæ, velit in praxi elici à voluntate formalem displicentiam, quæ, quamvis efficax non sit ad reprimendum appetitum, neque etiam eò tendat; est tamen efficax ad cohibendum liberum consensum. Sequitur Sanch. cum eadem limitatione Laiman. *tract.*3. *cap.*1. In eadem sunt sententia Toler. *lib.5.c.*14. Reginald. *lib.*11.*n.*43. Caiet. *verb. delectatio morosa*, ipséque S.Thom. *q.*15.*de verit.art.*4.*ad* 10. Placet tamen contraria sententia, quæ est Azor. *c.6.lib.*4. *q.*5. Less. *lib.*4. *c.*3. *n.*117. Pesant. *in q.*74 *d.*1. Curiel. *ibid.art.*8 *dub.*1.§.2. Valent. *d.6. q.4.p.*3. Vasq. *d.*108. *c.* 2. ex suppositione illius status, quem in voluntate possibilem negat, vt iam monui, Bonac. *q.4. de mat. p.7. n.*7. Becan. *tract.*2. *c.5. q.*5. Suar. *d.5.sect.7.n.* 19. *tract.*5. & alij passim. Ratio perspicua videtur: quia voluntarium indirectum, seu negatiuum, est verum & proprium voluntarium, ac liberum, vt ex S.Thom. olim demonstratum est: quid igitur impedit quominus consensus indirectus in motum sensualitatis sit mortalis, si directus & expressus fuisset, quandoquidem vterque proprius & verus consensus est? Non negarim tamen quod addidit Bonacin. maiorem motum requiri quandò consensus virtualis tantùm, aut indirectus est, vt sit peccatum mortale, quia illa expressio consensus videtur quidpiam inferre maius & grauius.

Limitant tamen Doctores laudati hanc assertionem, ita vt liceat ex rationabili causa voluntati non reprimere, & motus inferiores, & negatiuè se habere; tunc enim, vt optimè aduertit Curiel. *conclus. vltima* non dicitur consentire etiam interpretatiuè: hæc enim diuersissima sunt consentire formaliter in delectationem, & eam non reprimere, primum prohibetur præcepto negatiuo, quod obligat semper, & pro semper; vnde nunquam licet, quæcumque tandem appareat causa, consentire, aut periculo consentiendi se exponere; reprimere autem delectationem iubetur præcepto affirmatiuo, quod simul includit prohibitionem non repressionis, quæ est negatio quædam actionis. Præceptum autem affirmatiuum non obligat pro semper, & ex rationabili causa non obligat. Si igitur eiusmodi causa reperiatur in nostro casu excusans voluntatem ab obligatione reprimendi motum concupiscentiæ, & à prohibitione non reprimendi, tunc non consentiet, neque directè vt patet, cùm nullum eliciat actum positiuum complacentiæ, neque indirectè: ad id enim exigitur vt non tantùm non dissentiat liberè, sed vt teneatur positiuè dissentire. Causa porrò excusans debet esse honesta, necessaria, & vtilis non tantùm in ordine ad spiritualia, sed etiam ad temporalia; quare vulgò concedunt omnes non debere vllum propterea à confessionibus audiendis desistere, & posse quoq; ne magis ferociat appetitus ipsum præ contemptu non comprimere positiuè. Ait itaque Suar. *l.c.* non teneri nos, ad depellendam concupiscentiam, omittere aliquam actionem honestam, studium, v.g. confessionem, artem Medicinæ & eiusmodi alias actiones cottidianas, colloquium necessarium, & aspectum cum pulchra fœmina. Secundò quando opus, quod assumitur ex sua natura, tendit ad excitandam concupiscentiam, tunc ferè semper omittendum est, nisi sit ingens necessitas, vel vtilitas. Tertiò quandò opus est tantum per accidens coniunctum cum concupiscentia suboritura, rarò ob illã relinquere quis tenetur, v.g. agere iter; neque mulier pulchra tenetur se continere domi, ne quis eam offendat, aut osculum, quod pro more gentis vrbanitatis causâ inter salutandum vsurpatur, vitandum. Quartò quantò grauior est concupiscentia & magis veluti consummata, eo magis actio quæ periculum illius inuehit, fuerit omittenda, sicut quæ æquè præsens est quàm quæ futura deinde timetur. Vide Sanch. *lib.9.de mat.d.*45. de obligatione vitandarum causarum pollutionis; tota enim ea doctrina facilè huc transferri potest. 31



PRINCIPIVM XII.

De causis internis malitiæ.

1 QVÆRVNT *à nobis Manichæi* (inquit Aug. *lib. 1. contra Iulian. cap. 3.*) *Vnde sit malum? Respondemus ex bono, sed non summo & incommutabili bono, ex bonis igitur inferioribus, atque mutabilibus orta sunt mala quæ mala licet intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum; tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus, & in aliquibus naturis esse non posse. neque aliquid esse malum nisi à bonitate defectum. sed cuius defectum nisi alicuius sine dubitatione naturæ.* Bonum igitur deficiens, & vertibile, causam esse mali pluribus ostendit eo loco Aug. & *lib. 2. de nup. c. 28.* alibique sæpiùs, nempè ipsam voluntatem creatam, quæ cùm ex nihilo sit vertibilis, ac defectibilis est, & cùm libera quoque sit, potest bonum sensibile suæ naturæ conueniens, aut disconueniens sequi, vel abiicere, & à rationis regula, cui non identificetur vt libuerit deflectere, quare aliam peccati causam quam voluntatem deficientem, negat quærendam idem Aug. *lib. 3. de lib. arbitr. cap. 17.* neque reddendam causam, cur vna voluntas velit peccare, & non alia, nisi quia vult ne radicis radicem ineptè quæramus: *Quoniam* (inquit) *voluntas est causa peccati; tu autem causam ipsius voluntatis inquiris: si hanc inuenire potuero, nonne causam eius causæ quæ inuenta fuerit quæsiturus es? & quis erit quærendi modus, quis finis percunctandi ac differendi, cum vltra radicem quærere nihil oporteat? Sed quæ tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? etenim ipsa vel voluntatis est, & à radice ista voluntatis non receditur, vel non est voluntas, & peccatum nullum habet.* Denique *l. c. in Iulian.* optimè concludit. *Ex bonis orta sunt mala, non ex bonis voluntatibus opera mala, sed ex bonis naturis voluntates malæ.* Neque aliud voluit S. Thom. *1. 2. q. 75. art. 1.* & reliqui Theologi, dum totam peccati causam in voluntatem liberè deficientem reiiciunt, ita vt defectus voluntatis, sit causa formalis peccati, effectiua autem sit potentia libera deficiendi. Quo verò sensu negent tum S. Thom. tum reliqui dari causam efficientem, iam *alibi* insinuatum fuit; neque enim id tantùm asserunt quòd peccatum sit priuatio quædam, id enim *lib. 3. superiori* falsum ostendimus: & priuatio suam etiam causam habet per accidens, cùm vel remouetur causa productura formam: sic aër obscuratur recedente sole: vel ponitur causa formæ, ad quam alterius negatio sequitur; sic productio caloris est causa per accidens priuationis frigiditatis in aqua, causam verò per accidens non coïncidere cũ deficiente, rectè obseruauit Caiet. *in a. 1. q. 75.* & patet in causis naturalibus, & artificialibus, peccata naturalia, aut artefacta ponentibus, quod per omnia causarum genera ostendit Med. *in eund. art. 1.* vbi duo quædam subtiliter obseruat: primum est, voluntatem nostram dici causam per accidens peccati, quia accidit operanti, & volenti quòd operetur non adhibita rationis regula: dicitur autem causa deficiens, quia operatur cum tali defectu non adhibitâ nempè rationis regulâ. Sic in naturalibus, quoties causa patitur aliquem virtutis actiuæ defectum, effectum mancum producit, & licet verè quidpiam efficiat, in sua tamen effectione deficit, vt apparet in membro impedito, tibia claudâ, arbore vitiosâ; & quoties causa est omni ex parte perfecta & indeficiens, vitium effectus non in eam, sed in aliam quampiam reduci debet. Quare vitium frugis nullas in causas vniuersales, quæ perfectissimè operantur; sed in arboris, aut radicis putridæ tabem referendum est. Præterea cùm defectus oriatur, vel ratione materiæ ineptæ ad efficientis actionem excipiendam, qua ratione contingunt monstrosi fœtus; vel ratione formæ, quæ secum alterius priuationem infert, cùm generatio vnius sit alterius corruptio, etiam præter intentionem operantis: voluntas nostra operans non adhibitâ rationis regulâ, & bonum aliquod commutabile intendens, in defectum & difformitatem quæ ex necessitate sequebatur ex bono commutabili amato præter rationis regulam, contra quam ipsa intenderet deducenda erat, vt si quærens thesaurum inueniret viperam. Dicitur itaque voluntas causa deficiens & per accidens malitiæ, etsi verè illam producat & efficiat.

Obseruat secundò Medin. se *in art. 1. q. 75. ad 1.* dixisse carentiam, seu non applicationem rationis, & 2
legis diuinæ comparatam cum nostra voluntate antequam actu operetur, esse meram negationem, neque vllam rationem mali, seu culpæ, seu pœnæ inferre: hoc enim est tantùm voluntatem creatam non esse identificatam suæ regulæ, à qua proindè desciscere potest, esséque defectibilem, quod ipsi connaturale est; hæc tamen pura negatio est prima radix, & principium peccati, vt patet. Vnde fit peccatum non habere pro causa malum aliquod, aut aliquam substantiam malam; sed bonam voluntatem cum negatione alterius boni, nempè rationis & regulæ diuinæ; quam negationem seu non identificationem habet eo ipso quòd ex nihilo condita est. Ex quibus omnibus vlterius manet soluta Manichæorum importuna quæstio, quomodo ex bono oriatur omne malum. Habemus itaque primam infelicis germinis, radicem, nempe voluntatem malam, quæ eo ipso quòd peccat mala fit, & prius mala non est, sed defectibilis tantùm aut non bona ex omni parte, seu incommensurabilitet. Quia verò voluntas tum ab intellectu, tum à sensu & appetitu, tum etiam ab obiectis extrinsecis & causis impelli solet ad bonum commutabile, cui annexa est moralis turpitudo, & alij Theologi passim quasdam alias causas præter voluntatem enumerant, & in internas, atque externas partiantur; internæ autem sunt intellectus & appetitus, ad intellectum pertinet cognitio vel ignorantia quæ causant, vel impediunt peccatum, ad appetitum pertinent perturbationes, ex quibus augeri aut minui potest malitia peccati. De his omnibus singillatim disputat S. Thom. cuius nobis vestigia premenda iam pridem indiximus.

QVÆSTIO I.

Quomodo ignorantia sit causa peccati?

DIcendum est, ignorantiam vincibilem & culpabilem, esse peccatum, effectum, & causam 1
peccati, eiusdem regulariter speciei cum eo, quod à sciente factum fuisset: minuit tamen aliqua ex parte peccatum, licèt aliunde quando est affectata illud augeat, & vbi est cognitio malitiæ, ignorantia pœnæ non excusat ab ea, nisi per accidens in quibusdam casibus, vt in contrahendis censuris, ignorantia vincibilis, siue sit causa operis, siue non & concomitanter dumtaxat se habeat, tollit omnem difformitatem ab actu sic elicito, quare est aliqua cognitio malitiæ necessaria ad eam contrahendam, quod non impedit, quominus omnis peccans sit ignorans ex vulgari axiomate, quamquam id necesse non sit,

sit, sed stante omnimoda cognitione & aduertentia malitiæ in intellectu, possit voluntas pro suo arbitrio bonum cum turpitudine morali connexum, appetere.

§. I.

Multiplex ignorantia.

2 Repetenda est ex *alibi* dictis multiplex ignorantiæ diuisio: alia enim est prauæ dispositionis, siue error; alia puræ negationis, seu nescientia, & non importat debitum in eo, qui scientia caret: quæ etiam in Angelis & in Christo (si quid ignorant) reperietur. Alia est speculatiua, quæ cognitionem principij speculatiui excludit; alia practica, quæ cognitioni operis directiuæ repugnat.

Tertiò alia est habitualis habitu scientiæ priuans, aut, si sit prauæ dispositionis, contrarium habitum & errorem perseuerantem inducens, ita vt non modò intellectus actu non aduertat, aut non cognoscat aliquod obiectum, sed etiam careat principio illud cognoscendi; alia est actualis quæ scientiam habitualem, & principia cognitionis, cui opponitur, non excludit, sed dicit tantùm eorum non vsum, & vocatur inconsideratio, inaduertentia, incogitantia, obliuio: hanc negat Vasq. *d.* 118. *cap.* 2. vocandam ignorantiam, affirmat Curiel. *in quæst.* 76. *art.* 2. *dub.* 1. Lis est de voce: nam quoad rem eodem modo se habent istæ duæ ignorantiæ, habitualis, & actualis ad causandum aut impediendum peccatum, vt docet Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 16. *num.* 8. & Soar. *tomo* 5. *in* 3. *p. d.* 4. *sect.* 8. *n.* 8.

3 Quartò. Quædam ignorantia est causa operis, quia remouet contrariam scientiam, quæ, si adfuisset, impediuisset opus: quædam est tantùm comitans quia siue ponatur, siue tollatur, eodem modo fieret aut non fieret opus, vt vides in eo, qui configit hostem existimans esse feram, & nihilo secius confixisset, si sciuisset hostem esse.

Quintò quædam est antecedens, quædam consequens: prior illa omnem voluntatis actum præcedit, neque vnquam volita est aut in se, aut in alio, explicitè, aut implicitè, directè, aut indirectè: consequens autem ita appellatur, quòd voluntaria sit, & aliquam voluntatis electionem sequatur: malè enim aliqui has denominationes sumunt ab actu voluntatis, quem causant, aut non causant. Vndè & tertium membrum comitantis in ea diuisione addunt, quia consequens non poterit sequi actum, quem causare dicitur, vt optimè aduertit Curiel. *in quæst.* 76. Itaque comparanda est ignorantia in hac diuisione cum actu voluntatis, per quem volita, aut non volita sit; si enim præuenit omnem actum voluntatis, neque vllo modo sit voluntaria, rectè dicitur antecedens: sin minus, vocabitur consequens.

Sextò diuiditur in ignorantiam iuris & facti: prior vniuersalis vocatur ab Aristotele *c.* 7. *Ethic.* quia præcepta & prohibitiones vniuersim traduntur, cùm facta omnia singularia sint; est autem triplex ius, diuinum, humanum, & naturale. Denique alia est ignorantia inuincibilis, seu iusta & probabilis, (quamvis aliqui ista nomina distinguant:) inuincibilis enim est, quæ nulla ratione etiam physicè depelli potuit, iusta tamen & probabilis, quæ licèt potuerit absolutè considerata depelli, non potuit tamen aut non debuit moraliter. Alia est vincibilis, culpabilis, iniusta, & improbabilis; circa quam diuisionem duo quærenda sunt: primum quid exigatur, vt aliqua ignorantia censeatur inuincibilis, & inculpabilis; secundum quarum rerum possit haberi eiusmodi ignorantia.

Quoad primum S. Thom. *artic.* 2. *quæst.* 76. ignorantiam inuincibilem appellat, quæ non potest studio superari, vnde colligunt aliqui summam diligentiam adhibendam esse, quod durum admodum & falsum est: nam constat excusari à peccato quosdam ex ignorantia peccantes, quam tamen adhibita maiori diligentia aduertere licuisset, vt in Iacobo Liam pro Rachele cognoscente, & Abimelecho Saram vxorem Abrahæ sibi ducente, atque aliis patet. Rectiùs itaque Alma. *tract.* 1. *moral. capite* 4. quem sequitur Vasq. *d.* 123. *capite* 1. Curiel. *in quæstione* 76. & alij, eam esse inuincibilem; quam aliquis adhibendo omnem diligentiam, quam præcisè tenetur ad illum effectum, non potest vincere, ita vt, si culpabiliter omittat aliquid, ex quo fuisset discussa ignorantia, si tamen ad illud non tenebatur præstare ex vi effectus, quem scientia illa causare debebat, ea ignorantia inuincibilis censeatur, etsi culpabiliter contracta. Vnde Vasq. *d.* 17. culpabilem ignorantiam ab inuincibili distinguit, vti *superiùs* monebam. Verùm omnis inuincibilis dicitur inculpabilis, quia licèt omissio eius, ex quo sequuta est, fuerit mala; ipsa tamen culpa caret, cùm, vt modò dicam, præuisa non fuerit vt sequutura, & nullum etiam peccatum causet. Id totum illustrat Almaïn. exemplo Iudæi, qui cùm teneretur ex lege singulis annis Hierosolymam adire die Pentecostes; potuit omittere illud iter ex socordia eo anno, quo in Sione lex Euangelica promulgata est, delapso in linguis igneis Spiritu; ille enim ignorabat inuincibiliter teneri se lege Euangelica, & tamen per omissionem culpabilem alicuius, ad quod tenebatur, eam ignorantiam contraxerat. Quoties igitur causa ignorantiæ, peccatum est, non habet tamen illud peccatum connexionem cum tali culpa quoad obligationem sciendi, hoc est, quoties obligatio vitandæ illius culpæ non procedit ex obligatione sciendi, ignorantia est inuincibilis; vt in allato exemplo vides: obligatio enim itineris Hierosolymitani in Iudæo die Pentecostes, non oriebatur ex obligatione sciendi legem Euangelicam. Ita Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 16. *num.* 31. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *capite* 13. *quæst.* 2. & alij: ratióque perspicua videtur, quia tunc ea ignorantia non est voluntaria, neque formaliter, vt constat, neque interpretatiuè, cùm nihil amplius facere teneatur ad eam expellendam, quàm id ipsum quod fecit.

Verùm quæres primò quandónam teneamur expellere ignorantiam & acquirere scientiam oppositam, ita vt omissio illius, quo pellenda erat ignorantia, connexionem habeat cum obligatione talis præcepti, quod deinde defectu cognitionis violatur, verbi gratia quandónam Iudæus debuit expellere ignorantiam legis Euangelicæ, & omittere illud vnde sequutura erat ea ignorantia præcisè ex obligatione præcepti sciendi legem Euangelicam? 5

Respondeo cùm Sanch. *l. c. num.* 21. Vasq. *d.* 107. *c.* 3. *&* 123. *cap.* 2. *&* 124. *num.* 5. & aliis eam inaduertentiam, seu obliuionem seu ignorantiam inuincibilem esse, licet ex omissione culpabili aliunde ortam, quoties nulla notitia nec specialis, nec confusa, nec vlla dubitandi ratio, de sciendi obligatione occurrit, quia nulla cogitatio, dubitatio, aut scrupulus malitiæ moralis, vel periculi circa hoc opus præcessit: quamdiu enim aberit eiusmodi cogitatio, nullus erit locus consultandi de malitia morali obiecti, quamvis de eius vtilitate, aut suauitate deliberetur, neque vllus

damnat Confessarium excusantem pœnitentem, qui ait omisisse ieiunium per meram & naturalem inaduertentiam. Tunc igitur vi præcepti obseruandi non tenetur vllam maiorem diligentiam adhibere, aut aliquid omittere, vel præstare ad cognitionem eius acquirendam. Neque sufficit quælibet consideratio malitiæ, sed plena ad peccatum mortale, quæ si qui
4 potest ex cogitatione etiam merè naturali, sed clara & perspicua circa eius malitiam: non sufficit quoque aduertentia virtualis & interpretatiua tantùm, hoc est, licet ratio malitiam obiecti potuerit moraliter, & debuerit considerare, si tamen non consideret actu, non sufficit vt eius omissio censeatur culpabilis ex vi, & obligatione præcepti sciendi hanc modo malitiam. Contra quæ plures apud Sanch. qui tamen ferè à nobis non dissident, maximè Val. *d.* 6. *quæst.* 6. *part.* 1. *corollar.* 5. & Suar. *tom.* 5 *in* 3. *p. d.* 4. *sect.* 8. *numero* 18. vt de hoc postremo aduertit ipse Sanch. Fauere tamen videntur iura isti sententiæ, quæ docent ignorantiam non excusare quando quis scire debuit. *cap. Si culpa, de iniuriis*, & imperitiam in re ad proprium munus pertinente non excusare, *instit. de lege Aquilia*, quia nimirùm ea quæ sunt proprij muneris, quilibet scire tenetur, & paria esse scire, & debere scire, *l. quod te mihi, ff. de rebus credend.* Deinde cùm hæc ignorantia humano & morali modo vinci possit; si enim est principium deliberandi de commoditate & suauitate obiecti, est etiam sufficiens vt de eius quoque honestate consulteretur: cur ergò inuincibilis dicetur?

Respondeo, iura comparare *scire*, & *debere scire*, sed istud, *debet scire*, nunquam est nisi cùm adest aliqua aduertentia, aut scrupulus, aut dubitatio maior, vel minor pro ratione culpæ venialis, aut mortalis, vti sæpiùs monui; ea enim concessa aduertentia, est in potestate proxima voluntatis eam ignorantiam pellere, & sufficientem in hanc rem diligentiam adhibere, ac consequenter obligatio quæ perpetuo potestatem proximam supponit id præstandi: quæ distinctio potestatis proximæ, & remotæ fundamentum aduersariorum destruit: qui enim actu nullo modo cogitat, aut dubitat de ieiunio præcepti, tenetur illud quidem scire per se loquendo, per accidens autem aut non tenetur, aut ab ea saltem obligatione excusatur, propter impotentiam proximam, & moralem, quæ necessariò ex naturali inaduertentia oritur, vti respondet Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 4. *sect.* 8. *n.* 18.

6 Quæres secundò quandò ignorantia vincibilis est modo exposito, seu potiùs est obligatio eam vincendi, quanta diligentia adhibenda sit? Et quod attinet ad ignorantiam facti, ea diligentia adhibenda est quæ iuxta rationem materiæ prudentis, & boni viri arbitrio sufficiens censebitur, neque summa omninò, & extraordinaria necessaria est; cùm enim reliqua præcepta eam summam, & extraordinariam diligentiam ad sui obseruationem non exigant, cur istud eam requiret? atque ita passim omnes. Vasq. *d.* 124. *c.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *q.* 6. Val. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 1. *coroll.* 1. Suar. *tom.* 5. *d.* 4. *sect.* 8. *num.* 19. Sanch. *lib.* 1. *in Decal. c.* 16. *n.* 34. quod idem quoque dicendum videtur de ignorantia iuris, & fatentur citati Auctores, quamvis circa ea, quæ sunt iuris diuini & ad salutem necessaria, vt circa principia fidei, non satis esse moralem diligentiam, v.g. viros doctos aliósque consulere, sed per pœnitentias, & orationes ad Deum recurrendum esse. Ita Val. *p.* 1. *cit. Corollar.* 1. Sanch. *lib.* 1. *in Dec. cap.* 16. *n.* 39. Curiel. verò *in art.* 2. *q.* 76. *dub.* 3. eum, qui nihil vnquam de fidei mysteriis inaudiit, non teneri vllam diligentiam ordinariam, aut extraordinariam adhibere; qui verò aliquo saltem scrupulo tangitur de futura salute, & mediis ad eam acquirendam, teneri inquirere de illa per moralem, & ordinariam diligentiam; non verò per hanc extraordinariam: quod etiam docuit Petrus Soto *lect.* 2. *de ratione medendi peccatis.* Et ratio perspicua videtur, quia potest ille inuincibiliter, & inculpabiliter ignorare conuersionem ad Deum per pœnitentiam, & orationem esse medium ad acquirendam cognitionem eorum, quæ necessaria sunt ad salutem. Deinde illa media, licet sint idonea in hanc rem, non sunt tamen infallibilia, & necessariò cum ea cognitione coniuncta. Neque suauitas diuinæ prouidentiæ ad aliud, quàm quod moraliter fieri potest, obstringere nos.

Ex his facile fuerit quod circa has ignorantias secundò loco proposueramus, dissoluere, nimirùm cuius iuris possit esse inuincibilis ignorantia hactenùs explicata. 7

Respondeo enim posse eam contingere circa quodlibet ius; de naturali quidem si prima quædam principia vniuersalia omnibus insita, vt bonum est amandum, & malum fugiendum; atque conclusiones quasdam, quæ facillimè ex eiusmodi principiis deducuntur, latè ostendi ignorari posse *lib.* 3. *sup. d.* 7. *sect.* 2. ius diuinum positiuum, quod circa institutionem Sacramentorum, fidei articulos, & alia ad salutem vt media instituta vel præcepta ignorari inuincibiliter posse concedunt in infidelibus, Val. *d.* 6. *quæstione* 6. *part.* 1. 2. 2. *d.* 1. *quæst.* 10. *num.* 1. Azor. *libro primo inst. cap.* 13. *quæst.* 2. Vasq. *d.* 120. *cap.* 3. Sanch. *libro* 1. *in Decal. cap.* 16. *num.* 32. *&* *libro* 1. *capite* 1. latè, vbi etiam ostendit infidelem ad quamcunque propositionem fidei non teneri credere, donec illa sufficienter credibilis illi reddatur, atque ita posse fidem etiam propositam ignorare inculpabiliter, Suar. *d.* 17. *de fide sect.* 1. Victoria *rel. de Indi. part.* 1. *conc.* 1. & vulgò Interp. cum S. Thom. 2. 1. *quæst.* 2. *art.* 1. immò & in ipsis fidelibus circa quædam necessaria, eiusmodi ignorantiam posse reperiri docent Suar. *d.* 15. *de fide sect.* 1. *num.* 10. *&* *sect.* 2. *num.* 5. Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 3 *num.* 20. Ratio perspicua est; quia sæpè nulla morali adhibitâ diligentiâ potuit pelli ea ignorantia: & sanè Christus ipse ait carituros peccato Iudæos, nisi ipse suam doctrinam insolitis miraculis contestatam reddidisset. Sed de his in materia de fide.

Ius humanum posse inuincibiliter ignorari, etiam circa ea, quæ sunt officij propria, certum videtur; cùm aliqui sint ita rudes, vt nullas suo muneri latas esse leges sciant, vt illud honestè exerceatur. Ita Vasq. *d.* 123. *cap.* 2. Sanch. *libro* 1. *in Decal. capite* 16. *numero* 27. idque supponit Curiel. *in art.* 2. *q.* 76. *dub.* 5.

§. II.

Ignorantia vincibilis est peccatum & peccati effectus.

His obseruatis perspicua fiet tota assertio.

Dixi igitur primò, ignorantiam vincibilem esse peccatum, quod de actuali tantùm intelligi velim, non de habituali contra Salam, qui *tract.* 13. *d.* 8. *numero* 6. licèt nostram sententiam probabilem putet, quæ etiam communior, & fortassis solum intenta à veteribus fuit, dum ignorantiam peccatum esse negarunt, vt Durand. *in* 2. *d.* 22. *quæst.* 3. qui suam sententiam

sententiam ex eo maximè confirmat quòd sit perseueraturum peccatum, quamdiu durat ignorantia; quod falsum est, tum quia potuit aliquem pœnitere de ignorantia contracta, adhuc perseuerante; tum quia potest reddi inuincibilis ignorantia, cuius tamen occasio fuit peccaminosa, vti diximus. Altera est Durandi ratio, quam vrget Vasq. d. 118. *num.* 11. & idem euidentius confirmat, nimirum peccatum & malum in eo differre, quòd malum sit priuatio cuiuscumque perfectionis debitæ; peccatum autem sit priuatio tantum, secundùm se perfectionis quæ est operatio, vel debitæ rectitudinis in operatione prout est peccatum commissionis, vel omissionis modò *superiùs* explicato. Ignorantia autem dicit tantum priuationem scientiæ, vel habitûs seu actûs primi, & non operis vel perfectionis in operatione nisi concomitanter inquantum ignorantia comitatur negligentiam addiscendi. Loquitur igitur tum Durand. tum eum sequutus Vasq. aliique complures de ignorantia opposita scientiæ habituali, quando peccatum esse negant idque, vt vidimus, optimè probant. Dices nos sæpè teneri habere scientiam habitualem, ac proinde ignorantiam ipsi oppositam esse priuationem perfectionis debitæ, neque ratio voluntarij deerit; cum enim vincibilis est culpabilis, est quoque voluntaria in sua causa, & cum sit obiectiuè mala, & dependenter ab exercitio, erit peccatum.

Optimè confirmatur: quia ignorantia hæc prohibetur ratione sui, & primariò, & non ratione negligentiæ, quæ ideò tantùm mala est, quia est causa rei malæ & effectus prohibiti, quia malum est carentia eius.

Respondet Coriel. *in art.* 2. *quæst.* 76. *dub.* 1. §. 6. ignorantiam habitualem non afferre priuationem perfectionis debitæ per modum operationis, vti iam monui ex Durand. ad rationem peccati necessarium esse; immò neque scientia habitualis est debita secundùm se, sed solum consequenter, quoad suam causam, & actus oppositos, quibus debebat acquiri, neque etiam mala est ea ignorantia obiectiuè, aut prohibita immediatè ratione sui: nam prohibetur tantùm præcepto affirmatiuo, consequenter, vt dixi, quatenùs eo præcipiuntur actus necessarij acquirendæ scientiæ. Quamvis itaque sit voluntaria ignorantia habitualis in sua causa, non est peccatum, cùm ipsa non sit in se obiectiuè mala moraliter, aut prohibita, sed solùm ratione omissionis actuum, quibus expulsa fuisset, neque vllum est præceptum affirmatiuum habendi scientiam habitualem, & eius priuationem virtualiter immediatè prohibens, cùm lex non detur immediatè de habitibus, sed solùm causaliter ratione actuum, qui poni debent ad eorum habituum expulsionem, aut acquisitionem: & quamvis videantur habitus dispositiones necessariæ ad seruanda præcepta quædam, vt patet in scientia habituali respectu ministrandorum Sacramentorum, id tantùm exigitur ne ponatur impedimentum actuali obseruationi præcepti, quæ fiet per certum actum, habitum inducentem, sot repellentem: ignorantiam nihilominus habitualem peccati effectum esse sæpissimè non negamus; imò Sanchez *cap.* 16. *l.* 1. *in Decal. n.* 40. facilius contrahi inaduertentiam actualem, quàm habitualem absque culpa, cùm non sit tam sæpè in nostra potestate præuenire actualem, habitualem autem semel addiscendo quod necessarium vt possimus pro omnibus deinde actionibus occurrentibus expellere.

9 Restrictâ itaque quæstione ad ignorantiam actualem, eam esse peccatum, constans est omnium opinio, vt asserit Vasq. *l. c.* qui enim dicunt esse tantùm peccatum ratione negligentiæ culpabilis, & non secundùm se, volunt tantùm, malitiam non reperiri intrinsecè in ignorantia quæ ad intellectum pertinet, & per denominationem extrinsecam denuari à negligentia, quæ in voluntate subiectatur, eo planè modo, quo diximus olim malitiam formalem ab actu interno in externum, qui obiectiuè tantùm malus est, refundi: alij verò etiam formalem malitiam concedunt ignorantiæ, sicut & actibus externis, sed priores nobis potiùs probantur, cùm iam sæpiùs voluntatem vnam subiectum formalis malitiæ statuerimus; negligentia verò aliquandò sumitur pro volitione formali, vel interpretatiua ignorandi, quam volitionem ignorandi appellat Sal. *tract.* 13. *d.* 8. *num.* 10. æquiualenter, & eminenter negligentiam, aliàs magis propriè significat defectum sollicitudinis, & omissionem adhibendi media ad acquirendam scientiam eorum, quæ scire tenemur, & tunc ipsa negligentia est opus aliquod externum; quo nomine complector etiam omissiones, éstque mala tantùm extrinsecè malitiâ deriuatâ à voluntate omittendi ea media necessaria, quæ est voluntas saltem interpretatiua ignorandi. Ignorantia itaque præcisè sumpta; & negligentia externa modo exposita, habent tantùm malitiam obiectiuam, sicut actus externi collati cum internis, vti optimè exponit Val. *d.* 6. *quæst.* 6. *part.* 2. & indicat etiam Suar. *d.* 15. *de fide sect.* 2. *n.* 5. vnde etiam sequitur ignorantiam non esse peccatum distinctum à negligentia, quocumque modo sumatur: esse porrò peccatum manifestum est, vt ad Ephes. 4. *Alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in eis.* Ecclesiast. 23. *Adincrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundanter.* Psal. 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris:* quamquam in aliquo ex his locis ignorantiæ nomen fortassis vsurpetur pro quolibet peccato, vt *inferiùs* dicetur. Ratio verò perspicua est: est enim actus vel omissio voluntaria contraria legi, & præcepto, quo aliquid scire tenebamur pro tempore quo obligabamur; atque ita satisfit argumento Durandi, ostenditúrque ignorantem non perpetuò peccare, quamdiu ignorat, sed eo solùm tempore quo præceptum sciendi obligat, & seruari potest, sicut in aliis præceptis affirmatiuis, vt etiam respondet S. Thom. *quæst.* 76. *art.* 2. *ad* 5.

Difficilius est quod obiicit Caiet. *in hunc art.* 2. 10 ignorantiam, & inconsiderationem nulli opponi virtuti; est enim tantùm omissio scientiæ, seu cognitionis, quæ licet sit materia virtutis studiositatis, non propterea tamen carentia cognitionis est vitium studiositati contrarium, nisi quatenùs adiunctam habet negligentiam, quæ est extremum oppositum studiositati per defectum; sicuti curiositas illi opponitur per excessum; vnde sequitur vt ignorantia, peccatum non sit nisi virtualiter, quatenùs illud aliquandò causat, non formaliter nisi ratione negligentiæ, cui coniungitur, alioquin negligentia, & ipsi adiuncta ignorantia, essent duo peccata.

Respondeo cum Val. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 2. & Coriel. *in art.* 2. 11 *q.* 76. *dub.* 1. §. 5. ignorantiam opponi per se virtuti studiositatis, licèt ea sit in intellectu, quia scientia seu cognitio est actus imperatus, licet non elicitus studiositatis; omnes enim ferè virtutes morales, vt obseruat Coriel, habent aliquos actus internos & externos, elicitos, & imperatos, qui licèt pendeant à virtute quoad rectitudinem moralem, non tamen ab eadem potentia in qua residet virtus, ad quam pertinent, ac proinde ab ea elici nequeunt, quam-

quam aliquis actus qui pendent immediatè ab aliqua virtute, hoc est nulla alia virtute media, licet media potentia distincta ab ea in qua ipsa virtus est, appellē elicitos, & non imperatos; quæ tota quæstio vocum est: non est enim illa virtus principium elicitiuum secundùm substantiam actus in potentia distincta subiecti, licèt sit elicitiuum secundum moralem rectitudinem, vt iam monui. Quod totum optimè explicat ipse Caiet. 2.2. *quæst.* 81. *art.* 4. in actibus temperantiæ, iustitiæ, aliarúmque virtutum, quia facultatibus ceteris, in quibus non resident hæ virtutes, eliciuntur, & in actibus religionis, quæ cùm sit in voluntate, habet tamen actus pertinentes ad intellectum, vt orationes. Simili ratione dicendum est in studiositate, cuius actus internus est ab ipsa & secundùm substantiam, & secundùm honestatem elicitus, & pertinet ad voluntatem, quæ vult & imperat vt intellectus sciat, & intelligat quantùm oportet, & quandò oportet, seruatis reliquis omnibus circumstantiis: actus vero imperati, seu ab ea non eliciti secundum substantiam, eius tamen honestatem participantes, sunt tum actus sciendi intellectus, tum reliquarum potentiarum, qui ad actum sciendi primario intentum necessarij sunt. Vnde fit vt ignorantia, seu carentia scientiæ, & multò magis error positiuus, opponantur studiositati, sicut omissio orationis Religioni. Negligentia quoque siue sit voluntas omittendi actum debitum, seu defectus in adhibendis medijs necessariis comparandæ scientiæ debitæ, eidem opponitur, vel immediatè tanquam defectus, aut carentia ipsius actûs interni studiositatis, & extremum oppositum curiositati, vel mediatè tanquam carentia actûs externi & imperati, immediatè tamen ab ipsa secundùm rectitudinem moralem eliciti. Ex quibus etiam sequitur, ignorantiam, & negligentiam sumptam pro voluntate ignorandi, aut etiam pro omissione medij necessarij ad scientiam, non esse duo peccata, sicut neque omissio orationis debitæ, est peccatum distinctum ab irreligiositate. Obseruandum verò est, aliquam esse ignorantiam oppositam prudentiæ; negligentiam item quæ incuriam quandam sollicitudini nimiæ contrariam significat, de quibus non agimus.

12 Dices hinc emergere grauiorem difficultatem, nempe ignorantiam culpabilem habere duplicem malitiam: vnam oppositam virtuti studiositatis, alteram oppositam virtuti præcipienti, saltem consequenter scientiam circa propriam materiam, in qua defectu scientiæ peccatur. Itaque, qui culpabiliter ignorans esse diem ieiunij, illud violat, peccat contra studiositatem, & contra temperantiam.

Respondeo aliquandò scientiam primò & ratione sui præcipi; aliàs verò consequenter tantùm ratione operis faciendi, quod sine cognitione exerceri nequit, quoties scientia præcipitur: primo modo peccatum est illius ignorantia, etsi vllum sit probabile periculum incidendi in nullum aliud peccatum in materia alterius præcepti, quod periculum, si immineat, iam malitiam peccati quod admittetur in violatione alterius præcepti, recipit. Quoties verò consequenter tantùm præcipitur cognitio, siue sit probabile periculum peccandi contra præceptum, aut reipsa peccetur ratione ignorantiæ culpabilis, est tantùm vnica malitia eiusdem speciei cum malitia operis per se primò prohibiti. Ita Vasq. *disp.* 119. Val. *d.* 6. *quæst.* 6. *part.* 2. Sal. *tract.* 13. *d.* 8. *num.* 13. Curiel. *in art.* 2. *quæst.* 76. *dub.* 2. §. 1. *&* 3. Sanch. *cap.* 17. *num.* 11. *lib.* 1. *in Decal.* Azor. *lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 12. *q.* 5. Ratio discriminis est, quia in vno casu scientia imperatur per se, vt cognitio articulorum fidei; in altero tantùm ratione alterius: nam prohibetur ignorantia quatenus est causa operis prohibiti, quod suam malitiam refundit in suam causam, quæ alioquin eâ vacaret, vt patet. Itaque in exemplo allato de violante ieiunium ex ignorantia culpabili non committitur nisi vnum intemperantiæ peccatum. Vnde colligit Curiel præcipitationem, inconstantiam, & inconsiderationem, qui sunt vulgares defectus ad prauam electionem concurrentes, non esse distincta peccata: Sanch. verò *n.* 12. qui culpabiliter ignorauit malitiam furti, aut alterius peccati, etsi illud non admiserit, teneri eam negligentiam fateri, quia ea fuit peccatum eiusdem speciei cum furto, Vasq. *d. cit.* vniuersim pronuntiat, ignorantiam eorum, quæ in operatione posita sunt, prohiberi tantùm consequenter ratione operationis, ad quam necessaria est contraria scientia; ignorantiam verò eorum, quæ posita sunt in speculatione, prohiberi per se, ac proinde esse speciale peccatum, verbi gratia negligentia sciendi mysteria fidei, est peccatum distinctum ab infidelitate, & oppositum studiositati, quod duplex peccatum à posteriori colligitur: potest enim aliquis esse affectus ad mysteria fidei, & ad credendum dispositus, qui tamen erit negligens ad scientiam mysteriorum fidei comparandam.

Verùm, hoc postremum non caret difficultate; 13 videtur enim præceptum sciendi non esse distinctum ab eo, ad quod res scita pertinet, verbi gratia præceptum sciendi mysteria fidei, ad fidem pertinere, non ad distinctam aliquam virtutem. Vnde Suar. *d.* 15. *de fide, sect.* 2. *num.* 8. ait hanc ignorantiam, licèt non sit propriè infidelitas, quæ fidei, aut piæ affectioni ad credendum opponitur, pugnare tamen cum quadam præparatione ad fidem, & eius quoque vsu, vnde fiet vt eodem fidei præcepto prohibeatur; quod de omnibus aliis materiis, quarum ignorantia per se prohibetur facilè dici poterit, atque ita peculiaris illa virtus studiositatis inutilis erit, & ignorantia non erit vnquam speciale peccatum, sed diuersum pro diuersitate materiæ, & virtutum, quibus opponetur.

Respondeo quidquid sit de hoc casu particulari ignorantiæ articulorum fidei vtrùm ad infidelitatem, an verò ad vitium studiositati contrarium per extremum deficiens referenda sit, dari virtutem peculiarem studiositatis, de qua disputat S. Thom. 2.2. *quæst.* 166. cuius est moderari studium & affectum cognoscendi, tum circa ea, quæ cognoscenda sunt, tum circa modum: vnde ad temperantiam, cuius est moderari affectum, reducitur *ibid.* à S.D. *art.* 2. quod fusiùs exponit Less. *lib.* 4. *capite* 4. *dub.* 11. nam ille affectus vitiosus esse potest per se sumptus, vt si quis studio alicui, verbi gratia pingendi, nimis addictus, ita tamen vt indè nulla alia virtutis materia per se violetur. Debet igitur dari aliqua virtus, quæ talem affectum temperet. Quoties igitur nulla virtus per se primò cognitionem aliquam aut imperat, aut prohibet, neque per excessum, aut defectum, hoc est, per curiositatem, aut ignorantiam seu inscitiam in se violatur, toties ea inscitia, seu negligentia in quacumque materia, est vitium studiositati contrarium per defectum, sicut & curiositas in eadem materia per excessum. Ex quibus facile fuerit tradere generalem regulam, qua cognoscatur quandónam inscitia sit speciale peccatum: quando videlicet nullam peculiarem virtutem ratione materiæ, in qua versatur, lædit, sed solam studiositatem modo exposito.

Iam

14 Iam verò, ignorantiam esse quoque peccati effectum euidens ast; cùm omissionem culpabilem mediorum ad scientiam oppositam acquirendam necessariorum sequatur. Quod etiam ignorantiæ inuincibili cooueuit. Ita infidelitas dici soler pœna peccati, quando adultus priuatur medris ad fidem sufficieoribus in pœnam peccati mortalis, quod nisi admisisset, pertiuebat ad suauem Dei prouideotiam ea suo tempore suppeditare.

§. III.

Ignorantia vincibilis non excusat à peccato, neque eius speciem mutat, minuit tamen.

15 Dixi secundò ignorantiam vincibilem, & culpabilem esse causam peccati, hoc est, non excusare à peccato: quod cum S.Thom. 1. 2. *art.* 3. *quæst.* 76. omnes fatentur, quia cùm ignorantia non possit aliter excusare à peccato, quàm reddendo actum, cuius causa est, inuoluntarium, ignorantia vincibilis id non facit: cùm enim ipsa sit volontaria, actus quoque eam consequens, voluntarius erit, saltem ioterpretatiuè, quod ad rationem malitiæ sufficit.

16 Addidi, peccatum causatum ab ignorantia eiusdem speciei esse, atque si à sciente factum fuisset, contra Caiet. & alios quosdam; quod vniuersim ostendimos *superius*, vbi circunstantias malitiæ indirectè tantùm volitas inficere actum internum docuimus. Limitaui prætereà hanc assertionem: dixi enim ignorantiam etiam culpabilem, quamvis à malitia actus non excuset, eam tamen minuere. Ita S.Thom. *q.* 76. *art.* 4. & alij passim, quia minuit voluntarium, quod est fundamentum malitiæ. Hinc fit vt quoties ignorantia est tantùm venialiter culpabilis, ita malitiam diminuat, vt ex mortali venialem reddat, quia tunc peccatum est tantùm imperfectè, & venialiter volitum, cùm sit tantùm volitum interpretatiuè in ignorantia, quæ eius causa est, & tantùm venialiter mala: & sicut qui inuincibiliter omninò ignoraret fornicationem esse malam, quoties necessaria est ad seruandam vitam, non peccaret eam committendo: ita si venialiter tantùm malitiam ignoraret, venialiter tantum delinqueret. Ita censent Sanch. *lib.* 1. *in Dec. cap.* 17. *num.* 17. Valent. *disp.* 6. *part.* 3. *quæst.* 6. contra Caiet. *hic art.* 4.

17 Quando verò ignorantia est mortaliter culpabilis, & ex ea violatur præceptum aliquod diuinum, admittitur peccatum mortale, neque ea malitia ex mortali transit in venialem. Aliter contingere in his quæ prohibentur iure tantùm humano probabiliter existimat Sanch. *lib.* 1. *in Dec. c.* 17 *n.* 19. 20. & 21. pluribus aliis allegatis, modò enim ignorantia crassa & supina non sit, sitque peccans in ea animi præparatione, vt si nosset causam, propter quam violat præceptum humanum, non esse iustam, minimè id violaret, peccatum quod aliàs esset mortale, transit in veniale: quia id videtur postulare suauitas iuris humani, vt non æqualis diligentia in causis excusantibus à peccato adhibenda sit, atque in iure naturali, vel diuino: quare voluntarium, quod sufficiens esset ad peccatum mortale io materia iuris diuini, vel naturalis, erit insufficiens in materia iuris humani, contra Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. d.* 82. *sect.* 3. qui ius diuinum & humanum comparat hac in parte.

18 Ignorantia affectata ad liberiùs peccandum, & sine conscientiæ stimulis, auget peccatum, vt ait S. Thom. *art.* 4. *quæst.* 76, Sanch. *lib.* 1. *in Decal. c.* 17. *num.* 5. Azor. *tom.* 1 *lib.* 4. *cap.* 14. *quæst.* 1. & alij, quos affert Sal. *disp.* 8. *num.* 39. *tract.* 13. quia est maior tunc præcepti contemptus, intensior affectus in peccatum, vult enim excutere scientiam quæ sola cohibere poterat insanientem animum, maius periculum, cui se exponit committendi plura peccata, abiicit. Quare non benè Valent. *disp.* 6. *quæst.* 6. *part.* 3. distinguit inter deformitatem, quam habet actus ex obiecto; quam appellat speciem positiuam, & speciem priuatiuam, desumptam ex defectu rectitudinis debitæ, in quo consistit malitia operationis & hanc minui ait, esséque minùs voluntariam per ignorantiam affectatam; priorem verò illam augeri cùm tunc crescat affectus in obiectum. Verùm cùm priuatio, in qua rationem malitiæ constituit Val. voluntaria non sit directè ratione sui, sed tantùm quatenùs connexa est obiecto, quod contra rationem amatur, si crescat voluntarium ratione obiecti per ignorantiam affectatam, crescet etiam ratione malitiæ ipsi annexæ.

Si tamen ignorantia volita sit, &, vt loquitur, 19
affectata propter alios fines quam vt liberiùs peccetur, vt v. g. vitetur labor eam comparandi quam vt leuiùs peccet ignorando præceptum, minuet culpam. Ita cit. Auctores cum Sal. *disp.* 8 *num.* 40. & Coriel. *in art.* 4. *quæst.* 76. *dub.* 1. quia transgressio legis est minùs voluntaria & magni fit, cùm, vt leuiùs, v. g. violetur, quæratur ignorantia; secludendum tamen est periculum incidendi in alia crimina; tunc enim ratione periculi cresceret malitia.

Ex his omnibus colliges, an ignorantiæ circun- 20
stantia exprimenda sit in confessione. Negat Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 22. *sect.* 4. & Sanch. *lib.* 1. *in Dec. c.* 17. *num.* 23. Sal. *d.* 8. *tract.* 13. *n.* 84. quia ignorantia non mutat peccati speciem, vt dixi, siue crassa, siue etiam affectata sit; quando tamen excusat à mortali, aut dubium est ne contraxerit aliquam censuram, aut exponit se periculo grauius peccandi, vt dum quis vult accedere ad Semproniam, neque vult scire quænam ea sit, quia exponit se periculo incestus, adulterij, aut sacrilegij, debet eam ignorantiam, exprimere eámque esse affectatam, & fuisse periculum alterius peccati, præterquam illius culpæ quam iam animo conceperat.

§. IV.

Quomodo ignorantia excuset à pœna?

Altera parte conclusionis egi de ignorantia pœ- 21
næ alicui actui inflicta; hæc autem ignorantia vel supponit ignorantiam quoque malitiæ actus, cui pœna infligitur, vel eius cognitionem; deindè vel pœna lata est iure diuino, vel humano, & actus quem affectatur alterò etiam ex istis iuribus prohibitus est. Quoties itaque ignorantia, quia inuincibilis est, excusat à tota culpa, excusat quoque à pœna in eam lata, aut inferenda in foro conscientiæ: quia cap. *cognoscentes de constitutionibus*, rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. Ita Coriel *in art.* 4. *quæst.* 76. *dub.* 3. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. d.* 32. *num.* 19. vbi quoties ignorantia excusat à mortali, vult etiam ab excommunicatione lata excusare.

Hinc deducit primò Coriel, eum, qui actum ex 22
diuersis circunstantiis multiplici malitia infectum admittit, & inuincibiliter malitiam, cui peculiaris pœna annexa est, ignorat, illi non subiacere, v. g. occidit sciens hominem quem inculpabiliter ignorat esse Clericum, non incurrit pœnas latas in occisionem personæ sacræ, sed in solum homicidium; quod intelligendum est, etsi ille habuisset affectum occidendi Clericum si occurrisset, quia vt

inferiùs dicam, inuincibilem ignorantiam etiam comitantem à malitia excusare volunt DD.

23 Deducit secundò, eum qui suscipit sacros ordines ignorans inculpabiliter se esse excommunicatum, non tantùm non incurrere tunc suspensionem, sed deinde etsi id resciat non indigere dispensatione ratione suspensionis in ordinum susceptione contractæ, quia reuera non contraxit.

24 Deducit tertiò, eum, qui volens interficere Petrum Sacerdotem, interficit Franciscum item Sacerdotem, si ignorabat inuincibiliter eum esse Sacerdotem, supposito quòd non esset Petrus, non incurrere excommunicationem; secùs si probabiliter suspicatur, illum, quem interficit, esse Sacerdotem, etsi non sit Petrus: quia reipsa ille quem existimat esse Petrum Sacerdotem, reipsa laicus esset, non incurreret excommunicationem. Ergo idem dicetur quando cum ignorantia inuincibili occisus est Sacerdos, contrarium tamen videtur sentire Sanch. *lib.9. de matrim. d. 32. num.27.*

25 Deducitur quartò, qui à culpa Theologica excusatur per ignorantiam inuincibilem, siue comitantem tantùm, siue quæ fuerit causa operis, siue det operam rei licitæ, siue illicitæ, excusari à pœna & censura illi operi externo imposita; v. g. occidit hominem existimans inculpabiliter esse feram, licet si sciuisset esse hominem occisurus fuisset, non incurrit irregularitatem. Ita Curiel *dub.3.cit. difficult.3.* Sanch. *d.32.cit. num.23.& seq.* vbi tamen *num.25.* excipit quandam irregularitatem ex homicidio casuali cum Clericus dabat operam rei sibi speciali iure interdictæ ob periculum homicidij, cui obnoxia est: quia ista ignorantia eum tunc non excusabit ab irregularitate, propter cuius periculum peculiari iure ipsi erat prohibitum opus externum, cui, contempto eo periculo, vacauit.

26 Secundò. Quoties adest cognitio malitiæ, aut culpabilis eius, & vincibilis ignorantia, non excusans à culpa mortali, non excusat à pœna, nisi per accidens, quia vel ex ratione culpæ, vel ex verbis legis exigitur scientia pœnæ, aut dolus, vt talis pœna incurratur, quod contingit in censuris propter delictum inflictis; quando enim veluti ex natura rei sequitur factum ipsum, aut per alienam actionem contrahuntur, qualis est irregularitas defectu naturalium, ex bigamia, & aliæ eiusmodi, tunc peculiaris earum cognitio non exigitur vt incurratur. Tradunt hanc assertionem vniuersim Valent. *d. 6.quæst. 6.p.1. circa fin.* Curiel *in art.4. cit. dub. 4.* Sanch. *d. 32. cit.* fusè Suar. *d.4.sect.8.tom.5. in 3.part.& lib. 5. de legib. cap. 11.num.9.* Azor. *lib. 1. cap.15. quæst. 3.* qui omnes docent à sciente ius diuinum & contra illud peccante non incurri excommunicationem iure canonico latam, si illud ignoretur, quod ad alias quoque censuras plures extendunt; sed alterius loci est ista singillatiùs examinare.

Tertiò ignorantia etiam inuincibilis pœnæ non excusat directè & formaliter à culpa. Ita Sanch. *lib.1. in Decal. cap.16 num.15.* quia non reddit culpam directè, & formaliter inuoluntariam, per accidens tamen malitiam minuit, quia ignoratâ pœnâ minùs cognoscetur grauitas malitiæ.

Qualibet ignorantia inuincibilis malitia excusat ab ea.

27 Tertia pars assertionis docet, malitiam operis per ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem, excludi; quod de ignorantia, quæ est causa operis, omnes docent: cùm enim hæc ignorantia, vt *alibi* ostendimus, tollat voluntarium, faciátque inuoluntarium contrariè, quod est fundamentum malitiæ, eam quoque abstergat necesse est: & sanè aut nulla ignorantia excusat à peccato, aut, quæ est causa operis, id facit.

Tota itaque difficultas videtur de ignorantia inuincibili comitante, cùm indifferenter se habeat ad opus, quod ab ignorante fit, & non per illam ignorantiam: non videtur enim aut afferre, aut tollere malitiam: atque ita sentiunt Durand. *in 2.d. 21.q.4. num.5.* Gap. *ibid. quæst.2 art.1 notab.3.* contraria tamen sententia, quam in assertione tradidimus, est Valent. *disp.6.part.2.quæst.6.* Azor. *tom. 1. lib. 1.cap.14. quæst.4.* Vasq. *disp.125.cap.2.* Curiel *in art. 3. quæst.76. dub. 1.§. 2.* Sanch. *lib.1. in Decal.cap.16.num.13.* Suar. *tom.5. in 3.part.d. 4.sect.8.num.8.& 1. 2. tract. 2. d. 4. sect.2.num.11.* Sal. *tract.3. disp. 4 num. 16.* & alij, qui omnes dicunt hanc ignorantiam reddere actum non voluntarium, seu inuoluntarium negatiuè, quod non sufficit ad fundandam malitiam, quæ positiuè voluntarium exigit. 28

Confirmatur, quia vel loquimur de opere externo cum illa ignorantia commisso, vel de affectu interno illi coniuncto. Opus externum vt obiectiuè malum, non est voluntarium, cùm inculpabiliter ignorata fuerit eius malitia; nihil autem volitum est, quin fuerit præcognitum, v. g. occisio hominis, feræ loco, ab eo qui etiam hominem occidisset, si adesse sciuisset, non est voluntaria, vt est occisio hominis, cùm vt talis cognita non fuerit, neque ea ignorantia causa fuit huius occisionis. Quod attinet ad affectum internum, dixi olim iacientem sagittam adhibitâ sufficienti diligentiâ, vt inquireret an homo an fera lateret, posse se habere tribus modis, primò vt voluntatem occidendi inimicum habeat: eam enim alias suscepit, neque deposuit, modò tamen nihil de inimico, neque de vlciscendis iniuriis cogitat. Secundò, vt cogitet de inimico occidendo dicat, *Si inibi lateret inimicus, libenter eum transfigerem*, ita vt deindè lætetur de occiso inimico, qui affectus malus est malitiâ homicidij: verùm non magis causa est homicidij externi, quam si sagitta ab alio quopiam contorta fuisset. Tertiò denique ex voluntate occidendi inimicum qui fortassis eo loco latitat, mittat sagittam, dicátque, *Volo contorquere validè sagittam, vt si in inimicum incurrat, ipsum transuerberet.* Et ille quidem actus externus est homicidium; verùm non fit ab ignorante inculpabiliter, sed dirigitur à scientia quadam generica, & communi, qua scit fieri posse vt id temporis eo loco adsit inimicus, cui necem intentat.

29 Dices S. Thom. *art. 3.& 4.quæst.76.* perspicuè tradere ignorantiam comitantem non excusare peccatum, sed solam antecedentem, quæ est causa operis.

Respondeo, S. Thom. ita loqui quia ignorantia antecedens, seu quæ est causa operis si sit inuincibilis excusat operantem ab omni peccato circa tale obiectum: qui enim ita ignorat vt si contrariam haberet scientiam, nullo modò esset operaturus, non modò non elicit actum malum, sed & caret omni prauo affectu circa illud obiectum, vt patet: ignorantia verò comitans abstergit quidem malitiam operis externi, sed non exscindit omnem prauum affectum operantis circa illud ipsum obiectum: ita enim est dispositus vt etiam positâ contrariâ scientiâ, qua caret, sit idem etiam libentiùs operaturus, atque aliquando optet adesse contrariam scientiam, & non esse illud obiectum quod reuera per ignorantiam esse cogitat.

30 Dices secundò, Aristoteles *5. ethic. cap. 8.* ait, ea

quæ

quæ ignorantes facimus, & non ob ignorationem, ob affectum non naturalem atque humanum, non esse veniâ dignas; quæ autem facimus cum ignorantia tantùm comitante, dicimur facere ignorantes, & non per ignorantiam.

Respondeo omissis pluribus, quæ dabit Vasq. *disp.* 127. *cap.* 4. loqui Aristotelem de ignorantia concomitante, qua quis ignorat id quod facit esse peccatum; si enim ignorantia illa nascatur ex aliqua humana, & naturali perturbatione, veniâ digna erit, sin minùs ex aliquâ causa culpabili, v. g. ebrietate, probro & vitio vertenda sit.

31 Quæres, an ignorantia, quæ in præsentiarum vincibilis est, potuit tamen aliàs vinci, & culpabiliter contracta est, excuset à peccato, v. g. ignorantia, & inaduertentia quæ contingit in ebrietate, dispelli nequit ebrietate durante, potuit tamen & debuit impediri, quia potuit, & debuit vitari ebrietas. Excusátne homicidium, aut fornicationem, aut alia eiusmodi peccata ab ebrio commissa? Aliquis non didicit quod tenebatur & poterat ratione officij; deindè dum vrget præceptum, nulla humana diligentia vinci potest, peccátne violando præceptum?

Respondeo cum Vasq. *disp.* 128. *cap.* 3. Sanch. *lib.* 1. *in Decal cap.* 16 *num.* 42. euentus obiectiue malos vel fuisse præuisos dum quis posuit culpabilem causam ignorantiæ inuincibilis sequuturæ, vel nullo modo fuisse præuisos, ita vt neque cogitatio, neque dubitatio de periculo eiusmodi euentuum occurrerit, v. g. dum aut se inebriauit sciens, aut somno se dedit præuidit saltem dubitatiuè periculum homicidij, fornicationis, vel non præuidit: si primum euentus mali imputantur, quia sunt voluntarij in causa; si autem non sunt præuisi tales euentus, aut probabiliter existimanit habitâ ratione circunstantiarum, nullum tale periculum imminere, non imputabuntur culpæ, etsi solemne sit illi vbi vino madidus est, similia patrare, quia tunc fuit naturalis inaduertentia, atque inculpabilis, quæ deinde in ebrietate, aut somno perseuerat. Quare eius effectus, etsi sint obiectiuè mali, cùm non ponantur dependenter à voluntate, non sunt formaliter mali: si autem ebrietas, aut impedimentum appositum sit veniale, veniali quoque culpæ solùm tribuentur. Obseruat autem Vasq. *disp.* 1. *num.* 10. ebriorum culpas, ferè committi aliis vellicantibus & irritantibus ac proinde ferè semper esse à casu, vnde fit vt non teneantur præcauere; rectè tamen Sanch. *num.* 43. addit posse aliquando facile præuideri fore se ad quædam peccata excitandos ratione loci, & personarum quibus conuiuescunt, & tunc ea non sunt à casu, præuiderique potuerunt ac debuerunt, ac proinde voluntaria censentur.

32 Obseruat secundò idem Vasq. plurima ebriorum facta etiam præuisa non reputari culpabilia, quia nullum damnum inferunt aliis, qui ea per modum facetiarum excipiunt. Eiusmodi sunt verba & facta contumeliosa: secùs si reipsa damnum aliquod inferant, quia tunc eodem modo lædunt, atque si sanâ mente facta fuissent, neque ex sua natura postulant à libero & sciente fieri, vndè si præuidentur, culpabilia sunt: periuria verò, blasphemiæ, & infidelitas, quia ex sua natura flagitant fieri à sciente, inculpabilia erunt. Placet tamen quod Sanch. *num.* 44. circa hæc postrema ait, si præuisa fuerint, esse mortalia, quia ea Deus non accipit in modum facetiarum, & sufficienter volita sunt ad rationem peccati, neque apparet vndè excusari possint.

33 Denique addit Vasq. peccata carnis, vt fornicationem, & pollutionem præuisam etiam in ebrietate commissa, culpabilia esse, secùs si in somno contingant; quia cùm somnus sit causa naturalis, mirum non est si aliqua in somno non tribuantur culpæ, quæ tribuuntur in ebrietate. Meliùs tamen Sanch. hæc omnia præuisa, etsi in somno contingant, culpæ damnat, & pollutionem præuisam, quæ ex ebrietate connaturaliter sequitur, negat cauendam sub mortali; & fusiùs docuerat *lib.* 9. *de matr. d.* 45. *num.* 17. secùs si secutura sit ea tactibus inhonestis, ad quos se prouocaturus est ebrius, tunc enim erit cauenda sub mortali. An verò hæc peccata sint talia in se, aut in sua causa, dixi *alibi*, ideò solùm cùm Sanch. *num.* 47. dico, quoties hi euentus, eo quod præuisi sint, culpabiles sunt, incurrere censuras, & alias pœnas similibus actibus inflictas: cùm enim non sint immunes culpæ mortalis, eo planè modo, atque si in alio statu à sui potente prodiissent, erunt quoque eidem pœnæ obnoxij.

Corollarium I.

Cognitio malitiæ necessaria est ad culpam.

Ex his omnibus duo intuli vltimâ parte assertionis, primum est ad culpam contrahendam exigi cognitionem malitiæ, quod tum *initio huius sect.* tum *disp. sup. sect.* 2. euidenter ostensum est, & ratio à priori redditur à Suar. 1. 2. *tract.* 2. *sect.* 3. quia inconsideratio actualis reddit actum inuoluntarium, saltem priuatiuè seu non voluntarium quoad conditionẽ ignoratã. Malitia igitur, cuius nulla habebitur consideratio actualis, erit non voluntaria, seu actus cũ tali inaduertentia elicitus erit inuoluntarius quoad malitiam, etsi quoad alias conditiones cognitas sit voluntarius. Malitiam porrò cognosci volumus non formaliter, quatenùs est dissonantia cum ratione positiua, aut priuatiua, vel Dei iniuria, sed quatenùs est aliquid dedecens hominem, & naturam rationalem. Neque requiritur vt malitia apprehendatur mortalis ad peccatum mortale contrahendum, sed satis erit si apprehendatur vt malitia grauis, aut leuis ad noxam grauem, aut leuem, mortalem, vel venialem; & denique inconsideratio actualis malitiæ, vt reddat actum quoad ad malitiam ignoratam, inuoluntarium, debet & ipsa esse inuoluntaria. Ad id autem exigitur, vt intellectus sit in tali dispositione vt ex vi illius non possit voluntas applicare intellectum ad actualem considerationem malitiæ; quare necesse est, vt vel res ipsa cogitata, vel cogitatio ex suâ naturâ impellat ad conditionis, seu malitiæ considerationem, aut dubitatio, vel scrupulus vel quid eiusmodi aliud ad talem cognitionem deductus adueniat: atque hanc regulam vtilem ad multas difficultates definiendas existimat Suar. *num.* 21. *sect. cit.* quamvis *num.* 22. sibi suspectam, & moraliter incredibilem dicat. Verùm tandem *num.* 28. vbi exponit quando inconsideratio possit esse indirectè voluntaria, tum per actum positiuum, tum per negationem actus, rectè statuit præcedere necessario in intellectu cognitionem aliquam, circa indifferentiam, bonitatem, aut malitiam obiecti, antequam voluntas circa illud agat: potest tamen antequam se determinet liberè ad obiectum illud prosequendum, aut amplectendum imperare voluntas vt intellectus penitiùs consideret obiectum, quod tantum confusè propositum erat initio, & aliquando tenetur. Quare, si vel negatiuè se habeat, vel intellectum alteri rei applicet, tunc dicetur voluntaria ipsi ea consideratio; quod totum concedimus, neque regulæ traditæ nocet, & tantùm impugnat quod aliqui po- 34

stularent

stularent actualem reflectionem intellectus in suam cognitionem, & qualitatem eius. Denique, quæ nuper dicta sunt de perfecta deliberatione ad peccatum mortale necessariam, satis eandem necessitatem aduertendæ malitiæ confirmant, vt fusiùs habet Vasq. *disp.* 107.*cap.* 3.

Corollarium II.

Sensus vulgati axiomatis,

Omnis peccans, ignorans.

35 Intuli secundò, quisnam defectus intellectus cum hac cognitione & aduertentia malitiæ necessaria cohæreat in peccante: aliquem enim eiusmodi defectum omnes admittunt, vulgatúmque axioma est, omnem peccantem esse ignorantem, cuius proindè sensus aperiendus erit.

Reiicio imprimis qui ad peccatum requirunt necessariò aliquem errorem in intellectu practico, non quidem vniuersalem, sed particularem, quia nempè peccans in syllogismo practico ignorat, immò & errat circa minorem propositionem, quæ singularis est, & consequenter circa conclusionem, v. g. omnis fornicatio est fugienda, hic actus fornicatio est; ergo & fugiendus. Intemperans aut fallitur in minori, aut certè eam non considerat perfectè, quia eam non considerat, vt malam, sed vt delectabilem, habetque hunc syllogismum: Omne delectabile prosequendum est: hæc fornicatio est delectabilis: ergo & prosequenda, & licèt cognoscat fornicationem secundùm suam entitatem, non tamen secundùm suam speciem moralem, aut vt illi priori vniuersali propositioni, Omnis fornicatio, & delectabile contra rationem fugiendum est, subsitat. Ita Durand. *in* 2.*d.* 5.*quæst.* 1 *num.* 11. vbi tamen non semper exigit illum errorem, sed ait sufficere nescientiam, aut inconsiderationem alicuius circunstantiæ; quod ampliùs explicat *d.* 7.*quæst.* 1.*num.* 5.*&* 6.& *d.* 23.*quæst.* 1.*num.* 7.*& d.* 39.*quæst.* 1.*num.* 5. ait hunc defectum esse naturæ & non moris, nisi quatenùs ex deficiente ratione sequitur electio mala. Fauet S. Thom. *hic quæst.* 76 1.*art.* 2. & aliis locis congestis à Capreol. *in* 1.*d.* 36.*quæst. vnic.art.* 2.*ad argumenta Scoti contra primam concl.* sæpissimè enim asserit posse dari vitium sine scientia, quæ vniuersalium est, non tamen sine prudentia, quæ est scientia particularis: sequuntur eius discipuli Med. Conrad. Caiet. *in hunc art.* & Capreol. *l. c.* quamvis hoc iudicium practicum falsum peculiari modo exponant, vt dicetur *inferiùs.* Eadem habet Buridan. *lib.* 7. *ethic. quæst.* 7. Val. *disp.* 6. *quæst.* 8.*part.* 1. Curiel *dub. vnic. in art.* 2.*q.* 77. §. 4. vbi ad peccatum commissionis exigit defectum iudicij practici non solùm negatiuum, sed etiam positiuum. Loquuntur porrò hi omnes de errore practico, siue prudentiæ & circa singularia: errorem enim speculatiuum non esse necessarium agnouit tum Aristoteles 7.*ethic. cap.* 2. confutans Socratem, qui negabat quemquam posse esse incontinentem, quamdiu scientiam retinet, tum omnes experientia docti concedunt; deberet enim præcedere peccatum infidelitatis ante quodlibet aliud, si necesse esset apprehendere obiectum vt conforme rationi, v. g. fornicationem esse conuenientem secundùm rationem, immò si ita inuincibiliter apprehenderet, non erraret: si verò culpabiliter, iam esset hæreticus, & plures qui sciunt se malè agere, non errant in iudicio speculatiuo obiecti, quod debet à peccante turpe, & delectabile, ita vt ea suauitate voluntas alliciatur, licet videat illi annexam inhonstatem. Hunc igitur errorem intellectus speculatiui non exigunt aduersarij, sed solùm iudicij practici, ita autem appellatur iudicium quod tendit ad opus, & est præmissa conclusio syllogismi practici dictans actum aliquem faciendum esse, aut omittendum; quod enim Curiel *l. c.* ad omissionem puram malam cum intellectum practicum non requirat, reiiciendum est, quia cùm (vt olim ostendimus) in pura omissione consistat verum & actuale exercitium libertatis, quæ non est solum potentia agendi, sed etiam non agendi, prælucentem habeat intellectum practicum, æquè ad non agendum, seu omittendum, atque ad agendum necesse est.

Hunc itaque errorem iudicij practici optimè reiicit Scot. *in* 3.*d.* 36.*q. vnic. art.* 2.*lit. E* & latè Bassolis *in* 2.*d.* 25.*quæst.* 1.*&.contra ista arguo*, tum ex Aug. qui sæpiùs docet plures scientes, se male agere delinquere, tum ex articulis Parisiensibus, quos referunt, & pluribus etiam vrget Bassol. *Quod voluntas manente passione, & scientia in particulari, & in actu non potest agere contra eam: error*, tum experientia: plurimi enim agunt contra remurmurantem & fodicantem conscientiam, tùm denique ratione: quia sæpè tam euidentes sunt termini præmissarum, seu principij quo innititur totus syllogismus practicus, vt cognitis terminis statim assentiatur intellectus, & conclusio tam facile ex eiusmodi præmissis, & tam connaturaliter deducitur, vt intellectus nequeat reluctari; & tamen videmus circa obiecta eiusmodi practicorum syllogismorum peccari. Neque dici potest, intellectum excæcari tunc à voluntate; quia hæc excæcatio vel fit quod obnubilatus intellectus non penetret terminos, & formam syllogistici syllogismi practici, & neque consequenter conclusionem, & tunc nulla erit malitia in actu, quia nulla est eius cognitio, quā esse necessariam *superiùs* ostēdebamus, vel quia etsi intellectus penetret terminos, tamen nō assentitur conclusioni deductæ: atqui hoc impossibile est, quia (vt aiebat Scot.) tota & adæquata causa primorum principiorum, tùm speculatiuorum, tum practicorū sunt ipsi termini penetrati: vel excæcatur intellectus à voluntate, quia ad alia cogitanda auertitur; atqui hæc tota distractio intellectus potest esse sine errore, & stante vero iudicio practico de turpitudine, & non ponibilitate actûs hîc & nunc. Demùm hæc voluntaria distractio intellectûs supponit tum volitionem, tum intellectionem præuiam, & saltem naturâ priorem. Quærò igitur an hæc volitio distractionis intellectus sit mala, an bona? hoc postremum non dicetur, alioquin excæcatio, seu distractio intellectus eam consequens, mala non esset; causa enim moraliter bona nequit habere effectum moraliter malum, vt olim diximus electioné bonam infici à mala intentione, & bonam intentionem sordere à mala electione; si autem præuia volitio à qua sequitur distractio intellectus ad alia obiecta, & consequenter error circa syllogismi practici conclusionem, mala sit, vel intellectio, quam præsupponit, est dictamen rationis rectæ, cui obsequitur voluntas, & ita est bona ea volitio: vel est dictamen erroneum, & illud etiam præsupponit aliam volitionem, de qua idem quæretur in infinitum. Vel denique est dictamen rationis rectæ, sed cui repugnat volitio, & ita verùm est quod asserebàmus, dari posse volitionem malam, stante iudicio vero in intellectu circa honestatem, & turpitudinem obiecti, & dictante actum non esse faciendum hîc & nunc. Vrget etiam hoc loco quod contra errorem speculatiuum optimè obiiciebatur, videlicet fore peccatum hæresis ante

omne

omne aliud peccatum: nam hæc conclusio particularis, Fornicatio hîc & nunc committenda est, aut erronea non est, quod tamen contendunt aduersarij, aut hæretica est: huius enim propositionis, vt aduertit Suar. *d.* 19. *met. sect.* 7. *n.* 1. multiplex sensus esse potest: primus vt significet tantùm futuritionem actus; qui sensus nihil facit ad bonitatem aut malitiam actûs, vt patet. Secundò, vt significet debitum honestatis, qui sensus hæreticus est: videlicet ex honestatis & rationis debito fornicationem esse committendam. Sensus est comparatiuus, & tunc vel comparatur obiectum inter se & vnum alteri præferendum dicitur, vel cum fine, cuius efficax intentio præsupponitur, v. g. dicatur honestum turpe hîc & nunc esse præferendum honesto, fornicatio scilicet temperantiæ, & si ea comparatio fiat absolutè inter ipsa obiecta, continet hæresim; si autem ratione circunstantiarum, hoc habitâ sola ratione difficultatum, aut suauitatum sensibilium, & dicatur obiectum hoc turpe esse præferendum honesto, nihil falsi affirmatur. Si denique comparatio fiat cum fine, vt si vis sensibiliter delectari, quamvis turpiter actus ille admittendus est, propositio vera est, & non erronea; vltimus sensus esse potest, significari his verbis firmum quoddam animi propositum, quo quis statuit quidquid tandem obtingat ponere talem actum. Vera etiam est enunciatio, quæ iam volitionem malam indicat.

Respondet Curiel §. 5. hoc iudicium esse falsum practicè, non speculatiuè. Nam speculatiuè iudicat intellectus obiectum illud esse bonum quoddam delectabile, quod verum est; practicè autem enuntiat simpliciter esse appetendum, quod falsum est, tum quia dissonum est rectiori appetitui, tum quia pronuntiat de obiecto, quod in eo est, nimirum appetibilitatem, quare hæc propositio, Fornicatio est admittenda, præter allatos sensus hunc etiam habet, videlicet eum actum faciendum esse, quantùm colligitur ex vi syllogismi practici. Qui sensus facit enuntiationem falsam; quia etsi præmissæ illæ sint ratio motiua huius assensus, ille tamen est de actu simpliciter faciendo, quia est efficax, & respicit actum secundùm omnia quæ habent in se, & non tantùm præcisè secundùm rationem delectabilitatis, quæ in motiuo, & in præmissis tantùm obiiciebatur. Verùm pugnantia loquitur Curiel; nam si iudicium tantùm dicet obiectum esse amplectendum ex vi syllogismi practici, verum pronuntiat; neque potest vi illius syllogismi pronuntiare de appetibilitate obiecti, nisi prout repræsentatur in præmissis quæ sunt adæquata ratio assentiendi conclusione; in illis autem, non obiicitur nisi suauitas, & delectabilitas obiecti: ergo propter eam solam pronuntiat obiectum appetibile, siue deinde sequatur actio voluntatis, siue non: id enim ipsi liberrimum est. Neque valet quod ait Curiel actum efficacem ferri in totum obiectum, vt est à parte rei, ac proindè etiam actum iudicij efficacis pronuntiare simpliciter de re, & non secundùm aliquam rationem præcisam, quia, vti iam monui, hic actus iudicij ex sua natura efficax, aut non inefficax, sed ita dumtaxat denominatur à liberè sequutura, aut non sequutura actione voluntatis, & licèt intellectus præscindat ab aliqua ratione obiecti, id tamen nequit voluntas, si totum obiectum amplectatur: simul enim necesse est velit omnes circunstantias annexas, & præuisas, quamvis intellectus non dixerit propter eas esse amandum obiectum, immò contrarium monuerit.

37 Quod vt melius intelligatur & vnà fundamentum aduersariorum subuertatur, notandum est in eo qui peccat esse simul duo iudicia contraria, sed non contradictoria de eodem obiecto quæ explicantur his syllogismis, Omne turpe fugiendum est: ebrietas turpis est: ergo fugienda: Omne delectabile prosequendum est: ebrietas delectabilis est: ergo & amanda. In his syllogismis maior est vniuersalis, & ad scientiam pertinet, vt ait S. Thom. minor particularis, & prudentiæ partes. Hinc vides itaque hæc iudicia neque se mutuò excludere, neque quidquam falsi continere videntur, primò vtrumque hunc syllogismum necessariò menti peccantis existere contra Buridan. alioqui ignoratâ minore, etiam conclusione prioris syllogismi lateret peccanti malitia, ac proinde non peccaret, vt sæpiùs monuimus. Quare videtur S. Thom. omnibus locis allatis à Capreol. rectè negare subsumat minorē propositionem etiam particularem contentam sub maiori vniuersali, quæ est principium synderescos dictantis, malum esse fugiendum, quia reverà elicit eam minorem, & conclusionem ducit, vt ostendi in syllogismo allato, Omne turpe fugiendum est: ebrietas est eiusmodi; ergo & fugienda; alioqui non cognosceret malitiam ebrietatis, & non peccaret, quia non ageret contra conscientiam, neque vllo modo vellet malitiam ebrietatis quam non cognosceret. Quia tamen ea cognitione non vtitur peccans, perinde se habet tota illa cognitio particularis, & prudentialis, atque si reuerà non esset; cum per eam non dirigatur opus, sinátque se duci voluntas per contrarium iudicium, ex maiore vniuersali praua & minore item particulari conclusum, quo dictatur bonum sensibile appetendum, etsi malitia ipsi annexa cognoscatur.

Reiicio secundò Conrad. Med. Caiet. Capreol. 38
quibus etiam fauere videtur Valent. errorem hunc iudicij practici in imperio practico constituentes, vt vitent illud incommodum de falsitate iudicij, quam assignare nequeunt in cognitione præuia actui malo, vti ostensum est. Cùm autem iudicium exprimatur per verba modi imperatiui, *Fac hoc*, *Hoc amplectere*, nullam continet falsitatem, vt patet, atque Capreol. hoc esse magnam clauim in hac materia, sed imperium istud aliud non est, quàm iudicium practicum post vltimam electionem perseuerans, & quod priùs dicebatur consultatio, & transiit, vt ait Aureol. ab enuntiatiuo ad imperatiuum vt *superiùs* dictum fuit; quare & in eo reperitur falsitas, & eo stante potest voluntas absolutè considerata non operari.

Reiicio tertiò Vasq. 1. 2. *d.* 129. *c.* 5. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. 39
c. 23. *quæst.* 5. Fonsec. *lib.* 9. *met. cap.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. qui necessarium existimant aliquem defectum in intellectu, nimirum inconsiderationem, & seu parùm efficacem considerationem malitiæ, & rationum retrahentium ab actu malo, qui vt, ait Vasq. tunc efficaciùs proponitur. Fonsec. vocat hanc ignorantiam interpretatiuam, & non formalem, qui addit *sect.* 4. dari ignorantiam formalem consequentem actum malum, consistereque in quodam actu iudicij approbantis simpliciter, & absolutè electionem, seu determinationem factam à voluntate; quod iudicium erroneum, & falsum est; fauetque Suar. *disp.* 19. *sect.* 7. *num.* 12. & 13. Verùm hic error iudicij consequentis eodem modo impugnatur, quo error iudicij præcedentis electionem voluntatis, quia est hæreticum, si significet id quod elegit voluntas, esse absolutè & simpliciter ex rationis præscripto, aut obligatione faciendum. Si verò significet, illud futurum esse, quia voluntas debuit efficaciter id præstare, aut posito quòd velit frui ea suauitate, aut enuntiet tantùm quod statuerit voluntas, nihil falsi continet; deindè non est opus vllo actu approbationis determinationem

tionem voluntatis consequentis; distincto autem iudicio practico post determinationem voluntatis [illegible] autem, & ipsamdemùm actionem externam diligente, vt olim ostendimus contra ipsum Fonsec. & Suar. in ea approbatione rationem imperij malè constituentem.

40 Dicimus itaque primò posse voluntatem peccare, & malum propositum eligere perseuerante pleno, & claro iudicio de malitia, & turpitudine obiecti, & quamvis ratio sit perfecta in vniuersali, & in particulari, & in apice, vt loquebatur Conrad. Ita Scot. & Bassol. *ll. cc.* Gab. *in* 3. *d.*36. *quæst. vn. l. c.* Ocham. *ibid. quæst.* 12. & aliis locis relatis à Gab. Almain. 3. *moral. cap.* 4. Val. 1. *part. d.* 4. *q.* 14. *p.* 2. neque contrarium asserit 1. 2. *quæst.* 8. *part.* 1. *d.* 6. loquitur enim in sensu sequentis conclusionis Mil. 1. *part. quæst.* 63. *art* 2. *d.* v1. *num.* 5. *initio* Suar. *disp.* 19. *met. sect.* 7. & *lib.* 3. *de Angel. cap.* 7. *num.* 12. & 1. 2. *tract.* 5. *d.* 5. *sup.* Less. *lib. de prud. cap.* 2. *num.* 17. & *num.* 29. Sal *tract.* 3. *disp.* 3. *n.* 141. & 142. & *tract.* 13. *disp.* 8. *num.* 66. Ratio à priori petitur à libertate voluntatis quæ eiusmodi est, vt licet notitiam prælucentem intellectus prærequirat, ab ea tamen non cogatur, sed suo arbitrio relinquatur; quare potest bonum perspicuè propositum, si humanum est, & non plenum, seu aliqua boni ratione carens abiicere, & malum inhonestum, ac turpe perspicuè cognitum, propter aliam quandam rationem bonitatis, quam inhonestas, & turpitudo non excludit, amplecti: omne siquidem bonum, est ratio motiua voluntatis. Quare si in ea reperietur, etsi immixta sit alicui malitiæ, poterit voluntatem allicere, si ipsi se duci patiatur. Quod enim supponit Vasq. voluntatem non posse ex duobus bonis inæqualibus, qualia sunt honestas, & suauitas, minus eligere, nisi efficaciùs proponatur, ac proinde necessarium esse defectum huius maioris efficacitatis & attentioris propositionis in intellectu, quoties malum propter adiunctam suauitatem eligit voluntas, iam pridem excussum est ostensúmque ex duobus obiectis æqualibus, aut inæqualibus æqualiter, vel inæqualiter propositis liberam manere electionem voluntati.

41 Dicendum est secundò, licet sæpè peccetur sine vllo errore intellectus, aut ignorantia, non tamen sine aliqua inaduertentia, inconsideratione, vel minori attentione, alióve intellectus defectu, immò moraliter id contingere non posse. Prior pars ex *sup.* colligitur, & ipsa experientia; plerique enim ideò acrius obiurgantem conscientiam sentiunt, quia se malè agere norunt, &, vt ait Gregor. 3. *part. Past. adm.* 32. eorum mens malum, quod perpetrat, illuminatur vt videat, sed non conatur, vt vincat, vt quò melius videt eò deterius pereat. Vide Aug. *in Ps.* 123. & *in Psal.* 54. D. Chrysostom. *orat.* 27. idem ait ita peccantibus contingere quod oculis laborantibus; cum enim sciant recrudescere dolorem admotis manibus, oculos tamen sibi perpetuo attrectant.

42 Secunda pars euidens est, & optimè explicatur à Petro Soto *tract. de ratione medendi peccatis, lect.* 2. *sub fin.* si enim quis rectè expenderet principia vitium dissuadentia, & momenta quibus incitatur ad virtutem, facilè animum cohiberet: eam autem mentis hebetudinem dono intellectus opponi ait, & ipsis peccatis augeri, cùm consuetudine peccandi obnubiletur animus. Consentiunt ipsi DD. atque imprimis Aristoteles 3, *ethic. cap.* 1. & 7. *ethic.* fusè, vt pluribus expendit Vasq. *disp.* 129. *cap.* 5. ait enim incontinentem habere scientiam, & quodammodò non habere, quia ea scientia non vtuntur, sed sicut ebrij recitant carmina Empedoclis, & histriones præclaras sententias; semisopitum enim habet intellectum. Neque aliud voluit Socrates quem eo loco confutat Aristoteles, cum incontinentem carere scientia ait; significat enim tantùm non expendere accuratè ea quæ agit. & sanè *illo articul. cap.* 10. comparat incontinentem ciuitati optimis legibus temperatæ, quibus tamen non vtitur, atque esse tantùm semimprobum, quia peccat ex iudicio obtenebrato, & non omninò sciens, seu considerans non peccat. Eadem ferè reperit 2. *magnor. moral. cap.* 7. eadem de causa Seneca *Epist.* 31. bonum definit rerum scientiam, malum rerum imperitiam. Huc referas quæ fusè disputat Epictet. apud Arrian. *l.* 2. *c.* 21. de quærenda rationis regula: vide Theoph. *moral. d.* 4. *n.* 380. Luculentius porrò ista tradiderunt Clem. 2. *pedag. c. vlt.* definit philosophiam studium rectæ rationis; ideò peccantem comparari iumentis à Scriptura Phil. *lib. de temulent.* prudentiam animæ sanitatem, imprudentiam morbum vocat, & *lib. quis rerum diuinarum hær.* solus bonus videt, quare & Prophetas videntes prisci nominabant: Basil. *hom. in Psalm.* 37. & Orig. *in eundem Psal.* Chrysost. *hom.* 9. *in Ioan.* omne peccatum stultitiam esse ostendunt. Denique scriptura Prouerb. 14. *Errant qui operantur malum.* Sap. 4. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*; qua de fascinatione consule Philon. *lib. de non recipienda mercede meretricis*, vbi magicæ voluptatis incantamenta describit, & Auctor diuinæ sapient. secundùm Ægypt. *lib.* 6. *c.* 2. 3. 4. & 5.

Hinc eruitur germanus sensus vulgati axiomatis, 43
Omnis peccans ignorans, quia non ponderat momenta retrahentia à peccato, quæ inaduertentia error practicus est: ergo imprudentia rectè appellatur.

QVÆSTIO II.

De reliquis causis internis peccati, passione scilicet & malitia.

SAnctus Thom. *q.* 77. alteram causam peccati nobis internam assignat, passionem, seu motum appetitûs sensitiui, quem vulgato nomine vocamus concupiscentiam, quam peccati causam, norunt etiam scripturæ & Patres. Dan. 13. *Concupiscentia subuertit cor tuum.* ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati.* Hinc etiam Nysseo. primam sæpè peccati originem esse corpus, cum animus qui tranquillus erat medio sensu & appetitu corporeo in obiecta prohibita moueatur, *orat.* 3. *de Paschat. & Resurrect.* 1

Hæc autem causa peccari non est nisi indirecta, 2
qua ratione videlicet mouet voluntatem, vt monui *d.* 2. *sect. vlt.* & *d.* 3. *sect.* 4. *tract. sup.* quod ampliùs explicat S. Thom. *hac quæst.* 77. *art.* 1. vbi ait moueri duobus modis voluntatem ab appetitu, primò per abstractionem quandam, quia enim potentiæ omnes in eadem anima radicantur, & sympathiam quandam habent, quò vehementius vna suo applicatur obiecto, eò languidius agit alia: immò & aliquando à sua actione prorsùs impeditur quod virtus ad plura dispersa, minor fiat, & sæpè etiam non sufficiat. Vbi igitur appetitus sensitiuus fortiùs allicitur ab obiecto sensibili, facilè distrahitur voluntas, & intellectus ab sua operatione propria. Secundò per obiecti mutationem, & subtractionem: ex vehementi siquidem passione appetitus sequitur vehemens apprehensio, & adhæsio imaginationis, quæ intellectum

intellectum quoque applicat, vnde aliter proponit obiectum voluntati obductâ eâ nube passionis, quam si serenâ luce collustraretur: voluntas autem mouetur à bono prout apprehenditur, & repræsentatur ab intellectu. Dum igitur appetitus mutat indirectè apprehensionem intellectûs, mutat quoque obiectum voluntatis. Addit *art.* 2. distrahi intellectum à cognitione obiecti, & vsu scientiæ, qua pollet circa singularia, quam inconsiderationem dicebamus esse vnam ex peccati radicibus à passione per contrarietatem, cùm pondere quodam inclinetur ad contrarium huius, cuius habet scientiam: & denique per immutationem corporalem, qua quodammodo ligatur ratio, vt fit in ebrietate, & somno, experientiáque compertum est aliqua ex vehementi passione insanisse.

3 Quia verò impeditur animus à debita sibi operatione, passione perturbatus, dicuntur passiones animi ægritudines, ipséque animus illis laborans, infirmus & morbidus, atque peccatum inde progerminans, peccatum ex infirmitate, vt dicitur *art.* 3. dicitur enim corpus morbidum, aut infirmum, quoties ita debilitatur, vt à propria, & sibi debita operatione impediatur; quod fit propter partium, & humorum inordinationem, à qua fit vt neque membra, neque humores virtuti regitiuæ, & motiuæ corporis subdantur, quæ per analogiam in animo contingunt quoties rationi quæ est vis directiua animæ, potentiæ ipsius & veluti partes, non subsunt, inordinatæ sunt causantque impotentiam debite operandi. Quare Aristoteles 1. *ethic. cap.* 8. comparat incontinentem paralytico, cuius partes mouentur in contrarium eius, quod ipse disponit.

4 *Art.* 4. ostendit passionem, quæ totam hanc perturbationem exciteat, esse suipsius amorem, quia cum peccati ratio in conuersione ad cõmutabile bonum consistat, supponit amorem alicuius boni commutabilis inordinatum, qui rursus amorem suipsius vt præuium, postulat, velle enim inordinatè sibi bonum commutabile, est amare seipsum inordinatè: quod ita intelligas velim cum Curiel *in hunc art.* vt non sint necessarij duo actus, quorum prior sit amor sui, alter boni commutabilis amor, ex priore illo progerminans; sed ille ipse amor, quo sibi quis vult bonum commutabile, est suipsius amor, vt in *tract. de Ang.* exponere me memini. Frustra verò quærit *hoc loco* Conrad. an amor, qui est passio, aut qui est simplex motus voluntatis, sit causa peccati, cum enim S. Th. agat tantum *hac q.* de peccatis ex passione causatis, certum est loqui de amore qui passio est, quanquam eadem ratio euincat omne peccatum in amorem inordinatum suipsius ex data potentia referri siue eum amorem libeat passionem appellare, siue amorem simplicem.

5 *Art.* 5. Reliquas omnes passiones reducit S. D. ad tres à S. Ioan. *ep.* 1. *c.* 2. enumeratas, concupiscentiam carnis, oculorum, & superbiam vitæ; de quo loco fusè Aug. *lib.* 3. *de symb. c.* 1. per concupiscentiam carnis intelligit S. Th. ea, quæ ad naturalem concupiscentiam pertinent, & quæ ad sustentationem indiuidui, vt cibus, potus, & quæ ad speciei conseruationem faciunt, omnia nempe venerea complectitur. Concupiscentia oculorum significat concupiscentiam animalis, quæ continet ea quæ delectationem afferunt per apprehensionem imaginationis, vt pecunia, vestis, & cætera bona externa: hæc enim maximè per oculos cupiditatem sui excitant: superbia vitæ spectat ad appetitum irascibilem vt boni arduiceft enim superbia appetitus inordinatus excellentiæ; atque ita passiones, quæ ad vtrumq; appetitum, irascentem nimirùm & concupiscentem spectant, tribus vulgaris comprehenduntur.

Quamvis peccatum causam habeat passionem 6 modo exposito; ab ea tamen sæpè grauitas eius minuitur, quia sæpè voluntarium minuit, vt ait *art.* 6. quando nimirùm est antecedens & ipsam voluntatem instigat; secùs quando est consequens, & ab ipsa voluntate excitatur: est enim tunc effectus signum maximè inflammatæ libidinis, & voluntatis, vti olim fuit expositum; imò tam potenter aliquando instigat voluntatem passio, & intellectum obscurat propter mutationem corpoream, vt hominem reddat sui impotentem, & tunc, quia tollit prorsùs liberum peccatum, excusat non solum à tanto, sed à toto, vt loquitur *art.* 7. Quando verò relinquit intellectui vim plenè deliberandi, nunquam ita imminuit peccatum, vt si ex suo genere mortale erat, veniale reddat. Quare *art.* 8. aduertit S. Thom. peccatum mortale cum passione posse reperiri.

Tertia causa peccati interna, est malitia, de qua 7 S. Thom. *quæst.* 78.

Peccat aliquis ex certa malitia, vt colligitur ex *art.* 1. & 3. dum neque ex ignorantia, neque ex passionis impulsu, sed sciens, & volens turpe aliquid committit, seu, vt loquitur S. D. *art.* 1. quando ipsa voluntas ex se ipsa mouetur ad malum, ad quod minimè opus est, vt intendat malum quà malum, sed sufficit clarè, & plenè malitiam annexam bono, quod prosequitur, videat, & nihilominùs illud prosequitur, licèt, neque intellectûs obtenebratio malitiam non despicientis, aut perturbatio aliqua vehemẽs ipsum non agitet. Posse autem ita quandoque peccari, ostenditur *a.* 1. quia cùm homo feratur in malum ex corruptione, & inordinatione aliquorum principiorũ sibi intrinsecorum, & naturalium (sua enim naturâ, & sponte in bonum inclinatur) principia autem operationum humanarum sunt intellectus, appetitus, & voluntas, ex defectu singulorum istorum in malum ferri, & peccare potest: ignorantia nimirum quæ est defectus intellectûs, passione, quæ est corruptio appetitus, & ex inordinatione voluntatis, quæ contingit quandò minus bonum magis amat, vndè fit vt eligat iacturam boni minùs amati, licèt maioris, vt bonum magis amatum, licet ignobilius, & inferius possideat. Quandò igitur commutabile aliquod bonum minùs amat Deo, Dei iacturam facit ne bonum commutabile perdat; quæ summa inordinatio est: hoc autem totum facit voluntas, licet intellectus excessum vnius boni præ alio perspicuè ostendat. Peccat igitur ex malitia iuxta definitionem allatam.

Art. 3. ait, eum qui ex habitu vitioso peccat, quia 8 tunc neque ex passione, neque ex ignorantia peccat, sed ex aliquo sibi maximè connaturali, fit vt peccet ex malitia, quia tunc bonum commutabile, licet minus esse videat tanquam id ad quod quodammodò naturaliter per habitum consuetudine contractum inclinatur, libenter amplectitur, & *art.* 4. tunc tendit in malum voluntas tanquam in aliquod sibi conueniens, & veluti sibi bonum; non tamen necesse est semper præcedere habitum ad peccatum ex malitia.

Ex his omnibus colligit S. Thom. *art.* 5. peccatum 9 ex malitia esse grauius peccato ex ignorantia, & passione. Primò quia est magis voluntarium, cum in eo voluntas ex seipsa se moueat ad malum, & non ab aliquo extrinseco, aut intrinseco moueatur. Secundò quis diutiùs perseuerat illud peccatum: vbi enim resedit passio, homo redit ad se, dum peccat ex passione. Vnde Aristoteles 7. *Ethic. cap.* 8. comparat peccantem ex malitia seu intemperantem infirmo

continuò laboranti, incontinentem autem ægrotanti interpellare. Tertiò ratione periculi peccans ex malitia est malè dispositos quantum ad ipsum finem, qui est principium in operabilibus.

CAPVT PRIMVM.

De causis externis peccati, seu malitiæ moralis.

1 TRes tantùm fingi possunt causæ externæ malitiæ moralis, quas enumerat S.Th.& expendit *q.79.a.*80.*&* 81. Deus videlicet, dæmon & homo, ex quibus solus Deus potest esse causa physica, in ipsam peccati entitatem influendo per modum causæ primæ & vniuersalis. Dæmon est causa tantùm moralis, instigando scilicet & impellendo voluntatem ad peccatom: neque enim cum ipsa voluntate eius actum producit; sed tantùm aut illi consulit, aut eam illi obiectum & bonum sensibile proponendo allicit. Homo eadem ratione potest alteri homini esse auctor mali moralis, aut in consortium peccati eum sibi asciscere, sed prætereà Adamus tanquam caput humani generis peccatum in omnes posteros infelici quadam seminatione traduxit; quod peccatum originale vocamus, de quo agit S.Thom. *à q.*81. *ad* 84.& nos deinceps. De dæmonis autem in peccatum efficacia egimus *tract. de Ang d.vlt.sect.vlt.* cum S. D. 1. *p.in q.* 114. neque amplius immorandum videtur hoc loco, cùm ea, quæ S.Thomas tradit *q.*81. ex *alibi* dictis facilè intelligantur: *art.* 22. ostendit dæmonem non esse directam peccati causam, quia ea debet esse proprium principium agẽdi, quod est hic sola volũtas, & Deus qui eam inclinare posset immediatè in actum & cum illa etiam ad omnem entitatem concurrit. Dæmon potest quidem illuuie aliqua obiectiuè animum inficere, non immissione malitiæ. Auctor *de operibus car.serm.de ieiunio. Sic, vt aliquid poëticum inseram, temulentus Cyclops illiciti coniugij appetitur, licèt à Pallade repellatur, in gremio tamen eius Ericthonem fundit, & incorrupta Mineruæ, superest tamen deforme monstrum.* Tertull. *lib. exhortation. ad castitatem c.*2. pluribus docet dæmonem voluntati tantùm materiam peccandi subministrare, non volitionem immittere. *Ita diaboli opus tantùm est tentare quod in te est vt velis.* Prudent. *in Her. versu* 20. eadem inculcat. Potest tamen esse dæmon causa indirecta peccati per modom persuadentis & proponentis appetibile. Posse autem instigari voluntatem à dæmone S.D. docet *art.*2. cùm per motum localem humorum possit & imaginationem, & appetitum sensitiuum immutare, vnde motus intellectus, & voluntas sequetur connaturaliter. Imò addit *art.*3. posse ita potentias corporeas immutare, vt omnis prorsus rationis vis impediatur, vt in morbis contingere videmus: vnde fit vt necessariò fiant aliqua obiectiuè mala à sui non compote, non tamen necessariò; sublata siquidem libertate definit malitia. Omnia denique peccata non posse in dæmonem referri, nisi quatenùs primum parentem induxit ad peccatum docet *art.*4. quamvis enim ad peccatum, vt dixi, instigetur non tamen ad illud inuitum mouet, neque aliud probant quæ Hilar. *in Psal.* 128. de hoc instinctu dæmonis ad peccatum fusè habent, quàm sæpissimè eas instigationes oriri à dæmone, non tamen semper.

CAPVT II.

De effectibus malitiæ.

EX luculento fonte non nisi turbidæ aquæ manare possunt; duo verò præcipui sunt obscœnissimi fontis malitiæ riui, peccatum nimirum habituale, siue fœditas animæ, & reatus pœnæ: de quibus paucis agendum superest.

QVÆSTIO I.

Quid sit peccatum habituale, & macula ab actuali peccato relicta.

1 TRansacto actuali peccato hominem verè denominari, & esse peccatorem, ac fœditate quadam maculatum sæpiùs docent Scripturæ, Deut. 32. *Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.* Prouerb. 30. *Est generatio quæ sibi munda videtur, tamen non est lota à sordibus suis.* Psalm. 14. *Qui ingreditur sine macula.* Ioan. 13. *Vos mundi estis, sed non omnes.* Apoc. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hinc fit vt remissio peccatorum vocetur oblutio. Ierem. 2. *Si laueris te nitro, &c. maculata es iniquitate tua.* Isaï. 4. *Si abstulerit Dominus sordes filiarum Sion.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quærimus igitur quidnam illud sit, à quo denominatur peccator & maculatus.

2 Gregor. *in 2.d.*3. habitum vitiosum esse putat, optiméque reiicitur *ibid.* à Capreol. *q.vn.a.*3 *ad* 1 *contra* 2. *concl.*& scitè *in* 4.*d.*4.*q.*1.§. *Dico ergo:* remisso enim peccato manent integri habitus vitiosi & per peccatum veniale potest aliquando intensus habitus produci, & à peccato mortali non nisi remissus: vnde sequeretur turpius maculari peccantem venialiter, quàm mortaliter. Non multùm diffident à Gregorio, qui apud Curiel *q.*86.*dub.*2.§.1. peccatum habituale esse propensionem quamdam physicam ad bonum commutabile, à propensione seu conuersione actuali relictam: hæc enim conuersio aliud esse non potest quàm physicus habitus ac proindè reiicienda est macula.

3 Secundò, alij dicunt esse ordinationem ad pœnam, sed variè exponunt Scot. siquidem *in* 4. *d.* 14. *q.* 1.§. *Dico ergo* ait esse relationem rationis inquantum peccator est obiectum intellectus, vel voluntatis Dei ordinantis illum ad pœnam peccato correspondentem, quod intellectus præuidet pro omni tempore donec pœna sit soluta, quod ostendit exemplo illius qui principem offendit, in quo nihil aliud manere videtur, quàm deputatio ad pœnam. Vt autem hæc ordinatio disconueniens animæ est, dicitur macula: vt est obligatio ad illam pœnã, dicitur reatus: vt denique est actus diuinæ voluntatis ita pœnam dispensantis, est offensa; neque enim aliud est Deum esse aut offensum, aut iratum, quàm velle hanc pœnam infligere. Gab autẽ *in* 4.*d.*item 14.*q.*1.*a.*1.*not.*2. negat hãc ordinationẽ esse relationem rationis superadditam, sed vel denominationem quandam extrinsecam sumptã ab actu præterito peccati, & Deo ordinante ad pœnam, vel, vt male videtur Gab. eos quoddam connotatiuũ significans ipsum hominem propter actũ præteritũ à Deo ad pœnas destinatũ: alij deniq; dicunt esse ipsam pœnæ condignitatẽ, vt refert Vasq. *d.*159 *c.*2.

&c

& Sal. *tract.* 13. *d.* 24. *n.* 13. quæ expositio, licèt reliquis sit probabilior, non est tamen ad mentem Scoti, vt legenti constabit. Reiicitur porrò hæc sententia vt à Scoto & Gab. expositor, quia ordinatio passiua aut actiua ad pœnam, quidquid tandem illa sit, non est peccatum: atqui macula verè peccatum est, hominem peccatorem denominans, & pœna, atque destinatio ad pœnam, peccatum supponit, non verò constituit. Deus deinde esset auctor maculæ; quod ipsemet Scotus absurdum existimat: si verò hæc ordinatio sumatur pro condignitate, & debito pœnæ, quod videtur etiã innuere Aug. *l.* 1. *de nup. c.* 26. dum docet peccatum actu præteritum, manere reatu; reiicitur tamen, quia sæpè dimisso peccato, restat tamen subeunda pœna, quæ indigno non infligitur nisi Deum tanquam Dauidem cui peccatum condonauit, punientem nihilominus grauissimis pœnis iniustitiæ arguas. Quare remissio pœnæ à remissione culpæ distinguitur. Vide Bellarm. *lib.* 4. *de pœnit. cap.* 10. qui mentem Aug. loco nuper allato, & aliis similibus explicat optimè *l.* 5. *de statu peccati c.* 10. *ad* 2. aduertit, animum non fuisse explicare quidnam constituat hominem formaliter peccatorem, sed docere voluit, transacto peccato remanere quidpiã, ratione cuius necessaria sit remissio, ad quod ostendendum rectè assumpsit reatum pœnæ, qui est effectus peccati notissimus, & donec ille manet non dicitur peccatum plenè & perfectè dimissum, vbi autem sublatum est totius pœnæ debitum, plenè peccatum deletum est, cùm non possit tolli hoc pœnæ debitum, nisi culpa fuerit condonata.

4 Tertiò, constituunt maculam in priuatione gratiæ S. Th. *q.* 86. *art.* 1. *&* 2. vbi maculam definit carentiam nitoris, quem tum ea refulgentia luminis naturalis per rationem diuinæ legis, per sapientiam, & gratiam hauriebat; ab vtroque autem hoc fulgore recedit anima per peccatum: sequuntur eius discipuli, Conrad. Caiet. & Medin. *in hunc art.* ex quibus Caiet. ait maculam primò consistere in priuatione conuersionis ad Deum, ex quo deinde sequitur detrimentum nitoris qui effectus est maculæ potiúsque ad maculam, & ad conuersionis illam priuationem optimè reducit, quod alij cum Mag. *in* 4. *d.* 18. *l.* 1. maculam appellant, tenebras mentis, dissimilitudinem, elongationem & auersionem à Deo, quia anima per charitatem Deo coniuncta ab illo fulget, ad illum conuertitur, illíque assimilatur. Medina vocat maculam animæ indignitatẽ, seu animam esse Deo inuisam & ingratam; sequitur Soto *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. *art.* 2. *sub fin.* Val. *d.* 6. *q.* 16. *p. vnic. & q.* 2. *p.* 1. *§. Hactenus dictum.* Bellarm. *l.* 5. *de statu peccatis c.* 19. vbi vocat auersionem habitualem. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 24. tribus prioribus *qq.* Stapleton *lib.* 1. *de iustif.* c. 3. habitualem deformitatem, quæ sit carentia nitoris homini ex primæua institutione, & debiti, & coniunctionis cum Deo ex peccato facta, quam Aug. *l.* 1. *de peccat. merit. & remiss. c. vlt.* vocat interclusionem à Deo, Hanc sententiã latè reiiciunt Vasq. *d.* 139. *c.* 3. Suar. *t.* 4. *in* 3. *p. d.* 9. *s.* 3. *n.* 11. *& s.* 4. *n.* 13. & *l.* 7. *de grat. c.* 20. *n.* 8. & 14. & 1. 2. *tr.* 5. *d.* 8. *s. vn.* Sal. *tr.* 13. *d.* 14. *n.* 22. Kon. *d.* 2. *de pœnit. dub.* 10. *n.* 86. Et sanè nequit explicari primo quomodo non sint omnes æquales maculæ, aut potiùs qui minori peccato multam gratiã amisesit, non contraxerit maiorem maculam, quàm qui grauissimo scelere, minore gratia priuatus fuerit; quomodo qui in sordibus est sordescat adhuc: quod eum respondent, has priuationes in ratione maculæ dicere ordinem ad suas causas, sicut fiunt diuersæ vmbræ per diuersa lumina, quamuis sit carentia eiusdem luminis. Sed hoc nihil vrget, quia priuatio, quæ tollit totam formam, & integram à subiecto, non crescit, aut minuitur, aut diuersificatur per causam, à qua ponitur ipsa, & forma contraria tollitur; à quocunque enim agente pereat forma, eadem est eius carentia, vt constanti inductione videmus in physicis: neque quod affertur de multitudine vmbrarum propter diuersitatem opaci interiecti, simile est, tum quia vmbra non est priuatio luminis; sic enim non differret à tenebris, sed, vti definiunt optici, est lumen, diminutum comparatione maioris, quod circumfunditur, à quo & corpore opaco terminatur extrinsecè. Deinde plures vmbræ non fiunt ab eodem lumine numero diminuto, sed à variis radiis in opaca corpora ab eodem licèt luminoso procedentibus. Secundò explicari nequit hæc macula, & peccatum habituale in statu puræ naturæ, in quo tamen vbi fuissent actiones honestæ & inhonestæ, ita quoq; mansisset peccatum habituale & macula, atque habitualis à Deo, vt Auctore naturæ auersio. Tertiò, sequeretur peccatum veniale nullam inurere maculam; quod concedere quidem videtur S. Th. *hic q.* 89. *a.* 1. contrarium tamen innuit 3. *p. q.* 87. *a.* 2. *ad* 3. & Suar. plures alios adducens *to.* 4. *in* 3. *p. d.* 11. *s.* 2. ratióque aperta videtur: quia vti nuper ostendimus, peccatum etiam veniale est aliqua auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, & aliquid impediens beatitatis adeptionem, quódque priùs mundari debet. (Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum) & Hier. *Malach.* 3. ait Deum non tantùm esse *ignem conflantem* ad expurganda grauiora delicta, *sed etiam herbam fullonum* ad leuiora detergenda. Neque vlla datur ratio, cur si culpa venialis verè & propriè culpa est, non æquè relinquat aut sit fundamẽtum denominandi hominẽ peccatorem vbi præteriit, atq; culpa mortalis, cùm hac in parte videatur omnimoda similitudo.

Quartò igitur, vt hanc sententiam temperarent aliqui, dixerunt maculam à peccato relictam, si absolutè sumatur, non includere priuationem gratiæ, vt tamen reipsa in hoc statu naturæ ad finem supernaturalem ordinatæ contrahitur, includere semper tanquã partem integrantem gratiæ priuationem. Ita Salas *d.* 14. *cit. n.* 29. Suar. *lib.* 7. *de gratia c.* 20. *n.* 8. *&* 14. & 1. 2. *tract.* 5. *d.* 8. *s. vnic. n.* 14. Curiel *a.* 4. *q.* 86. *dub.* 2. *§.* 4. Verùm cùm illi ipsi auctores concedant hanc priuationem esse effectum peccati habitualis, cur ad eius complementum eam requirunt? Deinde, cùm ex Suar. possit tolli peccatum sine gratiæ, aut alterius formæ sanctificantis infusione, quomodo in eius priuatione consistet macula, quæ deleri potest eadem priuatione perseuerante per modum puræ negationis, non contrarij alicuius?

6 Displicet quintò, quod Curiel *l. c.* constituit hoc habituale peccatum in priuatione habituali conformitatis ad legem, per modum termini à peccato actuali producti. Verùm hæc conformitatis priuatio alia non est, quàm non habuisse actum conformem rationi; atque in peccato contra præceptum negatiuum erit negatio negationis, quia conformitas erat in non ponendo actu: & hoc totum aliud non infert, quàm non fuisse rectè operatum.

7 Sextò, Becan. *tract.* 2. *c.* 7. *q.* 1. & Vasq. *d.* 139. *n.* 13. distinguunt duplicem maculam; alteram constituunt in priuatione gratiæ, quæ quolibet peccato, & in quolibet statu non contrahitur, vnde neque sufficit ad explicandam vniuersim maculam à peccato actuali relictam: alteram petunt ab actu peccati præterito moraliter perseuerante. Verùm docere debent, cur hæc gratiæ priuatio, licet nitorem aliquem deterat, dicatur propriè macula, cùm non dicatur (vt ait Kon.) vilus sordidatus, quia nitore caret; sed quia cœno, & luto illitus est, ideo nitore caret.

8 Septimò, Durand. *in* 3. *d.* 19. *q.* 1. *n.* 7. & Vasq. *d.* 139. *c.* 5. peccatum habituale vocant peccatum nondum

retractum. Sed contra quia potest esse retractatũ peccatum per actum contrarium, & tamen adhuc perseuerabit, quia dimissum non est, & poterit etiam tolli peccatum retractatione non posita, neque etiam vlla forma in peccatore facta per externam Dei condonationem ex sententia probabili.

9 Octauò itaque dicendum est, peccatum habituale, quod confundo cum macula, aliud non esse, quàm peccatum actuale moraliter perseuerans; tunc autem censetur moraliter perseuerare, quamdiu dimissum non est, siue per externam Dei condonationem, si illa sufficiat, siue per gratiæ, aut alterius formæ sanctificantis immissionem, siue per actus peccatoris ad id sufficientes, & à Deo acceptatos: idque voluit Suar. *ll. omnibus citat.* Sal. *n.* 29. *d.* 14. *cit.* vbi plures in hanc rem allegat, Kon. *d.* 2. *de pœn. d.* 10. *cit*, Bassol. *in* 4. *d. cit.* 14. *q.* 2. *a.* 1. §. *Quantum ad præsentẽ*, ait posse denominari peccatorem ab aliquo in eo non inexistente, sed ab actu præterito peccati, sicut dicitur doctor, eò quòd docuerit: sed ne eadem denominatio peccatoris perpetua sit, etiam post iustificationem, postquam etiam verum erit Petrum olim peccasse, & Christum negasse, debet addi particula *non dimissi*: quandiu enim abest dimissio, censetur moraliter perseuerare: & illud sequuntur omnes effectus, videlicet offensa Dei, auersio ab eo, priuatio gratiæ, & diuinæ amicitiæ, obligatio ad pœnam: quæ omnia vbi dimissum est peccatum cessant, vt apparet. Neque hæc macula aliquid est per rationem fictum: nam sicut actus reuerà inquinabat animum dum aderat, ita vbi præteriit, animam inquinatam relinquit, donec ea macula abstergatur, quod non intelligitur fieri, quandiu peccatum non dimittitur.

10 Addendum tamen est in omni peccato mortali habituali reperiri priuationem gratiæ sanctificantis & charitatis, si distinctæ sint, eámque ad rationem quoque maculæ pertinere, cùm in ea sit ratio inimicitiæ & offensæ, quæ pertinet ad peccati essentiam: in omni enim peccato actuali mortali duo sunt, vnum transcendens, quod omni peccato mortali conuenit, ratio nimirùm grauis offensæ, propter quam peccans fit Deo inimicus & exosus; vnde etiam fit vt omne eiusmodi peccatum directè opponatur gratiæ sanctificanti, cuius effectus formalis est facere Deo amicum & gratum, seu iustum. Alterum quod in peccato mortali reperitur, est aliquid specificum & proprium cuilibet peccato, estque dissonantia cum certa lege, & oppositio cum quadam particulari virtute, puta fide, temperantia. Ita in peccato habituali mortali aliquid est veluti commune, nimirum habitualis inimicitia, quæ est priuatio gratiæ, & aliquid specificum, nimirùm illa actualis dissonantia cum peculiari lege, seu actio dissonans, moraliter manens quandiu non retractatur, & denominans peccatorem infidelem, intemperantem, furem. Vnde sequitur, obligari nos quolibet præcepto, non tantùm ad actionem illam conformem, sed etiam ad obligationem conseruandæ gratiæ & sanctitatis, quæ per violationem legis amittitur; quæ obligatio conseruandæ gratiæ, si concedatur, vt omninò concedi debet, statim sequitur priuationem gratiæ esse peccatum, quia est carentia perfectionis ex lege obligante debitæ, & licèt vna cum gratia pereant alij habitus supernaturales, eorum tamen priuatio non est peccatum; alioqui simul committerentur necessariò plura peccata habitualia. Ratio est, quia non sunt debitæ neque præceptæ hæ perfectiones, nisi consequenter quatenùs sunt gratiæ appendices, non autem per se, nisi adsit peculiare præceptum.

QVÆSTIO II.

De reatu pœnæ altero peccati surculo.

CVlpam consequitur pœnæ reatus, seu dignitas, quæ nihil aliud est quàm debitum quoddam morale subeundi pœnam impositam, vnde nascitur etiam in iudice, aut legislatore ius infligendi pœnam reo seu peccatori: vt enim optimè obseruat S. Th. *quæst.* 87. *art.* 6. cum actus peccati sit inordinatio voluntaria, propter quam ordo diuinæ iustitiæ violatur, & Deo iniuria fit, vt *alibi* ostendimus, non redit peccator ad hunc diuinæ iustitiæ ordinem, nisi per pœnæ compensationem ad æqualitatem iustitiæ reducatur, vt videmus in iniuriis alteri homini illatis, quibus delinquens contrahit debitum compensandi iniuriam illatam, & qui læsus est, ius habet eandem compensationem repetendi, neque fit ea compensatio, nisi aliquod damnum & incommodum, seu pœnam subeundo. Quare Curiel. *in art.* 1. *quæst.* 87. *con.* 3. non malè vocat hanc obligationem in reo, titulum moralem: displicet tamen quòd dicat esse relationem rationis; etsi enim non sit aliquod accidens aut absolutum, aut respectiuum physicum & distinctum à peccato actuali productum, non sequitur tamen esse respectum rationis qui nusquam formaliter est nisi intellectu cogitante, etsi habeat sua omnia fundamenta realia. Est itaque aliquod ens morale, vt & reliquæ obligationes, & iura, quæ positis aliquibus actibus voluntatis censentur verè manere, verbi gratia in contrahentibus, in eo qui se obstrinxit voto, & aliis eiusmodi, & vt nuper maculam dicebamus esse peccatum ipsum habituale moraliter perseuerans, quod non propterea est aliquid relictum à peccato actuali, sed ipsum peccatum quod quandiu non est dimissum, censetur adhuc perseuerare. Ex his tamen reiicimus facilè cum eodem Curiel. Scot. & alios, qui, vt nuper referebamus, maculam cum reatu pœnæ confundentes dicebant, vtrumque esse ordinationem passiuam peccatoris ad pœnam, Deo illam ordinante; nam & macula prior est obligatione ad pœnam, & inuicem seiungi possunt, vt fusissimè ostendit Val. 1. 2. *d.* 6. *quæst.* 17. *part.* 5. & alij passim Theologi in materia de satisfactione, euidensque est in Dauide, cui post translatum peccatum, hoc est dimissam culpam & condonatam, grauissimæ calamitates in flagitij commissi pœnam inflictæ sunt; non facit autem Deus sua ordinatione hominem pœnâ dignum, vt innuere videtur sententia Scoti, sed supponit. 1

Hinc etiam colligis, omnem culpam alicuius pœnæ reatum inferre, & omnem vicissim pœnam vt pœna est, culpam præsupponere. Dixi *pœnam vt pœna est*: quæ enim est tantùm medicinalis, quæ maius bonum quam incommodum homini affert, verè pœna non est, & interdum sine culpa eam infligi nihil prohibet; hæc autem, per se loquendo, nunquam consistit in priuatione bonorum spiritualium, sed fortunæ tantùm, aut corporis: quia ea pœna spiritualis potiùs nocet, quàm iuuat, & quantum ex se profectum impedit, ac proindè medicina non est. Quia tamen Deus, infinita bonitate eiusmodi damnum spirituale in bonum conuertit, fit vt illa quoque pœna medicinæ vices aliquandò subeat, sed supponit semper culpam aliquam in eo, cui infligitur, & ordinariò malum vsum diuinorum siue propter negligentiam, siue propter superbiam. 2

Pœna denique satisfactoria non supponit necessariò culpam in eo, qui eam voluntariè subit, vt patet in Christo, & ex materia de satisfactione, io qua docetur vnum justum pro alio satisfacere posse.

3 Iam verò circa pœnaa peccati actualis, de quo solùm disputamus non est quod fusiùs excurramus; qoàm ingeos enim calamitatum tum spiritualium, tum corporalium peccatum numerus subsequitur, enique obuium est, & singillatim recenset Less. *lib.* 13. *de diuin. perfectio. capit.* 28. & Theoph. *disp.* 14. *mor. quæst.* 3. *art.* 7. ipsaque eaperientia, atque rerum veterum monumenta illostrissimè testantur.

4 Circa pœnas & mala alterius vitæ, quæ, vt ait Chrysostom. *hom.* 1. *in Epistol. ad Hebr.* vsitatis quibusdam nominibus ignis, tenebræ, & vincula, & vermis immortalis appellantur: seueriora quædam demonstrantur, & quibus, vti monet August. *serm.* 117. *de diuersis, cap.* 6. vbi ait pœnas hujus vitæ esse pœnas somniantium compositas cùm pœnis reipsa inflictis, circa istas, inquam, pœnas magis hærendum videretur: verùm cùm hæ omoes pœnæ ad pœnam damni & sensus reuocentur, & de vtraque egerim *tract. de Angel.* pauca quædam restant hoc loco, si obseruaueris vtramque hanc pœnam ita vulgò à Theologis assignari, vt pœna damni respondeat auersioni à Deo, pœna sensûs conuersioni ad bonum commutabile; eorum autem mens non est, solam auersionem puniri pœnâ damni, & non pœnâ sensûs, aut è contrario solam conuersionem, ad creaturam plecti pœnâ sensibili: cùm enim peccatum sit vnum quoddam totum in ratione moris, essentialiter ex vtraque illa difformitate constans, quandoquidem vna intimè imbibitur in alia, vtraque illa difformitas totali quadam pœnâ plectitur. Assignant tamen respectus quosdam, & rationes formales quibus peccatum & pœna sibi inuicem correspondeant: deindè quia hæ pœnæ possunt separari, & reipsa etiam separantur in paruulis qui solius noxæ parentalis rei sunt, non autem propriæ & actualis.

5 Quæritur primò, quomodò æternitas pœnæ debita esse potest peccato, qood breuissimum fuit?

Respondeo primo, grauissimum quidem esse, vt multis expeodit Eucher. *hom.* 13. *de Epiphan.* illud Prophetæ, *Neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Chrysost. *hom.* 9. *in* 1. *ad Cor.* & alij; de ea tamen non esse dubitandum Christiano, cùm *Marc.* 9. & *Matth.* 15. dicatur supplicium æternum, vt *in tract. de Angel.* ostendimus contra Orig. Eandem enim esse hac in parte hominum & dæmonom causam, testatur ipse Christus, cùm ait *Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius*: quare reiiciendi sunt varij errores quos hoc loco referunt Aug. *cap.* 26. & 27. *de hæresib.* à Castro *verb. infernus*, & alij. Quod autem de anima Trajani D. Gregorij precibus liberata, & aliis quibusdam affertur, fusè discutitur à Sal. *disp.* 15. *sect.* 4. *tract.* 13. Bellarm. *lib.* 2. *de Purgat. cap.* 8. & aliis, dicendum est vel fabulam esse quod contendit Baron. an. Christi 604. vel propter præuisas Diui Gregorij preces nondùm fuisse damnatam, & quamvis pœnas inferni pateretur, nondùm tamen decretoriam sententiam aduersus illam pronuntiatam fuisse. Peccatum quodlibet mortale hanc pœnarum æternitatem condignè mereri varij variè probant: in qoibus tamen via acquiescit animos.

6 Primò igitur respondent peccantis affectum, æternum quodammodò esse, quia vellet peccator æternùm in suo peccato perseuerare. Ita Gregor. *lib.* 4. *dial. cap.* 44. & Cyprian. *hom. de resurrect. Christi.* Aug. *Epist.* 49. *quæst.* 4. vbi etiam de meosura qoæ non à tempore mensuranda est, plurima disputat. Et sanè omnis pœna, etiam humana est prolixior peccato, vt ostendit Franc. Lucas *in cap.* 25. *Matth. vers.* 46. vbi & æternum illum affectum peccatoris ad peccatum vrget. Verùm in plerisque non reperitur prauus ille affectus, qui aliud non cogitant quàm libidinem impræsentiarum explere, & licet aliquando reperiatur, ille tamen affectus inefficax est, neque infinitus, ac proinde ex eo capite non merebitur infinitam pœnam.

7 Secundò, sanctus Thom. *in prima secundæ, quæst.* 87. *art.* 3. & *lib.* 3. *cont. Gent. cap.* 144. rationem reddit ea eo quòd inordinatio peccati sit irreparabilis: qui enim principium ordinis tollit, peruersitatem ordinis irreparabilem admittit; id autem fit à peccatore, qui sese voluntariè ab vltimo fine, qui est primum principium ordinis, auertit: & sicut destructâ potentiâ visiuâ, non potest reparari visio: ita fine vltimo, cui per charitatem coniungebamur, peccato charitatem destruente sublato, fieri nequit vt illi iterùm vniamur, & in ordinem à quo excidimus, redeamus. Sequitur Curiel *in art.* 3 *cit.* §. 3. Valent. *disp.* 6. *quæst.* 17. *part.* 4. Franc. Lucas *loc. cit.* & alij, qui dicunt tamdiu puniri peccatum, qoamdiu non fit condigna pro eo satisfactio, & manet macula; atqui in inferis neque damnatus potest Deo pro iniuria commissa satisfacere, neque culpam abluere. Verùm quando reus non potest condignam satisfactionem, exhibet tamen eam omnem quam potest, neque liberè in suo peccato & obstinatè perseuerat, & non postulat æquitas iustitiæ, vt tamdiu ille puniatur, quamdiu damnum illatum non resarcierit, aut iniuriam ad æqualitatem non compensarit, vt patet in humanis; alioqui tamdiu torquendus esset reus donec alteri vitam ereptam restituerit. Quod autem obstinati sint damnati in peccato, id maximè prouenit, vt olim de dæmone diximus, ex subtractione gratiæ omnis actualis & immenso odio, quo Deum vindicem prosequuntur, immensâ tristitiâ & desperatione; quæ omnia supponunt iam decretam æternitatem pœnarum, cuius proinde sunt potiùs effectus, quàm occasio. Quæ eadem ratio docet frustrà recurri ad maculam perseuerantem in animo: ideo enim negat media Deus qoibus detergatur ea macula; quia peccatum meretur condignè pœnâ æternam, & posset manente maculâ condonari pœna, aut detersâ maculâ pœna infligi, neque pœna sequitur ex macula tanquam à causa, & principio quodam productiuo, sed tum macula, tum pœnæ reatus sunt duo effectus immediatè à peccato actuali promanantes, & illo intra breuissimam moram transacto, perseuerantes.

8 Tertiò volunt alij malitiam peccati esse infinitam simpliciter, mereríque pœnam infinitam simpliciter, si ea aut possibilis esset, aut à creatura sustineri posset, vnde colliguot deberi peccato mortali pœnam infinitam etiam intensiuè saltem syncathegorematicè, neque tantam infligi, quin maior, & maior infligi iure possit; Deum tamē punire citra condignum, imò infinitè minùs, quam iure posset: hoc enim corollarium admittant necesse est: probant autem hanc infinitatem ex eo quòd Deus possit iure annihilare peccatorem. Secundò Parisiens. *lib. de legib. cap.* 21. quia obligatio seruiendi Deo est infinita, cùm nunquam possit exhauriri, seu quia illud debitum est impertransibile, alioqui enim posset creatura liberari à seruitute Creatori debita. Igitur transgressio illius totius obligationis, per quam creatura reddit se impotentem ad omnia seruitia exhibenda, erit infinitè mala: quia inquantùm est in se Deum in infinitum damnificat, & in ipsum rapinam infinitam admittit.

admittit: nam & perpetuò cum seruitio etiam & infinito quoad summam defraudat, sicut qui seruitutem perpetuam, aut censum alicui debet; qui cum irreparabiliter destrueret censum non vnius tantùm anni, sed infinitorum perderet; vt fusè prosequitur hic Auctor: hanc tamen infinitatem vulgò omnes reiiciunt. Vasq. *in not ad art.* 4. *quæst.* 87. Curiel *ibid. dub.* 2. *&* 3. & 9. *parte initio*, reliqui ferè Theologi, quia, vt ait S. Thom. *art.* 4. *cit.* peccati actus omni ex parte finitus est in intentione, entitate, duratione, conatu, & obiecto ad quod conuertitur, & licet ab obiecto infinito auertatur, hinc non sumeretur nisi infinitas secundum quid, quæ etiam nulla propriè est; cùm enim obiectum se habeat tantùm extrinsecè ad actum, illi non communicat necessariò totam suam bonitatem, aut malitiam, nisi qua proportione ab eo attingitur: hæc autem attingentia semper finita est, vt patet. Rationes verò allatæ nullæ sunt, quia licet Deus possit peccatorem annihilare, si tamen eum in esse conseruet, debet eum pœnâ crimini proportionatâ punire: sic autem omnia peccata æqualem pœnam mererentur cum nullam liceat infligere vni, quæ alteri debita quoque non esset. Illa quoque obligatio, qua iure mancipij Deo obstringimur, non est infinita nisi ratione personæ, cui obstringimur, quia illud totum quod sumus ei exhibere tenemur, finitum est, & quamvis nunquam ea seruitute liberari possimus, non tamen hoc oritur ratione infinitatis, quæ sit in obligatione, sed ex infinitate Dei, cui obnoxij sumus: ille enim nunquam abdicare se potest iure quod in nos habet, & quod ipsi manet etiam post peccatum, vtitur enim peccatore ad omnia quæ lubet, & licet ab eo non accipiat spontaneum, extorquet tamen inuitum obsequium. Posset deinde damnatus nisi immensa tristitia & desperatione propter hanc ipsam æternitatem in rabiem adigeretur, obsequium illud impendere, quod in statu puræ naturæ exhibuisset.

Quartò, Lessius *lib.* 13. *de diuin. perfectio. n.* 187. admittit infinitam malitiam in peccato ratione iniuriæ, quæ ex nobilitate personæ violatæ crescit, atque ita per argumentum calculatorium, quod vrget pluribus Parisiens. *l. c.* ex infinitate Dei offensi, colligitur infinitas peccati, quod pœnâ proinde secundùm quid infinitâ, duratione scilicet meritò punitur. Atque hanc rationem vrget Chrys. *hom.* 9. *in* 1. *ad Cor.* hæc tota doctrina, quam etiam tuetur Sal. *d.* 15. *n.* 27. *tract.* 13. & alij Thomistæ 3 *p.* examinanda est. Nunc verò si admittatur, probabit quoque esse debitam pœnam infinitam peccato veniali, quod iam *alibi* veram esse diuinam iniuriam licet leuem ostendimus, vnde aliqui docent, nullam putam creaturam potuisse pro peccato veniali Deo satisfacere. Ex hac igitur calculatione, vt sæpiùs olim docuimus, habetur duntaxat, peccatum in ratione iniuriæ, habere malitiam alterius & & superioris ordinis, quàm sint iniuriæ omnes aliæ, ac proindè nullam, quamvis magnam, inferiori personæ irrogatam posse attingere, vel leuissimam ordinis superioris sub illa ratione consideratam; vnde tamen non sequitur infinitas, vt in visione beatifica, & aliis eiusmodi, quæ circa Deum immediatè versantur & diuini ordinis dicuntur, suo loco ostensum fuit.

9 Hinc itaque non redditur sufficienter ratio huius æternitatis pœnarum, sicut neque variæ congruentiæ, quas congerit Giul. Paris. *c.* 21 *de leg.* peccatû enim vulnus animæ, casus in profundum, furtum & rapina, specialis vinculis, peccantis contractus, & emptio bonorum cœlestium, emptio tormentorum infernalium, extinctio lucernæ, sequi ex vulneratione breuissima manet aliquando vulnus perpetuum, aut etiam mors, cadens in profundum diutiùs in eo remanet quam fuerit casus, plus est tempus mutilationis & suspendij furis quam furti, detentio in vinculis longior est ipsa ligatione, ius in re empta diuturnius ipsâ emptione, & lucerna longiori spatio remanet extincta, quàm fuerit eius extinctio. Vrget quoque æternitatem præmij; cur enim non sit etiam æternitas supplicij: maximè cùm mala merita omninò nostra sint, bona verò ipsius ferè Dei. Denique sicut inuenitur pura felicitas & altera mixta, ita debet pura quædam miseria reperiri; quæ omnia vnum tantùm docent, nempè proportionem pœnæ, & criminis non esse sumendam a solo tempore, vt etiam in suppliciis humanis ostendit August. *lib.* 21 *de ciu. c.* 11.

Quintò, itaque Scot. *in* 4. *d.* 47. *quæst.* 4. *art.* 3. probat, quia damnatus vsque ad terminum viæ permansit impœnitens, & illud tempus erat ei taxatum ad correctionem, seque præcipitauit in foueam, & in impotentiam euadendi, aut liberandi, nisi ab illo quem offendit, & quem suis actibus demereri non potest: quare iustissimè in ea detinetur. Cum itaque hoc vitæ spatium definierit Deus ad condignè satisfaciendum, non tenetur vltra illud vllam satisfactionem acceptare. Hæc ratio videtur admodùm probabilis, in ea tamen non planè quiescit animus: nam vel ille terminus satis patiendi pro peccato definitus est ex libero Dei arbitrio, vel ex natura rei: si primum, quærimus quam iustè eum ita definiuit: si secundum, rationem quoq; quæ hanc culpæ breuitatem æternæ pœnæ dignitatem conciliet inuestigamus: deinde quamvis, vt nuper monui, non teneatur vllam satisfactionem extra viæ terminum acceptare, difficultas manet, an idcircò possit in perpetuum punire eum, cuius satisfactionem non tenetur accipere. Ac puniat citra condignum, ita fatentur, vulgò Theologi sequuti; vt videtur Chrysostom. *hom.* 37. *in Genes.* quam sententiam ita tradit August. vt eam asserat, & à quibusdam designari à Psalmista: *Non continebat in ira sua miserationes suas. Quod quidem*, inquit, *non ideo confirmo. quia non refuto.* Vasquez tamen hanc difficilem facit *prima secunda, disput.* 2 *quæst.* 15. *num.* 29. illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* 10

Quare non apparet hoc loco aliud quam diuinæ iustitiæ æquitas, quam allatæ congruentiæ quoquo modo declarant, neque D. August. aliam huius rei causam tradit, quam ipsam Scripturæ veritatem *lib.* 21. *de ciuit. cap.* 23. *&* *cap.* 17. *ad fin.* contra varios errores, & fallas misericordias hanc æterni supplicij certitudinem pluribus adstruit; ex quibus & diuini iudicij seueritatem & peccati malitiam certò colligere possumus, licet non illam clarè perspiciamus. 11

Quæres secundò, an peccatum veniale mortali coniunctum puniatur pœnâ æternâ? Scot. *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 1. §. *in ista quæstione*, negat, quia illi peccato debetur tantùm pœna temporalis; status autem damnati, in quo ea culpa reperitur extrinsecus est, neque condignum pœnâ æternâ facere potest. Durand. *in* 4. *d.* 21. *q.* 2. distinguit: si enim peccatum veniale non fuit olim condonatum, mansitque sola pœna luenda, non æterna erit; si verò dimissum non fuit quia extra viæ terminum non dimittetur, punietur æternum, manente enim culpa manet quoque pœnæ reatus; quæ videtur S. D. sententia *prima secunda*, *q.* 8. *art.* 5. & ita Thomistæ, Valent. *quæst.* 17. *part.* 4. *disp.* 6. Vasq. *d.* 141. *c.* 2. Suar. *tom.* 4. 3. *p. d.* 11. *sect.* 1. *n.* 1. vbi etiam de peccati venialis cum solo originali vinculo; 12

&

& 1.2. *tract.* 5. *d.* 7. *sect.* 4. quamquam etiam sententiam Scoti dicat probabilem Sal. *d.* 15. *tract.* 13. *n.* 73. qui contrarium tenet, quoque non improbat Curiel. *in art.* 4. *cit. dub. vnic.* §. 2. quia in statu termini non est locus satisfactioni; ad hoc enim exigitur, vt voluntarie & in gratia quis patiatur. Ego iudicium hac in re liberum tibi relinquo, cùm neutra pars satis stabiliatur.

13 Quæres tertiò quomodò agat arcanus ille inferorum ignis, vt loquitur Tertullian. *cap.* 48. *Apol.* Lactan. *lib.* 7. *c.* 21. idem diuinus ignis vna eademque vi, atque potentia & cremabit impios, & recreabit, & quantum è corporibus absumet tantum reponet ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit, quod Poëtæ in vulturem Titij transtulerunt. Ita sine vllo reuiuiscentium corporum detrimento adurет tantùm ac sensus dolore afficiet, vt corpora damnatorum æternùm depasturus sit. Respondet Soto *in* 4. *d.* 48. *q.* 2. *art.* 2. Valent. *tom.* 4 *d.* 11. *p.* 4. Bonac. *d.* 3. *de Incarnat. q.* 5. *p.* 4. *n.* 13. quia cessante motu cœli cessabunt omnes generationes & corruptiones rerum, supponunt ad quamlibet generationem cœlum, vt causam non modò necessariam, sed etiam vniuersalem influere, & ab ea essentialiter pendere causas inferiores, quod *alibi* reiectum est. S. Thom. *lib.* 4. *contra Gent. c.* 89. quia in eo rerum statu propter omnimodam corporis ad animam subiectionem non erunt corpora humana ampliùs transmutabilia, & potentia materiæ erit quodammodò ligata, quia tamen animæ damnatorum, cum auersæ sint à Deo, non plenè sibi sua corpora subdita habebunt, ideò erunt adhuc passibilia, sed in quò sit hæc maior subiectio corporis quantum ad animam naturæ, & informationem, non apparet. Alij apud Less. *lib.* 13. *de diuin. perfect. n.* 108. dicunt, ignem non producturum calorem, sed solùm speciem intentionalem, quæ corruptiua non est. Verùm licet in qualitatibus tactilibus species intentionales, quas hac in re olim reiecimus, concederemus, nullus est qui dicat fieri hunc vehementissimum sensum, & afflictiuum sine aliqua qualitate reali, esto habeat comitantem formam intentionalem, quæ sensationem simul causet; neque enim sentitur ea species, sed per eam sentitur calor, qui proindè produci debet. Alij volunt, aliquam qualitatem in corpore damnato imprimi, qua dissolutio temperamenti corporis impediatur, quod in aliis corporibus, vt salamandra, docet contingere Aug. *lib.* 21. *de ciuit. cap.* 4. Less. *lib. cit. n.* 10. recurrit ad peculiarem Dei influxum non positiuum, sed potiùs negatiuum, quo impediat ne calor, qui vim habet extenuandi & dissipandi humorem rebus insitum, hunc effectum in illa corpora habeat: addendus tamen videtur alius quoque influxus, quo conseruet in suo esse vitali corpora, seu vitam in ipsis, quæ solius doloris vehementia extingui solet. Vt igitur vehementissimus calor febrilis aliquandiù cohæret cum calore vitali, humido primigenio, & aliis qualitatibus ad vitam necessariis; ita intentissimus ignis infernalis ardor æternùm diuina virtute cum iisdem qualitatibus vitam conseruantibus stabit. August. *lib.* 21. *de Ciuit. c.* 3. ad connexionem animæ cum corpore recurrit, quia nec corpora ista mortalia, & vtique moritura, nec omnis dolor occidit, tunc autem tali corpori anima ex eo connectetur modo, vt illud vinculum sicut nullâ temporis longitudine soluitur, ita nullo dolore rumpatur. Deinde ostendit aliquid esse immortale & doloris patiens, v. g. animam ad quam magis quàm ad carnem pertinet dolor: caro enim inanima nec sentit, nec dolet.

14 Quæres quartò, an vnos puniatur pro peccato alterius. Ita affirmandum videtur ex illo Exod. c. 20. *Ego Deus zelotes visitans peccata patrum in filios.* & sæpè iussit Deus, omnes occidi indifferenter, nullo ætatis, sexus, aut iustitiæ, vel impietatis discrimine, atque hanc puniendi rationem in Deo pluribus prosequitur Aug. *lib.* 6. *contra Iulian. c.* 8. Gregor. *lib.* 15. *moral. c.* 34. Et sane filij sunt aliquid parentum, & ciues vnius eiusdemque ciuitatis partes: quare pœnam vnius in alium deriuari nihil prohibet.

Alij negant vllum puniri ob alienam culpam, quia Ezechiel. 18. habetur: *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*, Ierem. 31. *Vnusquisque in iniquitate sua morietur.* Conciliantur hæ sententiæ: primò quia nullus punitur qui non peccauerit, neque maiori pœnâ quam exigat eius culpa, licet in ea pœna infligenda Deus respiciat aliena peccata, quæ Deus erat dissimulaturus, & in aliud tempus dilaturus, nisi peccatum alterius, vt patris, Principis, domini alterius Ciuis accessisset: & ea de causa sæpiùs plectuntur filij, etiam patre non superstite, qui proinde hunc dolorem haurire non potest. Ita Suar. *d.* 7. *sect.* 1. *n.* 10. 1.2. S. Thom. *q.* 87. *art.* 8. & ibi Curiel. *dub.* 1. pœnam vt pœna est, nulli infligi, nisi pro proprio peccato: vt autem medicinalis est, aliamque quamcumque vtilitatē patienti affert, etiam pro alieno peccato inferri. Itaque pœna filij parenti pœna est aliquando, & filio medicina; vnde colligit S. D. pœnas spirituales, cùm medicinales non sint ex sua natura, nunquam infligi pro alieno peccato, sed proprio tantùm: Curiel. autem *dub.* 2. colligit non puniri iudicio humano vllum pro alterius peccato, etsi enim aliquandò filij extorres, & infames crimine patris reddantur, omniquè facultate priuentur, ea pœna primò cadit in parentem reum, qui cùm bonis omnibus, patria, & fama spolietur, ea bona quibus iam caret non potest in filios deriuare. Quare dixit S. Thom. 2.2. *q.* 108. *art.* 4 *ad* 2. filios puniri pro crimine parentum in bonis, in quibus à parentibus dependent, & deinde cùm filij sint aliquid patris, grauissimum illis est ita puniri, vt expendit Isidorus Pelusiot. *lib.* 2. *Ep.* 81.

Quæres vltimò an peccatum mereatur annihilatio- 15
nem, meliúsque sit non esse, quàm peccatorem esse?

Respondeo duplicem hoc loco institui posse comparationem inter non esse, & peccatorem esse. Prima est ratione culpæ, quæ cum non esse confertur, & vtrùm eligendum sit, quæritur. Secunda est ratione summæ miseriæ quam tandem incurrit peccator maximè damnatus, & vtrùm optabilius sit non esse, quàm ita miserum in summis & æternis cruciatibus esse: vtramque enim hanc comparationem patiuntur verba Christi de Iuda proditore Matth. 26. vers. 24. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*; tum ratione culpæ, quam admisit, tum ratione pœnæ æternæ, quam incurret.

Et quoad primam comparationem non esse præ- 16
ponendum esse, culpæ mortali fatentur communiter omnes. Durand. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 5. Richard. *quæst.* 56. *art.* 4. *quæst.* 2. Scot. *ibid. q.* 2. *lit. E.* Bassol. *q.* 1. *art.* 2. Dionys. Carth. *q. etiam* 1. *sub fin.* Henr. Gandauens. *quodl.* 1. *q.* 20. fusè, Capr. *in* 4 *d* 17. *q.* 1. Salas *d.* 15. *tr.* 13. *n.* 53. Pineda *in c.* 4. *Eccl. v.* 4. & alij omnes vno ferè Rubion. excepto *in* 4. *d.* 50. *q.* 1. *con.* 2. Atque è Patrib. Nyssen. *orat. de iis qui præmaturè abripiuntur*, & Anselm. *lib.* 1. *Cur Deus homo. c.* 21. Probat Henr. quia non esse, minùs fugibile est, quàm peccatum, cum illud sit tota corruptio entis naturalis; istud autem corruptio entis diuini, videlicet gratiæ, quo toto se priuat peccator, fitque nihilum quoddam & deficit à summo esse, vt ostendit Aug. *lib. de vera religione*,

cap. 11. *Deficiens enim ab eo cuius essentia fruebatur, vergit ad nihilum.* Et Hieron. tradit *in cap.* 23. Genes. circa nomen Ephronis, & *tract. in c.* 20. Reg. circa nomen Abisaï & *in tract. cap.* 17. Genes. impiorum nomina imminuta referri, sicut è contra Abrahæ & Saræ aucta sunt vno elemento: Ephronæ enim postquam pretio victus est, vt sepulchrum venderet argento licet cogente Abraham, Vau, littera, quæ apud ipsos pro *O* legitur, ablata de eius nomine est, & appellatus est Ephrana significante scriptura non eum fuisse perfectæ consummatæq; virtutis & Abraham vocatus Abraham & Sarai, Saraa, quia pro *Iod*, additum est ה addita cuilibet vna littera ex non tetragrammaton. Abisaï post necem Abner, cuius fuerat conscius, dictus est Abisa: & *in* 1. *Paralip.* Dauid cùm prius dictus esset interfecisse vno impetu 800. deinde dictus est interfecisse tantùm 300. ob peccatum interiectum, eleganter omnino Boët. *lib.* 4. *de consol. prosa* 2. ait: *Scientes volentésque bonum deserunt, & ad vitia deflectunt, sed hoc modo non solùm potentes esse, sed omninò esse desinunt: nam qui communem omnium, quæ sunt, finem relinquunt, pariter quoque esse desistunt, quod quidem cuipiam mirum fortè videatur, vt malos qui plures hominum sunt eosdem non esse dicamus. Sed ita se res habet: nam qui malè sunt eos malos esse non abnuo, sed eosdem esse purè, atque simpliciter nego. Nam vti cadauer hominis mortuum esse dixeris, simpliciter verò hominem appellare non possis; ita vitiosos malos quidem esse concesserim, sed esse absolutè nequeam confiteri: est enim quod ordinem retinet, seruátque naturam: quod verò ab hac deficit, esse etiam quod in sua natura situm est, derelinquit,* &c. Scot. verò quia quoties duæ regulæ concurrunt & diuersas obligationes indicunt, si altera sit violanda, inferior violanda est, committitur peccatum, violatur suprema regula Dei prohibentis: quando autem appetitur non esse, violatur tantà inclinatio naturalis ad esse, quæ inferior est regula diuinæ voluntatis. Vnde sequitur nunquàm licitum esse peccatum, licèt permissum sit appetere non esse: neque enim per eam volitionem non essendi, diuinam legem tunc infringimus; atque hæc ratio probat etiam culpam venialem in ratione culpæ, malus quoddam malum esse, magisque fugibile, & minùs eligibile, vt loquitur Henr. quàm ipsum non esse. Rectè tamen aduertit Durand. *suprà* citatus nunquàm contingere vt teneamur eligere non esse simpliciter, ne peccemus, cùm ad vitandum peccatum alia suppetant media, & ad summum sufficiat non esse secundùm quid; quod per mortem, & vitæ extinctionem incurritus, neque opus est annihilatione. Quandónam verò obliget lex tum diuina, tum humana cum vitæ dispendiò, dictum est *alibi*: sufficit eam necessitatem aliquando ingruere; quod pluribus ex ipso Philosopho docet Henric. *q. citata.*

17 Sequitur secundò verba Christi, quibus ait fuisse melius Iudæ non nasci, quàm proditorem esse, intelligi commodè possunt cum Henr. de peccato proditionis, quod maius malum erat, quàm non esse Iudæ.

Sequitur tertiò peccatum annihilationem mereri; quod concedit Caietan. *in art.* 4. *quæst.* 87. & Suar. *d.* 7. *sect.* 3. *n.* 16. & apertè innuit S. Thom. *illo art. ad* 1. cùm ait non conuenire diuinæ iustitiæ redigere in nihilum peccatorem, quia annihilatio repugnat perpetuitati pœnæ, quam postulat diuina iustitia: licèt tamen plectere placeret peccatorem, non puniset vltra condignum; quod ex iustitia humana quæ hominem in quantum potest annihilat, patet, dum & in cinerem redigit, & in ventos deinde dispergit, ostendit Caietan. Sequitur autem ex dictis hoc corollarium; si enim maius malum est peccatum, quo homo se toto ente spirituali & supernaturali priuat, fitque nihilum, vt docui, meretur etiam vt esse totum naturale amittat.

Quod ad alteram comparationem attinet inter 18 non esse, & esse pœnale, seu miserum, Aug. *lib.* 3. *de liber. arbitr. c.* 6. 7. *&* 8. eam diligenter versat, & pluribus contendit, melius esse miserum esse, quàm omninò non esse: quia quod non est, melius esse non potest. Augustinum sequuntur Henr. *quodl.* 1. *q.* 20. Durand. *in* 4. *d.* 50. *q.* 2. si agatur de voluntate, vt natura est: desiderium enim omne naturale tendit ad esse, & de voluntate deliberatiua rectam rationem sequente, secundùm quam magis eligibile est miserum esse quàm non esse: voluntate verò falso iudicio decepta præeligitur non esse; qui error duplex est: primus, quo sibi persuadent miseri relinquendo istud esse, habituros se quoddam aliud esse occultum, in quo nec miserias, nec bona huius mundi habebunt; ideò enim vrgente miseria aliqui se interimunt (inquit Aug.) quia confugiunt, vbi meliùs fore putauerunt. Alter error prouenit ex perturbatione mentis, quam immensa tormenta, & ingens tristitia ita obnubilant, vt sibi facilè persuadeat non esse, melius esse, quàm miserum esse, quod falsum esse, statim ostendetur. Eandem distinctionem voluntatis, vt natura, & vt deliberatiua est sequitúrque iudicium verum, aut erroneum, quamuiam attigerat Augostinus, vtitur Bonac. *in* 4. *d.* 50. *art.* 1. *q.* 2. qui tamen addit secundùm appetitum fugitiuum incommodi appetibilius esse non esse, Scot. *ibid. q.* 2. *lit. B.* ideò negat non posse appeti non esse, ad fugiendam pœnam, quia illa iusta est. Verùm rectè obiicit Dionys. Carth. d. q. 1. iusta supplicia appeti non esse, & non inferri quatenùs afflictiua sunt & nociua naturæ, ac appetitui, proindè naturali contraria, non verò quatenùs iusta sunt. Quod vnum videtur negase Scot. & proindè prius illud simpliciter concedere, videlicet non esse meliùs esse, quàm miserum esse abstrahendo ab æquitate illius miseriæ: apertè verò tradunt hanc sententiam Pineda *in c.* 4. *Eccl. v.* 4. Salmeron. Maldonat. qui illud Christi *Matth.* 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, dicunt esse modum loquendi prouerbialem, & hyperbolicum, & indicare quid futurum sit in inferis præ damnatorum desperatione, non autem quid fieri iure deberet. Ratio vnica est: quia miseria, seu esse miserum, est tantùm carentia seu corruptio alicuius boni; atqui non esse tollit omne omninò bonum, & fundamentum eius præterea subruit, vnde fit vt non esse sit maius malum, quàm miserum esse: eò enim maior est miseria, quò magis tollitur de bono, quod funditus exscinditur per non esse: qui enim non est, nullum bonum neque habet, neque habere potest; qui autem miser est, aliquod bonum habet, ipsum videlicet esse, quod est prima participatio diuinæ essentiæ, bonitatis, & perfectionis. Neque dicas in non esse reperiri carentiam mali, quæ bonum quoddam est, ac proindè etiam in non esse rationem quoque boni cuiusdam, si cum misero esse componatur, reperiri: nam in hac comparatione vnum extremum est complexum quoddam ex esse & pœna, alterum extremum est complexum ex non ente, & carentia pœnæ, ex quibus primum complexum continet bonum quoddam summum, totiúsque boni fundamentum, ac summi boni participationem, vt enim sæpè *l.* 1. *c.* 7. inculcat Aug. *Intantùm boni sumus, inquantùm sumus, & intantùm miseri sumus inquantùm non propinquamus ei quod summum est*; continet præterea malum quoddam, videlicet pœnam. Alterum autem complexũ continet quidem carentiam pœnæ,

quæ

quæ bonum quoddam & appetibile est; sed præterea continet carentiam esse, quæ est summum malum, cùm sit totius boni positiui priuatio ac proindè maius quàm sit pœna, quæ eo ipso quòd est summum malum non est, eùm habeat aliquod bonum. Addit Aug. *cap.* 8. eum, qui rectè eligit eùm ad id peruenerit quod appetit, meliorem fore, melior autem esse non poterit, qui non erit. Denique, nihil, non potest esse aut appetibile, aut electionis obiectum: qui autem eligit non esse, profectò se nihil eligere, etsi hoc nolit respondere, conuincitur. Contraria tamen sententia est S.Thom. *in* 4. *d. illa* 50. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. Richar. *ibid. art.* 4. *quæst.* 2. Petr. à Tarentaf. *apud Carthus.* *q.* 1. qui *sub fin.* idem quoque docet, Soto *ib. q. vnic.* *art.* 3. *conc.* 3. & vulgò S.Thom. discipuli Caiet. *art.* 4. *ad* 1. *quæst.* 87. *a.* 4. Med. 1.2. *q.* 83. *art.* 1. Salas *tract.* 13. *d.* 13. *n.* 55. Suar. *d.* 7. *sect.* 3. *n.* 16. atque è Patribus Hieron. in illud Matth. 26. *cit.* Bern. *serm.* 31. *in Cant.* & alij quos refert Barrad. *lib.* 2. *c.* 11 *tom.* 4. & Valtherus *de duplici cœna, cœna* 2. *cap.* 18. Ratio est, quia licet non esse absolutum, sit malum, & contra appetitum naturalem, vt tamen est carentia miseriæ, seo remedium ad eam, apprehenditur vt aliquid melius, vt eaponit S.Thom. addítque optimè Carthus. quamvis appetitus naturalis sit ad esse, non tamen ad miserum esse summísque & æternis cruciatibus plenum, atque vt monebat Bona. hic consideramus tantùm grauitatem pœnæ & nocumentum, seu potiùs sensum & afflictionem; quæ omnia supponunt quidem esse, & vt terribiliora appetuntur ipso non esse, quod vt carentiam tantùm eiusmodi sensationis dolorosæ apprehendit ratio, & eligit voluntas. Atque ita satisfit rationibus contrariis, quæ tantùm euincunt, hæc extrema secundùm se considerata & absolutè sumpta se habere cum quodam mutuo excessu, & physicè loquendo melius esse qualecumque esse, quàm non esse; moraliter tamen & cum respectu ad nocumentum quod inferunt, melius esse non esse, quàm summè miserum esse, atque ita non eligitur simpliciter nihil, sed carentia mali, quæ aliquid negatiuum est, 11 loquitur.

De hoc non esse an possit appeti, & quando sit bonum cum misero esse collatum, & reiectis illis qui dicunt Christum asseruisse Iudæ melius futurum non nasci, non autem non esse simpliciter, vti Victor. *relect. de homicidio n.* 22.

PRINCIPIVM XIII.

Dari peccatum originale, purulentum omnium aliorum fontem.

SOLEMNIS est inter Theologos peccati in actuale & originale diuisio, prius illud nostris actibus contrahitur, latiùs paulò nomine actûs accepto pro eo omni quod à voluntate liberè pendet, siue sit actio positiua, siue eius omissio: nam in eiusmodi etiam actionum negationibus reperiri exercitium potentiæ liberæ, quod aliis potentiis non conuenit, quæ dum cessant ab actione, non dicuntur suam vim exercere, olim monuimus. Hoc peccatum propriis actionibus patrum vocat Paris. *lib. de vit. c.* 1. peccatum acquisitionis, & ostium conquisitum pessimum. Peccatum originale à parentibus traducitur, vt ipsum nomen sonat, & aliena voluntate incurritur, quod Paris. *ibid.* appellat *hereditatem malam*. Augustin. sæpius paternalem noxam, & *lib.* 1. *in Iulian.* vitium naturæ, Chrys. *hom.* 4. *in primam ad Cor.* Peccatum radicale, Marcus Erem. *tract. de pænitentia* peccatum transgressionis, de quo diuisionis membro priori iam fusè explicato hanc postremam disputationem instituimus.

QVÆSTIO I.

An existat peccatum originale?

ASsertio catholica est, omnes homines peccatum ipsa sua origine contrahere. Ita definiuit Concil. Mileuitan. ab Innocentio confirmatum, cuius adhuc epistola superest *Can.* 2. Palæstin. 14. Episcoporum quod hanc in rem coactum. Aug. *lib.* 4. *in Iulian. c.* 1. dicit Carthag. à 17. Episcoporum à Zozimo Pontifice approbatum: eius epistolam recitat Aug. *epist.* 157. *ad Optatum.* Toletan. VI. *Can.* 1. & 11. Arausican. II. *Can.* 2. Florentinum in Litteris vnionis, decedentes in solo originali peccato in infernum descendere, ait, sed disparibus pœnis puniendos ab iis, qui peccata actualia addiderunt. Deique Tridentin. *sess.* 5. *decretal. de peccato originali, can.* 2. definit Adæ præuaricationem non illi soli, sed toti propagini nocuisse, & non modò mortem & pœnas corporis in humanum genus transfudisse, sed etiam peccatum: & *Can.* 3. hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, non solâ imitatione, sed propagatione transfundi, & solius Christi meritis ac sanguine expiari. Vnde *Can.* 4. colligit etiam infantes indigere baptismate quo verè peccatum ipsorum expietur, vt videas quàm meritò iam olim Aug. dixerit *lib. de peccato originali, cap.* 24. *In causa duorum hominum, quorum per vnum venundati sumus, sub peccato, per alterum redimimur à peccato: per vnum præcipitati sumus in mortem: per alterum liberamur ad vitam; quoniam nos ille in se perdidit faciendo voluntatem suam non eius, à quo factus est, iste nos saluos fecit non faciendo voluntatem suam sed eius à quo missus est. In horum ergo duorum hominum causa propriè fides Christiana consistit.* In eandem iuere sententiam vnanimi consensu Patres omnes tum August. posteriores, tum antiquiores, quos ille recenset *lib.* 1. *in Iulian.* vbi & à calumnia liberat Chrysostomum, quem in suas partes trahebant Pelagiani, eò quòd *hom.* 10. *in Epistolam ad Romanos* dicat, Adami lapsu omnes constitutos esse mortales, neque per vnius inobedientiam alios constitui posse peccatores. Quare ea voce designari solum supplicio obnoxios; quo sensu potest quis constitui peccator per alterius culpam, & *hom.* 7. *in* 2. *ad Cor.* negat, nos perire propter Adami peccatum; aliàque nos admisisse, & *hom.* 39. id probat, quia neque iusti moriuntur in Adamo, neque in Christo viuificantur reprobi, quare tum Adami peccatum, tum Christi iustitia in posteros propagata, de corporea morte, & vita intelligi debent. Denique *homilia ad Neophit.* ait baptisari infantes, licèt non sint peccato inquinati, quia baptismus non confertur propter solam remissionem peccatorum, sed ob alias vtilitates, quas ille decem eo loco numerat. Verùm absit, vt ait Aug. *ve Constantin. Ioannes tot & tantis Coepiscopis suis resistat.* Et sanè alibi disertis verbis doctrinam catholicam tradidit, quæ adducit Aug. vt *illa hom ad Neoph. Venit semel Christus: inuenit nostrum chirographum paternum quod scripsit Adam, ille initium induxit debiti, nos fænus auximus posterioribus peccatis.* vbi expendit Aug. non dixisse, Chrysostomum paternum chyrographum, sed addidisse nostrum, vt sciremus antequam

fœnus

fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus, iam illius chyrographi paterni ad nos debitum pertinere. Falsò verò Iulian. verba Chrysostomi allegans eiusdem homil. retulerat, infantes etsi nullo coïnquinatos peccato, tamen baptizari, cùm id non habeat textus Chrys. sed solùm baptizari paruulos, quamvis peccata non habeant, quæ ipsi nempè suis actibus contraxerint. Quod verò addit solùm effectum baptismi non esse remissionem peccatorum, confutat eos, qui nullam infundi gratiam in baptismo existimabant, sed solùm remitti peccata per extrinsecam quandam condonationem, vti inter homines collatæ iniuriæ, & offensæ dimittuntur; cuius contrarium efficaciter ostendit Chrys. ex infantium lauacro in quibus potiùs est macula, quæ dono aliquo sanctificante abstergi debeat, quàm offensa, aut iniuria qua illi Deum violarint, & quæ ea tantùm condonatione externâ indigeat: vndè addit præter peccatorum remissionem, conferri in baptismo sanctitatem & iustitiam. *Hom. autem* 10. *ad Roma. allata* dixit quidem, mortem ab Adamo in nos pertransisse, peccatum tamen non negauit etiam transfundi: immò id indicauit cùm mortem supplicium dixit, sic enim etiamen supponit, & absurdum tantùm reputat vnius inobedientia alterum inobedientem actu constitui, quâ etiam ratione non simus peccato Adami peccatores, sed solùm per modum habitûs, vti *quæst. seq.* dicetur. Secundò, loco allato ostendit *ex hom.* 12. *in* 1. *ad Cor.* frustrà in Adamum damnationis causam reiici, cùm nos etiam plurima committamus, ob quæ damnamur, alloquitúrque Christianos, quibus iam ex Adami noxa contracta dimissa fuerat. *Hom. autem* 39. docet ea Apostoli verba, *in Adam omnes moriuntur*, de corpore corporis, non animæ intelligenda esse. Denique aduertendum est cum Aug. scripsisse Chrys. ante exortam hæresim Pelagianam peccatum hoc negantem, ac proindè liberius loquutum fuisse. Adducunt etiam aliqui Clem. Alexand. 3. *stromat.* sed eius verba continent obiectionem Iulij Cassiani, aliorúmque, qui ea de causa generationem vti malum damnabant, eo quòd nequidem infans vnius diei mundus sit à sorde. Ambros. *in cap.* 5. *ad Roman.* obiici etiam solet, sed ea commentaria Ambrosij non sunt, cuius Catholicam sententiam fecit testatissimam Aug. *lib.* 1. *in Iulian. cap.* 2. *cit.* neque etiam eo loco allato aliud ait quàm propter peccatum Adæ non pati vllum gehennam ignis; quod verissimum esse constabit *inferius*, reiicio commentarios *in Psalm.* 80. Arnobio attributos, quare licet aliqua duriora habeat *in Psal.* 50. non multùm laboro, & tamen tantùm negat peccatum actuale paruulis.

2 Huic tam catholico, & constanti dogmati contrarium errorem docuit Pelagius, Adami nempe delictum illi soli nocuisse non posteris qui moriuntur ex debito naturæ, moriturique erant Adamo non peccante, sicut & ipsum Adamum. In Synodo tamen Palæstina palinodiam cecinit Pelagius, & perculit dito anathemate, qui dicerent Adami peccatum non nocuisse posteris, & tales nasci infantes, qualis erat ante lapsum Adamus; sed deinde suam mentem discipulis ita exposuit, vt diceret Adami culpam nocuisse posteris exemplo, & imitatione, qua non propagatione transfusum fuerit peccatum, & infantes non esse in eo statu, quo Adamus ante lapsum, quia ille erat liberi arbitrij, & peccati capax, illi incapaces. Ita refert Aug. *lib. de peccato orig. c.* 15. discipuli deinde Pelagij, vt magistri errorem mollirent, nocuisse quidem Adami culpam fatentur, quia hinc mors & reliquæ pœnæ in genus humanum deriuatæ, indè nos nasci mortales, quem errorem recenset Aug. *lib.* 4. *contra duas Epistolas Pelagian. cap.* 2. *&* 4. cúmque è Nouatoribus docuisse Iacobum Fabrum, & Erasmum pluribus demonstrat Bellarm. *l.* 4 *de statu peccati, c.* 2. sicut & priorem illum ab Anabaptistis.

Plurima vtriusque sacræ Paginæ loca veritatem Catholicam PP. persuaserunt, sed maximè Paul. *cap.* 5. *ad Roman. vers.* 12. *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*: quæ verba tum Conc. Mileuit. & Trident. tum sæpissimè Aug. *lib.* 1. *de peccatorum merit. à cap.* 9. *lib.* 4. *contra duas Epistolas Pelagian. à c.* 4. *lib.* 6. *contra Iulian. c.* 12. *serm.* 14. *de verb. Domini*, atque *alibi* passim, tum PP. Denique omnes tanquam præcipuum dogmatis christiani fundamentum, adducunt vt Pelagianorum, & Nouantium distortæ expositiones explodantur, & vt vetus Ecclesiæ totius sensus robur retineat, placet paulò diligentiùs totam huius *capitis* 5. posteriorem partem expendere; si enim ex Pauli verbis elicuerim per vnum hominis, peccatum aliquod omnes homines peruasisse, mortique obnoxios reddidisse, & verè peccatores constituisse, cum eiusmodi peccatum non possit esse propriâ singulorum actione commissum, cùm eo etiam infantes inficiantur, eiúsque pœnâ, morte videlicet, ante propriam culpam commissam puniantur, sequetur necessariò peccatum eiusmodi originale esse, seu propagatione transfundi. Ait igitur Apostolus, *propterea sicut per vnum hominem*, vbi particula *propterea*, quæ sequentia cum superioribus connectit, aduertenda est. Docuerat Paul. *ad finem cap. superioris*, iustitiam non ex operibus legis, sed ex fide esse, non qualiber, sed ex ea, qua tum Deum, tum Christum pro delictis mortuum esse, & resurrexisse confitemur. Vnde *hoc capite* pergit ostendere quid à Christo habeamus, & qua ratione per gratiam eius accessum ad iustitiam, atque vbi aliqua de morte eius docuit concludit, nos in Deo gloriari iure posse per Christum, per quem reconciliationem accepimus: vnde deducit: *Propterea sicut per vnum hominem peccatum, hinc factum est vt sicut per vnum hominem mors & peccatum in mundum intrarunt; ita per vnum quoque hominem repelluntur.* Infert enim ex antecedentibus de reconciliatione per Christum facta, hanc similitudinem inter mundi euersionem & reparationem: vtraque enim ab vno homine facta est, prior ab Adamo, posterior à Christo: non reddit autem alteram similitudinis partem statim Paul. sed suo more hyperbato interrumpit, eam deinde indicat, cùm ait, Adamum formam esse futuri: & tandem apertè expressit vers. 18. *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem.* Itaque propterea, διὰ τοῦτο significat, propter quod nempè sumus reconciliati, *sicut per vnum hominem peccatum pertransiit in omnes homines: ita cum iustitia.* Ait itaque Paulus per vnum hominem intrasse peccatum & mortem in mundum, quia Adamus antequàm peccaret immortalis erat & iustitia prædiuus: vbi verò peccauit, mortalis factus est, eiúsque posteri: mors enim in eo non stetit, sed in omnes pertransiit per peccatum, vt particula, *& ita*, id est, hoc modo per peccatum, satis indicat, & clariùs verba sequentia, *in quo omnes peccauerunt*, in omnes videlicet mors pertransiit, quia peccatum Adæ in omnes quoque pertransiit, & illius morte facti sumus mortales, quia eius peccato constituti sumus peccatores. Hæc verba quæ peccatum Adami in posteros transfusum tradunt, variè detorquent aduersarij. 3

Primò quidem fatentur Adami peccatum ad posteros peruenisse solùm imitatione, non propagatione, 4

tione : & idcircò Erasmus reddit quatenùs, inquantum, eo quòd quia Græcè legimt ἐφ᾽ ᾧ, non, ἐν ᾧ & superiùs particulam, *per vnum hominem*, reddiderat, *propter vnum hominem* : sed ineptit hic Grammaticulus : nam Græci omnes Interpretes in ea lingua æquè versati, atque Erasmus, constanter habent, in quo, in eúmque sensum exponont, quos sequuti sunt omnes Latini. Ita vt cum Iulianus Pelagianus eandem versionem protulisset, responderit Aug. *lib. 6. contra ipsum. cap. 12. Frustrà aliu n sensum nouum, atque distortum, & à vero abhorrentem moliris exsculpere* : affirmans ea locutione dictum esse, *in quo omnes peccauerunt*, ac si diceretur, *propter quod omnes peccauerunt* : & in sua etiam grammatica errat Erasmu., cùm ἐπὶ negat significare *in* : nam ipsemet reliquos omnes Interpretes sequutus *ad Heb. 9.* reddit, ἐπὶ βρώμασι *in bicis*, & ἐπὶ νεκροῖς *in mortuus* : superior etiam particula διὰ τοῦ, debuit reddi, *per*, eum genitiuo iungatur, non *propter*, neque multùm Erasm. firmat Pelagianam expositionem de peccato imitatorio, vt loquitur Aug. vertendu *quatenùs*, aut *eò quod* : nam non potest in omnes pertransisse mors, in ipsósque proindè quatenùs peccauerunt : nisi quia peccato originali infecti sunt, & quamvis Theodoret. Erasmo præiuisse videatur, non debuit reliquis omnibus ille vnus præferri : iam verò quod de imitatione asserebat Pelagius, reiicit Aug. pluribus *lib. 1. de peccatorum remissione à cap. 9. lib. 6. in Iulian. cap. 12. Epistola 89. ad Hila. q. 3.* primò quia potius Diabolus, qui primus peccauit, peccatum imitatione transfudisse dicendus esset : quod si de humano genere sit sermo, debuisset proposuisse Euam, quæ prior peccauit, quod voloit Pseudo-Ambros. *in Com.* contra apertam Pauli sententiam, Adamum eum Christo comparantis *vers. 14. & 18.* neq; de Eua loquentis vnquam. Ex qua comparatione Christi & Adami argumentatur 2. Aug. sicut enim à Christo non transfunditur in nos iustitia etiam per solam imitationem, sed per regenerationem : ita neque ab Adamo peccatum nisi per propagationem : ergo ineptè Paul. *vers. 15.* gratiam præferret peccato, quòd gratia in multis delictis sit, id est à multis liberet ; peccatum vnum fuerit in condemnationem : nam delicta quæ contrahimus ab Adamo imitatione plura sunt. Est igitur vnum aliquod commune omnibus, à quo sit iudicium & condemnatio, cuius meminit Paul. Quartò cùm infantes moriantur, & in eos per peccatum mors transierit, quomodò imitatione peccatum Adami participant ? Imperitè autem Erasmus legit peruasit, non pertransiit, quia διῆλθεν pertransire significat.

5 Secundò illud, *in quo peccauerunt*, explicaui vt relatiuum, quo referat mortem ; non potest enim peccatum appellare quod Græcè dicitur ἁμαρτία : quare cùm ad peccatum retulisset Augustinus *lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 10.* illud deinde *l. 4. contra Epistolas Pelagian. c. 4.* retractauit, propter vocem Græcam fœminim generis, vt dixi ; quod incommodum non est in voce θάνατος, vt appater, sensúsque erit, in morte Adami omnes peccasse, quia mortem, & alias vitæ miserias inde hauserunt. Verùm quis non videt detorqueri Pauli mentem ? vt enim ait Augustinus *lib. 4. contra duas Epistolas Pelagian. c. 4.* in peccato moriuntur omnes, non in morte peccant : nam peccato præcedente mors sequitur, non morte præcedente peccatum : aculeus quippe mortis est peccatum, id est aculeus, cuius pũctione fit mors, nõ aculeus, quo pungit mors. Vnde relinquitur vt, *in quo omnes peccauerunt*, significet in quo homine, scilicet Adamo, ac proindè ab eo in omnes peccatum aliquod transfundi, quod omnibus causa mortis fuerit. Neque nisi ineptè Zuinglius sequutus Cœlest. nomine peccati intelligit eius effectus, & pœnam, scilicet mortem : cùm enim dicitur peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, sensus esset, *mors intrauit, & per mortem mors* ; & denique licèt aliquandò pœna peccati ipso nomine peccati vocetur, nunquam tamen peccare significat subire supplicium & pœnam peccati.

Pergit deinde Paul. peccati & mortis progressum in omnes & per omnes ætates exponere, atque confirmare, quòd dixerat omnes mori propter peccatum in Adamo contractum, & non propter actualia & propria, cùm ait : *Vsque ad legem enim erat peccatum in mundo, peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset ; sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Sensus est, peccatum fuit in mundo etiam ante datam legem Mosi, quis enim hoc neget ? hoc autem peccatum non imputabatur ad pœnam temporalem, cùm nondùm lex esset quæ pœnas peccatis præfigere solet : non potuit ergo propter illa peccata actualia infligi illa pœna mortis. Igitur regnauit mors ab Adamo vsque ad Mosem, non propter actualia peccata, in ipsos infantes qui præuaricati non sunt in similitudinem Adæ, peccato actuali illum imitantes, aut si tollatur particula *non*, quæ tollebatur in aliquibus Latinis codicibus, vt ait Augustinus *lib. 1. de peccator. meritis, & remiss. cap. 15.* licet omnes Græci eam negationem haberent : idem tamen sensus erit regnasse ab Adamo ad Mosem vsque, mortem in omnes ; quia nascebantur similes Adæ præuaricatori. Cùm enim nondùm lata fuisset lex, ab illa infligi non poterat hoc supplicium propter actualia peccata. Addit Adamum formam futuri fuisse, Christi scilicet, inter quos instituit comparationẽ in contrapositione quadam : quod enim vnus perdidit, alter restaurauit, sed excellentiori quadam ratione, vnde ait : *Sed non sicut delictum, ita & donum*, quia abundantior fuit reparatio in bono, quàm ruina in malo, delictum autem vocat παράπτωμα quasi casum, quo se etiã & nos in ruinã impulit : donum autem χάρισμα *Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donũ vnius hominis in gratia Iesu Christi in plures abũdauit* ; id est maius bonum effecit gratia Christi in multis quam fuerit malum illis propter damnum illatum : neque enim significat Paul. plures fuisse per Christum iustificatos, quàm per Adamum perditos, vti Pelagiani exponebant, vt indè ostenderent omnes in Adamo non peccasse, sicut neque omnes in Christo restauratos esse, sed *multi* significat, omnes, *vt multi sunt vocati* ; vox autem *plures* absolutè, & non comparatè sumi debet, cùm non habeat textus Græcus πλείονας, sed πολλούς. Pergit deindè ostendere dissimilitudinem inter donum, & peccatum, seu gratiam Christi, & Adæ crimen ; quia vno peccato multos infecit Adamus, & Christus non solùm ab illo, sed etiam ab omnibus aliis liberat. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis, in iustificationem ; & à *versu 16. ad 20.* vbi ait : *Lex autem sub intrauit, vt abundaret delictum*, vt doceat regnum peccati & mortis, quod ab Adamo ad Mosem vigoerat, non fuisse per legem coercitum, cùm illa tantùm subintrarit, id est obiter intrarit ; permansura enim non erat, & post eam abundarit delictum. Nam particola, *vt*, non significat causam finalem, sed solùm euentum, & rei consecutionem, quia non data est lex in eum finem, vt abundaret peccatum, & mors ; illud tamen accidit, cumulatis enim præceptis maior facta est transgressio : debilitati enim erant homines, Adæ lapsu, noua imposita sunt præcepta, neque lex ea indicens,

dicens, gratiam ad eorum obseruantiam maiorem conferebat, vnde non minuit, sed auxit peccatum: sed illud omne destruxit gratia Christi, quæ eò vberior fuit, quò abundantius erat delictum, vbi autem abundauit delictum, superabundauit etiam gratia. Liquet igitur ex toto Pauli discursu ex efficacitate gratiæ, quam exponit, atque Christi & Adami antithesi, quam instituit, & repetiit eodem planè sensu 1. *ad Cor. cap.* 5. ab Adamo in totam naturam humanam transfusum aliquod peccatum, quod causa mortis sit, quod infantes ipsos peccatores constituat, quódque à Christo deletum fuerit.

7 Non placet reliqua Scripturæ loca persequi, vt illud *ad Ephes.* 2. *Eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri*, quem locum vt deprauaret Iulian. Pelagian. pro natura reddebat *prorsùs*, vt illi obiicit Augustinus *lib.* 6. *cap.* 10. vbi hunc locum vrget, sicut, & *lib.* 2. *de peccatorum merit. c.* 10. & *serm.* 14. *de verbis Apostoli*. Certè textus Græcus apertè habet natura, & quamvis Cyrill. *in* 3. *Anathemat.* interpretetur verè, quo etiam sensu illud *ad Galat.* 4. *Iis, qui natura non sunt dij seruiebatis*, exponit Marcian. & Pulcheria *in Epistolis ad Archimandritas*, non infringunt tamen hunc locum; quia significatur veritas quædam naturalis, hoc est ex proprietate naturæ rei, quæ talis esse dicitur: neque enim quidquid est verè aliquid, dicitur esse naturâ tale, sed tantùm, quod verè tale est ex suæ naturæ proprietate: quis enim dicat Ciceronem fuisse natura Rhetorem, & Virgilium poëtam. Cùm itaque dicimur natura filij iræ, significat verè fuisse tales, & ex quadam natura proprietate.

8 Quæ ex Scripturis Pelagiani obiiciebant pauca & futilia sunt: nam quod dicatur *Ezech.* 18. *filius non portabit iniquitatem patris*, nuper expositum fuit; & reuera quilibet infans suam iniquitatem portat: verè enim peccator est, vt ex dicendis constabit, &, vt ait Augustinus *lib.* 6. *in Iulian. cap.* 4. parentum peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursùs modo quodam reperiuntur & nostra; aliena quippè proprietate sunt actionis, & nostra sunt contagione propaginis. Alij volunt negari ab Ezechiele pœnam æternam infligi pro peccatis parentum. Vide Moncæ. *d.* 7. *c.* 7. 1. *p. disp.* Bellarm. *lib.* 4. *de statu peccati. c.* 8. & Vasq. 1. 2. *d.* 135.

Secundò afferunt illud cap. 5. 2. ad Cor. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis.* Expendit hunc locum Augustinus *lib.* 6. *contra Iulian. cap.* 4. atque de peccatis actualibus intelligendum, aut sicut bonum quod non gesserunt reportant paruuli ex Christi meritis; ita mirum non esse, si malum, quod in Adamo gesserunt, reportent. Tertiò 1. *ad Cor cap.* 7. *n.* 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis, per virum fidelem; alioqui filij vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.*

Respondeo hanc coniugum sanctitatem esse munditiam quandam circa vsum coniugij, primò vt sit legitimum coniugium. Secundò vt bona conscientia illi vacent. Tertiò non putetur coniux fidelis pollui ex coniunctione cum infideli. Quartò quia eruditur infidelis à fideli, circa vsum, tempus, & modum coniugij; quam postremam munditiam intelligit Aug. *lib.* 3. *de peccator. merit. capite* 12. Deindè quia iam incipit se infidelis ad sanctitatem veram præparare, cum libenter cum fideli cohabitet. Filij autem sancti sunt, quia primò legitimi sunt; poterat enim dubitari an illud coniugium fidelis cum infideli esset legitimum. Secundò quia rectè institui possunt. Tertiò quia cum sanctitate coniugali quoad matrimonij vsum naturali. Quartò ab altero parente Deo per baptismum & bonam institutionem consecrantur. De hoc loco vide Bellarm. *lib.* 1. *de baptis. c.* 4. his firmissimis, Scripturæ testimoniis vnam, aut alteram rationem Theologicam attexo. Prima petitur ex infantium baptismo; si enim nullum peccatum habent, frustrà abluuntur. Hoc argumentum sæpius versat Aug. *qui lib.* 1. *de peccatorum meritis, cap.* 17. ait respondisse infantes etiam peccata actualia habere, *Ipsam* (inquit) *infamiam coacti sunt accusare, quasi accusator infantia hoc securior fieret, quo accusatus ei respondere non posset.* Quod tenent etiam Augustinus *Ep.* 57. & 106. & *lib. de natura & gratia à cap.* 21. & S. Bern. *Epist.* 77. & *serm.* 66. *in Cant.* Denique id neminem sani cordis asseruisse ait Paris. *tract. de vitiis, c.* 3. id tamen delirauit Philip. apud Bellarm. *lib.* 5. *c.* 4. cùm dixit, originale peccatum esse actualem quendam prauæ cupiditatis motum. Respondebant secundò, vt *ibid. c.* 78. refertur baptizari tantùm vt in Christo regenerentur. Sed vrgetur, dùm ait si non baptizentur possint salutem adipisci, quandoquidem nullo peccato impediuntur. Vndè illi cogebantur admittere quandam salutem extra regnum Christi; & ex ceremoniis in baptismo vsurpatis maximè ex insufflatione, qua abigitur ab infantibus Dæmon. Eandem veritatem confirmat sæpè Aug. *lib.* 6. *in Iulian. c.* 5. & *lib.* 1. *de nuptiis, cap.* 20. & *lib.* 1. *de peccatorum merit. c.* 34.

Probatur ex Christi morte 2. *ad Cor. cap.* 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Hoc argumento vtitur Augustin. *lib.* 6. *in Iulian. cap.* 4. & *alibi.*

Quæ in contrarium exponi possunt postulant peculiares difficultates *reliqua disp.* accuratè pertractandas.

QVÆSTIO II.

Quid sit peccatum originale?

Diu sollicitum habuit Augustinum hæc quæstio, vt constat *ex tota Epist.* 28. qua eius enodationem ab Hieronymo pulsat, & *Epistola* 29. plane de solutione desperat, dicitque sufficere si sciamus quando liberemur ab eo puteo, etsi ignoremus qua ratione in eum deciderimus, & denique nihil quidem esse peccato antiquo ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius *lib. de morib. Eccl. cap.* 22. quam tanti viri modestiam reliqui deinceps in hac implicatissima difficultate, æmulati sunt Doctores, quorum varia placita referre fuerit operæpretium, vt aliquid minùs improbabile ex iis omnibus colligere liceat: reiectis priùs hæreticorum erroribus. 1

Nugæ hæreticorum in explicanda natura peccati originalis.

Hæreticarum sententiarum paradoxotata portenta (vt appellat Stapleton. *lib.* 1. *de iustif. cap.* 14.) facile fuerit euertere; primum est Matthiæ Flacci Illyrici, qui variis locis quos accuratè obseruarunt Valent. *disp.* 6. *q.* 12. *p. vnic.* §. 1. & Bellarm. *lib.* 5. *de statu peccati cap.* 1. delirauit, peccatum originale, esse substantialem imaginem diaboli: considerat enim hominem physicè, & theologicè: primo modo est animal rationale: secundo modo est creatus ad imaginem Dei, quæ imago corrupta est peccato primi parentis, & à Diabolo in propriam imaginem mutata, & quemadmodum in cadauere animæ quæ præfuerat, succedit forma noua substantialis, ita post Adami peccatum prior illa 2

anima

anima quæ ad imaginem Dei facta erat perierit, & in nouam quandam formam substantialem quæ sit imago diaboli, transmutata fuerit, atque ita licet maneat idem homo physicus, non sit tamen idem theologicus, & ne cogatur diabolo tribuere vim creatiuam, aut productiuam substantiæ maximè spiritualis, negat hanc mutationem esse, aut creationem, aut generationem, sed solam transformationem substantialem, vt cum vinum in acetum corrumpitur, ex lacte fit caseus, & ex luto lateres, & sicut mulieres quæ caseum, aut butyrum ex lacte conficiunt, non dicuntur creatrices, ita neque diabolus creare dicitur, etsi bonam formam substantialem hominis in malum transmutarit, quam Deus primò creauit & deindè conseruat, & propagat, licet diabolus eam corruperit, vitiauerit, &, vt ipse honestè loquitur, cōcacarit, ac proindè iam vitium, & peccatum eam effecerit. Hæc verò omnia ex Lutheri Euangelistæ sui tripode accepisse testatur, aliis Lutheri ex grege repugnantibus, sed, quod omninò impium est & scripturam fautrice suæ insaniæ gloriator, quod sæpè de peccato tanquam de re quapiam subsistente loquatur. Genes. 8. *Figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua*: ad Rom. 6. *Vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*; & c. 7. *peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*. Christus dicitur peccatum 2. *ad Cor. c.* 5. quia videlicet passus est, quod ipsi peccato, nempè homini debebatur. Imago Dei non erat accidens sed ipsa animæ substantia, vt Scripturæ indicant, & Patres omnes docent; peccato autem diuinam imaginem amisimus, & diabolicam suscepimus, quæ substantialis quoque erit. Vnde *Ioan.* 8. dicitur: *Vos ex patre diabolo estis*: & Coloss. 3. *Induite nouum hominem, qui renouatur secundùm imaginem eius qui creauit eum.* Similia habentur *ad Coloss.* 3. & *ad Ephes.* 4. Ex quibus etiam colligit iustitiam originalem fuisse aliquid substantiale, quod etiam conuenire debeat oppositæ iniustitiæ; qua etiam de causa iustificatio vocatur creatio noui cordis Psalm. 50. *Cor mundum crea*, &c. Ezech. 36. *Auferam à vobis cor lapideum.* Denique *ad Ephes.* 2. apertissimè traditur peccatum originale esse aliquid ad hominis naturam pertinens: dicimur enim naturâ filij iræ. Ex quibus tandem colligit illud quinti Euangelij principium, totum hominem corruptum, & inquinatū esse, à Deo auersum, atque adeò ipsum peccatum, cuius necessariò opera mala, & vitiata sunt, atque ita omnem operum honestatem, & meritum nebulones isti reiiciunt.

3 Non vacat innumeros errores, qui ex hoc vno consequuntur percensere, & quos fusè refellunt Bellarm. & Val. *l. c.* 2. Salmeron *ad Rom.* 5. *disp.* 45. imprimis enim substantiam aliquam malam esse cum Manichæis concedit Illyricus, & frigidè respondet se non ponere substantiam malam ab æterno; nam in vtroque errabant Manichæi, & Illyricus ex parte tantùm cum illis delirat. Secundò hominis animam transmutabilem, & corruptibilem facit, quod intelligi nequit, si spiritualem esse concedat. Tertiò siue Deus eā substantiam malam, quæque peccatum est, creet, siue conseruet, tantùm auctor peccati erit. Quartò Dæmon vim creandi habet, cum transmutatio vnius substantiæ spiritualis in aliam aliter concipi nequeat; quænam enim fingi possunt actiua, & passiua, quæ applicentur à dæmone ad hanc generationem, & transmutationem? Exempla enim quæ affert, digna sunt stoliditate Illyrici. Quintò non auferetur per baptismum peccatum originale. Sextò totus homo est peccatum ac proindè suprema eius mens contra Paul. *ad Rom.* 7. & ad *Galatas* 5. vbi ait mentem velle quod bonum est. Septimò homo post peccatum substantialiter alius fuit ab eo qui erat priusquam peccasset. Octauò Verbum aut peccatum assumpsit, quod impium est, aut naturam humanam diuersæ speciei *assumpsit*, quod hæreticum. Quare rectè dixit Bellarm. *lib.* 5. *de statu peccati cap.* 2. hanc fatuitatem omnibus articulis Symboli Apostolici contentis repugnare. Naturali verò rationi aduersari sic ostendit Valent: illa enim substantialis imago Dei vel erat de ratione intrinseca hominis considerati physicè, & vt est animal rationale, vel non erat? si primum dicatur, cum ea forma perierit, non fuit idem homo substantialiter, atque ita ille ipse qui peccauit, non fuit punitus, neque à peccato deindè liberatus. Si verò dicatur hanc formam non fuisse intrinsecam naturæ humanæ specificè, & physicè spectatæ, vel erat aliquid per se subsistens, & ita erat duplex forma substantialis, duplexque natura in homine, vel aliquid inhærens; erat igitur accidens, & eo pereunte non periit substantialis forma, peccatumque erit tantum illius priuatio; aut si sit diaboli imago, erit tantùm imago accidentalis. Quæ mutuatur ex scripturis, nihil probant; sæpè enim virtutes, & vitia per quandam prosopopœiam, & personarum instar inducunt. Ita *Rom.* 5. dicitur mors regnasse, & lex subintrasse veluti in scenam, vt annotant passim Interpretes; alioquin si in propria notione voces vsurpentur, debebit Illyricus peccatori tribuere cor lapideum, quod per iustificationem mutetur in cor carneum. Et quis adeo imperitus, vt non videat illis omnibus locis cor pro animo vsurpari, & hominem veterem, & nouum pro eodem homine variis affectibus, & habitibus bonis, aut prauis instructo, nisi cum Manichæis geminam in homine animam ex verbis Apostoli colligat, à quo delirio proximè abest Illyricus? Denique non dicitur peccator ex patre diabolo, nisi ratione imitationis, neque natura filius iræ, nisi quia cū aliquo defectu, qui illū Deo reddat exosum, nascitur: omnes autē defectus qui proli, aut in conceptione, aut in natiuitate cōtingūt, non sunt aliquid substātiale.

Secūdò Caluinistæ, & Lutherani peccatū originale dicunt esse concupiscentiā, hoc est inclinationem ad malum, etiā in actu primo & motus eius omnes tum voluntarios, tum inuoluntarios, & cum beneficio iustitiæ originalis, tum mens Deo, tum corpus, & reliquæ omnes potentiæ inferiores menti subiicerentur, vbi peccato est amissa iustitia originalis, omnes istæ potentiæ tanquam effrænes equi in bonum sensibile rationi aduersarium inhiarūnt, ipsaque mens tum obtenebrata est, tum sensibus illecta difficile bonum honestum prosecuta est. Dicunt autem omnes hominis potentias, eo supernaturali iustitiæ originalis dono exutas, earúmque motus esse peccatū originale. Vnde colligunt primò illud in baptismo non deleri, secundò totum hominem esse corruptum, inquinatum, & Deo inuisum. Tertiò omnia eius opera mala, cū ex vitiata radice oriantur, Quartò peccatum, & concupiscentiā esse in renatis, & credentibus, sed illis non imputari. Ad hoc adstruendū congerunt varia loca scripturæ, & Patrum, maximè Augustini, quibus concupiscentia dicitur esse peccatum. Vide Bellarm. *lib.* 5. *de statu peccat. c.* 4. *&* 5. Val. *q.* 12. *p. vnic.* §. 4. Damnatur hic error in Trident. *sess.* 5. vbi in renatis negat manere peccatū originale, etsi maneat concupiscentia, quam ait vocari peccatum à Paulo; quia vel causat peccatum, vel eius effectus est. Ea denique omnia quæ vsque adeò exaggerant Sectarij de naturæ corruptione, sunt vulnera naturæ lapsæ, & peccati mala genimina non ipsum peccatum originale, vti amplius *alibi*, vbi de toto fomite, & concupiscentia agetur, explicabitur. 4

Tertiò Philippus vt *suprà* retulimus, existimauit paruulos actualiter peccare, & con- 5

cupiſcentiæ motus etiam in illis malos eſſe : quæ fatuitas inſignis eſt, cùm & ratione, & libertate careant infantes, atque adeo facultate eliciendi actionem honeſtam, aut turpem, & Paul. *ad Rom.* 9. dicat de Iacob & Eſau: *Cum nondum nati fuiſſent neque quidquam boni, aut mali egiſſent.* Denique contrahitur peccatum originale in ipſa conceptione, & non in ortu tantum.

6 Quartò. Cornelius Agrippa apud Salmer. *ad Rom.* 5. *diſp.* 45. & Medin. 1. 2. q. 82. *art.* 1. voluit eſſe nimium cum vxore concubitum, quod ne refutatione quidem indiget. Denique Origen. & Priſcilliniſtæ apud Sixt. *lib.* 5. *Bibl.* & à Caſtro. *verſ. Anima*, &c. eſſe quidpiam relictum à peccatis actualibus, quæ olim anima priuſquam vniretur corpori, commiſerat, quod dilirium ſæpiùs exploſum fuit.

Prima Sententia.

Peccatū originale in aliquo poſitiuo conſtituens.

7 His nugis reiectis venio ad ſententias, in quas diſceſſere Catholici, quas, licet ferè innumeræ ſint, ad duas claſſes reuoco. Prima eſt eorum, qui in aliquo poſitiuo collocarunt; altera, eáque communior, quæ in priuatione poſuit. Primò igitur in morbida qualitate, ex infectione carnis, & ſeminis vitiati in ipſam animam deriuata peccatum originale collocant : fuit enim peccato Adami corpus venenata quadā qualitate corruptum, quod non niſi vitiatum ſemen producat, cuius affectiones corpus ex eo formatum retinet, & ſua deinde contagione animum inficit. Tribuitur hæc opinio Mag. *in* 2. *d.* 30. & 31. ſed recentiores paſſim Magiſtrum a calumnia liberant. Et ſanè *d.* 30. potiùs aſſerit, peccatum originale eſſe concupiſcentiam, vel potiùs concupiſcibilitatem, quam legem membrorum & carnis, languorem naturæ & tyrannum appellat, quæ ſententia in bonum ſenſum trahi poteſt, ſicut & Auguſtini, Thomæ, & aliorum Theologorum meos; qui eodem ferè modo loquuntur, vt fusè *alibi* docebitur : quod verò addunt, corpora omnium poſterorum Adæ fuiſſe in illo formaliter, & ſeminaliter, ab eóque deciſam aliquam ſubſtantiam, in qua conſiſtat vera natura humana, in nepotes omnes propagari, etſi falſiſſimum ſit, pertinet potius ad modum transfundendi peccatum iſtud, quàm ad eius quidditatem explicandam. Apertè verò morbidam hanc qualitatem tuetur Pariſ. *tr. de vitiis c.* 4. Driedo *lib.* 1. *de gratia tr.* 3. *p.* 4. vbi tamen mihi videtur tantùm fomitem peccati ſeu concupiſcentiam, quam appellat affectionalē qualitatem concupiſcendi ea quæ diuinæ legi repugnant nomine culpæ originalis intelligere, neque à carne in anima productam hanc qualitatem aſſerit, ſed ſolùm carnem concupiſcere aduerſùs ſpiritum. Quæ omnia molliter exponi poſſent. Gregor. *in* 2. *d.* 30. *q.* 1. *a.* 2. ait peccatum originale eſſe concupiſcentiam, quæ eſt quædā qualitas in anima producta ea vitio carnis & morbida qualitate, quam ex libidinoſa concupiſcentia coëuntium parentum prolis caro contrahit dum concipitur. Addit, eam qualitatē non fuiſſe productā ex pomo vetito quod intoxicatit carnem primi parentis, quod negat Aug. *lib.* 4. *contra Iulian. c.* 37. ſed afflatu venenoſi ſerpentis. Olkot verò *q. de imputabilitate peccati ad primum principium*, à Deo infundi vult: alij apud Gabriel *in* 2. *d.* 30. *q.* 2. *a.* 3. ex varia humorum permixtione exurgere in carne, & ab ea in animā propagari; poteſt enim animus aliquid à carne pati, vt patet in cognitione ſenſitiua, verùm quidquid ſit de natura concupiſcentiæ, quam in hac qualitate ineptè collocant, hanc fictitiam qualitatem pluribus impugnat Adamus apud Gregor. quibus ipſe non ſatisfacit, & per nullam Philoſophiam totum hoc figmentū perſuaſibile eſſe dixit Soto *lib.* 1. *de natura & gratia c.* 8. actio enim illa carnis in animum per qualitatis impreſſionem intelligi nequit. & illa venenata à pomo, aut ſerpente productio, & carnis corruptio ad hunc effectum quem volunt producendum, gratis, & ſine vllo fundamento adſtruitur, ineptiúſque ad Deum recurritur; ſic enim peccati auctor agnoſcitur. Denique non ſatisfit Tridentino & fidei catholicæ de deletione peccati originalis per baptiſmum; per eum enim non aufertur vlla qualitas, & ea quam aſſignant aduerſarij, cum ſit forma peccati, manet etiam in renatis. Vnde cogitur fateri Greg. *q. cit. a.* 4. non perfectè deleri peccatum originale in baptiſmate, ſed ſolum quoad reatum, & non quoad eſſentiam; quæ doctrina temeraria, & periculoſa eſt. Neque fauent iſtis Auctoribus PP. aliqui qui morbidæ huius qualitatis meminere : nam per eam carnis tantùm corruptionem, & mortalitatem ſignificarunt : *morbidam qualitatē* (inquit Proſper lib. 2. de vita cont. c. 19) *eorum corpora contraxerunt, vt iuxta ſententiam Dei eo die credantur mortui, quo in eis pœnaliter facta eſt neceſſitas moriendi.* Neque alia fuit, vt opinor, Aug. *lib.* 11. *de Gen. ad Liter.* mens.

8 Secundò Albertus Pighius *controu.* 1. quæ eſt *de peccat. origin.* Cathar. *opuſc. de eadem re* Salm. *ad Rom.* 5. *d.* 46. & alij quidam peccatum originale nihil aliud eſſe volunt, quàm denominationem extrinſecam ab Adami peccato, quod poſteros omnes, qui in vno tāquam in generis principe extrinſecè quodammodò afficit, & denominat peccatores, etſi nulla illis macula, aut forma extrinſeca inſit. Hæc ſententia pugnat cum Trident. *ſeſſ.* 5. §. 3. vbi vocat peccatum originale origine vnum & propagatione, non imitatione tranſfuſum, & omnibus ineſſe, vnicuique proprium, quæ omnia falſa ſunt : neque enim in ſingulis proprium eſt, ſed vnum in omnibus eos extrinſecè afficiens : non transfunditur etiam propagatione, ſed ſolâ per meram denominationē, pugnat cum Paul. *ad Rom.* 5. comparanti peccatum originale ab Adamo per carnalem generationem contractum cum iuſtitia à Chriſto per ſpiritualem regenerationē deriuata : nullus enim dixerit nos ſolum eſſe iuſtos quadam extrinſeca denominatione à Chriſti iuſtitiâ nobis imputatâ. Pugnat cum Patribus, & communi omnium ſenſu, qui peccatum originale effectum eſſe præuaricationis Adæ ex mente ſine dubio Paul. *ad Rom.* 5. conſtanter affirmarunt, ac proindè non eſſe illam ipſam primi parentis præuaricationem: nam Aug. *lib.* 2. *de nupt. c.* 28. ait, voluntate primi hominis peccatum originale, vt in omnes tranſiret ſeminatum eſſe, & Anſelm. *lib. de conc. Virgin. c.* 25. quapropter cum damnatur infans pro peccato originali, damnatur non pro peccato Adæ, ſed ſuo; nam ſi ipſe non haberet ſuum peccatum, non damnaretur : ita ergo non portat iniquitatem Adæ, ſed ſuam. Quis ideò dicatur portare; quia iniquitas illius peccati illius cauſa fuit. Pugnat denique cum baptiſmi proprio effectu, quem agnoſcunt omnes eſſe veram peccati orig. deletionem infuſione gratiæ ſanctificantis, & non tantùm per non imputationem quandam, qua ſoluto tamen ratione remitti neceſſe eſt, ſi tantùm denominationem quandam extrinſecam peccatum iſtud eſſe dicamus. Quare grauioribus cenſuris figunt hanc ſententiam Val. *loco citato* Bellar. *capite* 16. *l.* 5. *de ſtatu peccati.* Vaſq. *d.* 132. *capite* 2. Stapleton. *lib.* 1. *de iuſt. capite* 10. & alij, à quibus non ſatis valdè eam tuetur Soto *libro de natura & gratia, c.* 9. His adde nullum poſſe denominari malè agentem ab actione alterius, neque proindè conſtitui peccatorem alieno tantum peccato, ſi nihil in ſe aut priuatiuum, aut poſitiuum alterius actione recipiat,

recipiat, vt nuper quoque monebat Chrysost. actio enim non denominat nisi agens, à quo fluit, aut subiectum, in quo recipitur, aut terminum quem producit; quæ tamen duo postrema non denominantur agere, sed solum principium actiuum physicum, aut morale, quod cum non sit in Adami posteris cõparatis cum actione qua Adamus peccauit, non apparet quando ab illius vsque adeò extranea, & remota actione peccatores & esse, & constitui, atque dici possint, si nihil in ipsis intrinsecum actum fuerit: quod enim parens eorum esset Adamus, nihil vrget; alioqui & boni à studiosis operibus ab Adamo tum ante, tum post lapsum electis dici possent, & à proximorum parentum actionibus potiori iure denominari, & peccatum Adæ semel dimissum illis amplius imputari non posset.

9 Neque Paul *ad Rom. 5.* cum dixit, *in quo* (videlicet Adamo) omnes peccauerunt, iuuat aduersarios; significat enim tantùm, nos peccasse in Adamo, quia eius peccatum causa fuit cur deinde nos ipsi, dum ab illo propagamur, peccatum verum & proprium, nobisque intrinsecum, contrahamus. In eo itaque, non formaliter peccauimus, sed causaliter, quo eodem sensu addidit Paul. *Vnius delicto multos esse mortuos*, vulus siquidem delictum causa fuit plurimorum interitus.

10 Ab hac sententia propiùs abest Ægidius de Præsentatione; nam *libro secundo quæstione* 1. *art.* 2. §. 2. ait peccatum actuale Adæ formaliter, & essentialiter includi in peccato originali, quod præterea priuationem iustitiæ originalis etiam continet, quia in Adamo peccante nos omnes peccauimus; ita vt eadem inobedientiæ actio numerica nostra fuerit à nobis simul cum Adamo elicita, non personaliter, sed originaliter, quatenus propter dignitatem capitis Adamus erat omnes nos, & nos idem cum ipso. Non videtur etiam alia fuisse mens Bellarm *lib. 5. de statu peccati*, *capite* 17. & 18. quicquid dicat Salas *tract. de de concept. cap.* 1. §. 1. distinguit enim in peccato originali, sicut & in quolibet actionem legi repugnantem, & id quod ad illã consequitur, atque in peccatore remanet per modum habitus, illúmque verè & intrinsecè peccatorem constituit ac denominat: prius illud est ipsa Adami actio vt capitis naturæ quæ nobis est voluntaria; quod omninò ad rationem peccati necessarium videtur aliena voluntate, in qua nostra continebatur, & ratione eius dicimur à Paulo in Adamo peccasse, habitualis autem peccatum, quo intrinsecè peccatores constituimur in ortu, est priuatio gratiæ, atq; habitualis à D. õ auersio, quod etiam docent Tolet. & Pererius *in c. 5. ad Rom.* atq; vt ego reor, Salmeron, qui non negauit priuationem gratiæ, quam tamen dixit esse potius effectum peccati Adami, & originalis, sumpti, videlicet pro actione legi repugnante. Hanc sententiam latè reiicit Salas §. 4. & quæ contra superiorem dicta sunt, hanc eius appendicem etiam confutant.

11 Quia peccatum originale non esset tantùm effectus quidam peccati Adæ, vt nuper dicebant Patres sed ipsummet peccatum Adami saltem ex parte; & quamuis nostra iustitia ab eius voluntate penderet, non tamen rectè dicitur, actionem malam parentis, qua nobis eximium illud donum periit, nostram fuisse, nostrúmque propriè peccatum esse, & falsum est nos propterea iustitiam amisisse, quia in Adamo peccauimus, cùm è contrario idcircò, quia gratiam illam naturæ nostræ debitam amisimus Adamo peccante, in illo peccauimus, & peccatum originale, quod in primo parente fuit tantum causaliter, in nobis formaliter tanquam effectus paternæ transgressionis in nepotes redundans, quod optimè exponit Anſel. lib. de concept. Virg. c. 7. *Sicut in Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit, non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus; & tunc facta est illa necessitas, vt cùm essemus peccaremus; quoniam per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Quibus verbis Pauli mentem perspicuè explanat. Falsò etiam aduersarij eodem modò peccatum originale, quod naturæ, seu essentiæ vocat Bell. *cap.* 18. *cit.* cum actuali personali comparat, & in vtroque aliquam rationem actionis & voluntarij auxiæ & frustrà inquirant, cum hac in parte maxime differant, vti constabit *inferius*. Displicet tamen Salazar, qui dum nimiæ seueritatis, & (vt loquitur *n.* 14. censorinæ mentis) arguit Ægidium, grauiori ipsum censura sententiam hanc ferit, & Pelagianismi damnat: Pelagius enim naquidem peccatum habitualie concedebat & priuationem gratiæ, quam metam negationem esse dicebat, eodem modo atque si in puris naturalibus conditi fuissemus admittebat.

Tertiò nobiles quidam & prisci Theologi peccatum origioale in reatu pœnæ & indignitate gratiæ & gloriæ constituerunt, eámque fuisse Ang. mentem contendit Vasq. *d.* 13 *a.c.* 1. Verùm cum reatus sit vel obligatio, vel dignitas luendæ pœnæ, culpam supponit, sicut meritum actionem studiosam; hæc enim omnia sunt relatiua, & priora fundamenta præsupponunt, quæ aliud esse nequeunt, quàm bonitas in obligatione & dignitate laudis ac præmij, & malitia in obligatione & dignitate pœnæ luendæ, vt *superius* fusiùs exposui. 12

Ad Aug. respondet Monc. *disp.* 7. *part.* 1. *cap.* 3. reatum aliquando significare dignitatem, seu obligationem pœnæ subeundæ, vti modò dicebamus; aliquandò designare ipsammet culpam, quæ instar cuiusdam vinculi peccatorem constringit, atque de hoc posteriori reatu loqui Aug. seu, vt ait Bellarm. sumpsit, reatum vna cum suo fundamento, quod culpa est. Deoique per ampliationem quandam peccati originalis vocauit eius etiam effectus, quorum primarius est reatus: in quam sententiam plurima scripturæ loca, quibus dicimur filij iræ, & damnationis rei fieri per peccatum interpretatur Pesant. *in q.* 81. *disp.* 1. Salas verò *cap.* 1. *num.* 48. *tract. de conc.* existimat reatum apud Aug. esse debitum, & necessitatem contrahendi peccatum originale: idcircò enim dicimur rei facti in Adamo tum peccati originalis, tum omnium effectuum ipsum consequentium. 13

Denique ad priorem hanc classem reuoco eos, qui in peccato originali præter auersionem à Deo agnouere quandam conuersionem ad bonum creatum; quam conuersionem dicunt fuisse in potentia voluntatis Adami; in nobis autem in ipsa substantia animæ, vti refert *loco citato* Pesant. Quæ sententia inepta est, cùm substantia non respiciat obiectum nisi mediis potentiis. Alij ex analogia peccati actualis vtramque banc rationem in hoc quoque colligunt, Arue. *contr.* 2. *suppos.* 3. & *prop.* 4. quos iure reiicie Curiel. *in art.* 3. *q.* 82 *dub.* 3. & Vasq. *d.* 132. *c.* 5. cùm illa conuersio neque aliquid physicum, neque morale dici queat: non primum, esset enim aliquis habitus, vt videtur velle Caiet. eadem *q.* 82. *art.* 1. & 3. vbi comparat ægritudini quæ est habitus quidam corruptus seu potius corrumpens ex discrasia, & distemperie qualitatum resultans, ita ex inordinatione potentiarum animæ, quæ dissolutæ per subtractionẽ gratiæ & iustitiæ originalis illarum harmonia contingit, nascitur praua quædam totius hominis circa bonũ dispositio & ad malum pronitas, atque habitus iustitiæ originali contrarius, qui est peccatum originale, videturque ea esse mens S. Thomæ *illo art.* 1. *cit.* vbi Med. *con.* 7. ait 14

hunc habitum esse tantùm materiale peccati originalis, seu fundamentum, & defectum sine quo peccatum originale non consisteret, neque aliud voluisse S.Thom. tum *art.cit.* tum *3.sequenti*, vbi concupiscentiam appellat materiale peccati originalis, quod nimirùm in potentiarum dissonantia veluti fundatur. Primus huius opinionis Auctor videtur fuisse Alens. *part. 2. quæst.* 122. quem deinde sequutus est Bona. *in 2. d. 30. art. 2. quæst.* 1. & alij qui omnes tum Magistri, tum Aug. esse sententiam contendunt; sed illi omnes auctores materiale istud appellarunt quidquid connotatur à peccato originali, & illi annexum est, tanquam eius effectus, atque ita peccati fomes, seu concupiscentia quæ eiusmodi peccatum consequitur eius pars materialis vocata fuit, iique omnes auctores, vt apertissimum est in Alens. formale huius peccati dixère priuationem aliquam, vnde Medin. mouet definitionem peccati originalis per concupiscentiam esse similem illi, qua definitur accidens per subiectum, quod connotat & prò quo aliquando supponit; sicut dum ira dicitur accensio sanguinis circa cor, & rectè aduertit Curiel. *in art. 3. quæst.* 82. *dub.* 2. §.3. non esse nisi lato modo materiale peccati originalis concupiscentiam, & non aliquid essentiale, & tunc non sola pars sensitiua animæ nomine concupiscentiæ intelligi debet, sed eius omnes potentiæ etiam superiores, vt obseruat Val. *disp.* 12 *part. vnic.* §.11. quatenus sublata gratia & originali iustitiæ, inordinatæ & spoliatæ suis ornamentis perstitere, alioquin anima separata, non seruaret peccatum originale integrum, quoad suum materiale: imò Stapleton. *lib.* 1. *de iustific. capite* 12. omnes defectus naturæ ad id peccatum æquè ad concupiscentiam pertinere vult. quod Ferrariensis *libro 4. contra Gent. capite* 52. §*cæterum*; *&c.* & Capreol. *in 2. d. 30. quæst. 5. art.* 1. *concl.* 4. de inordinatione omnium potentiarum concedunt, sed displicent quòd etiam ad formale reuocant voluntatem ad bonum commutabile conuersam, Dionys. Carthusian. *in 2. d. 30. quæst. vn. art. 2. conc.* 5. ait mentem captiuatam secundùm desideria carnis, & non habentem subiectionem originalem ad spiritum, esse de formali significato huius complexi, peccatum originale, sed non adæquato. Displicent etiam omnes isti Thomistæ, quòd in illa inordinatione virium tum inferiorum, tum superiorum aliquam qualitatem distinctam à potentiis videantur agnoscere; quod falsum esse conuincunt, quæ contra morbidam qualitatem à quibusdam inuectam *initio* diximus; neque huius vlla causa productiua assignari potest; neque ea entitas superaddita necessaria est, cùm optimè intelligatur, quo pacto sensitiuus appetitus donis supernaturalibus, & auxilio singulari, quo à Deo regebatur, & veluti lupatis coërcebatur, destitutus, effrænatè in bonum sensibile rapiatur, & sæpissimè voluntatem antiquo robore destitutam pelliciat, ne rationi veranti obsequatur. Ipse denique intellectus veluti exoculatus, neque vllo diuino illustratus lumine, aut obiecta non satis perspiciat, aut momenta, quibus ad bonum impellere voluntatem, & à malo reuocare deberet, non satis expendat, aut ab appetitus commotionibus sæpè præueniatur; in quibus omnibus nulla opus est fictitia qualitate, neque eam exigit S.Thom. cùm negat, peccatum originale esse puram priuationem; illud enim cum suo annexo considerat, quod est concupiscentia consequens, quæ aliquid merè priuatiuum non est, sed ipsæ potentiæ priuatæ donis supernaturalibus, vt *alibi* dicturi sumus ampliùs, & potentias ita malè affectas, & ad obiecta contraria rationi propensas, neque vllo fræno cohibitas appellat S.D. habitum corruptum, vt explicat Valent. *loco citato* §.12. & Conrad. *in art. 1. quæstione* 82. qui hanc inordinatam dispositionem cùm fiat per solam remotionem, ait ab ægritudine differre, quæ aliquid positiuum includit.

Ex quibus omnibus apparet hanc conuersionem 15
positiuam, quam tanquam partem formalem peccati originalis, aliqui induxerant, non esse vllum habitum physicum, neque vllam etiam potentiam animæ, quæ non sunt immutatæ per peccatum alio modo, quam quia donum aliquod siue intrinsecum siue extrinsecum amiserunt, & sibi ipsis relictæ sunt, vti fuissent in puris naturalibus. Quod enim aliqui apud Suar. *tract. 5. t. 1. d. 9. sect. 2. numero* 16. aiunt esse quendam modum indistinctum realiter à voluntate, quæ ipsam nihilominus vrgeat, &, vt alij loquuntur, inclinet ad creaturas, fictitium est, cum propensio voluntatis ad bonum sit ipsamet eius entitas, & non appareat, qua ratione modus iste indistinctus aut adueniat, aut recedat, vt omninò recedere debet quando per baptismum peccatum originale deletur. Iam verò quod aliquid morale relictum ab Adami peccato, sese actualiter ad creaturam conuertentis apud Med. *l. c.* viri, vt ipse ait, docti excogitarunt: cùm enim illud peccatum Adami & nostrum quoque fuerit, ac vtrisque aliquomodò voluntarium, sicut in primo parente habitualem conuersionem ad creaturas reliquit, ita & in nobis idem effecisse debuit, fictitium est; nam etiam in Adamo habitualis conuersio ex peccato actuali relicta, non fuit habitus vllus vitiosus relictus, neque vlla etiam relatio realis ad obiectum seu creaturam, tanquam finem vltimum; sed solùm denominatio quædam extrinseca ex actuali conuersione mala moraliter perseuerante, quandiu dimissa non fuit, quæ quomodò ab Adamo ad posteros transfundatur non apparet, maximè vbi dimissa non fuit per pœnitentiam & gratiā: & cùm nihil Adamo intrinsecum attulerit, neque etiam quidquam in posteris ponet: atque ita vera fuerit sententia Pighij *superiùs* refutata: cùm enim, tum conuersio habitualis, tum auersio ex quibus duabus coalescit totum peccatum originale, sint parentis extrinsecæ, vt de conuersione ostendi, & de auersione patet (actualis enim esse nequit in puero) habitualis non magis est interna quàm conuersio, sed vtraque est denominatio extrinseca, vt in omnium eorum peccatum originale erit quoque aliquid extrinsecum per solam denominationem imputatum. Quare licet comparationem allatam inter peccatum actuale Adami, & originale concederemus, nihil ad stabiliendam hanc positiuam conuersionem habitualem ad creaturas tanquam formalem peccati originalis partem sequeretur. Auersio autem est priuatiua hoc loco, quia priuatur animus forma, qua Deo coniungebatur participatione quadam eius naturæ, vt *inferius* exponetur. Reiicienda itaque est definitio peccati originalis a viris doctis apud Medin. allata, esse nimirùm habitualem conuersionem humanæ naturæ ad bonum commutabile a protoparentis primo peccato deriuatam.

SECVNDA SENTENTIA.

Peccatum originale priuationem esse.

Altera sententia eaque communissima, peccatum 16
originale in quadam priuatione collocat, ciúsque veritas ex superioris confutatione satis stabilitur, cùm nihil positiuum assignetur, quod huius peccati naturam habeat, perspicuè fuerit ostensum: plurimæ tamen

tamen lites & longæ ambages sunt circa formam debitam, cuius priuatio hoc peccatum esse dicitur, & licet omnes eam formam esse dicant, aut gratiam sanctificantem, aut iustitiam originalem, quia tamen in his formis, si distinctæ sunt, variæ rationes considerari possunt propter varios earum effectus, & quia variis modis diuersisque titulis debitæ esse possunt, rixantur DD. circa hæc omnia; neque vix vllus est, qui sibi ipsi satisfaciat.

17 Primò S. Thom. 1. 2. *quæst.* 81. *art.* 5. *ad* 2. *& quæst.* 81. *art.* 2. 3. *&* 4. vult esse priuationem gratiæ & iustitiæ originalis, quatenus animam Deo subiiciebat: sequuntur discipuli eius, Med. *art.* 1. *quæst.* 82. *conc.* 5. *&* 6. Caiet. *in art.* 3. Valenc. *quæst.* 13. *p. vnic.* §. 10. Suar. 1. 2. *tract.* 5. *d.* 9. *sect.* 2. Azor. *lib.* 4. *cap.* 16. *quæst.* 7. & alij: quia cùm iustitia originalis non restituatur per baptismum, quo deletur peccatum originale, nisi secundùm aliquos effectus, omitùm coniunctionem animæ cum Deo, eius priuatio, quod ad eos tantùm effectus, peccatum originale erit: quo eodem persuasi argumento existimant alij.

18 Secundò solam priuationem gratiæ sanctificantis, non aliorum donorum, neque iustitiæ originalis, nisi prout cum formali sanctitate coalescit, esse peccatum originale. ita Monc. *disp.* 7. *part.* 2 *cap.* 5. Pesant. *in quæst.* 81. *disp.* 1. Stapleton. *liv.* 1. *de iust. cap.* 7. Salas *capite* 1. §. 2. *tract. de concept.* Becan. *tract.* 2. *c.* 9. *quæst.* 6. & alij passim, ipséque Scot. *in* 2. *d.* 32. *quæst. vn.* §. *ad primum*, dum ait, hoc peccatum non esse carentiam iustitiæ quocunque modo debitæ & amissæ; sed in Adamo: & alij, qui volunt peccatum actuale Adæ connotari tanquam aliquid connexum ab ea priuatione, cum sanctitas, quam remouet alterius voluntate transfundenda esset in posteros.

19 Tertiò priuationem iustitiæ etiam vt complectitur plurima alia dona præter gratiam sanctificantem, peccatum originale fatentur esse, & deleri per baptismum, etsi omnia dona, quæ complectabatur iustitia originalis saltem quoad omnes effectus, non restituatur, quia non sunt ampliùs debita, vnde eorum priuatio, cùm non sit carentia formæ debitæ inesse, defectus & culpa esse nequit. Ita Bona. *in* 2. *d.* 30. *art.* 1. *quæst.* 1. vbi ait fomitem ante baptismum esse pœnam, & culpam; & post baptismum esse solam pœnam: atque ita interpretandi sunt omnes, qui nulla alia adhibita distinctione, peccatum originale absolutè dixerunt esse priuationem iustitiæ originalis, vt Scot. *l. c.* Bassol. *in* 2. *d.* 30. *q.* 1. *art.* 2. & alij passim.

20 Quartò Vasq. *d.* 132. *cap.* 9. esse priuationem gratiæ naturæ debitæ, cuius hoc peccatum est vitium & defectus, sicut (inquit *n.* 45.) in naturalibus monstra dicuntur naturæ peccata.

21 Quintò Bellarm. *lib.* 5. *de statu peccati, cap.* 17. *sub fin. & cap.* 19. esse maculam mentem Deo exosam reddentem ab actuali Adami peccato relictam, vt in actionibus peccaminosis semper contingit, quæ maculam animæ inurunt, quæ est auersio habitualis à Deo, & gratiæ priuatio.

22 Sextò denique Curiel. *in art.* 3. *quæst.* 81. *dub.* 4. in eandem ferè coincidit sententiam, ait enim peccatum originale esse priuationem habitualis conformitatis ad legem, quam Adamus violauit, ex illa actuali violatione per modum termini resultans, eodem modo, quo in ipsomet Adamo remansit: quæ priuatio non est in actione, sed in ipsa natura, seu homine ipso secundùm suum esse. & iustitiæ originalis priuatio causaliter, non formaliter.

Difficultates aduersùs superiorem sententiam.

Communissima ista sententia grauissimas patitur difficultates; quod ostendo primùm in vniuersum, tùm singillatim, singulos eius modos percurrendo. 23

Imprimis igitur non apparet quomodò in hac priuatione reperiatur ratio voluntarij, quam tamen ad omne peccatum necessariam esse omnes vltrò fatentur, & ipsa ratio ducet, cum peccatum sit defectus quidam moralis, ac proindè necessariò liber, neque vllus peccet in eo, quod vitare non potest; sed necessariò peragit. Argumentor itaque cum Durand. *in* 2. *d.* 30. *q.* 2. Hæc priuatio gratiæ sanctificantis voluntaria non est paruulo voluntate propriâ, & personali, neque voluntate alienâ sufficienti ad peccatum, & culpam contrahendam: ergo. Prima pars perspicua est, cùm contrahat infans eo primo instanti quo statim est hanc priuationem, neq; quidquam de ea aut audiuerit, aut nôrit; neque in eius potestate sit illam incurrere, aut vitare. Secunda pars, voluntatem alienam non sufficere hoc loco ad peccatum mortale ostenditur à Durand. *l. c. n.* 8. quia in Adamo lapsus posterorum fuit tantum indirectè voluntarius, cùm illum non intenderit, sed tantùm viderit suam transgressionem consequuturum, quia olim fusè ostendimus non debere intendi directè malitiam, sed satis esse, si præuideatur. Primò quia cùm omnis moralitatis fundamentum sit libertas, vt *superiùs* iam fusè dictum est, & ea sit propriæ voluntatis determinatio in aliquam partem: quod autem solùm aliena voluntate fit, mihi liberum esse non potest; neque ob id, quod me neque cogitante, neque volente factum est, supplicio, aut præmio dignus reddi possim, etsi liberè, & voluntariè ab alio quopiam patratum sit: quod erat argumentum Chrys. nuper *ad Rom.* 5 *hom.* 10. cùm ait: *Quam consequentiam habere potest, vt quis peccator constituatur alieno peccato*; ratióque iam indicata est; quòd ad peccatum non sufficiat defectum aliquem habere ad mores etiam pertinentem, nisi qui illum habet, sit eius causa moralis, aut subiectiua, aut effectiua, quod nunquam contingit nisi obligetur aliquâ lege ad eum non suscipiendum, aut producendum, ita vt per eam causam stet quominùs obtineatur opposita perfectio, vt *alibi* dictum fuit. Atqui iam diximus non esse in potestate pueri, qui nullum rationis adhuc habet vsum, ponere hunc defectum, aut non ponere: contrariam perfectionem habere, aut non habere: neque vlla lege nisi iniqua ad id obligari potest, cùm lex sit de re possibili, quia est regula humanam actionem dirigens, aut imperans præscribendo aliquid ad finem humanæ vitæ, ac naturæ necessarium: quæ omnia possibilitatem supponunt: quis enim paralytico cursum, aut homini volatum pœna capitis proposita, nisi tyrannus imperet? Secundò voluntas Adami non potest censeri nostra, nisi interpretatiuè, & quadam fictione iuris; quod quacumque ratione explicetur, non sufficit, vt peccatum contrahamus. Dicit itaque Curiel. *in art.* 1. *quæst.* 81. *dub.* 2. §.... cum Suar. *tract.* 5. *d.* 9. *sect.* 2. *num.* 18. Deum dum constituit Adamum caput non modo physicum, sed etiam morale totius humanæ naturæ, quatenùs ab illo erant deriuanda principia benè operandi moraliter, in ipsum transtulisse omnium posterorum voluntates, ita vt quantùm ad statum innocentiæ seruandum, aut amittendum voluntas Adæ esset voluntas nepotum eius, & illa secum omnes obligaret, eadem prorsùs ratione, atque si ipsi posteri per expressum quemdam consensum suum, arbitrium, in

Adami arbitrio posuissent eúmque suo nomine cum Deo agere voluissent: quia cùm voluntas sit primum principium operandi moraliter, non potest aliquis esse caput morale nisi membrorum moraliter contineat voluntates; Deus autem propter supremum dominium potuit facilè hominum consensum in vnius voluntatem transferre, maximè cùm vllam iniuriam fecerit humanæ naturæ, cui dona indebita dependenter ab alterius operatione conferre potuit: & quia ipsummet Adamum pluribus auxiliis communiuit, ne sibi, & posteris donatam gratiam, perderet. Verùm etsi potuerit Deus Adamum caput instituere, non potuit tamen facere vt quod ageret ille, esset voluntarium posteris, nisi illi ratum haberent, aliquo deinde consensu; & quamvis caput morale contineat membrorum voluntates, id solùm intelligitur circa pacta & contractus quæ censentur fieri à tota communitate, quæ expressè suam voluntatem quantùm ad eas operationes in alium transtulit, non quantùm ad alia. Quare neque dicuntur subditi peccare, quando peccat princeps. Deinde potest constitui caput morale eo sensu quo vsurpatur à Coriele, vt nimirùm eius actiones imputentur communitati sine expresso, vt dixi, eius consensu. Ratio manifesta est: quia, vt aliquid sit mihi liberum & voluntarium, debet aliquo modo morali fuisse in mea potestate mediatè, vel immediatè, vel approbando vel consentiendo, vel mandando; cùm liberum sit essentialiter à principio intrinseco, ac proinde in agentis potestate. Cùm itaque communitas alterius voluntatem & actionem neque voluit, neque approbauit, neque ratum habuit, neque habere debuit, non potest illa vnius actio & voluntas censeri voluntaria toti communitati; atque ita soluitur exemplum communitatis à S. Thom. allatum *quæst.* 81. *art.* 1. Quare dicunt alij Adami posteros debere ratum habere pactum Dei cum Adamo initum, & illi suas credere voluntates: si enim omnes rogati fuissent num vellent accipere gratiam sibi non debitam iure naturæ, dependenter ab Adami obedientia consentire omninò debuissent. Sed licet id totum concedamus, nihil tamen conficitur, nisi non posse nos queri de subtractione gratiæ, quam sub ea tantùm conditione tacitè à nobis approbata Deus exhibere debuit: neque indè sequitur nos peccasse cum Adamo, aut eius transgressionem fuisse nobis voluntariam, & priuationem Dei & ita gratiæ esse peccatum, quod vnum contendo. Si enim vnà cum Adamo plurimi alij producti fuissent, quibus omnibus fuisset dependenter ab Adami obedientia, collata gratia, & quam deinde eo peccante amisissent; an hi omnes qui neque Adami ceruicem, & effrænatam pomi libidinem approbassent, neque suasissent, immò qui totis viribus obstitissent, peccasse dicerentur? & tamen eandem priuationem gratiæ incurrissent, quam incurrunt modò posteri. Cur igitur peccatum erit ea priuatio? Atque hæc instantia omnes alios exponendi modos euertit, nempe hoc habere ex dignitate capitis Adamum, filiorum voluntates patris voluntatem censeri, etiam in iure: hoc enim intelliges vt aliquid acquirant aut perdant, non vt peccent. Pactum etiā cum Adamo initum, ad quod Suar. *l. c. n.* 25. & alij vulgò confugiunt siue explicitum, siue implicitum, siue tantùm decretum Dei internum, primo parenti ignotum, nihil facit vt vides. Quod autem aiunt aliqui apud Bellarm. *libro* 5. *de statu peccati cap.* 18. peccatum originale esse paruulis habitualiter voluntarium, quia non habent contrariam voluntatem, meritò ab eo Auctore reiicitur, tum quia non est in potestate pueri habere contrariam eam voluntatem, tùm quia voluntarium habituale non sufficit ad rationem peccati: hancque sententiam damnatam à Pio V. an 1567. refert Stapleton. *lib.* 1. *de iustif. capite* 9. Similia denique quibus hoc interpretatiuè voluntarium exponere conantur, rem non conficiunt. Tria habet S. Thom. *quæst.* 81. *art.* 1. primum communitatis cuius voluntas in principe residet, quod *suprà* reiectum est. Secundum speciei quæ continet omnia indiuidua, sed cùm Adamus esset tantùm vnum indiuiduum, non potuit alia per modum totius continere, neque ea continentia alia est quàm per intellectus operationem, aut virtualis, & similitudinaria, v.g. membrorum corporis quæ agunt & delinquunt, non propria, sed animæ, aut potius totius suppositi voluntate. Verùm neque Adamus vsus est aliis hominibus, vti membris vtitur animus vt causa imperans, & tum moralis, tum physica omnium actionum, quæ à facultate motrice membris externis insitâ fiunt.

Quartò denique Anselm. *lib. de concept. virg. capite* 17. ex quo omnes deindè Theologi sumpsere: si aliquis multo merito ad magnam dignitatem euectus, graui crimine ab ea decidat, quid mirum si liberi à parente iam in ordinem redacto geniti, ea careant dignitate? Quod alij proponunt in Rege, qui castrum militi credidit eâ lege, vt si strenuè se gerat, eius non modò cura, sed supremæ etiam dignitates illum, eiúsque liberos certò maneant: si verò fidem violet, omni nobilitate, totisque facultatibus excidat, aut etiam exulet vnà cum liberis. Quis neget eos omnes patris crimine exosos principi reddi, & extorres fieri? Atque hoc exemplum rectè omninò quadrare ait Azor. *libro* 4. *capite* 29. *quæstione* 7. sed manet integer nodus, vt aduertit Camerar. *lib.* 3. *de gratia, & lib. arbitr. capite* 5. §. 3. sicut & in altero exemplo quod idem fusè prosequitur §. 3. & 4. de feudo per successionem & generationem ad hæredes, cum conditione seruandæ fidei supremo principi: nam, vt sæpiùs inculcaui, iure filij bonis omnibus excidunt propter scelus paternū. Verùm non propterea peccāte patre peccare & ipsi dici possunt, aut vnà cum patre rebelle rebellasse, si nondum nati erant, aut si illius facinoris prorsus inscij fuere. Neque dicas, aliquandò totam ciuitatem plecti vt crimen à paucis aliquot puniatur, quia videlicet omnium voluntates in illis fuisse censentur; nam id fit quia sontes, ab insontibus despici nequeunt; quod in diuinum oculum non cadit. Vnde tandem Medin. *in art.* 1. *quæstione* 81. monet eum cui hæc exempla non placuerint, vt aptiora quærat.

Impugnatur secundò communis sententia, quia hæc priuatio est effectus, ac pœna peccati; idcircò 24
enim priuamur iustitia originali, quia in Adamo peccauimus. Et sanè cùm Deus sit causa illius priuationis; ipse enim gratiam non dat, atque ita eius carentiam causat eo modo quo carentiæ causari possunt, non potest ea esse peccatum, nisi Deum peccati auctorem faciamus

Tertiò, singuli modi exponendi difficiles vi- 25
dentur.

Primò quidem, quòd sit priuatio gratiæ, quia cùm præcepta non dentur de habitibus, sed solùm de actibus; vnde non apparet cur priuatio gratiæ habitualis sit peccatum, quod alicui legi & præcepto repugnare debet. Deindè quod gratia hoc loco restringatur ad effectum subiiciendi mentem Deo: etsi enim ille gratiam consequatur; primus tamen non est; sed supponit formalem sanctitatem, aut sanctificationem, qua remota, dicimur à Deo auersi, illique exosi, & per baptismum primariò restituitur sanctitas, & solùm consequenter subiectio diuinæ menti.

Secundò

26 Secundò, malè negatur priuatio aliorum donorum, quæ cum gratia fuerant concessa, esse peccatum originale, saltem tanquam pars essentialis: quia omnes illæ perfectiones maximas, quibus vitium naturæ insitum & propensio concupiscentiæ ad bonum sensibile rationi dissonum emendabatur, æquè moraliter nobis debitæ erant vi legis ad eas habendas obligantis, atque ipsamet gratia, cùm totam iustitiam originalem & adæquatè sumptam eâ lege Adamus acceperit, vt per suam obedientiam eam in posteros propagaret. Si itaque ratione illius debiti moralis ea obligatione legis alicuius contracti, priuatio gratiæ & sanctitatis debitæ peccatum est, erit quoque priuatio reliquarum perfectionum sub eodem obligationis nexu debitarum. Neque dicas, solam priuationem sanctitatis esse animæ mortem, cùm aliæ perfectiones non sint ipsa sanctitas & reparari possint per habitos contrarios qui actibus naturalibus acquiruntur etiam non reddita sanctitate, atque ita retineretur peccatum originale sine gratia. Ita respondet Monc. *d.7.p.2.c.6.* hinc enim non sequitur aliarum quoque habitualium perfectionum eâdem lege debitarum priuationes ad rationem maculæ, & culpæ habitualis suo modo pertinere, sicut in peccatis venialibus actualibus priuatio perfectionis actualis peccatum est formaliter, etsi non sit priuatio sanctitatis. Et sanè cur non æquè potuerit Adamo præcipi virtus aliqua seruanda, & ad posteros propaganda, atque ipsa gratia? Deinde quod de habitibus naturalibus affert Monc. non viget, quia dona, quorum priuationes includi dicimus in peccato originali, sunt supernaturalia; quæ non magis acquiri, aut dari possunt sine gratia saltem ex lege ordinaria, quàm potentiæ sine natura, cuius sunt potentiæ. Tritum enim est, gratiam esse instar naturæ, aut esse quoddam supernaturale, cui reliqui habitus tanquam operationum sibi consentanearum instrumenta debentur.

27 Confirmatur: quia Adamus peccauit contra specialem aliquam virtutem, cuius proindè priuatio ad maculam tùm in Adamo, tùm in posteris pertinebit, cùm priuatio perfectionis ex præcepto debitæ, vt iam monui, sit macula, & peccatum; quod efficaciùs vrgebit, si supponamus Adamum peccasse contra fidem, aut aliam quampiam virtutem theologicam, quod multi volunt: æquè enim habitus illarum virtutum præcipiuntur, atque ipsiusmet gratiæ. Quare cùm per peccatum Adami omnes illas perfectionum ex præcepto debitarum morales priuationes contrahamus, illæ omnes ad peccatum originale formaliter pertinebunt.

28 Quod si concedas (qui erat tertius modus exponendi sententiam communem) iam peccata originalia in vno eodémque subiecto multiplicas, contra apertam Trident. *sess.5.* & Concilij Mileuitani *superiùs* allati definitionem. Neque satisfacit Valent. dùm ait hos omnes habitus præter rationes particulares, & specificas vnam communem & genericam, in quam singuli desinunt, habere, quòd nimirùm mentem Deo subiiciant, sub eáque consideratione vnum peccatum originale constituere. Verùm illi habitus non solùm secundùm communem illam rationem, sed secundùm etiam particulares, & specificas per quas in esse talis virtutis constituuntur ex præcepto debitæ sunt, vti ostensum fuit; igitur & priuationes earum etiam secundùm specificas rationes peccata erunt, atque adeò plura.

29 Quartò, quod dicebat Vasq. hanc priuationem sanctitatis esse defectum naturæ, & dici peccatum, sicuti monstra in naturalibus, accidit quidem propiùs ad veritatem, sed ampliùs explicandum est quomodo ille defectus naturalis veram rationem peccati induat, quam in peccato originali & actuali vniuocam esse censet idem Vasq. *n.46.* quod ratio peccati sit in disconuenientia cum natura rationali, quæ in vtroque peccato independenter inuicem, & æquè primò reperitur. Verùm cùm exigatur moralitas, fundamentum videlicet, & libertas, non apparet quando sit in peccato originali sicut in actuali. Quod autem ait Vasq. *num. 57.* hunc defectum non esse pœnam cùm faciat dignos pœnâ, scilicet priuatione gloriæ, & consequenter esse culpam, non satisfacit, quia idem potest esse culpa & pœna permissiua, seu habere pro causa culpam præcedentem, quæ nos priuauit auxiliis, nisi sit tamquam aliquid genericum & commune ad omne peccatum mortale pertinens.

Quintò, macula illa ab Adami peccato in nobis 30
resultans fictitia est, tum quia macula peccati actualis non est priuatio, tantùm gratiæ, vt *suprà* diximus, tùm quia ea macula, quidquid sit, non manet nisi in eo, cuius fuit actio, à qua producta est; tùm denique quia malè peccatum originale cum actuali comparant, cùm ipsæ voces multum discrimen inter ista significent, & omnis ista resultantia ex Adami actione præterita, non potest nisi per quandam denominationem extrinsecam explicari. Iisdem de causis reiicio habitualis conformitatis ad legem priuationem, quam induxit sexto loco Cutiel, cùm in explicanda quoque macula peccati actualis, ad cuius analogiam argumentatur, *alibi* reiecta fuerit. Quæ omnia non quiescere animum in communi sententia demonstrant: quare mollienda est, & res tota altiùs arcessenda.

Nota ad veram sententiam.

Obserua imprimis, Deum naturam humanam liberè extulisse ad finem illi supernaturalem, & indebitum, quæ est clara ipsiusmet Dei cognitio, & plena, ac perfecta possessio; cùm enim eiusmodi finis ac beatitudo, ad quam nos destinatos esse fide constat, sit essentialiter quid supernaturale, vti 1. *part. tract.* 1. *d.* 2. fusè fuit demonstratum, non potuit esse debita naturæ vlli creatæ ex principiis eius intrinsecis, neque proinde eius esse finis naturalis, qui alius non est ab eo, ad quem natura quæpiam vi suæ essentiæ ordinatur, & tendit, cuiúsque acquisitio & possessio ab ea acquisibilis est naturaliter. Non potuit etiam natura rationalis sponte sibi eiusmodi finem & scopum figere, cùm neque eum naturaliter cognoscere, neque propriis viribus acquirendum sperare, neque sub ea ratione perfectæ possessionis, & elatæ, quam impossibilem vidisset, efficaciter appetere potuerit, vt in *priori tract. de beatitudine* disputantes ostendimus. Ab aliquo igitur extrinseco ad eum finem destinata est natura, & non alio certè, quàm à Deo, qui cùm non ex exigentia naturæ humanæ, neque vllâ aliâ ratione ad eam ordinationem cogi potuerit, liberrimè omninò ad tam sublimem finem eam euexit. 31

Ex hac destinatione humanæ naturæ ad finem supernaturalem necessitate quadam hypotheticâ, & 32
consequenti decreuit illi Deus exhibere media supernaturalia fini, ad quem tendebat acquirendo proportionata, quorum omnium prima radix est gratia & sanctitas: illa enim, vt *inferiùs* dicetur, est prima ratio, quæ nos in esse supernaturali constituit, estque primum & radicale principium omnium actionum, quibus finem illum nostrum aut acquirere, aut possidere, aut illi coniungi intimè possimus: quare vi prioris, & antecedentis decreti, quo naturæ, ad ali-

quid supernaturale ordinata est debuit conferri, ita vt naturæ ita destinatæ non potuerit Deus gratiam negare, nisi propter aliquam eius culpam, quæ eam iure meritò tam excellenti dono priuaret: vnde hanc ordinationem ad finem supernaturalem optimè vocat Suar. *proleg. 4 de gratia. cap.* 1. *num.* 18. & *cap.* 4. *num.* 1. tum gratiam, quia debita non erat, tum omnis gratiæ internæ, donorúmque supernaturalium primam radicem, cùm & vi illius collata fuerit, & absque ea non fuerit conferenda, cùm non esset naturæ debita: alioqui sub beneficio creationis (qui fuit Pelagij error) daretur. Gratiam igitur contulit Deus primò naturæ quidem immediatè a se conditæ; posterius verò in singulorum ortu dare decreuit, sed dependenter à primi parentis obedientia: vnde dicitur Adamus gratiam & sanctitatem in posteros transfundendam accepisse; quæ transfusio non alio modo facienda erat, quàm quia si Adamus diuinis præceptis obsequutus, sceleris purum integrúmque vitæ se præstitisset, obligabatur Deus vi suæ voluntatis antecedentis & decreti, singulis eius nepotibus in primo generationis & esse instanti gratiam tanquam primum & princeps medium acquirendæ beatitudinis supernaturalis, ad quam eos ordinarat, conferre. Et quidem Adamo exhibitam fuisse gratiam, & sanctitatem ante lapsum, de fide est definitum ab Arausic. Concil. II. *Can.* 19. vbi natura humana in primo parente salutem gratiæ habuisse dicitur: & à Trident. *sess.* 5. *Can.* 1. dicente Adamum vbi peccauit, sanctitatem, in qua fuerat constitutus, amisisse, & *Can.* 2. acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam perdidisse. Præiuere his Conciliis omnes Patres, & imprimis August. *lib.* 6. *de Genes. ad litt. cap.* 24. exponens renouationem, quam in Christo & nouo homine veterem exuti accipimus. Imò in ipsamet gratia conditum, atque in primo instanti sui esse, vt olim dicebamus de Angelis, probabilissimum facit consensus ferè Patrum vnanimis, qui vbi quæritur an aliquid factum fuerit an non, validissimum argumentum suppeditat: illi autem ferè omnes quædam Scripturæ loca in hunc sensum trahunt. Primò enim quod dicitur homo creatus ad diuinam imaginem, similitudinémque, ita interpretantur, vt imago fuerit insculpta naturæ ac proindè deleri, aut eradi nequeat: similitudo autem fuerit in gratiæ donis. Horum loca congessit Bellarm. *lib. de gratia primi hom. cap.* 3. Secundò illud, *insufflauit spiraculum vitæ*, interpretantur de Spiritu sancto communicato, quóve impressa fuerit imago naturæ, vt ait Cyrill. *lib.* 1 *de adorat. & lib.* 2. *in Ioan. cap.* 3. vbi ait à diuino Spiritu sigillatum hominem ad imaginem Dei: & *lib.* 11. *cap.* 15. Damasc. *lib.* 2. *de fide, cap.* 12. cum Spiritu accepisse gratiam quæ sumpsit, vt interdum solet à Nazianz. *orat.* 42. siue 2 *de Paschat.* Basil. *in Psal.* 48. illud *insufflauit*, ita reddit, vt velit Deum suo flatu partem aliquam gratiæ suæ apposuisse. Neque obstat August. qui eorum verborum sensum esse docet de creatione animæ rationalis *lib.* 13. *de ciuit. cap.* 14. *& lib.* 2. *de Genes. contra Manich. cap.* 8. & Cyprian. qui licet *Epist.* 74. *quæ est ad Pompeium*, per spiraculum inspiratum intelligat Spiritum sanctum & gratiam: priùs tamen hominem conditum esse affirmat, deinde consequutum hanc insufflationem. Quod probat, quia non potest accipi Spiritus nisi priùs sit qui accipiat. Hæc, inquam, non obstant, quia August. contendit solùm *illo loco de ciuit.* per ea verba propriè significari actionem, qua anima rationalis, quæ spiritus vitæ est, condita fuit. Non laborat autem vtrùm cum illa actione coniuncta fuerit quoque sanctificatio: altero autem loco allato ait tantum non fuisse hominem spiritualem antequàm esset in paradiso, nempè cum illa omnimoda perfectione, de qua statim, quam in paradiso solum communicatam putauit. Cypriani autem verba non postulant ordinem temporis inter creationem, & sanctificationem, sed præsuppositionis tantùm, seu naturæ. Tertiò, quod se nudos post peccatum esse aduerterent primi parentes eo referunt, vt ab ipso initio vestiti virtute, & gratia fuerint, vnde suam nuditatem corpoream non erubescerent. Ita Ambros. *Epist.* 30. *ad Sabinum*. & *lib de parad. cap.* 13. *lib de Noë, cap.* 30. & *lib.* 7. *in Luc. cap.* 10. Aug. *lib.* 24. *de ciuit. cap.* 17. Bernard. *serm.* 1. *de ann.* & denique *Eccles.* 7. *Creauit Deus hominem rectum & secundùm se vestiuit illum virtute.* Cuius loci priorem partem, etiam in hanc rem accepit S. Thom. 1. *part. quæst.* 95. *art.* 1. hanc enim rectitudinem de gratia exponit consentaneè phrasi Scripturæ, vt aduertit Pineda *in cap. illud Eccli vers.* 30. *num.* 13. Quare tùm S. Thom. tùm eius discipuli, aliique Theologi hanc sententiam vt probabiliorem docent. Vide Suar. *lib.* 3. *Exham. cap.* 17. Vasq. 1. 2. *d.* 132. *num.* 32. Bellarm. *loc. cit.* vt aduertit. Auctor. *QQ.* veteris & noui Testamenti apud Aug. qui videtur contrarium sentire non modo non esse Augustinum, sed hominem impium, & ineruditum.

Gratiæ addidit reliquos omnes habitus supernaturales, qui eam tanquam proprietates essentiam 33
consequuntur; quare & connaturaliter gratiæ exhibitionem comitari debuerunt.

Adiunxit tertiò, ex mera liberalitate priuilegia quædam vnà cum gratia in Adami posteros, si ille non peccasset, propaganda. Plura enumerat Mosea Barceph. 1. *part. de parad. cap. vlt.* vbi quatuordecim beneficia Adamo collata recenset, & ad quinque reuocari solent. Primum fuit infusio omnium habituum naturalium, siue ad intellectum, siue ad voluntatem pertinentium, quos potuisset quidem, sed longæuo vsu, & non sine aliquo labore acquirere. Secundum immunitas ab errore & deceptione: ignorantiam enim & difficultatem, pœnam esse peccati asserit August. *lib.* 3. *de liber. arbitr. cap.* 18. S. Thom. 1. *p. quæst.* 94. *art.* 4. in eadem est sententia, quem sequitur Suar. *prolegom.* 4. *de gratia, cap.* 3. *n.* 3. & *l.* 3. *Exh. c.* 10. Tertium fuit immunitas fortassis a peccato veniali, vt diximus & incompatibilitas cum mortali. Quartum immortalitas corporis. Quintum denique mirabilis illa tranquillitas animi, quæ in triplici subiectione consistebat, animæ videlicet ad Deum, appetitus sentientis ad rationalem, & corporis ad animum, siue hæ subiectiones efficerentur à diuersis & particularibus habitibus, siue per auxilia quædam externa, & singularem Dei protectionem, quod modo non definio.

Ex his autem omnibus, gratia nimirùm, & habi- 34
tibus supernaturalibus ei connexis ac quodammodo debitis, naturalibus per accidens infusis, singularibus Dei auxiliis, & præcipua cura, ac prospicientia, & omnibus denique priuilegiis homini in eo felicissimo statu concessis, atque etiam in posteros manaturis, nisi ille per summam socordiam sibi, & nobis illa perdidisset, efflorescebat iustitia originalis, quæ non fuit simplex quidam habitus, sed ex omnibus enumeratis congeries quædam, vti censet Suar. *prolegom.* 4. *cap.* 3. & *lib.* 3. *Exha. cap.* 20. latissimè Molin. *in Ex. disp.* 27. ad mentem sine dubio S Thom. Atque hinc solues vulgarem difficultatem, an iustitia originalis distingueretur à gratia sanctificante; illam enim includebat & aliquid prætereà addebat, nempè omnia enumerata: nam cùm supernaturalem, & naturalem hominis rectitudinem perficeret, & quodam-

modo

modo compleret in ordine, ad omnes omninò actiones perfectè eliciendas, ea quæ ad vtramque hanc rectitudinem pertinebant complecti debuit; eiusmodi autem sunt omnia *superius* enumerata. Neque enim omnes effectus, quos iustitiæ originali tribuunt Theologi, & maxime illam coërcitionem effrænis alioqui concupiscentiæ, & in bonum sensibile, præter rationis imperium sæpiùs erupturæ, atque blanditiis ipsam voluntatem, licet volentem lubentémque pertracturæ, sola gratia præstare potest, siue ipsa per sese, siue per dona & habitus illi connaturaliter connexa, vt patet in hominibus iustis, qui cum gratiam & totum eius satellitium habeant, illos tamen concupiscentiæ experimur tumultus.

Respondet Valent. 1. *part. disp. 7. quæst. 2. p. 2.* potentias posse percipere vim à qualitate, quæ est in animæ essentia, eò quòd illa sit radix omnium potentiarum, sicut corpus immortalitatem accepisset à iustitiæ dono, quod in sola anima residebat: verum forma non potest suum effectum formalem conferre nisi illi soli subiecto, in quo est, hi autem effectus formales sunt, vt patet. Addit Soto *lib. 1. de natura, & gratia, cap. 5.* primam illam gratiam majoris fuisse dignitatis ac efficacitatis quàm sit ea quæ exhibetur in natura lapsa. Verùm inauditum est, incognitúmque PP. ac Concil. gratiam Adami & nostram diuersam specie fuisse, cum eandem, quam Adamus acceperat, nobis eius culpa periisse passim asserant, & Christi meritis restitutam, & vtraque fuerit suprema participatio diuini esse illius naturæ velutì communio, & consortium; dignitas autem tantùm accidentalis primæ gratiæ ad effectus, de quibus disputamus explicari nequit, consistere enim tantùm potuit in quadam eleuatione, vel morali, vel physica; moralis esset illius acceptatio ad omnes eos effectus, sed tunc illi non fierent à sola gratia, sed vi illius communicarentur, aut habitus, aut auxilia necessaria ad id quod acceptata fuit gratia. Eleuatio verò physica fit in genere causæ formalis, vel efficientis: non primùm, quia forma sibi relicta omnes effectus suos formales subiecto communicat, neque alios quàm sibi proprios conferre vlla vi potest. Posterior modus eleuationis possibilis quidem est, sed valdè insolitus: quare nisi de illo aliunde constet admittendus non est: cur enim dicemus gratis Deum reiectis habitibus connaturalibus, actionum naturalium, supernaturaliumque principiis vsurum entitate gratiæ, quia in animæ essentia, & veluti fundo sedet ad omnes actiones eliciendas?

35 Dicendum itaque est gratiam sanctificantem includi in iustitia originali, non esse tamen ipsam adæquatè sumptam, quamvis eius pars præcipua fuerit, ac veluti radix & primùm fundamentum non necessitatis, sed institutionis, cùm Deus non decreuerit vlli conferre ea priuilegia, quæ includit iustitia originalis, nisi gratiam haberet. Vnde dicitur à S. Th. locis allatis à Soto, & Valent. iustitiam secundùm suum formale, esse in essentia animæ; gratia enim, quæ sola ex omnibus habitibus in animæ essentia sedet, appellatur formale iustitiæ originalis, sumptæ nimirum quoad principalem formam, quæ cæterarum omnium quasi radix, & fundamentũ est, & peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis, formaliter scilicet, quoad gratiæ carentiam, & quoad reliqua tantum consequenter; destructo enim fundamento, quæ ei fuerant inædificata ruere necesse est: & è contrario per gratiæ infusionem peccatum originale auferri dicitur: quia licet non restituatur secundùm omnia quæ erant in iustitia originali, cùm tamen quod in ea erat præcipuum, & cæterorum radix, reddatur, rectè per id peccatum quod præcipuè in ea carentia consistebat deleri dicitur. Et sanè, cùm, vt diximus, iustitia originalis adæquatè sumpta fuerit multitudo quædam donorum indebitorum naturæ, quibus secundùm rectitudinem tum naturalem, tum supernaturalem perficeretur, debuit in illis aliquis ordo reperiri, & inferiora superioribus subordinari, & quæ ad rectitudinem naturalem faciunt, non debuisse conferri nisi in ordine ad rectitudinem supernaturalem, quæ prima in gratia est, meliùs faciliúsque conseruandam: constátque experientia subla à priori illa ac præcipua rectitudine supernaturali, & pereunte gratia, reliqua omnia dona periisse, atque aliqua ex illis nunquam in hac vita restituenda, quæ tamquam consectaria tantùm fuerint, & appendices primæ illius iustitiæ supernaturalis, quæ est ipsamet sanctitas ac gratia.

Quia tamen hic ordo est totus ex diuina institutione & beneplacito, & non ex natura ac existentia rei, licet ei admodùm consentaneus, ideo dixi gratiam esse radicem tantùm institutionis, & non necessitatis aliquorum donorum tum supernaturalium, tum naturalium; quia ad operationes naturales dantur, sed indebitorum, quæ nomine iustitiæ originalis continentur, atque hæc omnia priuilegia fuisse liberè à Deo vna cum sanctitate Adamo collata, & in posteros, si ille perseueret in officio, propaganda, quia ea omnia potuerunt reperiri sine sanctitate, atque in natura ad finem supernaturalem non eleuata: & non sequuntur ex eiusmodi eleuatione, aut ex gratia in prima conditione collata. 36

Prima pars probatur: quia Deus hominẽ in statu puræ naturæ, & sine ordine ad finem supernaturalem creatæ poterat dare omnia priuilegia relata, nempè immortalitatẽ, immunitatẽ ab errore & deceptione circa naturalia, omnes habitus naturales, & subiectionem concupiscentiæ; & frænum, ne vi quadam rationem præueniret, idest esse, qui fuisset status naturæ integræ, sed puræ, quia tantum naturalem rectitudinem, & in ordine ad actiones naturales perfecisset, vt concedit Suar. *proleg. 4. c. 2. & cap. 3. n. 9. & cap. 4. num. 4. & lib. 3. de grat. cap. 10. num. 46.* 37

Secunda pars, scilicet hæc priuilegia, & imprimis coërcitionem concupiscentiæ non sequi ex eleuatione ad finem supernaturalem, probatur à Valent. *d. 6. q. 12. p. vn. § 5.* tum ex natura lapsa quæ illis priuilegiis caret, licet eamdem eleuationem retineat, tum quia potuit creari Adamus in gratia & sanctitate, relicto fomite quem etiam nihil coegit extinguere in beata Virgine vbi illam in primo instanti sui esse, gratia ornauit, & à peccati originalis macula incurrenda absoluit, & Christo ipsi, in quo fuit tota iustitia, primo parenti concessa, non fuere communicata omnia ea priuilegia, fuit enim mortalis. Ratio veluti à priori omnium est: quia per hæc auxilia, & fomitis, vt vocant, extinctionem occurritur tantùm imbecillitati, quæ ex naturali inclinatione appetitus sentientis ad bonum sensibile, & ex naturali modo cognoscendi hominis oritur: cum enim obiecta sensibilia priùs ferire debeant sensum, quàm moueant intellectum, priùs mouent quoque appetitum, quam a ratione introspiciantur, eóque motu etiam quandoque pellecta voluntas, etsi deinde aduertat ratio turpitudinem obiecti, abripi se patitur, reliqui etiam defectus corporei, qui per dona iustitiæ originalis corrigebantur, & per integritatem naturæ exprimuntur a Theologis, connaturales sunt homini ex anima, corporéque constanti, possúntque emendari sine vlla ordinatione ad finem supernaturalem; immò donum naturale appellari poterit, 38

vt

vt concedit Bellarm. *lib. de gratia primi hominis*; quia non perficit naturam nisi in ordine ad actiones naturales, quamvis aliunde, quia tota hæc emendatio, & concupiscentiæ ligatio non sit debita naturæ, supernaturalis dici possit. Hinc videa varios naturæ status, quos distinguunt Theologi apud Caiet. *artic.* 1. *quæst.* 109. hic Suar. *lib.* 3. *Exham. cap.* 20. *num.* 45. & *prolegom.* 4. *cit.* Valent. 1. *part. disp.* 7. *quæst.* 2. *p.* 1. & alios, primus est naturæ puræ, qui nunquam fuit: in eo enim natura esset cum sibi naturaliter debitis sine vlla ordinatione ad finem supernaturalem. Secundus naturæ integræ in quo natura præter sibi connaturalia, habet rectitudinem omnem, naturalem, & concupiscentiam etiam frænatam, quem aliqui vocant statum iustitiæ originalis, & fuisse in Adamo concedunt, quotquot putant cum Alens. 2. *part. q.* 91 *m. art.* 1. Bona. *in* 2. *disp.* 29. *art.* 2. *quæst.* 2. & alii, Adamum non fuisse conditum in gratia. Mooc. *d.* 7. *p.* 3. *cap.* 2. ait Deum potuisse velle dare post annum tantum, aut certum aliquod tempus ab ortu gratiam Adæ posteris, si ille perseuerasset, atque ita in iis fuisset integritas naturæ, siue gratiæ: qua lege posita, peccante Adamo non contraheret infans peccatum ab ortu, sed post illud tempus, quo debuerat conferri gratia, & concessa non fuit, Adamo culpabiliter impediente. Tertius est status proprius iustitiæ originalis, qui & naturæ integritatem, & eleuationem ad finem supernaturalem, & omnia dona ac priuilegia *superiùs* recensita continet, quem nos concedimus Adamo, vbi primùm conditus fuit. Quartus puræ gratiæ, in quo homo habet gratiam sine perfectionibus originalis iustitiæ, qui in hominibus iustis culpæ mortalis expertibus concipi potest. Quintus denique naturæ lapsus in Adamo, eiúsque culpa omnibus subsidiis atque priuilegiis destitutæ, atque adeò vulneratæ, vt *infrà* videbimus. Ex his omnibus

39 Colliges primò, Adamum non sibi soli accepisse, aut perdidisse sanctitatem, dona supernaturalia, atque omnia priuilegia iustitiæ originalis, sed etiam nobis; quod sæpius in hac materia inculcandum est, éstque fide certum ex Trid. *sess.* 5. *Mileuitan. Arausic.* II. Conciliis *suprà* relatis; & fusè probat Catharin. *opusc. de peccato originali disp.* 7. & ipso etiam nomine Adami, quod in Scripturis ita perfectè est, vt etiam sæpiùs totam naturam significet, seu hominem absolutè. Neque vllam Deus Adamo, aut posteris fecit iniuriam: cùm enim liberè naturam humanam ad finem supernaturalem extulerit, licèt vi illius decreti obligarit se liberè ad dandam gratiam naturæ humanæ, & alia media ad finem, ad quem eam destinarat necessaria; liber tamen fuit in modo ea exhibendi, visúmque est summæ sapientiæ dare illam cuique homini in primo sui ortu, dependenter tamen ab Adami, quem omnium parentem hominum, & caput elegerat, obedientia: Adamo autem ipsi sine vlla alia præuia actione, saltem meritoria de condigno illam exhibuit. Quid igitur habent, quod querantur liberi, quibus princeps in gratis confert dignitatem, æternùm ab eorum familia gerendam dependenter à Parentis fidelitate; cui etiam illam ex mera liberalitate concessit? Est verò solemnis hoc loco controuersia, an fuerit pactum aliquod inter Adamum & Deum initum de transfundenda in posteros iustitia originali; illud enim ridet, & fabulam vocat Soto *lib.* 1 *de natura & gratia*, c. 10. & Stapleton. *lib.* 1. *de iustif. cap.* 10. acriter autem tuetur Salmer. *in cap.* 5. *Epist. ad Roman. d.* 45. & alij, qui varia Scripturæ loca parum efficacia in hanc rem congerunt. Quæstio videtur esse de nomine, vt aduertit Suar. *lib.* 3. *Exha. cap.* 21. fuit quidem necessaria voluntas Dei antecedens, qua vellet ita Adamum teneri de non comedendo pomo vt eadem obligatione posteri implicarentur, hoc est exciderent & ipsi à gratia, alioquin ipsis communicanda: neque ad huc sufficiebat solum, & nudum præceptum Adamo impositum; quia lex lata parenti non obligat ex natura rei liberos, antequam sint præcepti capaces, quod reuerà non sunt, si geniti non sunt. Et sane si Adamus non peccasset, & Cain pomum vetitum comedisset, eius deinde filius Enoch. non peccasset in parente, contra quàm affirmant Scot. *in* 2. *d.* 32. 6. *ad argumenta* 3. *quæstionis*. Contad. 1. 2. *quæst.* 81. *art.* 1. & Driedo *lib. de captiu. & redempt. gen. humani*, *tract.* 2. *cap.* 1. *part.* 4. *conc.* 4. & dubitat Sal. *tract.* 13. *d.* 11. *n.* 58. quod iudicium manifestum esse ait Suar. illam legem ea natura sua non obligare filios futuros in parentibus; atque, vt obseruat Vasq. *d.* 132. *n.* 36. poterat sibi soli Adamus iustitiam accipere. Vnde sequitur, si quia eâ lege & diuino decreto accipiendi iustitiam, & gratiam dependenter ab Adami obedientia, non comprehenderetur vt poterat non comprehendi, si Deo ita visum fuisset, ab originali peccato, atque à debito illud contrahendi immunem fore, vt colligit Sala. *defens. de concept. Virg. cap.* 1. §. 7. *num.* 38. Non fuit tamen necessarius Adami consensus, etiam vt capitis humani generis, ad inducendam eam obligationem posteris, ac proinde neque pactum rigidè dictum inter Deum, & Adamum debuit intercedere: quasi ille eâ conditione acceptarit gratiam in posteros transfundendam; eam enim conditionem poterat Deus, gratiæ & iustitiæ liberalis auctor apponere, vt ea hactenùs disputatis manifestum est, & docent Vasq. *d.* 133. *c.* 1. Suar. *lib.* 3. *Exham. c.* 21. *n.* 24. Monc. *disp.* 7. *p.* 3. *cap.* 3. qui rectè aduertunt non fuisse necessarium Adamo innotescere hanc diuinam legem vt ea suam vim obtineret: sed vt posteri Adæ nascerentur in gratia parente non peccante, satis fuisset decretum efficax diuinæ voluntatis, absque vlla alia reuelatione: ita è contrario vt eo peccante priuentur gratiâ, erit eadem voluntas diuina absque vlla reuelatione facta sufficiens, maximè cùm non exigatur Adami consensus, vt dixi, vt posteri eodem inuoluantur quodammodò præcepto: id enim totum factum supponeret ipsa reuelatio.

Obiicit Salazar *loc. cit. num.* 43. obligationem habendi gratiam non nasci ea natura rei, quòd vel ipsa ex sua natura debita sit, vel quod Adamus ex natura, & ratione capitis obligetur suam gratiam transfundere in omnes posteros, ac proinde, sibi & illis tam seuerè teneatur. Vnde sequitur eam totam obligationem sequi ex diuina lege, quæ non obligat nisi innotescat, vt passim de omnibus præceptis docetur, verùm id iam solutum est: cùm enim gratiam transfundi ab Adamo in filios sit tantum Deum conferre gratiam omnibus Adami filiis, eo non peccante, nullum fuit necessarium præceptum Adamo imponi de gratia sibi, & posteris seruanda, quod etiam reuerà interuenisse negat Curiel *in q.* 82. *art.* 3. *dub.* 4. §. 3. & Bellarm. *lib.* 5. *de amiss. gratia, cap.* 19. &, vt ostendi, satis fuit decretum diuinum de conferenda gratia sub ea conditione: quomodo autem rationem leges habuerint, statim dicam 40

Verum quamvis hæc notitia necessaria non fuerit Adamo, probabilius tamen censet communis opinio, id factum fuisse, vt cautior redderetur Adamus in seruando deposito, quod ipsi creditum fuerat, & vt beneficij sibi collati magnitudinem expenderet, sciretque sub quo onere, & conditione datum esset: & sanè ex hac notitia plurimùm crescit eius culpa.

ad

Colliges secundò, naturam humanam eleuatam ad finem supernaturalem contraxisse debitum, & & obligationem habendi in primo instanti sui esse gratiam, vt ait Scot. *in 2.d.31.q.vnic. §. quantum ad secundum.* Debitum naturale primò opponitur libero, estque necessarium, a. quod connaturaliter exigit natura aliqua, non absolutè considerata, sed etiam in aliquo statu, v. g. singularitatis, & existentiæ; debetur autem naturæ gratia in statu eleuationis ad finem supernaturalem. Obligatio idem est cum debito, & non significat moralem obligationem, quæ obligatio nascitur ex voluntate Dei absoluta, & antecedenti, qua destinauit naturam ad finem supernaturalem, & consequenter voluit illam habere principia omnia quæ necessaria sunt ad genus moris supernaturale: cùm enim voluerit naturam acquirere finem illi præfixum suis actibus meritoriis, & supernaturalibus, debuit illi velle, aut conferre, eámque proinde obligauit habere ea principia quæ consistunt in forma, & propensione ad eum finem, & in potentiis ac facultatibus, quarum actionibus obtineatur. Quod in omnibus naturis respectu suorum finium particularium facile fuerit obseruare, & in ipsa natura humana etiam vt rationalis est, & ordinem habet ad suum finem naturalem acquirendum actionibus moralibus apparet; nam principium totius istius moralitatis est tum forma, quæ in eum finem sibi consentaneum proportionatúmque propendet, quæ est ipsa anima rationalis, tum potentiæ quibus in eum finem tendit, voluntas nimirùm, intellectus, & habitus denium virtutum omnium. Ita in hoc genere moris supernaturali debet assignari forma, qua propendeat natura in eum finem, ipsique quodammodo proportionetur, quæ forma est gratia & sanctitas: debent deinde tanquam proprietates quædam adiungi habitus supernaturales, qui sunt veluti potentiæ per quas ea forma operatur.

Ex quibus sequitur gratiam esse formam quandam moralem, cùm sit primum principium omnis honestatis supernaturalis, & actionis meritoriæ, vnde sequitur, eam esse debitam ex lege diuina ad eam obligante: etsi enim lex propriè sit regula directiua humanæ actionis à superiore lata, omnis tamen absoluta & efficax voluntas antecedens superioris, cùm obligationem inducat, lex suo modo dici potest, & præceptum; sicut voluntas, qua Deus omnes naturas in suos fines naturales dirigit, illisque propensiones ac facultates in eam rem confert, lex æterna dici solet: quidni igitur voluntas, qua decernit vt aliqua natura ad quempiam finem ordinetur, & illum suis actionibus acquirat, & consequenter habeat actionum illarum meritoriarum principium proximum & radicale, lex quoque dici poterit, non naturalis, sed moralis? quia licèt non præscribat formaliter, & immediatè actionem moralem, neque eam dirigat, obligat tamen ad genus moris, & ad principium morale, & tandem remotè, ac consequenter ad actiones morales: & sicut natura, quæ caret aliquo ad suum finem naturalem acquirendum necessario, deficere & peccare dicitur, atque aliquo ex iis ad quæ lege naturali obligabatur habere, carere, etsi non sit in eius potestate eum defectum reiicere, quidni etiam natura, quæ circa hæc moris principia deficiet contra legem, qua illa habere tenebatur, dicetur peccatum habere, illúdque morale, cùm ad genus moris totus ille defectus maximè pertineat, & careat formâ aliquâ sibi præceptâ, & aliquo genere debiti moralis debita? quod debitum tamen non requirit in eo, qui obligatur, vsum rationis, & libertatis, sed similis est debito naturæ, quo quælibet res debet habere certas perfectiones naturales, non tamen est merè naturale debitum, sed morale; quia præcipit primum principium motum, & virtualiter actiones, quarum illud est principium

41 Colliges tertiò, habitus supernaturales esse debitos haberi ex lege quidem, & præcepto, sed consequenter tantùm quatenùs sunt proprietates gratiæ, & ratione actionum, quæ tamen sine illis, per auxilia externa fieri commodè possunt.

Colliges quartò, tranquillitatem illam, qua propter coercitum appetitum sentientem mirabili quadam vi fruebatur Adamus, & alia omnia priuilegia quibus donatum diximus in statu iustitiæ originalis, non fuisse debita haberi ex aliquo præcepto, cùm, vt ostendimus, non consequantur naturaliter ex ordinatione naturæ ad finem supernaturalem, aut ex sanctitate, & sine his omnibus haberi potuerint, fuitque prorsùs superabilia, atque ad effusam tantùm diuinæ liberalitatis munificentiam probandam concessa fuerint Adamo, posteris communicanda, sed alio longè modo quàm fuerit data sanctitas; quare licet ea omnia peccante Adamo perdiderimus vnà cum sanctitate, non mansit tamen in nobis debitum, & obligatio habendi ligationem præternaturalem concupiscentiæ magis quàm immortalitatis, cæteráque priuilegia felicissimi illius status.

42 Obseruandum est secundò, duplex esse peccatum: vnum actuale, quod est defectus in operatione, quæ personæ tribuitur, alterum est peccatum naturæ, quod est defectus in esse, quod naturæ tribuitur: qui duo defectus, seu peccata in physicis perspicua sunt; quandoque enim agens peccat in sua operatione; aliàs patitur defectum in forma aliqua sibi connaturaliter debita, & in principio agendi. Hinc licet per quandam analogiam facile ad moralia argumentari, atque vtrumque hunc defectum obseruare: & quidem peccatum actuale, seu defectus in operatione morali facilè aduertitur, eiusque naturam *omnibus præcedentibus disputationibus* explicuimus. Peccatum verò naturæ quidni dicetur defectus alicuius formæ moralis debitæ, & quæ sit principium actionum moralium, ac proinde naturam, quam afficit, constituentis in quodam esse morali? Quare sicut natura destituta aliquo necessario, & sibi debito, ad esse physicum conseruandum, aut habendum, habet peccatum physicum, éstque monstrum quoddam, ita, si careat aliquo sibi debito, vt constituatur in esse morali, habebit peccatum morale, sed naturæ, non operationis. Differunt verò hæc peccata primò: quia actuale contrahitur propriis actionibus, vt patet, non autem peccatum naturæ, cùm non sit defectus in operatione, sed in ipso esse.

Secundò, peccatum actuale est propriè voluntarium, cùm sit actio liberè dissonans à lege: peccatum verò naturæ, cum non contrahatur per propriam operationem, non potest esse neque eodem modo liberum, neque voluntarium contrahenti, etsi semper supponat aliquam actionem liberam, quæ sit causa talis defectus in subiecto, in quo est.

Tertiò peccatum actuale directè est contra legem propriè dictam, tum quia *alibi* definita est actio liberè dissonans à lege, tum quia lex est regula directiua humanæ actionis. Vnde quoties à sua regula exorbitat humana actio, à tota lege deflectit. Peccatum naturæ non est contra legem propriè dictam, cum non sit defectus operationis, sed actus primi; sed est contra voluntatem efficacem, & antecedentem, quâ obligabatur natura aliquam formam, potentiam, aut actum primum habere, eo ipso quòd

teneretur

teneretur ad aliquem finem tendere per actiones, quæ ab illa forma, aut actu primo connaturaliter dependent.

43 Quartò peccatum actuale, cùm sit actualis transgressio legis propriè dictæ, veram pœnam sensûs quæ sit supplicium, & vindicta delicti, meretur: peccatum naturæ meretur tantùm excidere à fine, ad quem ordinata erat natura, in qua reperitur; cùm enim careat potentiâ & formâ tendendi ad eum finem, nihil mirum est, si careat etiam illo fine: quomodo enim illum assequetur, si nequidem principium tendendi ad illum habeat?

44 Ex quibus omnibus tandem sequitur, hos duos defectus, operationis scilicet, & naturæ, seu ipsius esse, etsi sint morales, cùm sint vel in operatione morali, vel in principio illius, non habere tamen rationem peccati communem quæ ab illis abstrahi possit; sed etsi singula sint verè peccata; inter se tamen comparata esse æquiuoca sub nomine peccati, nihil enim, vt vides commune habent, & toto genere differunt, & in sola trãscendentali illa ratione defectûs moralis conueniunt; & in sua etiam moralitate, quæ est ratio generica peccati, maximè dissident. His obseruatis.

Vera sententia de quidditate peccati originalis.

45 Dicendum est, peccatum originale esse priuationem gratiæ debitæ naturæ humanæ ad finem supernaturalem eleuatæ, & in generatione, si Adamus non peccasset communicandæ: atque ita interpretor sententiam communem, Ansel. *lib. de concept. Virg. cap.* 26. & aliorum deinceps Theologorum, qui, vt vidimus, nuper, in priuatione gratiæ peccatum istud constituunt.

Probatur autem: quia nihil aliud assignari potest in quo formaliter consistat peccatum originale, præter priuationem gratiæ eo modo explicatam, & eâ priuatione positâ rectè intelligitur ratio huius peccati. Prima pars ostenditur ex iis, quæ contra alias sententias, & modos explicandi *superiùs* dicta sunt, quæ omnia sententiæ nostræ non officere manifestum fit. Deinde hoc peccatum est mors animæ, iniquitas & iniustitia, qua Deo simus exosi: atqui hoc solùm habet priuatio gratiæ sanctificantis, quæ est animæ vita, primum & radicale principium omnium actionum supernaturalium: & sicut in naturalibus, licet sublatâ animâ & vitâ, manerent tamen per impossibile potentiæ vitales omnes in corpore organisato; non diceretur tamen viuere, & è contrario, si restaret anima coniuncta materiæ modo informatiuo, quamvis suis omnibus potentiis atque connaturalibus instrumentis capta; vitam tamen composito conferret: ita quamvis manerent omnia dona supernaturalia, vt reuera manent habitus fidei & spei in anima peccatoris, si gratia absit, abest quoque vita, sanctitas, & amicitia Dei, atque iustitia: si verò adsit gratia, etiam sola absque reliquis donis naturalibus ipsi connaturalibus cohærentibus, aderit quoque vita spiritualis, & radicale principium omnium actionum supernaturalium sanctitas, & iustitia, ita vt non possit quis ita affectus esse Deo exosus, neque dici maculatus, iniquus, iniustus, peccator. Sola itaque priuatio sanctitatis, & gratiæ, peccati originalis rationem habebit.

46 Adde hoc peccatum remitti per baptismum, vt fides Catholica docet, & constat ex baptismo paruulorum, ex quo huius peccati existentiam *alibi* probauimus cum Augustino: atqui non apparet quænam alia priuatio primò, & per se tollatur per ablutionem baptismi: quàm gratiæ, quæ in illo infunditur primò, & per se: reliqua enim dona, vt sæpiùs monui, dantur tantùm consequenter, quod sint quædam gratiæ consectaria: quare & eorum priuatio non alia ratione tollitur. Priuatio autem subiectionis, & ligationis concupiscentiæ non tollitur per baptismum, vt constat: vnde intulimus hæreticos male in ea carentia ponere peccatum originale: Neque etiã rectè respondent aliqui Catholici, remitti debitum habendi hanc subiectionem, ac proinde priuationem eius non esse ampliùs peccatum, quod vbi priuatio est, est priuatio formæ debitæ ex præcepto: nam sic multiplicabuntur peccata originalia, erúntque plura in singulis, vt contra communem sententiam olim obiiciebamus.

Denique dici non potest saltem partialiter constitui peccatum originale in priuationibus donorum supernaturalium, distinctorum à gratia, etsi enim hoc incommodum non satis euitet communis sententia, vti ostendimus; in nostro tamen explicandi modo & ex notatis facilè infringitur, quia hæc dona non sunt primò, & per se, neque propter se debita, neque illa habere obligatur natura, nisi consequenter quatenùs obligatur habere gratiam eo ipso quòd sit ordinata ad finem supernaturalem, quod non sufficit ad rationem peccati, ad quod requiritur priuatio formæ debitæ moraliter, hoc est ex præcepto, & lege saltem impropria moraliter obliganti. Sunt autem hæc dona dupliciter debita, primò quasi naturaliter, eò quòd sint proprietates gratiæ sanctificantis, & eius instrumenta. Secundò ex præcepto quodam, quia cùm præcipiantur immediatè, & explicitè, earum actiones, & ipsæ quoque virtutes, atque habitus eadem lege imperantur, licèt nullum eiusmodi præceptum impositum fuerit naturæ humanæ, sed eo ipso quod ad finem, vt dixi, supernaturalem fuerit ordinata. Quando itaque deperditâ gratiâ, pereunt resultantiâ quadam naturali, & physicâ; non quatenùs præceptæ & debitæ sunt aliqua lege morali, quæ ea carentia violetur, vnde sequitur has priuationes propriarum perfectionum malum quoddam naturale esse; non autem malum morale, & contra præceptum. Quod confirmatur ex peccati actualis macula, ad quam nequidem partialiter pertinet priuatio donorum supernaturalium cum gratia, quam aliqua ratione maculam ingredi diximus olim, alioquin, qui vnum peccatum admitteret, contraheret maculas omnium aliorum, quæ virtutes quibus priuatur, oppugnant: quare vt alicuius virtutis carentia ad maculam pertineat, debet illa virtus fuisse præcepta & mediante aliquo actu, in quem tale præceptum cadebat, violata: tunc enim tollitur forma debita saltem mediatè & remotè ex parte, vnde etiam sequitur, nequidem priuationem virtutis, contra quam peccauit Adamus violando diuinum præceptum, pertinere ad peccatum originale, quia cùm illi soli actio illius virtutis, v.g. tẽperantiæ, præcepta fuerit, & ille solus contra eam virtutẽ peccarit, præceptúmque de ea violârit, in illo etiam solo priuatio illius habitûs rationem habebit maculæ. 47

48 Secunda pars, videlicet priuationem gratiæ debitæ naturæ modo explicato sufficere ad rationem peccati, colligitur manifestò ex notatis, si ponamus peccatum originale esse peccatum quoddam naturæ, non actuale; quod omnes fatentur cum Ansel. *lib. de concept. Virg. cap.* 22. ait enim esse peccatum à natura, & dici posse naturale, & naturali necessitate esse contractum. Vasq. *disp.* 132 *num.* 36. qui *n.* 46 exemplo monstri in naturalibus explicat; Soto *lib.* 1 *de natura, & gratia, c.* 8. vbi ait esse peccatum non per modum

actûs,

actûs, ſed habitûs abſque vſu. Stapleton. *lib. 1. de iuſt. c. 10* vocat difformitatem naturæ, & naturalem cuiuſdam rectitudinis debitæ in eſſe priuationem: & ideò nominamus naturalem eam vitioſitatem propagatam, etſi peccatum perſonale Adæ extra ipſum egredi non potuerit. Et *infrà* noſtram ſententiam accuratè explicans: *Sicut iuſtitia originalis non fuit aliqua ſpecialis virtus, aut alicuius certi præcepti obſeruatio, ſed totius naturæ rectitudo, eaque non acquiſita, aut per modum habitus cum acceptatione liberi arbitrij infuſa, ſed in ipſa creatione per modum naturæ data, poſteaque in ipſa generatione naturaliter poſteris transfundenda, vt iuſti homines naſcerentur, non fierent: ſic è contra iniuſtitia originalis non eſt alicuius præcepti tranſgreſſio, ſed naturæ rectitudo amiſſa, vt ſic naſcamur peccatores, & iniuſti, nullo opere noſtro, nec propter vllius legis tranſgreſſionem, nequidem Adami, quaſi per modum demeriti, ſed per originem, & natiuitatem contracta iniuſtitia: quia ſine naturæ rectitudine naſcimur ſemel accepta, ideo iniuſti, & peccatores naſcimur.* Quod autem ait nequidem naſci nos iniuſtos per Adami tranſgreſſionem, intelligendum eſt, quaſi illa tranſgreſſio nobis imputetur & nobis fictione aliqua iuris fuerit voluntaria. Vnde dixerat priùs, *nullo opere noſtro*; additque *ne per tranſgreſſionem quidem Adami quaſi per modum demeriti*, quaſi videlicet in Adamo nos quidquam demeriti fuerimus, etſi tenera peccatum Adami fuerit cauſa, cur ſublata ſit ea rectitudo, ſeu iuſtitia, quæ nobis concedenda erat dependenter ab eius obedientia. Nomine autem iuſtitiæ intelligit gratiam, vt patet ex *cap. 7.*

49 Huc denique referas quòd paſſim omnes Theologi peccatum hoc vocant habituale, & de eo per analogiam ad maculam à peccato actuali relictam philoſophantur. Quare alio longè modo de peccato originali, quàm de actuali, quod eſt actualis diſſonantia cum lege, diſputandum eſt, cùm ſint inter ſe æquiuoca & ſolum peccati nomen commune habeant, etſi verè peccatum ſingula ſint: qua in re relicio Durand. *in 2. d. 30. q. 2.* qui malè id negauit de peccato originali.

Quia verò omnis defectus moralis, & priuatio formæ moraliter debitæ, verè & propriè peccatum eſt in genere moris, ſicut in genere naturæ defectus formæ naturaliter debitæ, eſt peccatum naturæ, atque priuatio formæ ſanctificantis & gratiæ in paruulis; nam eiuſmodi gratia ipſis debita erat in ipſa generatione, id eſt moraliter ex ipſo diuino præcepto, ſeu voluntate efficaci & antecedenti obliganti propter deſtinationem ad finem ſupernaturalem; ita vt non potuerit eam negare abſque aliquo peccato, & demerito, vt fuit fusè explicatum. Eſſe autem priuationem hanc defectum moralem oſtenditur, quia eſt defectus primi principij omnium actionum moralium, ſupernaturalium; quare, non tantùm malum morale inuehit, ſed ſummum malum in genere moris, tollens omne ius morale ad finem ſupernaturalem ex diuina beneficentia nobis debitum: quæ omnia conſtant ex dictis, & apertè euincunt eiuſmodi priuationem peccatum eſſe in genere moris, quod cum malo & defectu morali ex communi omnium ſenſu confundimus.

Soluuntur difficultates aduersùs communem ſententiam propoſitæ.

50 Ita explicata communi ſententia facilè diluet quæ aduersùs eam nuper obiiciebantur: probaui enim ferè omnia; quod per quandam analogiam de peccato originali, & actuali diſceptatum. Cùm tamen hæc inter ſe multum æquiuocè diſtent: ſitque peccatum originale tantùm impropriè peccatum cum actuali collatum, vt ex doctore S. Thoma obſeruat Capreol. *in 2. d. 30. ad argumenta Durand. contra ſecundam conc.* & Paul. *lib. de vitiis*; videturque ſententia Aug. *lib. 3 de liber. arbit. c. 16.* vbi pluribus oſtendit illud ſolum eſſe peccatum, quod libera voluntate committitur, & quo quis ſeipſum auertit à Deo: & *cap. 19.* peccatum originale ita vocari dicit, quia eſt pœna peccati Adami, etſi ſit vera iniuſtitia prolis, & *lib. 16. de ciuit. c. 27. Naſcuntur* (inquit) *non propriè, ſed originaliter peccatores.* Neque negamus tamen quod ſæpius fuit inculcandum, peccatum originale eſſe propriè peccatum, ſed minùs propriè quàm actuale, cui nomen hoc primariò fuit impoſitum, originali adhuc ignoto. Ratio verò à priori eſt, quia cùm peccatum in genere moris conſiſtat in pugna quadam cum fine vltimo, cum quo immediatiùs, directiúſque pugnat deflexio actualis ab eo, quæ in peccato actuali reperitur, quàm carentia principij, ea quo proditura erat ſuo tempore actio fini vltimo acquirendo idonea: peccatum autem naturæ eſt illa carentia principij quod debuerat ineſſe, vt ſæpè monui.

Ad primùm igitur de inuoluntario concedo pec- 51
catum originale non eſſe propriè voluntarium, vt optimè probat obiectio, ſed nego id requiri ad rationem peccati vniuerſim ſumpti, ſed tantùm ad peccatum actuale, non ad peccatum naturæ, ſeu habituale, quod non debet eſſe liberum illi, qui id contrahit, vt rectè aduertit Peſant. *diſp. 3. in quæſt. 81. t. 2.* contra Bellarm. *lib. 5 de ſtatu peccati, cap. 18.* qui tamen noſtram ſententiam videtur docuiſſe *l. 4. c. 10. in reſp. ad tertiam obiectionem*: ait enim voluntarium pertinere ad rationem actionis malæ, non autem reatus; & maculæ, niſi ratione cauſæ, in infantibus autem non actionem malam ſed reatum ac maculam poni, tùm nulla propria voluntate contrahatur. Quod verò dicebatur ad moralitatem tanquam fundamentum exigi libertatem. Reſpondeo id intelligendum eſſe de moralitate actûs, quæ in libertate operantis fundatur, non autem de moralitate principij, quod hoc ipſo quod ad actum moralem liberè eliciendum referatur, morale eſt: quare & talis principij defectus erit quoque defectus moralis, ac proinde peccatum. Verùm tamen eſt illum defectum nunquam contingere niſi aliquod voluntarium, ſeu aliqua actio libera ei cauſam, ſeu occaſionem dederit, atque ita omnem moralitatem, omneque peccatum in genere moris præſupponere liberum ſeu tanquam fundamentum, ſeu tanquam conditionem quandam extrinſecam, aut cauſam, vel occaſionem. Cùm enim Dei ſit ſubtrahere illud principium morale, id non faciet vi ſui decreti antecedentis, niſi aliqua voluntaria culpa ad id impulſus fuerit; atque ita peccatum Adami actuale, voluntarium & liberum, fuit cauſa, ſeu occaſio peccati originalis: ſi enim Adamus non peccaſſet, nunquam priuatio gratiæ, & ſanctitatis debitæ, & primi actionum moralium ſupernaturalium principij, fuiſſet in natura humana, atque ita illud Pauli ad Rom. 5. *in quo omnes peccauerunt*, exponit Stapleton *loco citato* aitque, ea verba denotare cauſam, & originem huius peccati, non ſubiectum. Et Durand. *in 2. d. 30. quæſt. 3.* non voluntarium fuiſſe nobis peccatum originale voluntate Adæ, vt vulgò Patres & Theologi aſſerunt, niſi quia actus Adæ meruit quod talis perfectio iuſtitiæ originalis ipſi, & poſteris auferretur. Quæ eſt etiam doctrina Vaſq. *d. 133. num. 3.*

Neqoe Monc. *d.7.p.3. c.4.* illam voionem voluntatum nostratum in Adamo, quam ad peccatum originale necessitatiam fuisse contendit, alio tamen modo explicat, quàm quia Deus ita voluerit Adæ posteros ab ortu gratiam habere dependenter à parentis obedientia, ac si ipsi se ad eam gratiam exposuissent, & eam promeriti fuissent. Ita etiam interpretate primò vulgare exemplum de filiis qui excidunt nobilitate & gratia Regis ob patris perfidiam: quia enim nobilitas, & gratia oon est aliquod principium debitum naturæ in genere moris, fit vt licèt puniantur filij propter crimen paternum, non tamen sint peccatores. Simili etiam ratione, si Deus dedisset tantum immortalitatem, aut subiectionem appetitus & non ipsam gratiam, ac sanctitatem posteris transfundendam dependenter ab Adami obedientia, si ille peccasset, iure iis priuilegiis carerent Adami nepotes, non tamen propter Adami peccatum constituerentur peccatores: & licet nascerentur mortales, & vna cum fomite peccati, non tamen iniusti, aut peccatores. Vndè etiam soluitur argumentum quod magni facit Curiel *in* 1.2.*art.*3.*q.*8 2.*dub.* 4. vt doceat priuationem gratiæ non esse peccatum originale, nempè si Adamus nullam habuisset gratiam, ante peccatum, & promissa fuisset gratia eius liberis, cum illa conditione, obedientiæ Adami, eodem modo fuisse communicaturum peccatum originale. Hoc enim supposita destinatione naturæ humanæ, ad finem supernaturalem, totom concedimus, neque fuerit absurdum, vt patet ex dictis; idémque dico de omnibus adultis simul cum Adamo creatis, quibus fuisset concessa gratia, sub ea conditione, si Adamus non peccasset: hæc enim omnia fingere licet, & in iis actio voluntaria Adami fuisset causa huius defectus moralis, qui ab alterius voluntate diceretur volunrarius causaliter.

52 Neque video cur id negat Monc. 3.*p disp.7. cap.*2. & ad rationem capitis, & transfusionem gratiæ, de qua disputamus, exigat ortum vnius ab alio, cùm Adamus, vt sæpiùs dictum est, non habuerit hanc vim propagandi sanctitatem, quatenùs fuit caput naturale humani generis; alioqui id haberent omnes parentes: sed ex diuina institutione, per quam factus fuit caput mysticum in genere moris, ad quod non videtur cur necessariò exigatur, vt fuerit caput naturale, & cùm aliter Deus instituere non potuerit, concedo quidem eos adultos, si actum aliquem vitæ æternæ, & gratiæ meritorium elicuissent, etsi illis peccante Adamo tolleretur gratia, quæ eâ conditione collata fuerat, seruarent sibi tamen eam, quam suis actibus acquisiissent, neque sanctitatem ita partam amittere possent, nisi proprio actu. Quare tota ea priuatio gratiæ non haberet rationem peccati originalis: secus si illi adulti nullom opus dignum gratiâ adhuc elicuissent, de quibus solis loquuti sumus: & ita censet Vasq.*d.*133.*n.*11. Neque aliud voluerunt quotquot cum Monc. in definitione peccati originalis includebant ordinem ad peccatum Adami, quia illud nimirùm fuit causa voluntaria, culpabilis, originalis, quod noo aliam rationem voluntarij sortiri potoit. Ita deniqus intelligo Pium V. & Greg. XIII. damnantes Artic. XLVI. Baij asserentis peccatum originale tale esse, sine vllo respectu ad voluntatem Adæ, nimirùm qui eius causa fuit.

53 Ex qoibus omnibus tandem vides priuationem gratiæ, quam incurrunt adolti sois actibus malis, licèt pertineat quodammodo ad maculam, vt partem eius integrantem, aut aliqoid cum ea conoexũ, plurimùm tamen differre à priuatione eiusdem gratiæ, quæ est in paruolis: prior enim illa voluntaria propriè est & effectus proprij peccati: hæc autem posterior nulla ratione voluntaria eam habenti, & est ipsum peccatum proprium cuiusque, non effectus eius, neque aliquid tantùm consequens, & cum habituali etiam peccato, aut macula connexum. Vnde futilis est ea quæstio, qua quæritur cur vbi in adultis post baptismũ expellitur gratia per actualia, originale nõ redeat. An verò sublatâ gratiâ paruulo iustificato noo redeat peccatũ originale, maior videtur difficultas: habet enim tunc priuationem debitæ gratiæ. Concedit Vasq.*d.*116.*in* 3.*p.c.*5. Sed tunc dices non posse eam gratiam à Deo tolli absque aliqua culpabili causa: Salaz. autem c.15. *n.* 39. primam gratiæ communicationem in ortu vi legis Adamo factam esse communicandam, non autem eius continuationem, quæ a voluntate singulorum penderet, vnde ea continuo non est debita.

Ad secundum; quòd priuatio gratiæ sit effectus, & 54
pœna peccati, distinguendum est: si enim comparetur cum Adami peccato, eius pœna, & effectus est: si verò eom peccato originali, & cum subiecto, in quo reperiri debuit forma opposita, & ipsummet peccatũ originale, non eius effectus, aot causa, neque duæ istæ rationes ita pugnant moruò, vt simul cohærere non possint quoties ad diuersa comparantur, contra quàm sentire videatur Monc.*d.*7.*p.*2.*c.*7. *ad* 3. Neque inde sequitur pœnam, vt pœnã, esse peccatum; neq; intendebatur à Deo pœna peccati Adami, quatenùs peccatũ erat à posteris eius cõtrahendum, vt statim constabit.

Difficilius enim est quod eâdem obiectione dice- 55
batur, Deum solam esse causam priuationis gratiæ in paruulis & consequenter, aut eam priuationem peccatum non esse, aut Deum peccati auctorem esse. Antecedens verò probatur: qoia ille causa est priuationis, qui non ponit formam oppositam, cùm posset, quod hoc loco soli Deo competit; ille enim solus gratiam ponere potuit.

Respondeo tamen Deum esse tantùm causam phy- 56
sicam priuationis gratiæ, non moralem, seu quod eodem recidit, priuationem physicam sanctitatis esse à Deo, non priuationem moralem: priorem appello priuationem sanctitatis, quæ potuisset inesse subiecto; quæ priuatio est mera carentia, reperitúrque in statu puræ naturæ, io qua nullum foret peccatũ originale, & est eum tantùm sic considerata materia peccati originalis, non peccatum illámque caosat Deus, cùm non producit gratiam, quam producere posset. Priuatio moralis est carentia sanctitatis oon tantùm quæ potuit; sed etiam quæ debuit inesse, cuius caosa moralis est ille non tantùm qui non ponit formam oppositam debitam, sed etiam qui debuit illam ponere & per quem stetit ne poneretur. Non stetit autem per Deum ne gratia communicaretur paruulis; ipse enim ad eam exhibendam paratissimus erat, sed per Adamum, cuius inobedientia hanc commonicationẽ impediuit, sicut eiosdem obedieotia causa fuisset eiusdem gratiæ transfundendæ. Hæc autem priuatio moralis sanctitatis est ipsummet peccatum originale, & non est pœna Adami peccantis, sed effectus, & sola priuatio physica pœna eius est. Priuationes verò aliorum donorum quæ vnà cum gratia perierunt dici possuot pœna, cùm, vt *superiùs* ostendimus, peccata non sint. Eáque est mens S.Th. dum 1.2.*q.*85.*a.*5.*&* *q.*87. *a.*7.*&* 2.2.*q.*164.*a.*1. ait iustitiæ originalis carentiam fuisse pœnam peccati primi parentis; per eam enim iustitiam non intelligit eo loco gratiam sanctificantem; sed subiectionem carnis, vt apertè indicat, eámque rebellionem pœnam peccati fatemur.

Reliqua quæ contra communem sententiam attuli 57
vulgares eam explicandi modos impugnant, non nostrum, vt patet.

Corolla

Corollaria.

Ex his omnibus solues vulgares quæstiones. Prima,
58 an sint plura peccata originalia? est enim vnum numero in singulis, & in omnibus vnum specie, vt definiuisse videtur Trident. *sess.* 5. quia est in omnibus priuatio eiusdem gratiæ debitæ, & priuationes aliorum donorum, quæ iustitiæ originalis nomine comprehendi solent, peccata non sunt, vt ostendimus.

Secunda quæstio, an peccatum originale sit æqualiter in omnibus?

Respondeo esse, quia priuationes non intenduntur, aut remittuntur nisi admodum impropriè, ratione formarum, quibus priuant. Eadem autem videtur fuisse gratia debita omnibus: vnde enim sumerent ea inæqualitas? non à natura, quæ eadem est in omnibus, non à dispositione, quæ nulla est in infante, non à capacitate receptiua, seu potentia passiua, quæ est tantùm obedientialis, & æqualis in omnibus.

59 Quæstio tertia, quid sit debitum peccandi in Adamo?

Respondeo esse necessitatem moralem, quam omnes posteri Adæ habent incurrendi peccatum originale, hoc est carendi gratia suæ naturæ in ortu debita, propter Adami peccatum actuale, nisi aliquo priuilegio excepti fuerint. Appellaui autem hanc obligationem necessitatem cum Ansel. *l. de concept. Virg.* c. 7. & c. 22. vbi dixit, egestatem naturalem ab Adamo acceptam. Huic debito passiuo in Adæ posteria existenti respondet in Adamo debitum quoddam actiuum, quod proprio peccato contraxit, dignum enim se reddidit, & quodammodo debitorem, vt omnes ex eo naturaliter geniti sine gratia, Deo exosi, & peccatores nasceremur; quod solum debitum actiuum reiecto passiuo admisit Ægidius de Præsent. *lib. 4. de concept. q. 4. art.* 5. quia quilibet ab ortu culpam originalem contrahit, ac proinde soluit debitum, quod fingitur. Quare in eo nunquam est debitum, sed culpa ipsa.

60 In Virgine autem, cùm primo instanti sancta fuerit, nullum fuit debitum, alioqui vnà cum gratia esset debitum peccati, cùm tamen debitum illud maxime in hac materia non sit, nisi propter absentiam gratiæ debitæ. Verùm futiles sunt hæ rationes: cùm enim in Adamo fateatur Ægid. obligationem, vt eius omnes filij gratiâ sibi alioqui debita priuentur, in ipsis quoque filiis debitum est, & obligatio carendi eâdem gratiâ propter peccatū sui parentis agnoscat necesse est; hæc enim sunt correlatiua inter se, & ineptè supponit hoc debitum, veluti pecuniarum solutione quadam extingui: debet enim conferri cū debitis naturalibus, quæ exigentias vocamus, quæ manēt in naturis respectu proprietatū, aliarúmq; formarum sibi debitarum, etiam præsentibus ipsis formis, & ita in igne exigentia, & debitum caloris, in aqua frigoris præsente calore & frigore. Vnde si quæratur cur in igne sit calor & frigus in aqua; rectè respōdemus, quia exigunt vi suæ naturæ eiusmodi qualitates: atq; in re morali damnati, etsi luant pœnas, habent tamen debitum pœnæ æternæ, quod nunquam exoluunt. Nihil etiam prohibet esse gratiam in aliquo simul cum obligatione, si sibi fuisset talis natura relicta, eam non habendi, contrahendíque peccatum vi suæ propagationis, & originis; quamquam quia hoc peccatum non contrahitur nisi in instanti generationis, & quodammodo ex vi causarum quæ vim habent influendi, si ita loqui liceat, peccatum originale, nisi impediantur à Deo, animam vera sanctitate ornante, non manere post illud debitū dixit Suar. *Ep. relat. s. 4 d. 9. ar. 5. 1. 2. & t. 2. in 3. p. d. 3. sect. 4. &* 5. cùm extinguatur quodammodo virtus causarum, ne possint ampliùs causare illud peccatum eo modo quo illud causant, & culpa semel eminentissimo illo modo sanctificationis remissa, redire non possit, neque manet in virtute talium causarum, neque consequenter obligata & obnoxia illi, si consideretur vt trahit originem ab Adamo. Denique inter primum instans, & reliqua consequentia, magna apparet differentia: tota fortassis quæstio fuerit de nomine, nam Vasq. *d.* 116. *in 3. p. c. 4. &* 5. toto vitæ tempore, etiam post receptam gratiam in primo instanti manere vult. Sed de hoc *inferiùs*.

Hoc debitum diuidunt in remotum, & proximum. Remotum appellant aliquid quod contrahitur 61
vbi primùm virile semen fœmineo admiscetur. Hinc enim oritur debitum vt proles ex ea seminum commixtione nascitura contrahat peccatum originale; quod debitum admodum impropium est. Alij dicunt oriri ex ipsa lege diuina accipiendi gratiam dependenter ab Adami obedientia, & ea carendi & per hoc consequenter incurrendi peccatum originale. Cum enim lex ex suâ naturâ sit vniuersalis, omnes Adæ posteri habent debitum vt ea lege comprehendantur, & debitum deinde proximum contrahunt vbi anima infunditur corpori, nisi fuerint ab vniuersa lege excepti. Hæc sententia tribuitur apud Salazar *l. c. n.* 63. Cathar. *lib. de pecc. origin. cap. vlt.* ipse tamen etsi duplex debitum admittat, non satis suam mentem explicat circa debiti remoti naturam. Et sanè non potuit illud incurri ante legem, vt patet: eam enim nulla præcessit obligatio neque eti. lata lege, ea enim immutabilis est. Quare si fuerit vniuersalis nullus deinde excipietur; alioqui esset aliqua in Deo mutatio, ideoque le quem deinde excipit, in ferenda ipse lege excepit. Salas verò *n.* 68. ait esse obnoxietatem, & subiectionem naturalem, per quam ex propria conditione naturali obnoxij sunt posteri Adæ vt lege comprehendantur, & denique proprium, ac verum debitum, seu necessitatem habendi peccatum originale in se contrahant; quod debitum valdè improprium omninò est, & in eos etiam qui non essent posteri Adæ cadere potest, si non habent naturalem aptitudinem, vt aliqua eiusmodi lege comprehendantur. Ludou. Montes. apud Salas. *cap.* 8. *n.* 22. ait debitum proximum quo quis habebit tenerà peccatum, si non præseruetur in primo instanti suæ animationis, debitum remotum quo quis peccasset in Adamo, si non fuisset exceptus à lege communi, aut si non fuisset præseruatus in instanti. Sed sanè hæc duo debita, non satis ego distinguo: nam, si non fuisset exceptus quis à lege communi, non tantum debuisset contrahere peccatum originale mortale; sed reuerà contraxisset, si non fuisset præseruatus. Quare existimo, si quod sit debitum remotum, illud aliud non esse quàm debitum actiuum, quod in ipso Adamo constituimus, quódque est veluti causa debiti passiui, quod proximum dicitur, neque aliud debitum quàm vtrumque istud actiuum & passiuum Adami, & posterorū nouit Vasq. 3. *p. d.* 116. *n.* 50. Sal. *c.* 24. *n.* 4. & 5.

QVÆSTIO III.

De causa effectiua peccati originalis & modo, quo in Adami posteros propagatur.

Diutiùs exercuit Augustinum hæc difficultas, vt ex *Epist.* 28. & 29. *ad Hieron.* aliísque locis innumeris colligitur, cùm nondum quicquam certi ipsi constaret de origine animæ, & natura peccati originalis. Vrgebant enim Pelagiani, quomodo si anima non fieret per traducem ex Adamo, peccato eius infici posset, quæ ratio multis persuaserat eam animarum

generationem, traductionem esse, vnde Pelagiani Catholicos nominabant traduciatos, vt refert Aug. *in noua responsione ad Iulian. cap.* 73. Si verò crearetur anima neque fieret ex Traduce, quærebant quomodo ex contagio corporis inficeretur, & vnde corpus ipsum vitiatum esset, an ex vitioso semine ab Adamo deciso: quæ quæstio impulit quosdam Theologos, vt morbidam qualitatem inducerent, & veluti lepram, qua inficerentur tum corpus, tum deinde per quandam concomitantiam, anima, vt nuper vidimus reiecimúsq; quod pridem accuratè præstiterat Durand. *in* 2.*d*.31.*q*.1. His aliísque pressus Aug. vndique difficultatibus, quibus importunè eum agitabant Pelagiani, fundatissimæ fidei, vt sæpiùs loquitur, de existentia peccati originalis adhærens, quinam modus contrahendi hoc peccatum, & in posteros transfundendi verior esset, noluit definire, vnde *libro* 5. *in Iulian. cap.* 3. *Profectò aut vtrumque* (anima scilicet, & caro) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur, vbi occulta iustitia diuinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum libentius disco, quàm dico, ne audeam docere quod nescio; hoc tamen scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, catholica, qua creditur, & asseritur, originale peccatum non esse conuicerit falsum. Ista fides non negetur, & hoc quod de anima latet, aut ex otio discitur, aut sicut alia multa in hac vita sine salutis labe nescitur: magis enim curandum est siue in paruulis, siue in grandibus, quo animæ sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit merito, quæ tamen si vitiata negabitur, nec sanabitur.* Nunc verò cùm certissima sit ea sententia, quæ animam à Deo creari, quoties materiæ vltimò dispositæ infundenda est, vt suo loco demonstratum fuit, & latè ostendit Bellarm. *lib. 4. de stat peccat. cap.* 11. & Pereri, *lib.* 4. *in Genes. dispu. de anima creatione, quæstione secunda*, cum fuerit etiam accuratè, nisi fallor, explicata natura peccati originalis, tota hæc impeditissima quæstio facile solui potest, & importunissimis Pelagianorũ interrogationibus fieri satis. Itaque

2 Dicendum est solius Adæ peccatum, quo legem de non comedendo pomo ex arbore scientiæ boni, & mali violauit, esse causam moralem peccati originalis, quod eius posteri naturali via seminali ab eo propagati contrahunt in ipso momento generationis, seu primo instanti, quo anima in semen vltimò dispositum & præparatum, à Deo prius nostra creata immittitur; neque parentes proximi vlla ratione peccati huius auctores, aut causæ dici possunt.

3 Dixi primò Adæ peccatum causam esse peccati originalis, quod ex omnibus hactenùs disputatis perspicuè constat, atque ex Paulo *ad Rom.* 5. cùm dixit, *nos in Adamo omnes peccasse: vnius delicto & inobedientia, peccatum & mortem regnasse.* Huc faciunt definitiones Concil. Mileuit. & Trident. *superiùs* allatæ. Causa ista physica esse nequit, vt statim apparet: non enim physicum influxum habere potest, seu Adami actio, & comestio vetita, seu ipsemet Adamus in paruulos qui hodie generantur: tota igitur causalitas moralis hoc loco est, quia nimirùm Adami peccatum causa est, propter quam paruulus non recipit gratiam suæ naturæ ad finem supernaturalem eleuatæ debitam in generatione, & sibi conferẽdam, si Adamus non peccasset, indéque habeat defectum moralem & verum peccatum, quo Deo fiat exosus, vt *quæst. sup.* fusè fuit explicatum; ex quibus etiam vides peccatum Adami non causare originale; per modum demeriti quasi meruerit Adamus peccando, vt eius omnes posteri gratia sibi collata exciderent, atq; priuatio gratiæ obtingat filiis in pœnam parentis; nam sic peccatum originale formaliter esset pœna peccati Adæ; quod *suprà* reiectum est: cùm Deus intenderit volueritque ex iustitia pœnam Adamo peccanti infligere, voluisset etiã intendissétque peccatum originale, eiúsque auctor diceretur. Deinde non magis propter vetitã comestionem Parentis, quàm propter alia eius peccata puniuntur liberi, & eâdem planè ratione peccata parentum propagarentur in liberos; digni enim essent parentes, mererentúrque puniri in liberis etiam subtractione gratiæ illis alioquin debitæ, aut concedendæ. Denique rectè argumentatur Dried. *l. de capt. & redempt. tr.* 2.*c*.2. *p*.4.*con*.4. si Adamus in innocentia perseuerasset, non fuisset nobis meritus gratiã, & iustitiam originalem, & licet fuisset causa transfusionis gratiæ, non tamen meritoria, sed tantùm conditio sine qua non fuisset gratia transfusa: ita neque suo peccato fuit causa meritoria priuationis eiusdem gratiæ, sed causa tantùm per quam stetit, & impeditum quominùs conferretur gratia, & conditio sine qua non fuisset ex gratiæ priuatio.

Dixi secundò hanc causam moralem, fuisse solius Adæ peccatum, vnde excludo Euam, quæ licèt peccarit, non tamen nobis suo peccato nocuit; sed sibi soli vbi primùm peccauit propriam sanctitatem, & reliqua dona, ei annexa perdidit etiam ante peccatum Adami; quod malè negant aliqui, eo quòd ante viri lapsum non erubuerit suam nuditatem: hinc enim colligunt cum Abulens. *in cap.* 3. *Gen. q.* 6. & 7. Med. *in art.* 5.*q*.81. Cathatin. *opusc. de peccato originali* Euam tunc amisisse gratiam, non autem iustitiam originalem, à quibus non videtur discedere Caiet. 1.*p.q.*95. *art.* 1. cùm ait Euã tunc non perdidisse simpliciter & totaliter iustitiam originalem, sed secundùm quid, nimirùm gratiam quam *superiùs* huius iustitiæ radicem esse dixerat, & quocumque peccato mortali amitti: communis tamen sententia est apud Suar. *proleg.* 4. *de gratia, cap.* 6. *n.* 11. Euam suo peccato hæc omnia sibi perdidisse: destructa enim radice non videtur fuisse congruum vt reliqua dona permanerent, quod enim dicunt aliqui id factum, vt locus esset tentationi, qua Deus Adamum quasi permissurus erat: si enim Adamus aduertisset in coniuge effectus diuinæ comminationis, non potuisset persuaderi pomum vetitum comedere, faciunt Deum opera miraculosa ad inducendum Adamum in fraudem præstare. 4

Argumentum verò ductum ex nuditate, quæ pudore non suffudit Euam, nullum est, primò, quia nihil fuit opus Euam continuò motus inordinatos sentire, cùm semper illos in natura lapsa non patiamur, neque eorum sese offerant occasiones: deinde sensit Eua appetitum sentientem, magis concitatum in cibi concupiscentiam, & suauiori voluptate illectum aduertit eum, quam ferret naturæ innocentis integritas, sed eas titillationes effectus esse naturæ lapsæ, & Dei vlciscentia nondum aduertit. Tertiò, quia intenta inuitando maritum, de sua nuditate nihil cogitabat, neque se ipsa colligebat vt originem horum affectuum inquireret: nam si tantisper animum seuocasset, vidisset profectò sibi serpentem illusisse, cùm enim promisisset boni & mali scientiam, eam se nullam adeptam fuisse vidisset. Itaque nihil nobis Euam nocuisse satis indicat Paul. *ad Rom.* 5. cùm totum lapsum humanæ naturæ in vnum Adamum coniicit, vt videtur Trident. *sess.* 5. *cit.* éstque communissima sententia S. Thom. *art.* 5. *quæst.* 81. qui rationem reddit ex eo quòd mulier solùm passiuè ad generationem concurrat, ad transfusionem autem peccati exigitur, vt actiuè pendeat proles à parente; quæ ratio supponit sententiam ab omnibus vulgò Medicis impugnatam: & præterea non viget, quia cùm transfusio

ista

ista peccati non fiat actione quadam parentis, quæ peccatum attingat, sed solùm eo ipso quòd aliquis ex Adamo, via naturali feminetur, nihil attinet quod parens aliquis actiuè, aut passiuè cócurrat, modo verè generet. Ratio igitur est, quia Deus, vt ex Scripturis colligitur, eam gratiam voluit dependenter ab Adami, & non Euæ obedientia conferri consentaneè omninò: qui enim erat caput naturale humanæ naturæ, eius quoque caput morale, & mysticum institui debuit: caput autem mulieris est vir. Quod autem dicitur *Eccl.25. à muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*, exponitur de initio, & causa per accidens, neque propter vltima verba rectè dixit Pala. *in 2.d.31.d.1.* Eua peccante mortalitatem, transfundendam in posteros non iniustitiam, quia mors in eo statu obuentura non erat, nisi malis. Ait enim Suar. *tract.5.1.1.disp.9.sect.4.num.2.* si Eua non peccasset, non amissuram iustitiam originalem per Adæ peccatum, quia non acceperat eam dependenter ab Adamo, qui erat quidem caput eius politicum in ordine ad res matrimonij, & familiæ, non in ordine ad gratiæ deriuationem.

5 Dixi tertiò, ex omnibus Adami peccatis solam comestionem illicitam fuisse causam peccati originalis, esto pluribus aliis peccatis saltem internis priùs deliquerit, nam superbia, & infidelitate eum peccasse docent passim Patres apud Suar. *lib.4.Exham.c.3.& 4.* & Bellarm *lib.3.de amissione gratiæ cap.5.& 6.* Colligitur verò nostra conclusio ex Paulo, qui ad *Rom.5.* disertè asserit per vnius inobedientiam multos constitutos esse peccatores, sicut & vnius obedientiâ iustificatos. Addit Trident. etiam *sess.6. cap.7.* Adamum sua inobedientia sibi & nobis stolam primam perdidisse, & *sess.5.* transgrediendo Dei mandatum, statim iustitiam, & sanctitatem, in qua constitutus fuerat amisisse, & per offensam huiusmodi præuaricationis incurrisse iram, atque indignationem Dei, atque adeò mortem, quam antè ei fuerat comminatus. Addit deinde Adæ præuaricationem, non illi soli, sed toti propagini nocuisse. Ex quibus validum ducitur argumentum: nam eadem præuaricatione Adam sibi iustitiam perdidit, & nobis, & mortem, seu potiùs mortalitatem à Deo intentatam incurrit: atqui non fuit alia præuaricatio quàm ea qua legem violauit: vbi enim non est lex, non est præuaricatio: atqui nulla fuit alia lex Adamo in paradiso imposita, quàm de non comedendo pomo arboris scientiæ boni & mali. Neque comminatus est Deus mortem nisi propter comestionem illam: *In quacunque die comederis ex eo, morieris*, inquit lex. Ergo ea sola illicita comestio, fuit causa peccati originalis. Ratio veluti à priori est, quia peccata Adami, sicut & aliorum parentum non transfunduntur in posteros ex exigentia naturæ, & quia sunt principia quædam physica suorum liberorum, alioqui enim omnia eodem ita transfunderentur; sed quatenùs Adam erat caput morale, & dependenter ab eius actione libera erat communicanda gratia posteris, aut neganda ob eius culpam: Deus autem alligarat huic actioni externæ Adami, & obseruationi legis huius externæ, circa eam certæ arboris frugum comestionem, totam gratiæ communicationem, vt patet ex Scripturis, & Conc. Illa igitur vetita comestio sola perstitit quominùs gratia nobis debita in generatione reipsa donetur, contraharútque peccatum originale: quare quæcunque crimina commisisset Adamus, si ea arbore abstinuisset, nihil nocuisset posteris, sed sibi soli.

6 Quæri tamen potest circa huius comestionis peccatum, primò sub qua præcisè formalitate fuerit causa nostri lapsus. Nam primordiali illa lege & omnium matrice contineri totum Decalogum docet Tertull. *lib.aduers.Iudæ cap.2.* & omnia præcepta recondita, quæ posteà pullulauerunt, data per Moysen; & Leo *Epist.86. cap.3.* plurima vitia in eadem comestione agnoscit: *Et superbia est illic, quia in sua homo potiùs esse, quam in Dei potestate dilexit; & sacrilegium quia Deo non credidit; & homicidium, quia præcipitauit in mortem; & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est; & furtum, quia prohibitus, vsurpatus est cibus; & auaritia, quia plus quàm sufficere illi debuit, appetiuit.* Quæ verba desumpsit Leo ex Aug. *Enchirid.c.45.* & quamvis dici possit hæc omnia vitia non sumi strictè, & propriè secundùm rationes specificas, sed communes; dubitatio tamen esse potest circa inobedientiam, & intemperantiam præcise sumptas: nam inobedientiam vocat passim Paul. & Conc. & quia non alia causa fuit imponendi præcepti, quàm vt suam Deo subiectionem, quamvis in re leui, probaret Adamus: vt ait August. *lib.8. de Genes. ad litt. cap.6. & 13.* Chrysost. *hom.14. in Genes.* & alij passim docent, atque ex obedientia violata non ex pomi esu, quæ videtur leuis fuisse materia huius peccati, grauitatem metiendam docet Aug. *lib.14.de ciuit.cap.12.* *Obedientia*, inquit, *commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custósque virtutum; quemadmodum sic facta est, vt ei subditam esse sit vtile; perniciosum autem suam, non eius, à quo creata est, facere voluntatem.* E contrario verò videtur violata tantùm temperantiæ virtus, quia præceptum, ratione cuius inobedientiam hic accusant PP. ponit medium in materia virtutis moralis, ad quam proindè reducitur tota obligatio præcepti, & non ad virtutem obedientiæ, nisi communis, & generalis, vt patet ex *tract. de legib.* posset quidem præter veram rationem intemperantiæ cogitari quoque propria iniustitia, quæ contingit quoties quis rem alienam inuito domino sibi vsurpat. Mone. ad solam intemperantiam reducit *part.3. disp.7. cap.5.* Suar. *l.3.Exham.c.25.n.12.* vtramque obligationem obedientiæ, & temperantiæ agnoscit, quam postremã non excludunt Patres, sed solum ostendunt eam non fuisse naturalem, aut in qualitate illius pomi fundatam, sed ex solo Dei voluntatis placito; quod non impedit, quominùs aliarum quoque virtutum obligatio circa eandem materiam, suam vim habeat.

Secundò quæri potest quàm grauis fuerit ea culpa intemperantiæ, cùm sit in materia admodum leui, cùm vix vnum pomum comederit Adamus, & sicut in furto, aliisque materiis virtutum moralium est aliqua leuitas materiæ, quæ ad peccatum mortale non sufficiat, quidni erit hoc loco? Quare respondet Monc. *cap. citat.* Adamum comedisse quantitatem notabilem, & ad peccatum mortale sufficientem, eo quod Basil. *hom.7. quòd Deus non sit auctor mali*, dicat Adamum ventris saturitatem speciali delectatione potiorem habuisse. Secundò etsi tantùm prægustârit, voluisse tantùm se eo reficere, etiamsi remormurante conscientiâ abstinuerit. Cùm itaque voluntas fuerit moraliter mala, comestio licet modica ab ea voluntate procedens, moraliter etiam mala fuit. Suar. verò respondet, modicam comestionem mortiferam fuisse, quia prohibita fuerat intuitu probandæ diuinæ subiectionis, eáque prohibitio in quacunque materia grauissimè obligabat, vt patet. Licèt igitur actus prohibitus seorsim spectatus, leuis admodum esset, tamen vt tali substabat prohibitioni, non leuem inducebat obligationem. Quam graue porrò fuerit hoc peccatum Adami, & an omnium grauissimum 7

cùm ex eo innumera prodierint mala disputat Suar. *lib 4. Exham. cap. 6.* & Bellarm. *lib. 3. de amissione gratiæ . cap.* 10. veráque est resolutio S. Thom. 2. 1. *quæst*. 163. *art*. 3. non fuisse absolutè & secundùm propriam rationem specificam grauissimam; odium enim formale Dei, blasphemia, & cætera eiusmodi grauiora sunt, tamen secundùm quid propter adiuncta & consequentia reliqua omnia superasse.

8 Quæres tertiò, an tactus, vel aspectus cibi prohibiti satis fuisset ad hoc peccatum.

Respondeo non satis fore; quia eiusmodi actus externus non fuisset completus & veluti consummatus sub ea ratione, sub qua prohibitus est: quod enim ait Eua Gen. 3. *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud*; vel per exaggerationem addidit, vt præcepti rigorem indicaret, vel ab Adamo additum dum præceptum Euæ reuelauit, vt eam cautiorem redderet. Itaque ille aspectus, aut tactus, si bona intentione fieret, malus non esset saltem moraliter, quia non erat prohibitus.

9 Quæres quartò, an masticatio cibi illius sine animo degluciendi, & traiciendi in stomachum fuisset mortaliter mala; non enim esset comestio, ergo neque prohibita? Respondet Suar. masticationem eam quia est quædam inchoata manducatio, futuram fuisse peccaminosam, sed non mortaliter: atque cum ille neget veniale potuisse esse in Adamo innocente, si vsurpata fuisset ea tunc masticatio, fuisset omninò malitiæ expers, immò & bona, cùm ex eodem Suar. nulli dentur actus indifferentes in indiuiduo.

10 Denique quoad personas, quibus lata est lex, dicendum est, eam tum Adamum, tum Euam obligasse quamuis soli viro immediatè, siue per internam reuelationem, siue voce aliqua sensibili fuerit imposita, qui deinde coniugi aperuit. Vnde colligit Suar. eâ lege obstringendos omnes Adæ posteros, qui, si frugẽ illam comedissent, excidissent gratiâ, & totâ iustitiâ originali, non tamen, vt *alibi* dixi, suum peccatum liberis deinde suis communicassent. Pererius tamen *lib. 4. in Genes. cap. 2.* incertum, & inexplicabile esse dicit, an ea lex perseueratura fuisset toto innocentiæ statu omnes Adæ posteros perpetuò obligans.

11 Quartò assignaui momentum & modum, quo contrahitur peccatum originale, nempè primum illud instans, quo semini disposito vltimò & organisato, anima prius naturâ creata vnitur, tunc enim ipsi negatur gratia, quæ debita erat, & communicanda fuerat, si Adamus non peccasset; ea autem priuatio ipsummet peccatum originale est, vt hactenùs expositum fuit. Quare neque semen infectum, aut vitiatum fuit; neque illud inquinat animum suo veluti contagio: hæ enim omnes fœditates, & qualitates rejectæ sunt, sed eo ipso quod vi generationis ab Adamo per semen ab illo mediatè, aut immediatè decisum, & animæ cum illo semina coniunctionem naturaliter debitam, proles inter veros Adami & naturales posteros gignatur, iure ipsi negari potest propter primi parentis inobedientiam, gratia, quæ si reipsa negatur, vti semper contingit, nisi alicui speciali priuilegio faueatur, peccatum originale per eam priuationem contrahit, vt sæpiùs dictum est: quod ipsum voluit Aug. dum alterum in altero, tanquam in vase vitiato corrumpi dixit; quia anima non polluitur cùm à Deo creatur, sed vbi pars hominis per vnionem cum corpore efficitur.

12 Hinc sequitur primò eos, qui ex succubis, aut incubis generantur etiam contracturos hoc peccatum, quia illi generantur viâ seminali, & actione seminis, quod tunc aliâ ratione aut deciditur, aut vasi immittitur quàm ordinariâ.

Secundò, si quis ex humana carne, vt quondam Eua ex Adami costa, formaretur diuinitus hoc peccatum non haberet; quia non traheret originem ab Adamo communi lege, & seminali ratione.

Tertiò, an verò si Adamus genuisset ante lapsum, suo deinde peccato illis nociturus fuisset? Negant plerique cum Curiel *in q. 81. art. 5. d. vnic.* Monc. *d. 7. 4. parte. cap. 2.* Azor. *tom. 4. lib. 4. cap.* 30. q. 8. Alij affirmant amissuros tantùm iustitiam originalem, non gratiam. Ita Salmer. *in cap. 5. ad Rom. d.* 45. Catharin. c. *vlt. opusc. de peccato originali*, Suar. *d. 9. sect.* 4. *n.* 4. *tract.* 5. placet distinctio Vasq. d. 133. c. 3. incertum id esse, cùm non constet an Adamus gratiam iustitiámque acceperit pro omnibus liberis, ante aut post peccatum nascendis: vtroque enim modo accipere potuisse diximus *superiùs* contra Monc. Quod si demus pro omnibus omninò quocumque tempore nascituris accepisse, tunc paruuli, ante peccatum parentis nati, eo peccante gratiam, & iustitiam originalem amitterent, & peccatum originale contraherent. Adulti verò, si nihil dignum gratia, aut vita æterna egissent, neque vllum gratiæ augmentum meruissent eodẽ plane modo, quo paruuli id totum quod accepissent ab Adamo, perderent, & omni gratia spoliarentur, atque iis quæ eam consequutura fuissent: iis verò, qui augmentum gratiæ meruissent, maneret gratia propriis actibus acquisita. Quare sublata ea, quæ in Adamo data fuerat, non contraherent peccatum, originale, quod in gratiæ debitæ priuatione consistit alioqui essent simul Deo grati & exosi.

Sequitur quartò, peccatum originale non contrahi propter libidinem & pruritum, qui in coitu percipitur, vt videtur sensisse Aug. nam etsi proles sine libidine generaretur, peccatrix tamen nasceretur. Deinde libido est in seminatione, non in conceptu fœtûs, & inter coniuges ea libido mortalis non est. Voluit verò Aug. vt exponit Bellar. *l. 5. de amiss. grat. c.* 12. significare causam peccati originalis non esse præcisè propagationem, generationémve, quæ etiam in paradiso fuisset, sed propagationem ex natura corrupta, cuius indicium est ardor libidinis, sine quo ne iusti quidem generare solent

13 Quintò qui sine virili semine ex sola virgine per miraculum conciperetur, etsi esset purus homo, imò etiam in natura pura, careret peccato originali. Ita Maldonat. *in c. 1. Luc.* Poza. *lib. 3. Elucidary, tract. 5. c. 2.*

14 Addidi denique parentes non esse causam peccati originalis; quod ex dictis manifestum fit: ipsi enim non sunt causa moralis, nec physica, cùm non sint prima radix, propter quã generatio fundat aliquo modo, aut est occasio peccati originalis; hoc enim non habet generatio, vt actio quædam naturalis est, ad indiuiduorum propagationem instituta, sed vt eam præcessit actuale Adami peccatum, quod posteros modo explicatos reos fecit. Quare neque ipse Adamus præcisè vt generans, fuit causa peccati filiorum, neque ille, aut posteri deinceps debent abstinere generatione, ne proles Deo exosa suscipiatur; quod erat argumentum Palagianorum damnantium coniugium si peccatum originale admittatur, cum fructus malus, & proles peccato infecta, non nisi ex mala arbore prodire possit. De quo argumento plurima Aug. *libris duobus de nuptiis & concupiscentia*, quod facilè soluitur, cùm, vt dixi, nuptiæ nulla ratione in peccatum originale influant, sed solùm Adæ peccatum quod eas præcessit, neque effectus moralis, cuiusmodi peccatum est; illi causæ nisi morali tribui possit, quæ hic, vt dixi, non est, atque, vt ait Bellar. *lib. 5. de amissione gratiæ, c. 10. ad* 4. accidit omninò hoc numero generationi, vt vitiata sit, & tendat ad prolẽ peccato inficien

inficien

inficiendam; poterat enim omninò absque eo incommodo suscipi, neque à parentibus intenditur, neque violatur aliqua lex, quæ eam prohibeat. Vndè male aliqui hanc actionem cum comestione cibi vetiti quæ eodē numero potuit esse bona, & cui per accidens est coniuncta malitia, quæ etiam non intēditur à comedente comparant: nam hæc est lex prohibens actionē, & ea qua oritur malitia quoties actio dissonat eiusmodi legi, etsi malitia non intendatur, & per accidens coniuncta sit. Cùm autem respectu generationis, nulla sit lex ea interdicens, vt monui, sed solum præcesserit Adami peccatum, à quo proles inficietur, neque hoc peccatum præcedens habet se instar legis respectu generationis.

15 Hinc denique solues quod obiiciebant etiam Pelagiani, quomodo ex parentibus iustis possit proles mala suscipi, qua de causa fidelium liberos expertes huius peccati dixere Nouatores apud Bellarm. *lib.* 5. *cit. c.* 14. de quo argumento vide Aug. *lib.* 1. *de peccator. merit. cap.* 25. 26. *&* 27. *& lib.* 6. *in Iulian. c.* 2. *&* 3. de oleastro inserto cum oliua, qui fit olea; ex eius tamen semine, fit oleaster non olea; & denique *lib.* 2. *de nupt. c.* 28. vbi ait non esse quærendas ruinas per quas subeat hoc peccatum, vt nugabantur Pelagiani, cùm habeamus parentem ianuam, peccatum videlicet Adami, neque parentes generant, vt sancti, aut peccatores, neque peccatum prolis à parentum peccato, aut gratia pendet hac in parte, vt sæpius monui.

QVÆSTIO IV.

De subiecto peccati originalis.

1 DVplex est hoc subiectum: immediatum vnum, & proximum; remotum alterum, & totale: prius illud est animæ essentia, vt S. Thom. *q.* 83. *a.* 2 & ibi vulgò Interp. & sequitur ex dictis: si enim peccatum originale est priuatio gratiæ debitæ, ibi erit, vbi residere debuerat forma opposita, gratia verò ex communi sententia S. Thomæ in ipsa animæ essentia, & veluti fundo sedet, reliqui habitus in potentiis. S. Anselm. *lib. de concep. Virg. c.* 3. collocat hoc peccatum in voluntate, quia cùm sit iniustitia non potest esse nisi vbi futura erat contraria iustitia. Vasq. *d.* 133. *c.* 3. quia existimat charitatem identificari cum gratia, hancque in voluntate collocat, eiusque quoque priuationis subiectum eandem voluntatem assignat, quæ omnia discutienda non sunt hoc loco; moneo tantùm insanire Lutheranos, qui apud Val. *d.* 6. *q.* 13. *part. vn.* dicunt in ipsa etiam carne, atque in toto protsùs homine peccatum originale esse, ita vt non sit particula à planta pedis ad verticem immunis ab eo, quod caro dicatur sæpius caro peccati in scripturis, quin in ipso embryone nondum animato esse somniauit Kemn. Hæc refutatione non egent, neque caro dicitur peccati caro nisi quia illud causat obiectiuè, seu quo alio modo.

Subiectum totale est ipse homo qui peccato infectus denominatur, constatque ex sensu totius Ecclesiæ, & Conc. omnes Adami posteros illius peccati subiectum esse; difficultas vna est de Virgine Christi Domini matre, quam huius labis immunem pia sanè, & receptissima opinio docet, quamque paucis exponere fuerit operæ pretium.

Beata Virgo peccati originalis expers asseritur.

Gemina porrò est hoc loco difficultas: prima an reipsa peccatum originale contraxerit Beata Virgo; altera an saltem habuerit debitum, & necessitatem illud contrahendi vi originis ex Adamo per viam seminalem, nisi eximio quodam priuilegio in ipso primo instanti sui esse, gratiâ collatâ sanctificata esset. 2

Quoad priorem quæstionem dicendum est, Virginem non incurrisse vnquam peccatum originale, sed in primo instanti sui esse sanctitatem, ac gratiam, cuius debitæ carentia peccatum originale contrahi diximus, accepisse. Ita sentit, vt ab scholasticis ordiar, Academia Parisiensis iam pridem, vt quæ Ioannem Montesonum Dominicanum, qui Rhotomagi receperat se, maculatam conceptionem Virginis probaturum, & nisi hoc præstaret, velle se Huetum appellari, ad palinodiam compulerit, discussâ prius coram Innoc. VII. controuersiâ, indéque totum Ordinem à pueris Parisiensibus Huetum appellatum, vt refert Gaguin. *lib.* 9. *de gestis Franc.* & an. 1497. eandem palinodiam recantare iussit eadem Academia. Ioan. Veri. Dominicanum, die 16. Septembris: nulli verò Doctori lauream cōfert nisi iuramento se obstrinxerit tuendæ conceptionis immaculatæ: quod decretum emanasse circa an. 1383. conicit non male Salas *cap.* 42. *saecul.* 14. quem morem sequutæ sunt deinde celebres Academiæ. Moguntina an. 1501. teste Surio; Complutensis non ita pridem, cuius statuta, & iuramentorum formulam refert Salazar. *cap.* 8. *de immacul. Conc. n.* 26. idémque testatur de Valentina Suar. *tom.* 1. *in* 3. *p. d.* 3. *sect.* 5. Trithemius *in Chronices Span.* an. 1494. Coloniensem Academiam ait damnasse Vuigandum quendam, qui eiusdem Trithemij scripta de purissima conceptione Virginis impugnarat, & tum sententiam retractare, tum à Trithemio ipso veniam temeritatis suæ petere iure compulsum. Additque idem Trithemius sibi fauisse in ea causa per biennium ventilata, contra Regulares quosdam, qui litem innouarant coram Alexand. VI. Vniuersitatem Parisiensem, Coloniensem, Rubingensem, totúmque Ordinem Carmelitarum & Minorum, & Cœtum S. R. E. Cardinalium, Archiepiscopos, Episcopos, Principes multos, & penè omnem in Germania Clerum ac viros doctos, atque eruditos innumerabiles. Atque, vt ad Galliam redeam, ait Thomas Vualsingamus *in historia Anglican. an.* 1389. quosdā reassumentes suam antiquam de Conceptione opinionem, à Rege, & omnibus Episcopis iussos sub pœna capitis domi se continere, & hanc doctrinam non diuulgare. Hanc verò acriter deindè tuiti sunt Scoti discipuli cum eodem *in* 3. *d.* 3. *quæst.* 1. Nominales deinde cum Aureol. apud Capreol. *in* 3. *d.* 3. *q.* 1. *a.* 2. de Bustis *serm.* 4. *de conceptione* refert eundem Aureol. serm. ea de re scripsisse, Gab. *in* 3. *d.* 3. *q.* 1. *a.* 2. *& serm etiam hac de re.* sequuti sunt deinde innumeri, vt fatetur ipse Caiet. *in opusc. de Conc. Virgin.* ex omnibus scholis & familiis Religiosis, quibus recens accessit nostra Societas quæ à suis incunabulis hanc piam opinionem non modò tenuit vt primi eius Socij in Academia Parisiensi docti fuerant; sed etiam plurimùm illustrauit. Nam Layman. II. Præpositus generalis in Tridentina Synodo per tres horas de ea disputauit, & impulit sacram Synodum ad condendum decretum hac de re, cuius *infrà* meminerimus; & deindè plures quàm 40. nobiles auctores eandem sententiam suis scriptis luculenter explicarunt; quam laudem cùm huic So- 3

cietati inulderet Ægid. de Præsentatione io opete de hac quæstione, air dandum hoc potiùs temporum, in quæ Societas incidit, felicitati, quàm laudi eius. Denique V. Congregario generalis cauit, ne quis in contrarium doceiet.

4 Huic tam numerosæ scholasticorũ cohorti frustra pauci Thomistæ cum Caiet. & Capreol. *lib. cit.* se opponuot frustrà iactantes S. Thomæ, Bona. & aliorum veterum sententiam contrariam fuisse.

Respondeo enim primò, quod ad D. Thom. spectat, cum ab istis Thomistis in pluribus locis, & in rebus etiam leuioribus deseratur, quæ enumerat Poza *lib. 4. Elucid. tract. 5. cap.* a. atque ab ipso Caiet. passim in exponendis scripturis, non est cur tanti Doctoris auctoritas tam validè obiiciatur hoc loco, cum ipsi doctrinæ Thomisticæ defensores acerrimi eum hoc loco reliquerior, vt Herueus Magister Generalis Ordiois Prædicatorum, *capite 5. Ep. 2. ad Cor.* Soto *lib. 1. de natura, & gratia, c. 7. & in c. 5. Ep. ad Romanos.* Catharin. *opusc. de pura Virginis conceptione.* Sanctius Porta *in Mariali, & serm. de hoc festo.* Hugo de Prato Florido *serm. de ea de re*, & alij.

Secundò non videtur tanti facieoda S. Thomæ, Theologorum alioqui facile principis auctoritas in hoc negotio, cùm aliquid homanum passus videatur etiam in tribus propositionibus quas habet de conceptiooe Virginis, tum 1. a. *q. 81. art. 3.* tum 3. *p. q. 27. art. 1. &* 2. quod enim ait 1. a. tenendum esse secuodùm fidem Catholicam omnes bomines Adami posteros contraxisse peccatum originale vno Christo excepto, damnatum est, cùm Pontifices *infrà* afferendi piam opinionem probabiliorem contraria dixerune, ipsúmque Tridenr. monuit vniuersalibus scripturæ propositionibus, & decretis de peccatis actualibus, & originali, non comprehendi necessariò Virgioem. Falsum igitur est opinionem asserentem immaculatam conceptionem esse contra fidem Catholicam: esset enim error in tota Ecclesia intolerabilis, quæ opinionem erroneam, & falsam, tanquam piam, & magia probabilem amplecteretur. Quod verò ait, idem S. D. *a. 2. ad 3. l. c. 3. p.* in festo conceptionis celebrari tantùm festum sanctificationis, quocumque tandem tempore contigerit, à Sixto IV. & Gregor. XV. damnatum est. Quid mirum igitur, si quod ait tertio loco, incurrisse scilicet peccatum originale Virginem, falsum quoque sit, & aliquandò damnaodum, præsertim cum iam alia damnata sint quæ ab eodem Doctore fuerant aliquandò tradita, v. g. quòd non possit cоostitui Religiosus per vota simplicia, quod voluit ne simplex castitatis votum io Religione irritet matrimonium contrahendum, quòd com paupertate religiosa non possit consistere domioium bonorum: quæ omnia à Gregorio XIII. io bulla *Ascendente. &c.* reiecta sunt: non libet alia percensere.

5 Tertiò non satis sibi constat in hac sententia de labe originali S. Thomas, cùm contrarium docuerit *in 1. d. 44. q. 1. art. 3. ad* 3. & *ibid. d. 17. q. 2. art.* 4. citatur & locus alius Doctoris Angelici a Bernard. de Bustis *in Officio de cõcept. Oct. de lectione prima*, & à Canis. *lib. 1. de Deipara c. 6.* Salmer. *in c. 5. Epist. ad Rom.* d 51. vbi etiam adducit Turrecrematam Cardioalem, verba illa tanquam germana D. Thom. agnoscentem, Henriq. *lib. 3. de Sacram. Confirmat. c. 11. lit. M. in* Gloss. air se in antiquis exemplaribus D. Thomæ *in cap. 3. Epist. ad Galat.* in expositione horum verborum, *non dixit in seminibus*, legisse hæc verba, *exceptâ Beatâ Virgine, quæ omninò à peccato immunis fuit originali, ac actuali*, quæ modò non habentur. Liceat igitur cum Phœbadio in non dispari casu de Hosij Cordubensis incoustantia, dicere non potest eius auctoritate præscribi qui aut nunc errat, aut semper errauit: nouit enim mundus quæ in hanc tenuit (Hosius) ætatem, quod si diuersa nunc sensit, & quæcumque ab eo retrò damoata fuerant, defenduntur, quæ deffensa damnantur: rursùs dico non eius auctoritate mihi præscribitur. Nam si 40. annis verè noo credidit, post 40. illum rectè sentire non eredam, quaoquam etiam S. Thom. rediisse ad priorem sententiam testantur aliqui seriò, & reuelationiboa etiam confirmant apud Salas c. 41. *in fac.* 13.

Quartò nunquam mutasse sententiam, sed in illa sua priori perstitisse, multis coniicit Posa *lib. 4. Elucid. tract. 5. cap. 5.* locáque quæ afferuntur ex 3 *p.* corrupta fuisse, quod sæpius in toto illo nouissimo opere, ex quo solemus S. D. mentem exspiscati contigisse ostenderat eodem *lib. tract. 3. c. 3. 4. & 5.* Hoc verò loco, de quo agitur, nihil proponit de Conceptione Virgin. in gratia, aut peccaro, sed solum quærit *art. 1.* primò an ante natiuitatem sanctificata fuerit Virgo. Secundò an ante animationem: quare quæ in argumento secundo illius *art.* 1. ponuntur de sanctificatione in ipso momento animationis; quo sensu capimus modo conceptionem, ad rem non sunt, sed aliunde assuta, vt legenti patebit; in *resp. ad* 3. conceptionem accipit pro coagulatione semiourn ex veteri vsu id temporis, vt docebitur *inferiùs*; atque ita vides non admodum nos vrgeri S. D. testimoniis. Quæ verò ex aliis afferuntur, aut aliquam ex his solutionibus pati possunt, aut reliquis præponderare non debeor, etsi illi sancti fuerint; quod vrget tamen in primia Caiet. nam quæ tradita sunt à minùs sanctis, aliquandò sequuta fuit Ecclesia; immò & in allegandis auctoribus nonnuoquam elogiis ornauit minus sanctos, vt vides *in cap. sancta Romana Ecclesia. dist.* 15. quod sumitur ex Concilio Romano, vbi plurimi P. P. & Doctorum scripta enumerantur. Verùm neqoe sanctorum auctoritate destituimur, & quos sibi fauere putat Caiet. nobis non aduersantur.

Probamus itaque oostram assertionem ex Patribus, 7
quorum aliqui in primis Virginem omni ex parte immaculatam, & puram semper fuisse dixerunt, quod falsum erit, si labe originali aliquandò infectam fateamur: immaculatam itaque, & sanctissimam omnibus modis irreprehensam, sine corruptione Verbum Dei genuisse appellat Iacob. in Liturgia, Marcus in sua item Liturg. intemeratam, & ab ipso Æthiopes in sua item Liturgia in omnibus sanctam, And. Apostolus terram Virgineam nunquã maledictam: Ignat. *Epist. ad Ioannem*, omnium gratiarum abundantem, in qua humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur. Dionys. *Epistola ad Paulum*, deiformem, sanctissimam super omnes cœli spiritus, & *cap. 3. de diuin. nominibus* corpus eius ait θεοδόχον, & ζωαρχικὸν, Hippolit. Portuens. *orat. de consummatione mundi*, impollutam. Origen. *homiliâ prima in Matthæ.* cælestem thesaurum, deitatis diuitias, plenissimam sanctitatem, perfectam iustitiam, vnigeniti mansione honorabile templum, domum Dei, Creatoris omnium propriam, regis cœlestis sponsi domum immaculatam. Gregor. Thaumat. *serm. 1. de Ann.* quam solam gratia elegit, totius gratiæ thesaurum reconditum, solam ex omnibus generationibus sanctam corpore, & spiritu, intelligibilis solis orientem, florem vitæ immaculatum, arcam intrinsecùs, & extrinsecùs deauratam, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit; & *serm.* 2. immaculatam indutam vestem puritatis, atque integritatis simulachrum, semper vigentem immortalitatis paradisum. Dionys. Alexand. *Epistola contra Paulum Samosatenum, in quæstione decima*, à pedibus vsque ad caput benedictam seruatam, Virgina-
lem

lem paradisum, habentem omnia. Ephrem *sermone de eius laudibus*, ab omni sorde & labe peccati alienissimam. Basil. impollutam candoris, & decoris formam, cui in terris non est æqualis; & *sermone de Incarnatione*, vt refert Vol. 4. *tom. d. 2. q. 1. p. 2.* ex sanctitate igitur compacta caro digna erat, vt dignitati vnigeniti iungeretur; Epiphan. *serm. de laudibus Mariæ*, natura formosiorem ipsis Cherubin. librum immaculatum, inuentam nunquam iugum expertam, quod iugum interpretor quod impositum est super omnes filios Adami, Ambros. *in Psalm. 118.* ab omni integram labe peccati. Nyssen. *hom. 18. in Cant.* solus ex hominum myriadibus de puritate Virginis electus est, cuius conceptio sine duorum coniunctione perfecta parens minimè inquinata parturit doloris expers, cuius thalamus Altissimi, potestas quasi quædam nubes Virginitatem ipsam inumbrans, fax nuptialis, spiritus sancti splendor, cubile vitiorum expers, conditiu nuptiæ, puritas incorrupta: vbi postrema duo elogia obseruanda sunt Hieron. *Epistolâ de assumptione ad Eustochium*, quæ ab aliis tribuitur Sophronio, dixit impollutam, alienam à contagione peccati: & in *Psalm. 77.* nubem dici, quia nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce. Timoth. Constant. presbyter *in Orat. de Sim.* dixit: *suprà quàm dici potest inculpatam, omnibus sanctius modis sanctam.* Sophron. *Epistolâ ad Sergium Patriar. Constant.* ab omni contagione liberam. Vbi ex impressis Vaticana habent, non liberatam, quod obseruat Vasq. 3. *p. d. 117. c. 4.* (corporis & animæ, & intellectus) Basil. Seleuc. *oratione de Verb. Incarnatione*, Templum sanctissimum, omnia sanctitatis odorem spirans, And. Hierosolym. *hom. 1. de dormit. Mar.* quæ *vniuersam, quæ est in generatione, naturam superat puritate: primam naturam ad Deum accedentem puritate.* Hesyc. *orat. 2.* *tabernaculum ab omni sorde liberum.* Antioch. *in pandectis Scripturæ homilia 21.* *Quæ promeruit sibi vestem texere Virginitatis, nullâ rugâ decolorem, nulli obnoxiam reatui.* Eligius Nou. Episcopus *hom. 1. de purificatione*, nunquam immundam. Cosmas Hierosol. *in theogonia*; per quam puram, solam sanctam. German. Hierosoly. *in theoria rerum Eccles.* Deum sumpsisse Pontificiam stolam, vt purpuram tinctam ex immaculato sanguine Deiparæ Virginem perpurgatam animâ & corpore Paulin. Aquileiens. Episcopus *Mariam eiusdem nobiscum esse natura, non gratia*: Alcuin. *libro tertio de sanct. Trinitate, cap. 14.* tanam mundissimam, innocentia, & virginitate clarissimam, diuiniter purpuratam, solummodò æterno Imperatori indutam dignissimam. Theophan. *in hymno de Ann.* Manifestum sanctuarium. Petrus Cellensis Abbas *lib. de panibus cap. 21.* arcam fœderis continentem in se quidquid est sanctificationis, vel creaturæ, vel creantis.

8 Secundò plures Patres immunitatem ab omni culpa etiam originali verbis expressis asserunt. Nam Thesiphon. in libris nuper Gra. effusis disertè asserit Mariam non tetigisse primum peccatum, & in primo instanti suæ Conceptionis ab omni culpa liberam, alioqui non diceret ei Angelus, *Aue gratiâ plena*, Thamas. *sermone 4. de assumptione.* labis expertem & corruptionis dicit: Cyprianus *sermone de natiuitate*: *Spiritu sancto obumbrante incendium originale extinctum est: ideóque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia vt illud vas electionis communibus lasseretur iniuriis; quoniam plurimùm à cæteris differens natura communicabat non culpa: vnde etiam matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis spirituali, & corporali, intùs & extrà Christi præsentia fruebatur.* Chrysipp. Hierosolym. Presbiter. *sermone de laudibus Mariæ*:

Obliuiscere populum tuum, ô Virgo; populus enim, à quo cognationem traxisti, nequam est, ignominiam tibi afferet; populus imprudens tibi irreprehensâ natura propaginis, familiaritate iunctus est, & culturâ spinarum ferax, tuam rosam producit. Quæ postrema verba ostendunt, Virginem naturâ cum suis parentibus communicasse, non culpâ: atque eam rosæ & spinæ exorientis similitudinem in hanc eandem rem vsurpauit Sedul. *lib. 2. Pasch. versibus exarato*, & *in eodem opere solutâ orat. cap. 1.* vbi etiam dicit nullius maculæ næuo fuscatam. Ambros. vt refertur à Clyto, *lib. 1. de puritate Conceptionis, cap. 15.* vocat virgam in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit: non reperitur tamen hodie in scriptis Ambrosij Hieron. *in Epistola de assumptione ad Eustochium* explicans columbæ simplicitatem: quidquid in ea gestum est totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit; & ideò immaculata quia in nullo corrupta. Plura ex Aug. coogerit Salas *c. 42. sec. 5.* Sufficit vulgatum illud ex *libro de natura & gratia c. 36.* vbi ait de Virgine Maria, vbi de peccatis agitur, nullam velle se habere mentionem: quo loco disputans contra Pelagianos de peccato tum actuali, tum originali agit, vt pluribus docet Val. *p. 2. q. 1. d. 1.* Bellarm. *libro quarto de amissione gratia, capite 15.* & fusissimè Binar. *in PP. vindicatus à contraria sententia in Aug. §. 4.* qui sine absolute pronunciat nullam se habere velle quæstionem de Virgine, cùm de peccatis agitur, & datam illi fuisse gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum, idq; tribuendum honori Domini. Quæ omnia æque probant Virginem ab originali, atque ab actualibus peccatis liberandam esse: immò ex ipsomet Augustino *libro quinto in Iulian. capite nono* ex carentia omnis actualis peccati, in Christo, originale quoque abesse optimè concluditur, vt iterum *inferiùs* monebitur, & late probat Binar *l. c. §. 5.* Theodotus Ancyran. *homilia de natiuitate.* Sal. it iterum Virginem ab omni peccati infectione immunem Chrys. *sermone de Ann.* *Cui* (Christo) *est in vtero pignoratia dum fieret*: quod refertas illud etiam *serm. 144.* *Mariæ igitur Virgini salua sunt omnia quæ omnium genuit saluatorem.* Damascen. *oratione secunda de Dormit.* *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit*: & *sermone primo de natiuitate*: *O beatos Ioachimi lumbos, e quibus prorsùs immaculatum semen fluxit.* Auctor sermonis relati in Homiliario Alcuini, qui incipit *Creatoris matrem*, ait: *Decretum & preparatum æterno Regi hospitium alienus hospes intraret, & ipse sol iustitiæ de se processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosissimè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eua induxerat, in fugam conuertisti.* Leo Imperat. Basilij filius *homilia de Ann.* *Oliua es populi tui, & fortis & domus paterna: fortis videlicet illius, quam Eua progenitrix toti generi humano distribuit infinito illo affectuum, passionum, & animi perturbationum cumulo hæreditario relicto; nihil horum tamen in domum tuam intulisti.* Idiota *in contemplat. Deip. capite tertio*: *Tota pulchra es in tua conceptione ad hoc solum effecta, vt templum scilicet Dei altissimi, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non in te nec vnquam fuit, nec erit.* Iuo Carnotens. *sermone de natiuit*: ait, In conceptione vterumque spiritum viuificum singulari munere replesse, illisque Angelorum visitationem, & custodiam adfuisse, & ab initio procreationis: & sermone in salutationem Angelicam: *Quæ immaculata semper extitisti, ab exordio tuæ creationis.* Damian. *sermone de Ann.* *Radix Iesse de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore, in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit*: & *sermone de assumpt.* *Caro Virginis ex Adam sumpta maculas*

culas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas, in candorem lucis conuersa est. Bruno *in Psalm.* 105. *Dominus de cælo in terram aspexit*, ab omni contagione liberam affirmat, & Euæ opponit, quibus deinceps scholastici & iuniores magna ex parte subscripsere.

9 Videndum verò superest an Patres eo numero faueant aduersariis vti iactant; nam aliqui ad 80. numerant; Caiet. quindecim tantùm recenset: verùm aduersarij vix vllum habēt, qui, si attentè inspiciatur, ab ipsis faciat. Nam imprimis qui solùm in vniuersum pronuntiant omnes Adæ filios peccati originalis labe infectos, excepto Christo, non magis vrgent quam ipsæ scripturæ idem asserentes, quibus tamen non comprehendi Virginem declarant Tridentin. *sess.* 5. clausulæ enim vniuersales aliquam pati possunt exceptionem; quæ tamen admittenda non est sine graui aliqua coniectura, sed & Ecclesiæ sensu, aut approbatione; vnde si quis alium quàm Virginem à culpa originali absolueret, quia propositiones vniuersales Scripturæ, & Patrum possunt exceptionem aliquam pati, quamvis non esset hæreticus, temerarius tamen non ineptè diceretur, & aliquid errori proximum assereret. Plura de hac prima solutione dabit Salas *can.* 1. *cap.* 41. *& can.* 2. ait vnà cum Christo matrem eius excipi quoque à peccatis. Secundò vniuersales illæ loquutiones Patrum sæpissimè de actualibus etiam peccatis loquuntur, à quibus solum Christum excipiunt. Illi igitur molliter exponi debent ab ipsis aduersariis nisi velint etiā hanc labem Virgini aspergere, aut à Patribus discedere. Tertiò Poza docet, omnia quæ afferuntur è PP. corrupta, aut mutata esse, quod ex variis exemplaribus fuse ostendit *libro quarto tract.* 3. *&* 4. Quartò illi ipsi qui acriùs obsistere dicuntur, fauent.

10 Nam de Aug. id ostensum *superiùs* est; quatuor autem in ipso notant aduersarij. Primò quia solum Christum excipit ab hoc peccato *libro quinto contra Iulian. capite* 9. sed id iam solutum fuit, maximè cùm *ibidem* de peccatis quoque actualibus loquatur. Vide Binar. *in Aug. vindicato* §. 3. Secundò ait Aug. variis locis peccatum originale propagari per libidinem, in qua etiàm conceptam Virginem docet *l. proximè citato in Iulian.* Verùm quæ fuerit mens Augustini circa causam peccati originalis *alibi* expositum fuit, nimirùm id in generatione, quæ fit in natura corrupta propagari; eius autem corruptionis indicium libidinem esse, non autem causam peccati productiuam: quia etsi libido omnis abesset à complexu maritali, proles tamen peccato Adami inficeretur. Tertiò ait Augustinus Virginem per peccatum mortuam *Co.* 2. *in Psal.* 34. Verùm in correctis exemplaribus legitur propter peccatum Adæ, idque verum est: nam, nisi Adamus peccasset, natura humana non fuisset sibi relicta, & dono immortalitatis spoliata, atque ita interpretate Ambrosium, & alios quosdam. Quartò Augustinus carnem Mariæ vocat carnem peccati *lib.* 2. *de baptis. paruul. cap.* 24. Verùm carnem peccati carnem per concupiscentiam propagatam vocat Aug. vt fusè docet Binar. *l. c.* §. 4. Salas *c.* 41. *Can.* 3. exponit de carne humana, quæ ex ratione communi peccati rea est, vndè & Tertull. *lib. de carne Christi, cap.* 16. idem asserit; & Poza ait *tract.* 4. *capite* 2. *libro* 4. in Antuerp. exemplari non legi, sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati, sed quamvis de natura carnis peccati.

11 Obiicitur secundò S. Anselm. *l.* 2 *cur Deus hom. c.* 16. vbi apertè Virginem iniquitatibus conceptam ait. Neque satisfacit quod ea verba sint discipuli eius Bosonis, qui in eo Dialogo interloquitur: cùm enim quæstioni ab eo propositæ respondens Anselmus, non reiiciat eam propositionem, eam videtur admittere.

Respondeo de mente Anselmi pluribus constare, tum *eo libro* tum in sermonibus quos ea de re scripsit, tum Epistola, quâ Festum Conceptionis suaderet Anglis; quod suasisset quoque Lugdunensibus, apud quos diutiùs sæpiúsque exulasse narrat, vt Auctor eius vitæ dixit; & non malè coniicit Binar. *in Ansel. vindicato, lib. priore* vbi & laudata Anselmi opera in hanc rem refert; & Salas c. 41. *sæcul.* 11.

Ad locum verò allatum ab aduersariis dices primò opus ex quo desumitur ipso renuente vulgatum, necdum absolutum, vt ipse in præfatione, quam præfigi voluit, queritur. Lib. deindè de concepto Virginali Lugduni edito, quæ in priori illo obscura erant se explicasse, ipso statim exordio asserit; ibi autem aliud omninò sentit; nam *cap.* 18. ait decere Virginem eâ puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi: quæ verba vulgò vsurpant ad ostendendam immunitatem à culpa originali in Virgine; *capite verò septimo*, conceptionem ait significare commixtionem seminum, atque in conceptione reperiri peccatum, quia in semine vitiatæ naturæ necessitas quædam est, vt proles ex eo suscepta culpam contrahat, quod eorum de Virgine fatentur. Deinde, si admittantur verba quæ habentur *in libro*. *Cur Deus homo*. vt iacent, fatendum erit etiam cum peccato originali natam Virginem, vt *ibi* disertè habetur; quod falsum omninò constat. Denique nomine peccati originalis non ipsam animæ maculam, cuius naturam *quæst.* 1. fusè descripsimus, sed fomitem peccati alio nomine vsurpauit; alioquin dicendum esset Virginem vsque ad Verbi incarnationē fuisse obstrictam peccato originali; tunc enim eam ab eius reliquiis prorsùs mundatam asserit, quia nimirùm credidit. Quam expositionem ex pluribus huius doctoris locis *in Anselm. vindicato* probat Binar. *lib. postremo* §. 23. c. 4. atque eadem ratione exponi debent qui Virginem in Incarnatione, obumbrante Spiritu plane mundatam & purgatam ab æstu concupiscentiæ dicunt, vt Damasc. *lib.* 3. *de fide, capite* 2. Nazian. *oratione* 36. Ambros. *in Epist. ad Rom. c.* 8. (si tamen eius commentarij sunt.) Fulgent. *sermone de laudibus Virginis*; ait enim tunc ex integro exclusam iram primæ sententiæ; Beda *in homil.* super *Missus est*, ab omni vitiorum sorde castigatam, & æstu carnalis concupiscentiæ mundatam. Chrys. *sermone de Virgin.* dicit à lapsu, in quo illam constituerat Euæ cognatio surrexisse, dum Verbum exurgens è sinu paterno arca suæ sanctificationis sigillauit; Richard. *lib.* 2. *de Eman. capite* 26. quamquàm posset dici Virgo mundata etiam ab iis qui nullum, in ea fomitem, aut peccatum actuale posuissent, ob præseruationem, vt docet Salas *cap.* 41. *Can.* 4.

Magnam vim faciunt in Bernardo aduersarij in epistola illa celebri ad Lugdun. quam germanum Bernar. partum pluribus docet Binar. *in Bern. vindicato libro priore*, in quo conceptionem Virginis immaculatam impugnat apertissimè. 12

Respondeo cum Val. *part.* 2. *quæst.* 1. *disp.* 2. 3. *p.* Bellarm. *libro* 4. *de amissione gratiæ capite decimosexto*, & Binar. *l. c. cit.* §. 3. *ad fin. lib. postremo*, conceptionem non vsurpari à Ber. pro animatione fœtus, sed pro commixtione seminum, per complexus maritales. Quod satis indicant tria argumenta quibus Bernard. probat labem huius conceptionis. Primò; *an fortè*, inquit, *inter amplexus maritales, sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, vt simul & sanctificata fuerit, & concepta*, nimirum quia fuit in libidine ea conceptio: *aut certè*, inquit, *peccatum quomodo non fuit vbi libido non defuit*,

Secundò

Secundò quia in ea conceptione non fuit Spiritus sanctus, *quomodo namque, ait, sanctitas absque spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit. aut certè peccatum quomodo non fuit vbi libido non defuit.* Tertiò quia alioquin dicenda esset concepta de Spiritu sancto, vnde addit nisi fortè quis dicat *de Spiritu sancto eam, & non de viro conceptam fuisse, sed id hactenus inauditum:* quæ vt vides nihil probant de conceptione in sensu quo à nobis vsurpatur, pro animatione fœtus. Atque ita eam esse mentem Bern. iam olim viderunt Alensis 3. *p. q* 9. *m.* 2 *art.* 2. Albert. *in* 3. *d.* 3. *a.* 4. vbi damnat hæreticos eos qui dicunt Virginem sanctificatam ante animationem, idque damnatum a Bern. *cit. epist. ad Lugdun.* monet Bona. etiam *in* 3. *d.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. vbi ait ad 4. posse solemnizari Conceptionem, non quia sancta fuit, sed pro eo quod inchoata est. Denique S. Thom. *in eadem d.* 41. *art.* 2. *quæstiuncul.* 1. eadem sentit de mente Bernardi, qui sine dubio suam illam doctrinam hauserat ab Anselmo *capite* 7. *de partu Virginis*; Cogitur tandem Caiet. hanc duplicis conceptionis significationem admittere *opusc. cit. cap.* 2. atque de conceptione ante animationem fuisse quæstionem tempore Bernard. patet ex quæstionibus Theologorum qui Bernardo suppares fuerunt à nobis iam relati, qui vix vnquam posuerunt quæstionem in eo sensu quo modo agitatur. Cæterùm Bernard. sanctificationi Virginis in ipsa fœtûs animatione factæ fauisse pluribus docet Binar. *eo lib. posteriore* §. 10. & 11.

24 Superat vnus Ildephonsus, de cuius mente disceptatur in vtramque partem verùm quia Poza *lib.* 4. *Elucidar. tract.* 4. *capite* 6. vnum opusculum de virginitate Mariæ, germanum eius partum agnoscit, & reliqua esse supposititia, quamvis non reiiciantur à Bellarm. contendit propter varios errores illis insertos, non est quod in eius expiscanda mente; immoremur, quod Binar. & Salas. *c.* 42. pluribus præstitere nostramque opinionem afferre planè demonstrarunt. Si qui alij improbo & pertinaci labore conquisiti fuerint ab aduersariis, tanti nominis non sunt, vt in iis excutiendis diutius immorandum censeamus. Quare à Patribus

25 Transeo ad Scripturas quæ adiuncta PP. expositione communi plurimum fauent piæ sententiæ. Pauca quædam loca delibo; Sap. 7. *speculum sine macula Dei maiestatis,* & Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te,* quæ innumeri PP. Virgini accommodant, & ea de causa illam à macula peccati actualis cuiuslibet absoluunt, quæ eadem ratio cogit etiam peccati originalis labem denegare: nam originalis culpa radix est actualium, & æquè vtriusque dedecus in prolem redundabit; neque magis consentaneum est, Christum habere affinitatem, immò & cognationem cum carne peccato originali quàm veniali infecta: neque ea similitudo quæ inter prolem, & parentem reperiri solet, erit hoc loco, vt monet Anastas. Sinaïta *lib.* 6. *q.* 9. *anagogica.* Si Virgo non ferat sui filij imaginem, sed diaboli; denique si peccata actualia minùs aptum Dei habitaculum eam reddant, quidni & originale? Atque ita rationes quibus S. Thom. 3. *p. q.* 27. excludit à Virgine omnia peccata actualia valent hoc loco: quod argumentum vrget Gerson. cùm addit nequidem ea quæ peccati nomen habent voluisse Deum reperiri in Virgine, atque ideo in ea extinxisse peccati fomitem, & vt peccati suspicionem amoueret eam collocasse matrimonio. & vt communiter disputant Patres, omnes etiam sordes naturales quæ immunditiam, etiam aliquam legalem inuehere poterant, impediuit, vt secundinas in partu, vt pluribus docet Salazar. *c.* 28. §. 4.

Secundò vrget omninò *Genes.* 3. *c.* 3. ipsa conteret caput tuum, nusquam, vt ait Epiphan. *lib.* 3. *ad hær. inuenitur semen solius mulieris nisi in Virgine.* Vide Salas. *cap.* 19. *n.* 8. Huc facit quod Patres dicunt Virginem serpentis veneno non fuisse infectam, Iustin. *in expositione fidei Trinitatis: Ad eam dispensationem* (scilicet restaurationem Adæ) *vsum est* (Verbum) *sequestra Virgine stirpis Dauidicæ:* quo sensu Tertull. de ipso Christo dixit *lib. de resurrectione carnis,* hic *sequester Dei, atque hominum appellatur vtriusque partis deposito commisso sibi.* Iren. *lib.* 5. *c.* 19. adhuc protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens & serpentis prudentiâ deuicta in columbæ simplicitate; vbi per columbam significat Virginem, quam etiam Euæ culpam reparasse, pluribus docet egregiâ antithesi eorum quæ in prima mundi conditione, & eiusdem reparatione contigerant, *lib.* 3. *cap.* 33. Origen. *prout in breuiario. Guignony in tertia lectione de Conceptione,* ait, venenosis serpentis afflatibus non fuisse infectam, Thaumat. *sermone* 1. *de anim.* Euam venenum serpentis susceptum illud in orbem effudisse, indéque omnem Sanctorum natam ærumnam. Verùm in sancta Virgine lapsus eius reparatus est, Cæsar. *Dial.* 3. pro Eua Deum suscitasse Mariam in hac sanans, quod illa deliquerat. Fulgent. *sermone de laudibus Mariæ* ait vocatam gratia plenam, vt ostenderet Angelus ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam. Anastas. *lib.* 6. *in Hexham.* Euam lunæ deficienti confert, cuius luminis defectum restituit lux vera, quæ ex ipsa processit. *Ex secunda, inquam, Eua Christus tanquam ex quapiam plena luna Maria, quæ nunquam minuta aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine.* And. Hierosolym. *Orat.* 2. *de dormit. Virgin.* fuisse solam præter naturam electam ad naturam renouandam, Hesych. *Oratione secunda de S. Ma. Gloria luti nostri, quæ Adamum pudore, & Euam comminatione liberauit, quæ audaciam serpentis abscidit,* eandem denique Euæ ruinam, & culpam à Virgine reparatam docet Tertull. *lib. de carne Christi cap.* 17. Epiphan. *lib.* 3. *ad hær. & sermone de Laudibus Virgin.* Chrys. *hom. de Ann.* Damasc. *oratione primâ de nat.* vbi vocat primigenæ matris Euæ correctionem quæ mundo immortalitatem inuexit. Chrysip. Hier. *sermone de laudibus Virgin.* inducit diabolum querentem sibi modo nocere quod olim profuerat. Augustinus *homilia de assumptione.* Bern. *sermone de aqua ductu* & in *sermone de verbis Apocalyp.* Damia. denique *de natiuitate. Largissimum Mariæ benedictionis noua fluentum totum detersit maledictionis antiquæ contagium.*

Confirmantur hæc omnia ex officio Mediatricis & quodam modo Redemptricis quod Virgini tribuunt Patres, vt pluribus docet Salas *in capite octauo Prouerb. vers.* 19. & ita apertissimè vocant Basil. Seleuc. *sermone de incarnatione.* Ephren. *de laudibus Virginis.* Anselm. *de excell. Virginis cap.* 11. & 9. quánam vero ratione officium mediatricis exercuerit docet Salas. *tract. de conc. cap.* 25. quomodò itaque abstulit ipsa peccatum quod incurrit, & maledictionem, cui fuerit obnoxia.

Tertius locus est Psal. 86. *Fundamenta eius*; quem de Virgine totum Patres interpretantur, & Salas. *c.* 39. sed vrget, ni fallor, quod dicitur ipsemet fundasse hanc ciuitatem, quo etiam dicitur *Psal.* 47. qui de Virgine quoque exponi potest, atque hanc ab ipso Deo, aut Spiritu sancto sui tabernaculi fundationem, seu ædificationem de Virgine loquens, expendit Dionys. Alexand. *Epistola ad Paul. Samosat. quæst.* 5. & 7. vbi ait in hoc tabernaculo indutum nostrum Pontificem, in eo habitasse, ex eóque exiuisse, vt ingrederetur 16

æterna

æterna redemptione inuenta, quam eandem de architecto inhabitante propriam domum similitudinem, de incarnatione disputans adducit Proclus Episcopus Cyzicen. *homilia relata in Con Ephes tom.6. cap.7.* An igitur primus hospes & incola domus illius, quam sibi ædificatur Deus, fuerit peccatum, aut dæmon?

17 Quartò vrgeri potest gratiæ plenitudo quam tribuit Virgini Angelus eam salutans *Luc.* 1. cùm enim fuerit hæc plenitudo singularis, debuit esse non tantùm in vtero, quod Ioanni etiam conuenit, sed in ipso primo momento conditionis. Vide Salas. *cap. ite* 39. §. 2.

18 Denique plurimæ veteris Testamenti figuræ, quæ posita hac macula veræ non sunt: prima est mundi creatio, quam vsurpat Bern. *sermone de B. Maria*, atque hunc spiritualissimum Mundum in iustitia & sanctitate fundatum: Anastas. Sinaït. *libro* 2. *anago. co. in Hexham.* Firmamentum in medio aquarum, ait, vbi corpus in medio incorruptæ matricis fontis vitæ, & sub sole diuinitatis. Antonin. *tomo* 4. *lib.* 15. *cap.* 4. §. 2. opera septem dierum in Virgine explicat, sed laborat, quia tenebras peccati originalis ponit.

Secunda figura est paradisus voluptatis, qua Virginem designari putat Bernar. *sermone* 2. *de nat.* Damascen. *oratione secunda de dormit.* negans in eum paradisum intrasse serpentem. Tertiò Adami creatio ex terra virgine, ita ratiocinantur And. Apostolus in suis actis. Quartò Euæ ex Adami costa sine impuritate generationis, creatio, seu ædificatio in statu innocentiæ: quod vrget Catharin. *d sp. pro immaculata Conceptione, libro* 3. *cap.*4. Quintò Arca Noë apud Bern. *sermone de Beata Maria: Hæc arca non sensit naufragia vllius vitij.* Sextò Arca Testamenti ex lignis læuigatis, *sermone eodem*, Bern. & alij. Septimò Rubus Moysis, passim Theod. Ancyran. *homilia habita in Ephesina Synodo.* Octauò. Virga Aaron & Iesse, Ephrem *sermone de laudibus.* Damian. *sermone de Ann.* Nonò. Thronus Salomonis ex ebore, Damia. *serm.* 1. *de nat.* cui & Thronus Apocal. felicissimè ab Spinell. adaptatur. Decimò. Nubecula Heliæ, quæ ascendit è mari pluuiæ præsagi, in qua quasi vestigium hominis, Ioann. Hierosol. *libro de instit.* mare significat naturam humanam peccatricem; nubes autem sine sorde hinc exit: est enim alterius qualitatis, quamvis aqueæ naturæ. Hoc referas columnam nubis, seu nubem diei, quam etiam Virgini confert Epiphan. *serm. de laudibus.* & Hieron. *suprà allatus*, nubes cui insidens Deus in Ægyptum descendit Isa. 19. apud Origen. *homilia tertia in cap.* 2. *Matth.* Alias figuras eiusmodi dabit *in opere laudato* Catharin. & Spinell. *c.*7. *à n.* 4.

19 His omnibus Virginis Immaculatæ Conceptionis testibus accedit communis Ecclesiæ sensus, quem colligimus primò *ex Extrau.* Xisti IV. *Graue nimis.* Pij V. Paul. V. & Gregor. XV. qui non modò hanc opinionem vt probabilem dixerunt, sed etiam talem definierunt, ita vt rectè *lib.* 4. *Elucid.* contendat Poza, & Salas *cap.* 31. de fide esse, eam sententiam esse probabilem, & non falsam, vndè etiam colligunt ita certam, vt moraliter saltem illi nequeat subesse falsum. Ex his autem Pont. Gregor. contrariam in scholis, concionibus, colloquiis scriptis proponi vetuit, ita vt ablegarit in insulam quandam menealem, vt ait Poza. Secundò ex Concil. nam Trident. *sess.* 5. probat Extrauagantem Xisti IV. neque decreto de peccato originali à posteris contracto comprehendi Virginem declarat. Basile. *sess.* 36. hanc sententiam definiuit, & quamvis ea definitio, cùm sit Concilij acephali, non faciat rem de fide, ostendit tamen consensum omnium id temporis doctorum, & præsulum, atque Ecclesiæ, neque ea doctrina aut à Mart. V. aut à reliquis deinde Patribus & Pontificibus fuit reuocata. 3. Eadem Ecclesiæ mens colligitur ex erectione Ordinis Monialium sub nomine immaculatæ Conceptionis facta ab Innocentio VIII. & deinde confirmata ab Alex. VI. & Iul. II. Breue Apostolicum Innocent. refert Binat. *in Bern. vindic.* §. 13. *libro* 2. pluraque in ea noui Ordinis erectione miracula facta recenset. Iubet autem Pontif. eas Moniales recitare officium immaculatæ Conceptionis singulis diebus, præterquàm certis quibusdam Dominicis, & festis, atque eiusmodi officium iam pridem in quibusdam Ecclesiis vsurpatum constat, & Binat. *in Ansel. lib.* 1. §. 52. edidit vetus officium ab Anselmo compositum ex M. SC. Romanis: & licet Pius V. eiusmodi officia prohibuerit, nihil tamen huic piæ sententiæ derogauit, vt ex eius Extrauagante constat, sed cum omnia ad vsum antiquum Breuiarij Romani reuocari vellet, omnia alia officia, atque hoc in primis abrogauit. Quartò non potuit Ecclesia suum sensum illustriùs testari quàm celebratione festi Conceptionis, non sanctificationis, vt malè aliqui interpretabantur, quos redarguunt PP. maximè Paulus V. & Gregor. XV. mentémque Ecclesiæ in ea celebratione declarauit, ita vt omnia subterfugia aduersariorum cassa sint, quin æquè ex festo ipso sanctitatem Conceptionis, atque ex festo natiuitatis eiusdem sanctitatem colligamus, vt de bullis, quibus indicitur toti Ecclesiæ ea festiuitas, contendunt plures apud Pozam, & Salas. *ll. cc.* piam opinionem, quandam canonizationem adeptam: tunc enim sancti canonizati dicuntur quando eorum publicus cultus licitus est, hic verò etiam imperatur, fuitque iam olim in Anglia & Gallia à 500. an. celebrata hæc festiuitas, imò & apud Græcos iam à mille annis; annitente maximè Ansel. iam Cantuar. Archiepiscopo, ex allato Beccensi, tum apud Anglos Epistola hoc de argumento data, vbi & reuelationem Helsimo siue Heluino Beccensi allato, sub quo priorem agebat Anselmus, & cui in Abbatem suffectus est, in Daciam iussu Guillelmi Nothi Normannorum Ducis & Anglorum Regis proficiscenti narrat, & idem, vt dixi, seruari apud Lugdunenses, vt ab insigni illa Ecclesia contendit.

Rationes demùm quantùm in quæstione facti conjicere licet, validissimæ sint. Cùm enim potuerit Deus etiam posito decreto de transfundenda gratia in Adami posteros dependenter ab eius obedientia à contrahendo peccato, quod in priuatione Adami posteris debitæ consistit, liberare, id ita præstari consentaneum fuit, siue Virginem, siue Deum ipsum spectes; decuit enim matrem, & sponsam Dei futuram, quámque in Euæ locum subrogaret, vt sibi nouo Adamo adiutorium simile esset, antiquæ maledictioni non subiacere. Decuit hoc Deum, ne dum ad peccanda delenda venit passus sit eam, quæ prima illum excepit sinu, peccatricem fuisse. Decuit dignitatem Redemptoris, vt perfectissimè vel vnum liberaret non modò à culpa iam contracta, sed ne eam contraheret: hoc enim duplex redemptionis genus norunt Patres; Dionys. *cap.* 8. *de diuinis nominibus:* illam etiam redemptionem Theologi affirmant, vt Aug. *in Psalm.* 85. exemplo Medici præseruantis ab ægritudine, & alterius impedientis, ne qui compingendus erat in carcerem, illum subeat, aut vt suspendendus, seruetur. Hoc autem genere redemptionis decuit Christum suam liberare parentem: vnde Cusan. Card. *lib.* 8. *exercit.* ad illa verba: *Sicut lilium inter spinas. Præliberatorem Virgo habuit, cæteri liberatorem; imò post-liberatorem:* & Amb. *in Luc. cap.* 1. nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem 20

suam

suam inchoauit à Matre. Damasc. *Primitias massæ nostra vocauit*, Ildephons. *lib. 2. de Virginit. Mar. cap. 2. Solum opus inclinationis Dei mei.*

21 Neque video quid amplius obiicere habeant aduersarij præterquam quod non indiguisset baptismo Virgo, & tamen communis traditio est fuisse baptizatam, & ingressuram fuisse cœlum, si ante Christum obiisset: ac denique nescio quas reuelationes in contrarium factas tum Catharinæ Senensi, tùm aliis. Circa primum plurima disputat Salaz. *in defens. c. 24. n. 117.* in baptismo accepit fidei characterem, nouum gratiæ augmentum, quos & alios eiusmodi effectus præter remissionem peccatorum habet baptismus. Quoad secundum negat Vasq. *d. 117. 3. p. c. 13.* ante Christum Virginem fuisse ingressuram cœlum, quia totum hoc priuilegium Christo debebatur: dubius autem est Suar. an etiam hac in parte fuisset dispensatum *tom. 2. 3. p. d. 3. sect. 5. sub fin.* quoad reuelationes possemus opponere iis quas aduersarij obiiciunt, eas quæ factæ sunt S. Brigittæ quæ à Con. Basil. Martio. V. & aliis Pontificibus RR. probatæ sunt, vt quā narrant Abbati Heluino factam, & historia Institutionis Ordinis Monialium ab Innoc. VIII. sub titulo Conceptionis immaculatæ facta, tribuitur primæ auctori & parenti Elizabethæ de Sylua, & dicitur etiam facta Alphonso Rodriguez viro diuina patienti. Posset secundò obiici in antiquis exemplaribus apud Catharinam Senensem non reperiri: & denique dubiam esse fidem harum reuelationum facit impostura apud Bearnensea Cœnobitas in hac ipsa causa commissa, cuius meminit Delrio *in disq. magicis.*

Beata Virgo non videtur absoluenda à debito culpæ originalis contrahendæ in Adamo.

22 Quoad alteram partem difficultatis, an saltem aliqua ratione in Adamo peccauerit Virgo Deiparens, fuerit nimirum obnoxia isti culpæ quam ipsa contractura erat vi suæ generationis ex Adamo, nisi speciali fauore præseruata fuisset: an verò eam eximerit Deus etiam à lege & necessitate eam maculam patiēdi, ita vt nulla ratione dici potuerit peccasse in Adamo, aut debitum peccandi habuisse, existimauit Catharin. *opusc. de peccato veniali*, remouendum esse ab ea omne debitum saltem proximum. *Libro tamen secundo de purissima conceptione c. 2.* obnoxiam fuisse peccato veniali: quare lis est de eius mente quam Salas. *c. 7. defens. n. 4.* ita exponit, vt debitum quod negat Virgini Catharin. fuerit necessitas contrahendi hanc culpam vi pacti cum Adamo initi, in cuius posteris Virgo censebatur. Debitum autem remotum vocat obnoxietatē, qua obnoxia erat Virgo, ex eo quòd naturali propagatione ex Adamo nasceretur vt à Deo instituente legem, & pactum sanciēte cum Adamo, eo cōprehenderetur; ita vt hæc obnoxietas non sit quæpiam tantum aptitudo subeundi illā legem, quæ omni homini conueniret, sed necessitatem quandam, quatenus est aliqua de posteris Adæ, eandem cum illis obligationem, & quodammodò periculum labendi in peccatum, nisi non modò ab ipso peccato, in quod reliqui cadunt, sed etiam à certo periculo, immò & debito cadendi eximia quadam prærogatiua seruaretur. Cathar. sequuti sunt Galatin. *lib. 7. de Arcan.* vbi ait, Deus quandam seminis Adami particulam mundam secreuit, quæ per Seth. Enos, & alios ad Ioachimum vsque deriuata est, vt ex ea absque labe Virgo conciperetur: quod figmentum refutatione non eget. Salmeron *in c. 5. Ep. ad Rom. d. 49.* hoc idem debitum negat vt ex M.SC. eius refert Salas. *in def. c. 41. n. 5.* impressa enim exemplaria corrupta docet. Vnde Suar. *Ep.* de hoc argumento Salmeronem ab hac sententia purgat, quam non improbabilem putauit Valent. *in tom. 4. d. 6. q. 11. p. 2.* Sala. *tract. 13. d. 11. n. 68.* Iustin. *in c. 5. ad Rom. & in 1. ad Timot. c. 2. & ibid.* Magall *sect. 3.* & plures modo recentiores apud Salas. *in defens.* quibus & ipse assentitur, quorum aliqui adducti apud Posam *in elucid. lib. 3. tract. 3. c. 3. & 4.* probant, quia lex Adami comprehendit eos solùm qui ex ardore libidinis nascerentur via naturali; hunc autem libidinis æstum abfuisse à Virgine parentibus; immò & in ipsa commixtione ardentissima in Deum charitate flagrasse, putat idem Posa ex quadam reuelatione S. Brigittæ: conceptio enim Virginis fuit in se præter ordinem naturæ & miraculosa, quod nulli alteri generationi contigit. Nam licet alij plures ex sterilibus, & iam ætate prouectis parentibus geniti fuerint, eorum tamen miraculum fuit potius in parentibus, quàm in ipsamet conceptione. Virginis autem generatio, quia vno contextu, & momento fuit peracta, contra ordinem naturalem, fuit ipsa per sese prodigiosa; sed hæc omnia debilia omninò sunt ad nouam sententiam cudendam. Alij igitur probant ex debiti huius difformitate, quam multis prosequitur Salas. *in def. c. 15.* cùm illi Christus noluerit subdi, & sit parrus quidam peccati & ad peccatum tendat, peccatorem denominare habentem, qui verè dicitur peccare in Adamo, & seruitutem quandam, & obligationem inuehat, quæ veræ ingenuitati, & nobilitati repugnat. Quæ omnia videntur dedecere tum Christi matrem, tum Christum ipsum; quare omnes rationes & coniecturæ, quibus illam ab ipso peccato liberamus, debitum quoque illius excludunt. Et sanè decuit omninò filium matris, si quod habuisset debitū, exoluere perfecto quodam modo, impediendo nimirum ne illud contraheret. Adde Virginē aliis legibus non adeò turpibus, aut onerosis absolutam: non enim ne ipse quidem fomes peccati tam turpis ac indecorus est, quàm hoc peccandi debitum, cùm ille solùm inuitet, & alliciat ad peccandum; hoc autem etiam necessitatem incurrendi peccatum inducat. Cur itaque Virginis dignitati hanc notam inuremus, cùm nihil planè cogat: nam Scripturæ quæ pronuntiant omnes in Adamo peccasse, & mortuos esse, non cōprehendunt Virginem, vt declarauit Trident. *sess. 5.* alioquin non modò eam peccandi debitum, sed ipsum etiam peccatum incurrisse persuaderent: & quamuis superandæ essent aliquæ difficultates in explicando diuino decreto circa Incarnationem Verbi, & pacti cum Adamo initi, illæ ipsæ vorandæ sunt ab iis qui se Virgini studiosos fatentur. Quare Salas. *cap. illo 15. n. 7.* ait solum ignaua quædam ingenia quæ in his conciliandis laborem fugiant, debiti deformitatem negare. Quod verò Patres huius immunitatis, & priuilegij in Virgine non meminerunt, eadem causa est, propter quam nequidem apertè prioribus saltem sæculis immaculatam conceptionem dixerunt, ne videlicet, vt annotauit Fulbert. Carnot. *serm. 2. de nat. Virgin.* fauerent hæresi neganti Virginem veram mulierem esse, & Christum verum corpus habuisse.

Altera sententia, eáque probabilior, docet beatam 23
Virginem in Adamo peccasse, seu contraxisse debitum peccati originalis, vi suæ generationis ex Adamo per naturalem propagationem incurrendi, nisi præseruata fuisset gratiā Christi & causæ in proximam illam maculam veluti influxum impediuisse. Ita Vasq. *3. p. d. 115. c. 3.* Suar. *tom. 2. 3. p. d. 3. sect. 2.* & Epistola hac de re, Valent. etiam *l. cit.* hanc opinionem probabiliorem putat, & tenet etiam Bellarm. *lib. 4. de amissione gratiæ c. 16.* & alij passim.

Probatur primò: Adamus acceperat gratiam 24

transfundendam ad posteros, in ipsámque Virginem: ergò per inobedientiam Adami Beata Virgo & reliqui posteri eam amiserunt, meruerúntque illâ priuati, nisi aliundè eximio fauore donentur. Hoc verò est contrahere debitum peccati originalis: si enim Adamus meruit suo peccato vt gratia accepta priuaretur, omnésque eius posteri, ipsáque Virgo necessitatem & obligationem carendi eadem gratia, quæ non nisi dependenter ab Adami obedientia communicanda erat, contraxere: nam debitum actiuum non communicandi gratiam, esse nequit in Adamo, nisi in eius posteris sit debitum passiuum non habendi eandem gratiam propter Adami peccatum: ergò valida est ea consequentia: si Adamus accepit gratiam transfundendam in Virginem sicut in cæteros nepotes peccato Adæ, eandem gratiam amisit Beata Virgo cum reliquis quoque Adæ nepotibus, & obnoxia est priuationi gratiæ in ortu, quæ priuatio est peccatum originale, vt sæpiùs monuimus. Neque satisfaciunt qui geminum pactum cum Adamo initum volunt, vnum de transfundenda gratia, quo comprehendebatur ipsa etiam Virgo; aliud de amissione gratiæ, cui quidem obnoxia erat Virgo, cùm inter Adami posteros naturali propagatione prognatos censeatur; illicò tamen reipsa per priuilegium comprehensa non fuit, ac proinde habuit debitum remotum, non proximum. Verùm hoc geminum pactum fictitium est: eo enim ipso quòd Adamus accepit gratiam communicandam posteris, si Deo obsequeretur, nulla alia lege, aut pacto opus fuisset ad transfundendum peccatum, si ipse peccaret; nam neganda fuit gratia posteris vi decreti & pacti, quo credita fuerat Adamo gratia, si ille obediret: cum enim fuerit conditionalis promissio, non purificata, vt loquuntur conditione, non debuit dari gratia; imò debuit negari omnibus posteris, qui consequenter habent obligationem carendi gratia debita, hoc est, contrahendi peccati; atque ita etiam manet illa obnoxietas ingrediendi legem illam vniuersalem de transfundendo peccato, quod debitum remotum vocat, & in Virgine concedit Salas. *c.* 24. *num.* 141. si enim pacto accipiendi gratiam dependenter ab Adami obedientia comprehensa fuerit, non tantùm obnoxia fuit ex lege contraria carendi gratia, propter inobedientiam Adami & vt pacto contrahendi solum peccatum comprehenderetur, sed reipsa comprehensa fuit: cùm non sint duæ leges, vt dixi; sed vna eadémque formalissimè indiuisibilis, & inseparabilis, vt ex ipsis terminis manifestum videtur. Vnde colligit Vasq. *d.* 115. *cit. n.* 24. Virginem comprehensam lege transfundendæ gratiæ dependenter ab Adami inobedientia, nequidem per potestatem Dei absolutam potuisse excipi ab obligatione carendi eadem gratia Adamo peccante, nisi aliunde ea gratuitò conferretur. Tota ista difficultas videtur in probando primo antecedente huius argumenti, scilicet Adamum accepisse gratiam transfundendam in ipsam etiam Virginem: verùm id vltrò fatentur aduersarij, ipséque Catharin. deinde, si Adamus non peccasset, vt poterat non peccasse, beata Virgo fuisset producta sine gratia, & in pura natura vi suæ generationis; quod omninò absurdum est, & nulla gratia collata fuisset in primo instanti: fuisset enim in pura natura, & consequenter illud, quod prohibuerit formaliter, non fuerit gratia tunc collata, sed exceptio à lege transfusionis gratiæ, aut certè ex vi decreti, quo Deus naturam rationalem ad finem supernaturalem extulerat, non poterat non conferre hanc gratiam Virgini saltem per merita Christi morte consummata.

25 Secundò, beata Virgo non fuisset redempta, neque à peccato libera, quia nunquam captiua fuit, aut esse potuit, cùm non contineretur lege amittendi gratiã in Adamo, neque redemptio dicitur, nisi quæ aut liberet à culpa contracta, aut infallibiliter contrahenda; quis enim dicat filium seruæ, quæ vendita fuisset ea conditione, vt proles libera maneret, ab eo qui deinde matrem emisset, à seruitute liberatum fuisse, aut redemptum; atque in hoc ipso casu si Deus per merita Christi præuisa gratiam efficacem Adamo contulisset, & in gratia perstaret, quam proinde in omnes posteros transfunderet, non dicerentur Adami posteri redẽpti Christi meritis, neq; à culpa originali liberati.

Vt his argumentis occurrerent aduersarij, plurima excogitarunt, imprimis nunquam fuisse debitum peccati in Virgine, cùm in illa semper fuerit gratia, quæ totum illud debitum veluti exoluit, alioquin semper mansisset illud debitum: verùm in priori naturæ, quo subiectum præsupponitur suo accidenti, & anima gratiç, rectè intelligitur debitum carendi gratia, si solæ causæ naturales, & modus eiusmodi generationis ex Adami traduce consideretur. An verò deleatur illud debitum accedente gratiâ, *superiùs* diximus. 26

Secundò respondent Virginem electam, ac prædestinatam fuisse, tum ad innocentiam, tum ad dignitatem matris Dei ante præuisum Adæ peccatum, ac proinde pacto inito cum Adamo non fuisse comprehensam. 27

Respondeo imprimis incertam esse illam electionem, sicut & Christi ante præuisum Adæ peccatum, quare etsi veram putet Suar. ait non modò debitum, sed ipsum peccatum originale admittendum esse in Virgine, si non alia via quàm admissa eius ad perpetuã innocentiam destinatione nondum præuiso Adami lapsu explicari posset cum fundamento aliqua ex parte nutanti solutiones tam grauium difficultatum vti nequaquam debeant. Rectè tamen cohæret electio Virginis, quam isti volunt, cum debito contrahendi peccatum, quia etsi destinarit Virgini Deus perpetuã innocentiam ex meritis Christi, nondum tamen vt passibilis cogniti, potuit tamen illi velle gratiam dependenter ab Adami obedientia vt cæteris, & licèt eo peccante præuideret Virginem quoque obiiciendam periculo peccandi, sciebat se habere modos varios implendi prius decretum de perpetua eius innocentia, quos inter elegit, vt ex meritis Christi iam passibilis, & ad culpæ Adamiticæ reparationem destinati, gratiam illi in primo instanti sui esse, qua alioquin vi originis quam naturali via ex Adamo trahebat, caritura erat, liberaliter conferret, seu, vt paucis dicam, ex meritis Christi, nondum tamen præuisi passibilis, intendit sanctitatem perpetuam Virgini, quam deinde ex meritis eiusdem Christi, sed iam passibilis, contulit. Qui tamen ordo diuinorum decretorum verum tenendus sit dicam *alibi*: mihi modò sufficit duplicem hunc intentionis & executionis ordinem esse admittendum ab omnibus illis, qui Christi, & Virginis prædestinationem priorem faciunt peccato Adami.

Respondent tertiò, Virginem prædefinitam Adami innocentis filiam: cùm enim propter Christum, & Virginem mundus conditus fuerit, ipséque Adamus, qui omnium hominum caput destinabatur, antequàm ille peccasset, destinata est Virgo futura eius filia; reliqui verò omnes post lapsum Adami; atque ita peccante Adamo, Virgo non necessariò peccauit in ipso: probant quia Eua eius antitypa fuit Virgo ex Adami adhuc innocentis costâ producta fuit. Verùm supponit hæc responsio electionem Virginis ante peccatum Adami: deinde illi gratiam communicandam ante præuisam Christi mortem, & merita, ac proinde morte Christi redempta non fuerit. 28

Præterea

Prætereà vndénam habent omnes Adæ posteros, exceptâ Virgine, non fuisse futuros absolutè, nisi post Adami lapsum: dum autem PP. Euam typum Mariæ dicunt, significanc tantùm hanc instaurasse, quod illa perdiderat.

29 Quartò recurrunt ad scientiam conditionatam, quâ præuidit fore vt si mundum conderet dependentec ab vno capite, à quo reliqui homines propagarentur, illíque gratiam transfundendam posteris daret sub conditione alicuius obsequij præstandi, suoa omnes oepotes traheret in ruinam, idcircò decreuit primum Christum, etiam vt passibilem, deinde Virginem matrem eius propter filij aliquandò passuri merita ad gloriam elegit. Itaque Adam primò condere statuit, ex eóque reliquos homines, ipsámque Virginem progigni voluit & gratiam posteris omnibus communicandam sub obsequij onere commisit; quia tamen plena aleæ res erat, ex Christi præscitis in primo signo meritis, Virginem ab vniuersali lege excepit, & denique scientiâ absolutâ Adæ & posterorum ruina præuisa est, & mors Christi in primo signo in communis labis expiationem decreta. Verùm hæc ordinatio diuinorum decretorum insolens omninò est, cùm Christi mortem definitam, ante præuisum peccatum, dicat; cùm enim mors illa in se bona non sit, nisi quatenùs ad aliud referetur, non apparet quomodò potuerit definiri nondum præscito Adami peccato, & quomodo etiam Christus vt saluator definitus est, si nondum vlli saluandi erant: immò etsi Adamus in gratia perseuerasset, aut conditus non esset, debuisset vi prioris decreti Christus esse, & mori. Denique, scientia conditionata hoc loco nihil iuuat, quia ex ea Deus non mouetur ad aliquid decernendum futurum, sed tantùm vt quid actura sit creata voluntas præuideat, alioqui, sicut ex præuisione peccati Adami, si conderetur in paradiso, tentaretur à muliere, imponeretur illi præceptum, & in eiusmodi aliis circumstantiis poneretur, Deus in primo signo decreuisset Christum futurum; ita cùm per eandem scientiam conditionatam videret Adamum perseueraturum, si aut in aliis circumstantiis constitueretur, aut efficacioribus auxiliis roboraretur, debuerat aut Christum impassibilem definire, aut omninò non definire. Neque satisfaciunt qui posita scientia conditionata dicunt Deum vnico decreto simul, & in eodem signo decreuisse Adami conditionem, collationem gratiæ posteris, permissionem peccati, Verbi incarnationem ex Virgine, quam communi lege eximebat propter eiusdem Christi mortem quam tum prædefiniebat. Quia, cùm ordo decretorum & signorum Dei petatur ex connexione obiectorum, quorum alia causæ sunt, alia effectus, alia præcedunt quoad existentiam, alia sequuntur, vtpotè à prioribus dependentia, & vt futura sunt præuidentur, priora, aut posteriora, atque eodem modo decerni, aoc definiri dicuntur, maximè quaodò aliqua decernuntur occasione alterius, & non per se solitariè sumpta, non video quomodò omnia enumerata vnico indiuisibili decreto, vt voluit Granad. huius opinionis auctor *lib. 1. de immac. Conc.* c. 3. §. 8. comprehendi potuerint.

30 Quintò putant alij Virginem ad primam gratiam duplici titulo, eóque adæquato electam fuisse, nimirùm propter merita Christi, abstrahendo à passibilitate, & impassibilitate: Adamo enim non peccante futurus erat, licèt non passibilis: deinde propter pactum cum Adamo initum; illo enim continebatur etiam Virgo, ab illóque obediente gratiam acceptura erat. & peccante, eâ quoque carere debuit, neque potuit, nisi per merita Christi patientis eam recuperare. Vnde sequitur vt licet peccante Adamo, gratia fuerit neganda Virgini, quia tamen ex alio titulo adæquato illa debebatur, nunquam ea carere debuit; atque ita nunquam habuit debitum peccati originalis, quod est priuatio gratiæ in ortu debitæ: & licet tunc non fuisset habitura gratiam per Christi mortem, erat tamen habitura per Christi merita, sicut ipsemet Christus, licèt propter Adami peccatum fuerit, eo tamen non peccante futurus quoque erat, sed non mortalis, ac passibilis, seu clariùs, prima gratia debita erat Virgini & quia Christi mater destinata erat, & quia filia Adami, quo peccante gratiam debitam, vt & reliqui posteri, amisit; ad eandem tamen alio titulo adæquato, nimirum maternitatis, ius retinuit. Itaque nunquam ea, absolutè loquenquendo, carere debuit, aut potuit, vi prioris decreti diuini: & ne dicas non posse eandem gratiam conferri pluribus titulis totalibus & adæquatis, sicut neque dari plures fines adæquatos, & totales in vnum eundémque effectum influere, ex communi sententia. Obseruant isti auctores hos titulus esse inadæquatos, separabiles inuicem, & non subordinatos, ac respicere diuersos gradus gratiæ, neque dici totales respectû totius latitudinis gratiæ, quæ Virgini ex duobus illis simul sumptis debetur, quamvis quia ita debebatur gratia propter singulos hos titulos, vt vno deficiente, conferenda nihilominùs esset, etsi non eadem propter alium, totales appellari possint. Respondent igitur certi gradus gratiæ titulo maternitatis, iíque plures quàm titulo filiationis Adamiticæ. Si itaque deficiat titulus propagationis ex Adamo, qui suo peccato sibi & posteris gratiam conditam amisit, conferretur nihilominùs gratia ex titulo maternitatis, quæ multò maior est ea, quæ conferenda erat per Adami transfusionem; non dabitur tamen tota gratia, quæ collata fuisset vtroque titulo perstante integro, v. g. non dabuntur 12. gratiæ gradus, qui debebantur, sed solum 8. debiti titulo maternitatis, & quatuor reliqui qui lege transfusionis Adami inobedientia deperditi sunt, nonnisi per Christi iam patientis merita restituti sunt, vt *superiùs* cum communissima sententia negante peccatum originale contractum à Virgine, ostensum est: immò quamvis non essent redditi illi gradus, non contraxisset peccatum originale, quia illud cum gratia quocumque titulo collata stare nequit, vt patet. Vnde vlterius infertur neque ipsum debitum peccati originalis cohærere cum debito gratiæ, quod manet in Virgine, peccante etiam Adamo: eius enim inobedientia non metuit priuationem totius gratiæ debitæ Virgini, sed illius tantùm, quam ipse transfundendam acceperat.

31 Non placet tamen hic modus: quia supponit tum Verbi incarnationem, tum Virginem matrem Christi futuram Adamo non peccante, aut saltem, electionem Virginis in matrem, ante Christum præscitum passibilem; atque ita aut sine meritis Christi, aut per illa merita, absolutè considerata, abstrahendo ab statu passibilitatis, & impassibilitatis; quæ omnia incerta & difficilia sunt, vt constabit ex *alibi* dicendis, supponit hæc sententia præseruationem à peccato originali, seu donationem ipsam gratiæ originalis factam per merita Christi morte consummata, atq; ita fuisse alium ordinem intentionis, alium executionis, & quod absolutè decretum fuit, non nisi tamen per dependentiâ ab alio fieri: qui duplex ordo semper displicuit, & in materia de prædestinatione fusè reiectus fuit. Tertiò nô docêt quomodò fuerit redêpta à peccato originali per Christi mortem, quod tamen fatendum est, quandoquidem omnis gratia quæ tum Virgini, tum reliquis omnibus reipsa data fuit, per

merita Christi morte consummata data fuit : hanc autem præseruationem Virginis non futuram, ex Christi morte probatur, quia antequàm Christus moriturus præsciretur, iam libera erat Virgo titulo maternitatis, ad quam electa fuerat, à debito contrahendi peccatum originale, cùm per Adami peccatum priuari non posset totâ gratiâ originali. Debitum autem remotum incurrendi proximum, si non fuisset impedimentum appositum, non sufficit ad hanc redemptionem; neque enim seruauerit Christus Virginem sua morte à peccato, aut à debito proximo, quod non habuit vnquam, & gratia, quæ illud impediuit, non fuit collata ex meritis Christi morte consummatis, fuit enim decreta independenter à Christi morte nondum præuisa : ergo & independenter ab eadem collata : eodem enim modo res fit in tempore quo primùm ab æterno efficaciter facienda decernitur; vt latè *prima parte* dictum fuit. Sextò denique Salaz. *cap. decimoseptimo defens.* docet Virginem non fuisse futuram nisi Christus, qui propter solam peccati, & mundi expiationem venit, futurus fuisset, & moriturus. Quare existentia, & ipsa creatio Virginis facta est per merita Christi præuisa, etiam morte consummata. Vndè sequitur primò Virginem Adami pacto, & lege de transfundenda iustitia non fuisse comprehensam, nam lex Adamo lata non obligauit nisi eos, qui pro eo signo futuri erant, non autem omnes, qui aut possibiles erant, aut quacumque occasione gignendi erant ex Adamo; sed qui tunc futuri præuidebantur, neque hoc pactum conditionatum fuit ratione existentiæ posterorum Adæ, ita vt dixerit Deus, Si ex te aliqui nascantur, in illos transfundes gratiam, vt pluribus docet idem Salaz. *capite* 41. *à numero* 10. Cùm itaque Virgo nondum futura esset pro eo signo, quia neque adhuc Christus, cuius meritis morte consummatis debetur Virginis existentia, futurus erat, eâ certè lege obligari non potuit. Seqoitur secundò Virginem verè fuisse redemptam à Christo, vt fusè prosequitur idem Auctor *capite vigesimoquarto numero* 115. non tantùm quia ab actualibus omnibus culpis seruata fuit, (quod tamen ad veram redemptionem fortassis sufficeret) sed etiam ab originali, cui obnoxia erat in se considerata, debebátque communem ingredi legem, à qua Christi meritis soluta est, neque ad redemptionem requiritur debitum proximum contrahendi peccatum. Denique, quia totam suam existentiam accepit beneficio Christi, qui illam sibi veluti adiutricem ad redemptionis opus assumpsit, quare tota illi gratia collata ex gratia redemptionis fuit. Iam verò primum illud caput quo reliqua fulciuntur, videlicet nonnisi post decretam Incarnationem, & præuisum Adami peccatum, Virginis existentiam decretam fuisse, pluribus confirmat Salaz. *capite decimonono.* ex Euæ formatione post Adamum, vt adiutorium illi simile esset producta : ita & Maria post Christum ex comminatione serpenti facta futuræ mulieris, quæ caput eius contereret olim & ex eo quod Deus creaturus dicatur nouum aliquid supra terram apud Ierem. & *Psal.* 44. iubeatur Maria obliuisci populum suum, Adamum quòd filia Christi potiori iure dicenda sit, probat & *capite* 20. quia conditam à Filio dicunt PP. & Euæ, cuius culpam reparare debuit, opponunt; si enim ad eius culpæ reparationem condita est, illam supposuit; quo solo argumento Christum post peccatum Adæ prædestinatum dicimus; idque vrget *cap.* 21. Salaz. ex officio mediatricis, quod Virgini PP. concedunt, denique *cap.* 22. & 23. similia argumenta colligi ex PP.

Hæc tamen sententia laborat maximè vulgata 31
difficultate; quamvis enim daremus decretam tantùm occasione Christi venturi existentiam Virginis, quæ Adamo non peccante, non fuisset vnquam, & inter possibilia delituisset; quod non satis probant rationes Salazar, & *alibi* excutietur; nondum tamen apparet, quomodò per merita Christi fuerit à peccato originali, eiúsque debito præseruata, ac proinde à peccato originali verè, & propriè redempta : quod tamen omninò fatendum est, cùm constanter PP. omnes & Theologi doceant omnem gratiam, quæ reipsa collata est Virgini, & Adami posteris omnibus, fuisse ex Christi meritis. Non expendo modo quid futurum fuisset, maximè circa Virginem, in alio statu rerum, & secundùm ordinem alterius prouidentiæ, Verbo non incarnato : ago tantùm de gratia, quæ in hoc ordine rerum, & prouidentiæ statu exhibetur. Hanc autem gratiam præseruationis non futuram fuisse ex meritis Christi, indè ostenditur, quia eo ipso quòd nondum futura esset Virgo, quando initum est pactum cum Adamo, fuit immunis à debito peccati originalis, & consequenter ab ipso peccato; non fuit autem non futura in eo signo ex meritis Christi, quia dum initum est pactum cum Adamo, necdum futurus erat Christus, qui ex Salazar futurus tantùm fuit post præuisum Adæ peccatum, ad quod expiandum venit. Quare non magis videtur à peccato originali per merita Christi Virgo præseruata, ac redempta, quàm reliqui, qui dum pactum cum Adamo initum fuit, erant adhuc in statu possibilitatis, qui si deindè aliqua occasione futuri fuissent, vt esse poterant, neque enim obligabatur Deus nullos alios ex Adami traduce producere, quàm eos quos pro illo signo fore decreuerat, vt patet in ipsamet Virgine, quæ in eo signo nondùm futura erat; & cuius tamen existentia posteà decreta fuit, non fuissent obnoxij peccato originali. Quare, si Christus ex infinitis possibilibus, qui ex Adamo gigni poterant, aliquos suis orationibus impetraret à patre, etsi illi vi Christi meritorum existentiam acciperent, atque omnem gratiam, qua donarentur; non tamen vi eorumdem meritorum eximerentur à debito peccati originalis, cui nullâ ratione erant obnoxij, & quamvis vi suæ originis & generationis, non deberent habere gratiam, quæ proindè, si conferretur, conferretur ex meritis Christi, non tamen negatio illius gratiæ priuatio esset, quia non erat debita pro illo instanti, ac proindè neque vi suæ generationis peccatum originale incurrerent, etsi nullo fauore, & gratiâ donarentur, sed solùm cum negatione gratiæ sicut in statu puræ naturæ nascerentur. His adde negationem existentiæ, pro eo signo initi pacti, si præcisè sumatur, nondum fuisse beneficium, sicut neque fuit in iis qui deindè relicti sunt in statu possibilitatis, sed tantùm cum connotatione, futuritionis pro sequenti tempore, quo periculum impendens euanuit, atqui in eo signo negatio existentiæ, nondum connotabat futuritionem in Virgine, pro sequenti tempore; quia nondum erat illa futuritio, vt fatetur Salaz. & istud decernere fuit tantum veluti ex accidenti, & conditionaliter : ergo nondùm fuit beneficium, neque proindè ex Christi meritis collatum.

Sensit hanc difficultatem Salaz. *cap.* 24. §. 12. & 32
non satis feliciter, nisi fallor, euasit : ait enim negationem futuritionis Virginis pro instanti initi pacti, ac proindè exclusionem à lege transfusionis, fuisse ex meritis Christi, quæ prius præscita erant, & à quibus diuina voluntas mota est, ad efficaciter decernendam negationem existentiæ Virginis, pro illo instanti, seu potius

potius ad non decernendam tunc eius existentiam, sed cohibendam veluti suam voluntatem circa Virginis futuritionem, donec deterruisset illā veluti procellā peccati originalis; præscita autem fuisse Christi merita ante hanc existentiæ pro illo instanti negationem probat, quia illud solum in ordine diuinorum decretorum dicitur præcedere aliud, quod respectu eius rationem causæ, principij, aut conditionis tenentis se ex parte principij requisiti, & priùs efficaciter voliti habet, ac proindè nihil prædestinationem, & merita Christi præcedere in diuino decreto dici debet nisi fuerit causa, principium, aut occasio saltem aliqua Christi futuri, cuiusmodi fuit Adæ lapsus, & totius naturæ in illo, qui proindè dicitur præcedere merita Christi etiam præuisa: negatio, autem futuritionis, & existentiæ Virginis pro signo initi pacti cum Adamo, cùm nullam rationem causæ, principij, aut occasionis habeat respectu futuritionis Christi, vt patet, dici non potest efficaciam meritorum Christi, & prædestinationem eius præcedere: vnde infert potuisse subsequi in ratione meriti.

33 Respondeo tamen duplicem esse prioritatem, & posterioritatem: alteram veluti intrinsecam rebus, quæ ab ipsa denominantur: alteram extrinsecam: prior illa fundatur in connexione aliorum, quorum vnum pendet ab alio in suo esse. Itaque est ferè tantùm connexio in causalitate, causa enim prior dicitur suo effectu prioritate quodammodò intrinsecā, & effectus non potest ea prioritate esse prior suā causā. Altera prioritas extrinseca est, & merè per accidens, quoties obiecta se habent, vt vnum non sit cum alio simul in eodem instanti naturæ, vel temporis, siue connexa sint, atque ita eorum natura postulet, siue sint disparata, & omninò per accidens, contingat vnum esse prius altero. Ita puer qui natus est heri, prior est puero, qui nascitur hodie; ad quam tamen prioritatem nullum fundamentum in natura rei reperitur; vnde non solent inuicem in prioritate, & posterioritate, nisi extrinsecè admodum comparati. Ex hac tamen prioritate, & posterioritate extrinseca fit, vt quod prius est, reduplicatiuè, & formaliter loquendo, non possit esse ab eo, quod est posterius, etsi nihil repugnet quod prius est specificatiuè sumptum pendere à posteriori, quod poterat esse prius, cùm non subordinentur essentialiter, sed tantùm per accidens. Quia verò cognitio rei sequitur esse, ad cognitionem quoque transferenda est hæc posterioritas & prioritas. Quæ igitur ita connexa sunt, vt vnum ab alio tanquam à sua causa, principio, aut conditione, & occasione sine qua non in suo esse & existentia pendeat, ita cognoscuntur, vt vnum necessariò videatur esse prius alio, & necessariò fundant ordinem in decreto, quo attingitur eorum existentia, quia etsi ille actus reipsà vnicus sit, & indiuisibilis, formaliter tamen est multiplex, ratione obiectorum quæ inter se connexa sunt, & quorum vnum est alio posterius. Atque hinc fit, vt quod est principium alterius, non possit aut videri, aut decerni posterius eo, cuius est principium, vel causa. Quomodo verò obiecta habent tantùm prioritatem, & posterioritatem extrinsecam, non fundatam in connexione & dependentia vnius ab alio, sed in solo tempore, ad quod comparantur, sicut quia non sunt essentialiter subordinata, quod prius nō est potuit esse prius; ita etiā potuit cognosci prius; quamdiu tamen reipsa prius est, non potest esse posterius, eo quod præcedit aliqua duratione, etsi cum illa disparitate comparentur, non potest etiam non cognosci posterius, neque quod posterius est, potest cognosci prius: sicut quod non est; non potest cognosci esse. Etsi igitur negatio futuritionis Virginis in signo initi pacti non fuerit causa, aut occasio futuritionis Christi pro sequenti signo, sed cum illo disparatè tantùm, & per accidens comparetur, habeátque tantùm prioritatem *in quo*, seu in eo signo rationis, non *à quo*; posito tamen quòd pro eo signo fuerit ea existentiæ negatio, & pro sequenti tantùm fuerit Christi futuritio, non potest ab eo Christus pendere, tanquam à causa. Quod confirmatur: quia, cùm causa meritoria reducatur ad efficientem, non potest agere nisi existat aliqua existentia saltem obiectiua, quæ ad causalitatem moralem sufficit: atqui in eo signo nullam adhuc existentiam habent merita Christi, & sunt in statu solius possibilitatis: illis igitur non mouetur diuina voluntas vt non decernat futuritionem adhuc in illo instanti, sed consequentia expectet. Cùm igitur eo ipso quod non decernatur futura existentia Virginis, in eo signo, sit immunis a peccato, id non habebit à Christi meritis, etsi vi illorum deinde existentiam accipiat. Deindè etsi negatio futuritionis Virginis non sit causa futuræ Incarnationis, est tamen connexa cum ea aliquid, quod eandem Incarnationem tanquam occasio eius, & causa præcedit, quia pactum initum cum Adamo de transferenda gratia in posteros, quorum tunc existentia decreta fuit, non potest comprehendere eos, qui nondum futuri sunt, vt fatetur Salazar, & decretum de existentia horum dumtaxat singularium habet adiunctam necessariò negationem futuritionis eorum omnium, qui non continentur eo decreto, cùm nihil futurum sit ante decretum, neque etiam non futurum, sed tantùm in statu possibilitatis. Cùm itaque in eo signo sit tantùm decreta certorum quorumdam existentia, alij omnes necessariò nondum futuri sunt, etsi non sint etiam non futuri.

Ex quibus sequitur primò Christi merita non posse præcedere Virginis non futuritionem, eámque causare, quia non possunt causare illud, à quo ipsa causantur, siue per modum principij, siue per modum occasionis, neque quid cum eo principio aut occasione connexum est, & sicut non potuit præcedere pactum cum Adamo in Adamo initum de transfundenda gratia in hos posteros determinatos, quorum pro eo signo existentia decreta non erat, ita non potuit causare non comprehensionem in eo pacto, aut negationem eorum, qui adhuc erant in solo statu possibilitatis; necessariò enim eo ipso quòd non esset adhuc decreta eorum existentia, non comprehendebantur ea lege, & non erant futuri. 34

Vnde sequitur vlteriùs non magis potuisse Christum pro eo signo, quo nondum futurus erat, meruisse negationem futuritionis Virginis, quàm aliorum omnium merè possibilium, & existentiam futurorum; nam eo ipso quòd hi tantùm diuino decreto acceperint in eo signo existentiam suo tempore exhibendam, reliqui omnes necessariò in eodem signo fuêre non futuri; atqui hi tantùm decreti erant futuri in eo signo independenter à meritis Christi: ergo & independenter ab eisdem reliqui omnes qui manebant in statu possibilitatis, erant adhuc non futuri. Neque ad hoc opus fuit duplici decreto, sed decretum de existentia quorumdam sufficit ad non futuritionem omnium aliorum. Neque tunc fuit decretum aliquod particulare circa Virginem, distinctum ab eo quod certis tantùm destinata erat existentia; eo enim ipso vnà cum infinitis aliis Virgo erat non futura, & si fuisset aliquod decretum circa Virginem fuisset istud, Nolo adhuc futuritionem decernere Virginis;

ginis; postea tamen alia occasione decernam. Quod decretum vel fuisset tantùm conditionatum, vel absolutum: prius illud supposuisset scientiam conditionatam meritorum Christi (eſi Adamus peccatir, futuri,) & morte peccatum naturæ expiaturi: atqui merita solùm conditionatè præuisa, non sunt motiuum diuinæ voluntatis, neque influunt in decreta diuina, vt constans est PP. assertio fusè stabilita contra Semipelagianos 1. *p.* decretum verò absolutum supponeret merita Christi præuisa absolutè futura: atqui nondum erant futura absolutè: ergo præuideri non poterant & multò minus causare decretum istud de non futuritione Virginis pro hoc instanti: alia tamen occasione decernendæ. Hæc omnia clariora redduntur 3. *p.* vbi ordo signorum in diuino decreto circa Verbi incarnationem stabilitur, & modus quo Christi merita eius progenitoribus, & antiquis patribus profuerint, aperitur.

Ad extremum moneo contrariam sententiam, 35
nulla grauiori censurâ notandam, quamdiu Virginem verè redemptam, & per merita Christi morte consummata, à peccato originali, eiúsque debito præseruatam tuebitur; quæ si componere cum hac opinione licuisset in eam omninò propenderem, & si cui visum fuerit graues hac in parte recentiores sequi, & aliqua via ex his quæ superiùs indicatæ sunt, difficultates propositas feliciter se dissoluere existimat, in hanc quoque abeat sententiam per me licet.





DE PRINCIPIIS IVRIS DIVINI POSITIVI.



PRINCIPIVM I.

Dari ius aliquod diuinum positiuum in sacris Litteris contentum.

1 PRIMA pars huius principij stabilita est *lib. 5. superiori*, dum dari legem diuinam positiuam, Dei præcone Moyse, & & Christo legislatore, atque ipsis Apostolis probauimus; neque aliquid addendum mihi videtur.

2 Altera pars principij huius, nimirùm ius hoc diuinum positiuum in sacris Scripturis & Bibliis, vt vocamus, contineri, facilè demonstratur; cùm enim constet ius hoc diuinum ab ipsomet Deo immediatè sancitum fuisse, licèt mediis præconibus illud promulgarit, diuino verbo latum, & fixum fuisse debet. Quare supponendum est dari aliquod verbum, quod si in diuinis scripturis explicetur, manifestò sequitur nostra propositio, nimirùm, ius illud quod quærimus in diuinis Scripturis contineri, & explicari. Duo itaque probanda nobis sunt, primum dari aliquod Dei verbum: alterom, illud in Bibliis, siue sacris Scripturis haberi, quod vtrumque demonstro.

3 Atque imprimis dari aliquod verbum Dei, ipsi etiam Ethnici fatentur, qui tot oracula, & leges à Diis accepta, iactarunt, vt habet Clem. Alexand. *lib. 1. stromat.* & Lactant. *libro etiam primo institut.* immò & Turcæ eundem Mundi & Alcorani conditorem faciunt, apud Nicolaum Crisan, *libro primo cribrationis Alcorani, capite primo*; & apud Cantacuzenum *libro primo aduersus Musulmannos*, sed falsò, & impiè Diis fictitiis, aut impurissimis hominibus, diuinitatem tribuerunt, falsóque perditos homines, & sæpè hominum monstra, aut dæmones pro Numinibus obtruserunt; ac proindè verba diuina illis affinxerunt. Cùm enim omnes Dij gentium sint Dæmones, vt ait Dauid *Psal. 95. vers. 5.* sitque vnus solus Deus, illius solius, est verbum, quod modò quærimus, estque ea solemnis quæstio, an verus Deus suis cultoribus aliquandò loquutus fuerit, illisque veras leges tulerit. Quod quidem supponimus prima parte nostri principij. Sed in hac altera parte petimus an verbum eiusmodi diuinum adhuc hodie existat, quod consulere possimus, atque ita loquentem nobis Deum audire; quod eleganter demonstrat Origen. *libro tertio contra Celsum.* Cùm enim gentes singula suorum Deorum oracula iactarent, & miracula, quos Dæmonia dicebant Iudæi, eorúmque Prophetæ, quomodo dissiderent à falsis Gentium Diis, si ipsi non fuissent diuino spiritu afflati, & edocti, an non potiùs ad falsa illa numina desciuissent, si ipsi non habuissent & oracula, & sermones diuinos, quibus edocerentur, & diuinæ mentis interpretes nacti fuissent? An Deus suo populo in eiusmodi necessariis defuisset? & suo sermone saltem mediantibus vatibus non erudiisset? quæ & alia eleganter prosequitur Origenes. Necessariū igitur est admittere aliquod verbum Dei siue sermonem, quem Deus hominibus loquutus fuerit, illisque suam voluntatem notam fecerit; quod verbum à Prophetis, & Apostolis in tabulas relatum, aut viua voce traditum verbum Dei nominamus. Neque enim agimus hoc loco de verbo quod loquutus est Deus ab æterno, de quo Ioannes cap. 1. *quod est apud Deum, & Deus est*; sed de verbo quo loquutus est in tempore ad Angelos vel homines; cùm enim salutem æternam ipsi suis operibus consequi debuerint, id scire sine præconio non potuerunt, & quin veritati alicui reuelatæ assentirentur, quæ reuelatio dictionem, & testimonium reuelantis omninò supponit. Vel Deus igitur per seipsum hominibus loquitur immediatè, vel per Angelos, aut alios homines: & illa loquela, siue verbū, in tabulas, vt iam monui, relatum est, vel viua voce traditum, & ad posteros deriuatum, estque verbum ἔγγραφον, vel ἄγραφον: & vtrumque est vel publicum, vel priuatum; primum illud publicam habet auctoritatem, & ab omnibus recipitur, & Bibliis, vti vocamus, continetur. Ineptiunt enim hæretici quidam, qui negant verbum scriptum esse propriè Dei verbum, cùm id propriè competat soli verbo æterno, qud Deus est; Scriptura verò etiam sacra sit tantum impropriè & analogicè Dei verbum, siue eius pictura, eáque admodum imperfecta, quibus ipsa Scriptura, quam viam sequuntur apertè repugnat. De quo enim alio verbo loquitur Paul. 1. ad Thessalonicenses, capite secundo. *Cùm accepissetis à nobis Verbum, vt donum Dei, accepistis illud, sicut est verè verbum Dei, & Deus ipse.* Deut. 4. vers. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.*

4 Quæ verò obiiciunt Hæretici cum Libanio Luthetano eodémque Chimio, verbum scriptum lacerari, comburi, & demùm perire posse, non verò verbum Dei, & cætera eiusmodi, inepta sunt, & in fumos chymicos abeunt: quasi verò leges, & edicta Principum pereant, & comburantur, si carthæ, quibus mandata sunt, pereant, & aliud quodpiam intelligamus per Dei verbum, quam diuinam mentem, & voluntatem verbis, & loquela expressam intelligamus. Quare tota difficultas consistere potest, an verba illa verè Deo tribuenda sint loquenti, & reuelanti Moysi, aliisque Prophetis; ac proindè verus Bibliorum siue sacræ Scripturæ auctor sit Deus; siue an Dei loquentis verba contineant. Ago verò de primario siue principali auctore, non de instrumentali, & particulari: sic enim significat homines quorum manu,

& operâ, aut voce vsus est Deus ad illa peonuntianda, & primò scribenda. Ille enim scripti alicuius verus, proprius, & simplicitee auctor est, qui illud alteri vel dictat, vel suggerit, aut deoique inspirat, quâ ratione Homerus dicitur sui operis auctor, quamuis aliqui negent apud Iosephum *lib. 1. contra Apionem*, illud scripsisse; cùm cæcus esset, & foriè id temporis nullæ adhuc apud Græcos extatent literæ. Sapienter autem Gregor. præfat. in Iob: *Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictauit. Ipse scripsit qui & illius inspirator extitit.* Quare sacræ Scripturæ tum Deo, tum sacris hominibus, qui eius afflatu loquuti sunt, iure merito tribuuntur. Ideò 2. *ad Timoth. capite tertio* dicitur: γραφὴ θεόπνευστος, *Scriptura diuinitus inspirata.* Petrus autem Epistola secunda capite primo: *Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati*, φερόμενοι, *loquuti sunt sancti Dei homines*, Voce nimirùm, & scripro: & Paul. ad Hebr. *Multifariam, multisque modis loquutus est Deus olim per Prophetas*; qui & quodammodò fuêre Dei amanuenses ex illo *Psalmi quadragesimi quarti: Calamus scribæ velociter scribentis.* Vnde colligit Gregor. *Præfatione in Iob*, ridiculum esse, vbi Epistolarum auctorem scimus, & sensum cognoscimus quare, quo calamo eius veeba scripta sint indagare, atque adeò cùm rem cognoscimus, eiúsque auctoram Spiritum sanctum eenemus, scriptorem quærere, quod nihil aliud est quàm legentes literas de calamo perscrutari. Cùm igitur habeamus Bibliorum auctorem, iure merito illis diuinam voluntatem, & mandata, atque adeò summum ius positiuum contineri diximus, idémque peteodum non esse.

5 Obiicies nos non aliundè probare Scripturas istas esse diuinas siue auctore Deo reuelatas, vel scriptas, quàm ex ipsismet Scripturis, quæ ita affirmant, & rursus ipsas Scripturas veras esse, & verè affirmare, illisque fidem habendam, auctoritatémque tribuendam, quia Ecclesia ita testatur, illísque contineri auctoritatem tanquam verissimis indicat: quod probationis genus statim vitiosum apparet, inutili, ac ridiculo circulo laborare, cùm de scripturarum auctoritate per solam Ecclesiæ auctoritatem constet, de Ecclesiæ auctoritate solis Scripturis ita testantibus doceamur.

Respondeo hac vna obiectione plurimas inuolui difficultates, *alibi* partim examinatas, partim examinandas commodiùs; quare paucis hoc loco perstringam: & primò quidem fatemur non posse naturali lumine demonstrari, Deum esse verum Bibliorum, & proprium auctorem, quamuis pluribus rationibus, illud esse credibile persuadeatur: primū quidem euidens per se non est ea quæ hominibus loquitur Deus, fuisse scripto mandata, & ea, quæ vt talia circumferuntur, verè talia esse; quandoquidem à Mundi ortu vsque ad Mosem nulla fuerint eiusmodi diuina scripta, quamuis toto eo interuallo plurima homines Dei afflante, & reuelante spiritu Dei loquuti fuerint, (vt aiebat Petrus) & à Christo vsque ad primam Euangeliorum scriptionem, verba Apostolis credita non fuerint in tabulas relatas, potuítque Deus hominibus loqui, eósque instruere eâ ratione qua quondam veteres Patres erudiunt, quæ tamen non haberent vllam apud nos auctoritatem, αὐθεντίαν, & ἀξιοπιστίαν. Et sanè illud est vnū ex principiis fidei, quod euidenti, vt patet, ratione nequit ostendi, quare reiiciuntur Manichæi ab Augustino *libro de vtilitate credendi, capite decimoquarto*, qui nihil credi absque euidenti ratione volebant. *Si Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit Christiani non sunt.* Et *libro sexto confess. capite quinto* mouet non audiendos esse si qui fortè dicant: *Vnde scis illos libros vnius & veracissimi Dei esse humano generi ministratos.* Vide eundem *lib. 28. contra Faust. cap. 11.*

6 Id tamen probari esse euidenter credibile ostendimus contra quosdam Ethnicos apud Cyrill. *in libris contra Iulian.* & contra quosdam Neotericos Hæreticos apud Hosium de hæresibus. Primò ea doctrina in illis libris contenta, quæ dignissima Deo est, & vix ab alio tradi potuit: nam leges edicit vniuersales, non vni tantùm regno vtiles, sed omnium gentium, & regnorum vsibus consentaneas, vnde non ab vno tantùm aliquo rege conditas, sed ab orbis vniuersi Domino & Auctore. Prætor quidam Sinarum colligebat apud Posseuin. *libro nono bibliothec.* Vide & Augustinum *libro secundo de Ciuit. cap. 18.* & *libro de moribus Ecclesiæ, à capite septimo.* Secundò diuinas perfectiones explicat, & quæ impia de Numine commenti sunt Gentiles, remouet Augustinus *libr. 22. de Ciuitat. cap. 5.* Tertiò plurimas rerum futurarum prædictiones, quas ipse rerum euentus certissimos esse docet, vt de regno Iudæ, de captiuitate Babylonica, de aliis pluribus, quæ à nullo alio, quàm à Deo cognosci & prædici potuerunt. Vide Gregor. *homil. 1. de Aduentu* Augustinum *lib. 12. de Ciuit. cap. 18.* & *lib. 13. contra Faust. cap. 12* Origen. *lib. 4. de princip. cap.*.. His adde Christi de futuro Ecclesiæ statu prædictiones, de quibus Augustin. *in Psalm. 39. sub fin. & præfat. in Psal. 40.*

7 Idem ostenditur ex sacrorum librorum Scriptoribus, qui si boni, & pij fuerunt, non potuerunt quæ diuina erant, sibi vendicare, si mali, non imperassent perpetuo bona, & mala interminatis pœnis prohibuissent. Deindè tanta veritate scripserunt vt sui etiam generis ac familiæ labes & dedecora vulgarint, & vbique mendacium detestentur: quàm verè igitur passim dicunt: *Hæc dicit Dominus.* Quæ eadem ratio ostendit hos Scriptores non fuisse suppositios, & qui aliud nomen sibi sumpserint, suúmque alio mentito occultarint: quo enim fructu id fecissent? id ipsum euincit summa inter ipsos Scriptores consensio, quamvis locis, ætate, moribus disiungerentur. Quæ omnia expendit Augustin. *lib. 18. de ciuit. cap. 41.* His accedit sermo, & dictio simplex, nullis argumentis intextus, sine phaleris, & ornatu; adeò tamen efficax, vt innumeras orbis totius regiones conuerterit, & homines moribus dissitos, eósque virtutem, abiectis fœdis sceleribus, docuerit, & tot calumnias, atque accusationes facilè diluerit. Neque eam doctrinam Philosophorum scholæ, & tyrannorum crudelia tormenta extinguere potuerunt. Huc etiam faciunt quæ de legibus, & iure, Biblicis libris sancita, & eius cum cæteris omnibus politiis collatione diximus nuper *lib. 3. superiori*, atque de eius æquitate, quæ, cùm superet omnium legislatorum scita, non nisi diuina esse potest. Cùm igitur habeamus aliquod dari Dei verbum, quod diuinum ius, & leges continet, videndum modò est quibus in libris scriptum illud Dei verbum, & ius habeamus.

Quod verò addebat obiectio, non constare nobis Dei verbum esse in Scripturis, nisi testimonio Ecclesiæ, cuius etiam auctoritas non constat, nisi per istas Scripturas, atque ita in reciproca illa probatione committi vitiosum circulum, id fusissimè soluemus *in sequenti tractatu de Religione, & diuino cultu*, cuius prima radix est fides, & cæteræ virtutes Theologicæ; cóque loco ostendemus, hunc circulum, cùm non fiat in eodem genere causæ, vitiosum non esse, & passim in materiis aliis vsurpari.

Restat præterea explicandum quinam sint illi libri, in quibus scriptum habemus Dei verbum, & ius quod quærimus; dicendúmque contineri in libris Canonicis,

nonicis, siue qui in canone, & numero diuinarum Scripturarum continentur, quod fusiùs ostendit Bellarminus *libro primo de verbo Dei, capite secundo, & tertio*: sic enim loquuntur passim Patres, Augustinus *libro secundo contra Crescon. cap. 31.* & *libro secundo de doctrina Christiana, cap. 8. libr. 11. de Ciuit. cap. 3. & alibi*; Hieronym. *in prologo galeato, & alibi*; ratióque euidens est: nam Scriptura diuina canon est, & norma credendi ex Irenæ *libro quarto cap. 69.* eam enim vocat τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ, canonem veritatis immobilem, & cùm sit certus & definitus diuinorum librorum numerus, qui in illo canone & numero determinato comprehenduntur, dicuntur canonici, & in canone esse, aut extra illum reiici; qui canon est canon Ecclesiasticus siue sacrarum Scripturarum: Euseb. *lib. 3. hist. c. 25. & lib. 4. cap. 26. lib. 6. c. 29.* appellat τῶν γραφῶν κατάλογον: Epiphanius τῶν γραφῶν ἀριθμόν. Augustin. *libro secundo de Baptis.* Scripturam sanctam canonicam suis numeris contineri ait, & clariùs *lib. 2. contra Crescon. cap. 31. Salubri*, inquit, *vigilantia canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum, & Apostolorum libri pertineant, quos omninò iudicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris vel fidelium, vel infidelium libris liberè iudicemus.* Eodem sensu Anastas. in synopsi vocat βιβλία ὡρισμένα, libros certo numero definitos, quibus opponit βιβλία ἀόριστα, καὶ ἀναρίθμητα, numero non definitos siue innumerabiles libros, quare & tota Biblia, & singulæ eorum partes siue singuli libri sunt canones, & norma, immò & singulæ particulæ, quæ perfectam gignunt sententiam, immò singula verba & apices sunt etiam canonici, cùm in eo numero, & canone Ecclesiastico referantur, atque etiam canon, & norma illius veritatis quam explicant, & sua sententia complectantur: sapienter verò Augustinus canonem illum Ecclesiasticum dixit, vt & Euseb. *lib. 6. cap. 25.* quia illum Ecclesia, & initio condidit, & deinceps conseruauit: quamuis enim alij libri dictati, vel inspirati sint secundùm canonem, & canonicas scripturas, & inter libros quos eiusmodi canones continent numerari possint, non sunt tamen secundùm nos canonici, quia non habent authoritatem, & vim obligandi nos ad credendum, cum non tales proponantur ab Ecclesia. Vnde illud tritum August. *libro contra epistol. fundamenti: Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ accederet authoritas*, & Paulus suum Euangelium cùm Ecclesiæ principibus contulit, ab illisque probari curauit ad *Galat. 2. vers. 6.* qua de re vide Augustin. *lib. 24. contra Faust. cap. 4.* Hieronym. *epist. ad August. quæ est 11. inter Augustin.* & Tertullian. *libro 4. contra Marc.* quare *Concil. I. Toletan.* inquit, *si quis dixerit, vel crediderit alias scripturas esse canonicas præter eas quas Ecclesia Catholica recepit, anathema sit*: & sanè nisi librorum canonicorum iudicium penes aliquem cum potestate suprema resideret, nullus de iis altercandi, & contendendi finis esset. Vide eundem August. *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8.* Canon. *lib. 2. de locis cap. 2.* Bellarmin. & Serarium
10 *in proleg. Bibl. capite 8. quæst. 5.* hunc porrò canonem facit Ecclesia, vel probando librum tanquam diuinum, vel improbando, & reiiciendo, vel cohibendo assensum, & neque reiiciendo, neque improbando, donec clariùs de sanctitate, & veritate illius constet: quare non statim, & totum simul illum canonem condidit, sed successiuè, cùm alij priùs aliis scripti fuerint, vt patet in vtroque testamento: deinde dum Ecclesia librū aliquem à proprio eius authore suscepit, si eius diuina inspiratio explorata, & nota est, nō indiget vlteriori examine, & illum statim in canonem referre potest: si eius verò explorata non est diuina inspiratio, aut ab alio authore quàm à primo scriptum accipit, examinare omnia, & attendere diligenter debet, antequam testetur illud esse diuinum, & pro diligentia examinis, & comperta citiùs, aut tardius veritate, citiùs etiam, aut tardiùs de illo pronunciat, aut iudicium suum differt, & donec de illis iudicium ferat Ecclesia non sunt ij libri canonici quoad nos: quos verò canonicos semel pronuntiauit, nunquam ex eo canone reiicit; quia Spiritus sanctus illi eâ in testificatione, & iudicio assistit, non potest itaque vnquam, aut falsum dicere, aut negare quod asseruit, & quod verum esse pronuntiauit, non potest deinde falsum esse affirmare, & illud tanquàm malè pronuntiatum retractare. Quod idem sentiendum est quandò aliquod positiuè improbauit, & è canone eiecit: nihil verò interest an ipsa autographa, an apographa, & exemplaria conseruet Ecclesia.

Diuiduntur libri canonici & sacri, tùm à Catholicis, tùm ab antiquis, & recentioribus heterodo- 11
xis, vt videbis apud Serrar. *in proleg. cap. 8. quæst. 7. & 8.* & Bellarmin. *libro primo de verbo Dei, capite 4. & seq.* vbi & singulos libros quos ex illo canonicorum numero reiiciunt, tuetur, quod & alij præstiterunt. Nos qui modò pugnam cum heterodoxis non instituimus, istis omnibus abstinebimus, summa quadam capita, quæ nostro operi necessaria sunt, delibasse contenti: agimus enim cum Catholicis, quos ex principiis certis, & constantibus atque etiam interdum fidei, scientiam canonicam docemus quam rident heterodoxi: omissis igitur ineptis quibusdam diuisionibus, quarum meminit Serar. Canonis fallibilis, & infallibilis, proprij & improprij, vniuoci, & æquiuoci, primarij & secundarij, Hæbræi, Græci, Latini, Germani, & Gallici, fidei, & lectionis, aliisque eiusmodi nominibus, quæ canoni sacro, & Ecclesiastico conuenire non possunt, vt pluribus confutat Serar. *l. c.* vbi & de illa librorum in Ecclesia lectione, quos canonicos esse negant Heterodoxi; his quæ, inquam, ab aliis disceptanda sunt, omissis Epiphan. *lib. de ponderibus, & mensur.* dicit alias fuisse βίβλους τὰς ῥητὰς, καὶ ἐνδιαθέτους; alias verò οὐκ ἐν ἀριθμῷ ῥητῷ ἐν ἀναφερομένας, & *heresi 8. contra Epicur.* βιβλία ἀναντίῤῥητα, alia ἐν ἀμφιλέκτῳ in ambiguo, & disceptatione. Euseb. *lib. 3. histor. cap. 25.* Scripturas partitur in ἐνδιαθήκους, & ὁμολογουμένας, & ἀναμφιλογουμένας in confesso, alias ἀντιλεγομένας, & ἀμφιβαλλομένας &, vt ait Athanasij Synopsis, βιβλία ἀμφιβαλλόμενα, communior est diuisio apud Augustin. *lib. 2. de doctrina Christiana c. 8.* quæ tripartita est; nam aliquæ scripturæ accipiuntur ab omnibus Ecclesiis, vel à paucioribus, quæ Ecclesiæ vel sunt plures, vel pauciores, & vel maiores, vel excellentiores grauioris, vel minoris authoritatis, quibus constitutis has regulas tradit. Primò ut accipiantur quæ ab omnibus Ecclesiis admittuntur. Secundò quæ si non ab omnibus, à pluribus tamen & à grauioribus admittuntur. Tertiò si quæ à pluribus, aliæ verò à grauioribus recipiuntur, paris omnes, & æqualis auctoritatis suscipiantur: neque ab Augustino dissentit Iuo. *lib. 1. de partibus scripturæ, cap. 7.* cùm diuinos libros duplicis facit auctoritatis, perfectæ, qui omninò absoluiè canonici sunt, & mediæ, qui ex plurium sensu aliis adiungi solent. Alij communiter etiam trifariam diuidunt. Primò in eos de quibus nulla vnquam inter Catholicos fuit disceptatio. Secundò verò eorum qui licèt tanquam Apostolici,

ftolici, aut Prophetici haberi soleant; eorum tamen clara, & explorata auctoritas non est. Tertiò eorum, qui publico Ecclesiæ iudicio nondum canonici habiti sunt, à viris clarissimis doctissimisque tales existimati, sunt protocanonici libri, de quorum, vt ita dicam, canonismo nunquam dubitatum fuerit & Deuteron. qui non vt canonici statim agniti sunt, siue secundùm se totos, siue secundùm aliquam ipsorum partem. De omnibus istis, & singulis, de quibus dubitari potest, an sint verè canonici disputat Bellarm. *lib. 1. de verbo Dei à capite* 1. vt & de vero Hæbræorum, & Christianæ Ecclesiæ canone, Serarius eruditè suo more *in prol. cap. 8. quæst 9. & 10. ad fin.*

12 Libri igitur qui absolutè canonici non sunt, quia neque ab Ecclesia in aliquo Concilio, neque à Romana Sede, & Pontifice, in canonem relati sunt; siue quia aliquos errores sapiunt, siue quia, licèt sanam doctrinam contineant, non sunt tamen certæ & explicatæ auctoritatis, dicuntur apocryphi, quasi occulti, & absconditi: ἀποκρύπτειν enim est occultare, abscondere, obscurare etiam in scripturis: dicuntur igitur hi libri apocryphi: quia eorum auctoritas occulta est, & non canonica, & vt loquitur Augustin. *lib. 11. contra Faust. cap. 2. Nullâ testificationis luce declarati* (per Ecclesiam nimirum.) & *lib. 15. de Ciuitat. cap. 23. eorum occulta origo non claruit Patribus, à quibus vsque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima, & notissima successione peruenit. In his autem apocryphis, etsi inueniatur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est canonica auctoritas.* Et mox: *Cur non sunt in canone nisi quia ob antiquitatem suspecta fidei iudicata sunt. nec vtrum hæc essent, quæ illa scripsisset, poterat inueniri non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè seruasse.* Et paucis interiectis: *Multa sub nominibus Enoch, & aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.* Vide similia apud Origen. *prolog. in Cantica, sub fin.* Cyrill. *Cathechesi. quæst. 4. & 5.* Philast. *hæres.* 40. & alios. Quare reiiciendæ sunt ineptæ aliæ librorum apocryphorum interpretationes; nimirùm quod olim sæuiente persecutione, occultarentur: sic enim omnes fuissent apocryphi, & hodie tertius & quartus Esdræ, atque etiam postremi Machabæorum, qui in ipsum codicem bibliorum inseruntur, non essent ampliùs apocryphi. Malè quoque Scaliger *in Eusebian. animaduers. pag. 99.* ait, sanctum Epiphanium vocasse apocryphos, qui in arca fœderis absconditi non essent: nam potiùs ea vocis etymologia dicerentur non absconditi; & dubium est an intra arcam laterent canonici, & extra illam apocryphi collocarentur. Ineptè quoque dicunt apocryphos, quorum sententia difficilis vel author latet: nam ferè omnes libri ob eam sententiæ difficultatem apocryphi dicerentur. Dicendum est nominari apocryphos, propter dubiam, aut nondum satis declaratam ipsorum authoritatem; vti dicebat Augustin. ideóque Athanas. *in Synopsi* dixit ἀπόκρυφα βιβλία ἀποκρυφῆς μᾶλλον ἢ ἀναγνώσεως ἄξια, libros apocryphos latibulo potiùs quam lectione dignos, in iis verò quæ apud Bellarm. *lib. 1. de verb. Dei c. 20.* referuntur ex Can. 84. Trullanæ Synodi de libris apocryphis, qui in eo numerantur, non moramur cùm reiiciamus eam Synodum, in eiúsque canonibus plurima falsa sint, ideóque illius canones, neque ab Ecclesia Romana, neque à tribus aliis patriarchalibus recipiuntur.

Quæres quomodo Deus sit auctor diuinarum Scripturarum, & Diuini scriptores illarum fuerint à Deo afflati & inspirati? Grauissima quidem est ista quæstio, sed eam fusissimè explicamus *tomo* 2. vbi post virtutes Theologicas, alia quædam dona supernaturalia pertractamus, & singillatim de prophetia disputationem instituimus. 13



PRINCIPIVM II.

Verbum Dei, & ius diuinum non nisi ex versione vulgata, quæ sola authentica est, colligere nobis licet.



RINCIPIVM istud necessariò supponit diuinam scripturam non fuisse exaratam idiomate nobis communi, & passim noto, sed in diuersa idiomata translatam fuisse, vt variis gentibus innotesceret. Quia verò, nonnunquam variæ illæ translationes, & versiones in varias linguas aliquando non consentiunt inter se, & cum primario exemplari, & primo authographo, videndum est, quámnam translationem, & versionem sequi teneamur, vt certum Dei verbum habeamus, & ius diuinum obseruemus: quare vnam aliquam eiusmodi versionem, cui Catholici omnes inhæreant, esse prorsùs debet. 1

QVÆSTIO I.

De variis sacræ Scripturæ versionibus.

STatuendum imprimis diuinos libros veteris Testamenti ex communi sententia lingua Hebraïca primùm conscriptos fuisse: sumo verò linguâ istam Hebraïcam paulò latiùs, prout Assyriam, & Chaldaïcam etiam comprehendit, quæ illi affinis omninò est, & sola quarundam vocum mutatione per additionem, aut detractionem, aut nouarum etiam quandoque accessionem differt; quam ob causam Philo *libro secundo de vita Mosis*, diuinam Legem linguâ Chaldaïcâ scriptam dixit, & explicat quoque Hieronym. *in cap. 1. Daniel*, quare lingua quoque Syriaca, & Thalmudica Hebrææ nominatur, *Ioannis 5. vers. 2. & capite 19. vers. 13. & 17.* Assyria, & Chaldæa dicitur quoque Hebræa. Aliquando lingua Hebræa propriè dicitur quæ Hebrææ genti propriissima est, & qua vtebantur antequam in Ægyptum descenderent, quandónam verò vsurpata, & inuenta lingua Hebraica, quâ scripti sunt libri canonici, an à Mose, aut alio quopiam anteriore ea lingua vsurpata, immò an illi ipsi characteres, quibus hodiè vtuntur, à Mose primùm excogitati fuerint; an verò illi perierint, aut instaurati fuerint ab Esdra, vt & perplures voces excogitatæ, disputant fusiùs Serar. *in prolegom. cap. 3. à quæst. 3.* & omnium fusissimè Eusebius Nerembergensis *toto volumine de origine sacræ Scripturæ*, quem adiisse non pœnitebit; nobis sufficit, diuinos veteris Testamenti libros linguâ Hebraïca siue strictè sumpta, siue fusiùs vt Chaldaïcam, & Assyriam, aliásque vicinas complexa fuerit, siue ex illis aliis permixta scriptos fuisse. 1

Nouum porrò Testamentum magnam partem 2
Græcè

Græcè scriptum esse affirmant passim: dubitatur enim an Sanct. Matthæus Hebraicè primùm editus fuerit, S. Marcus Latinè, quæ aliásque controuersias eiusmodi modò prætermittimus, ne longiùs digrediamur, satis enim nostro instituto sacra Biblia, seu diuinos libros, ex primogenia sua lingua in alias nostro commodo translatos fuisse, in illisque linguis à nobis iam olim legi & tractari: nugantur enim qui omnes eiusmodi translationes damnant tanquam impias, ideóq; Theopompum historicum insaniâ, Theodectum Poëtam tragœdum cæcitate diuinitus percussum, quod quæpiam minùs reuerenter ex Sacris, suis libris immiscuissent ex Ioseph. *lib.* 12. *antiq. cap.* 2. quod idem de Numenio curiosiori Philosopho, qui sacra Eleusina vulgauerat, habet Macrob. *libro* 1. *in somnium Scipionis*. Nugantur quoque Rabini mundum triduanis tenebris offusum fuisse propter translationem LXX. Interpretum, quod ex Thalmudicis fabulis narrat Serarius *in prolegom. capite* 11. *quæst.* 1. alij verò Rabini diem quo translatio ista facta est comparant illi quo conflatus est vitulus, *Exod.* 1. *cap.* 32. Deindè variæ istæ translationes obnoxiæ sunt erroribus & maiestatem, atque efficacitatem diuinæ & sacræ linguæ minuunt, poterátque propagari diuina lex absque eiusmodi versionibus plerumque falsis & erroneis, ex quibus & tenebræ, & infinitæ difficultates, vti quotidiè experimur, ortæ sunt, pauci quidem assiduò labore, primum illam linguam discerent, sed eorum dicta maioris forent auctoritatis. Verùm crudelioris esset inuidiæ tanto thesauro fraudare totum ferè genus humanum, & quibusdam duntaxat iisque paucis communicare: immò cum Deus patere voluerit omnibus magnum naturæ librum, vt ait Augustin. *libro* 32. *contra Faust. cap.* 10. cur voluerit, vt argumentatur idem Augustinus *libro secundo de doctrina Christiana, capite quinto*, suæ reconditæ sapientiæ librum latere & nullis ferè communicari. Neque denique reddi commoda ratio potest, cur alij omnes, etiam sapientissimi & reconditi libri variis linguis publicati fuerint, & hic vnus omnes ita latuerit, vt illum vulgare nefas fuerit. Quod autem de Theopompo & Theodecto dicitur, vel fabula est, vel malo animo, & contra reuerentiam Numini debitam verba Sacra transtulerunt; Numenium autem qui Eleusina vulgarat, iure merito Numen puniuit, quòd illa impia forent, & sapienter apud Lucian. Demonax, si bona erant, omnibus peruulgari oportuit, si mala item vt ad illa inuitarentur, aut ab illis homines absterrerentur. Quod de ieiunio à Iudæis indicto ob translationem Septuaginta Seniorum reiicitur à Serario *quæst.* 1. *citat.* cùm neque illud in Iudæorum Calendario habeatur, & ipsi Rabini ita versiones fieri prohibuerint vt semper reperirint versionem Græcam, quam laudant, & fuisse dicunt Israëli ornamento, & gloriæ. Vide alia apud Serarium; neque enim in his nugis immorandum videtur.

3 Statuendum potiùs est hoc loco libros istos diuinos in aliam linguam translatos verè esse diuinos, & verbum Dei, contra Vuittakeram & alios Hæreticos, de quibus *ibidem* Serar. *cap. citat. quæst.* 2. licèt voce secundùm esse physicum, & materiale differant, licèt quandò sunt eiusdem significationis, eadem specie sint: habent enim eandem formam specificam, vel non habent; illa enim tota sumitur à significatione, non à syllabis materialibus, & tunc etiam eadem est forma theorica, quod valet in omnibus artefactis, Et sanè dictum aliquod est cuiuspiam auctoris, quod illius mentem, & sententiam quamuis aliâ linguâ, quâ ipse fuerit vsus, exprimit: cur Cicero vult nos audire Æschinem Latinè loquentem, cur Apostoli allegant veteres Scripturas, & versiones LXX. & tamen dicunt esse verbum Dei, & Prophetarum? vt ad *Galat.* 3. & obseruat Hieronymus *in capite* 6. *Isai.* falsum etiam erit conferri baptismum per verba solemnia, *Ego te Baptiso*, & Eucharistiam, *Hoc est corpus meum*; neque enim Christus verbis illis Latinis vsus est, infiniti beati cœlo iam recepti, nunquam audierint verbum Dei, neque etiam nobis legitur, aut annuntiatur, quare dicendum verbum Dei quacunque linguæ, verè & fideliter expressum, esse verè verbum Dei, siue verbum verbo reddatur, siue solùm sententia fideliter exprimatur seruatis omnibus circunstantiis. Quare qui transfert, debet peritus esse vtriusque linguæ, & summâ fide reddere, & velle reddere, quod videt primùm auctorem velle, & intendere.

Opus prætereà est in exemplari quod transfertur, integrum sit & sanum, non corruptum, aut vitiosum, quare quæritur quoad vetus Testamentum, & textum Hebræum, an integrum, an vitiosum sit; nam plerique in excidio Hierosolymitano, & incendio templi imperante Nabuchodonosore textum Hebræum funditus periisse, & ab Esdra restauratum existimarunt. Verius affirmat Bellarmin. *libro secundo de verbo Dei cap.* 1. Serar. *cap.* 12. *prolegom. quæst.* 1. diuinas Scripturas, quæ sparsæ, & dissipatæ erant, fuisse ab Esdra collectas, & ordinatas, quod idem ait Theodoret. *præfat. in Psalm.* ὁ Ἔσδρας συναγαγὼν τούτους πάντας τοὺς παρ᾽ ἑκάστῳ σῳζομένους ψαλμοὺς εἰς μίαν συνέθηκε βίβλον, & Chrys. *Homil.* 8. *in ad Hebræ.* ἐπέτρεψε τῷ Ἔσδρᾳ, καὶ ἀπὸ λειψάνων συνθεῖναι ταῦτα. Et sanè si omnes libri periissent, & omnes ab Esdra restituti fuissent, eadem sine dubio linguâ scripsisset; quâ vsus est in suo libro. Ea verò vel Chaldæa est, vel Chaldaismis scatet, neque eâ laude Rabini Iosephus, & Philo fraudassent Esdram, de quo tam magnificè loquuntur. Sacros igitur libros Esdras collegit, ordinauit, & ex pluribus mendis, quæ subrepserant, emendauit.

Quare incorruptum fuisse Esdræ textum, sed subinde, maximè post Christum additione punctorum, aliisve modis vitiatum fuisse contendunt Salmeron *prolegom.* 4. *in Euangelia*, & alij perplures: totam hanc controuersiam, eámque multiplicem propositionibus aliquot distinctè explicasse videtur Serar. *capite* 12. *proleg. quæst.* 2. quos idcircò paucis subiungo, præcisis iis omnibus, quæ eruditè suo more vir omniscius subiungit. 5

Primò igitur in omni Bibliorum textu, tam Hebræo quàm alio exscribendo semper aliquod ab Amanuensibus, & librariis, admitti potuit erratum, quod in omni genere scripturæ, & humanum & facillimum est. Sic videmus ex coniunctione duarum syllabarum Iliad. 2. Virgilium libro nono Æneid. & Ouidium, lib. 14. Metaphor. deceptos fuisse, & nonam quandam insulam induxisse quam dixerunt Inarimem, eo quod apud Homerum legatur ἐν Ἀρίμοις. 6

Secundò ea ipsa de causa in Bibliorum textu erratum semper fuit quoad exemplaria quædam: cottidianæ sunt errandi causæ; oscitantia siquidem etiam diligentissimis quandóque obrepit, librariorum frequens inscitia, & errores, & deprauationes causat, in Hebræo autē textu propter litterarum similitudinem facilè fuit errare. Dixi autem in quibusdam exemplaribus erratum, & non in omnibus; nam prima exemplaria omnis erroris immunia fatendum est, esto ad id fuerit opus supernaturali quadam ope: alioquin nunquam habitum fuisset Dei verbum incorruptum, & diuinæ leges integræ. Deindè quoties libri, aut scripti habentur variæ lectiones in variis exem- 7

plaribus

plaribus aliter atque aliter legebatur; at in variis Hebræis exemplaribus habentur variæ lectiones *ἀναγνώσεις διαφόρας*; quod ostendit Secarius, ipsique Rabini notam aliquando scriptum, & non lectum, hoc est quasdam dictiones aliter in textu legendas quàm scribendas, quales enumerant d. 848. Quæ omnia probat Serar. *cap.* 12. *quæst.* 2. propositione secundâ ex variis Rabinis. Notat verò non eandem esse omnium librariorum oscitantiam, & imperitiam, ac proindè omnia exemplaria, non eodem modo viciata esse, neque iisdem erroribus maculata.

8 Tertiò, ante Christi ætatem nihil videtur à Iudæis malitiosè deprauatum, aut corruptum in Hebræo textu, cùm & nullam id faciendi tunc causam haberent, & neque à Christo, neque ab Apostolis huius criminis reprehensi fuerint, aut scripturæ corruptionem ipsis obiecerint: immò ad scripturas sanè integras, & non vitiatas Christus, illos amandarit *Ioann.* 5. *vers.* 39. & Pharisæos supra Mosis cathedram sedentes audiri mandarit *Matth.* 23. quod scripturæ deprauatoribus non tribuisset, vt argumentatur Orig. *lib.* 8. *in Isaiam.* & Hieronym. *in Isaiam capite sexto*, qui secum non pugnat, cùm epistola ad Augustinum quæ est 11. inter Augustinian. ait se biblia vertisse ve ea testimonia quæ a Iudæis prætermissa sunt, vel corrupta in medium proferret, nam non agit de Iudæis ante Christum, & Iudæos intelligit Græcos Interpretes Theodotionem, Symmachum, & Aquilam qui, vt statim dicam, Iudæi quoque fuerunt.

9 Quartò nihil quoque ab Anno quingentesimo Christi per annos ampliùs mille & centum malitiosè ab iisdem Iudæis in Hebræo textu mutatum, aut corruptum videtur; quia sub illum annum quingentesimum fuerunt Massoreth, qui incredibili diligentiâ perfecerunt, vt in libris Canonicis nihil addi, tolli, & mutari posset; nam singulorum librorum versus omnes, versuum omnium vocabula omnia, singulorum vocabulorum litteras omnes, numerarunt, annotarunt, & posteris consignarunt.

10 Quintò, in primis Christi Domini annis quingentis ante Diui Hieronymi tempora nihil à Iudæis iisdem malitiosè mutatum fuit; quia id maximè reprehendisset Hieronymus harum rerum peritissimus, & si quidpiam malo animo mutassent, id maximè fecissent circa testimonia, quæ Christo fauissent, & quæ tùm Christus, tùm Apostoli pro se allegassent. Vide Hieronymum *in capite sexto Isai.* adde S. Augustin. *lib.* 13. *de Ciuitat. cap.* 13. sibi plurimùm nocituros Iudæos illos, qui suos libros, & scripturas corrupissent, sibique veritatem abstulissent, neque in varias à Deo gentes dispersi, potuerant vbique omnia exemplaria corrumpere, *Absit*, inquit, Augustinus, *vt prudens aliquis Iudæos cuiuslibet peruersitatis & malitiæ tantùm potuisse credat, in codicibus tam multis, & tam longè, latéque dispersis.*

11 Sextò post Hieronymi tempora vsque ad annum Christi quingentesimum maligno animo, Iudæi vbi se dedit occasio, textum Hebræum mutarunt, & peruerterunt; Rabini siquidem ipsorum inuidia, & odio Christianæ religionis flagrantes, quam minimo potuerunt suo damno Christianis nocere conati sunt, variis quidem falsis, & contortis explicationibus, punctorum inuentione, & appositione, literarum quarumdam mutatione, additione, detractione; quarum omnium corruptionum exempla suppeditabit Serar. *capite* 12. q 2. *propositione* 6.

12 Septimò Hebræus textus, qui in hodiernis exemplaribus communiter legitur, si mathematicè, vel physicè consideretur simpliciter corruptus dicendus est; moraliter tamen non omninò, sed secundùm quid, nempè secundùm aliqua exemplaria, & non omnia, & secundùm aliqua loca. Quod ex humana oscitantia, & Iudæorum malitia liquet; vbi autem de totius alicuius perfectione, & integritate agitur, ea tum physicè, tum mathematicè abest, si vel vna pars desit, aut corrupta sit; moraliter tamen non videtur auctor aliquis, ac textus perditus, & corruptus, si in aliquibus exemplaribus sanus, & integer est, aut cuius vera lectio in aliquibus seruatur; eiusmodi enim est textus Hebræus: neque enim in omnibus exemplaribus hæ deprauationes reperiuntur, & aliis multis emendari possunt, vti Serar. cum Bellarmino demonstrat, aitque Bellarmin. errores textus Hebræi non tanti esse momenti, vt in iis quæ ad fidem, & mores pertinent Scripturæ sacræ integritas desideretur. Deindè totam variarum lectionum Hebræi textus discrepantiam plerumque in quibusdam dictionibus positam esse, quæ sensum vel parùm, vel nihil mutant. Denique errores qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omninò efficere: quia puncta sunt extrinsecùs addita, & proindè textum non mutant; quare si libet puncta detrahere, & aliter legere mutatis punctis, quod ipsemet Bellarmin. accuratè, & ingeniosè præstitit in expositione Psalmorum, in qua sæpius versionem Lxx. vti Hieronym. & vulgatam conciliat, solâ mutatione punctorum textus Hebraïci; cùm tamen hæc omnia perfectionem, integritatem moralem ostendant, vbi illa desunt, corruptio quæpiam moralis agnoscenda erit. Ex his prætereà collegit Serar. *sub finem quæst.* 2. *cap.* 12. non posse reuocari tanquam ad normam, & amussim omnes alios textus ad textum Hebræum, atque hactenùs de Hebræo textu veteris Testamenti.

Venio ad nouum Testamentum quod ferè, vti iam monui, Græcè scriptum est, & totum etiam Græcè editum est; ago igitur de ipso textu modò, non de versionibus siuè Latinâ, siuè Græcâ, si quæ sit, vt aliqui volunt, S. Matthæi. & S. Marc. De Græco igitur textu noui Testamenti idem omninò dicendum est, quod de Hebræo veteris Testamenti nuper affirmabamus, nimirùm illum textum Græcum hodiernum simpliciter physicè corruptum esse, moraliter autem, non nisi secundùm quid, id est, secundùm aliqua loca, & exemplaria, quam deprauationem inuexit librariorum imperitia, & oscitantia, & Hæreticorum malitia per additionem, mutationem, & detractionem. Exempla dabit Serar. *capite* 13. *prolegom. quæst. vnica* v. gr. Matth. *capite* 16. in plerisque Græcis exemplaribus additur, *quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula*, quæ verba in veteribus exemplaribus Græcis non leguntur, vti fatetur Erasm. qui contra Vallam eorum temeritatem taxat qui non veriti sunt tam diuinæ orationi suas nugas assuere. Et sanè PP. antiqui, qui sacram illam orationem exposuerunt, horum verborum non meminere, sicut neque sacra Græcorum Liturgia; putátque non malè Maldonatus Græcos olim suos quondam sermones, & preces sacrâ quadam doxologia claudere solitos fuisse, ex eóque vsu huic precationi subnexa hæc verba, quæ deindè in ipsum sacrum textum irrepserunt. 13

14 Mutatio etiam quædam fuit in ad Rom. *c.* 12. *v.* 11. pro *Domino seruientes*, vbi lectum est, καιρῷ pro κυρίῳ, vti legebant vetera exemplaria ex Hieron. *epist.* 102. *ad Marcellam.* Alia dabit l. c. Serar. sicut & detractionis *Ioann.* 8. *Marc.* 11. *vers.* 26. *Act.* 8. 37. & epist. ex Ioann. *cap.* 5. *vers.* 7. de Arrianis, & Marcione, qui integra capita ex Euangelistis sustulerint. Patet ex Tertul. Ambrosio, & aliis, venio ad diuersas versiones, & translationes sacræ Scripturæ, vt nobis constet, quid illis fidei adhibere æquum sit.

Prima

15 Prima versio est Chaldaica, quæ est plurium librorum veteris Testamenti paraphrasis quædam, Lingua Chaldaïca quæ Hebrææ affinis plurimum est, dicitúrque Thargom, hoc est interpretatio: Thargena autem interpretari Methurgeman liber qui Thargumicas voces explicat ab Elia Leui compositus, éstque Thargum multiplex Pentateuchi, Prophetarum, & agiographorum, est vnus Babylonius, alter Hierosolymitanus, vnus Onkel, alter Ionathan, & tertius Rabbi Iuseph cæci, quartus anonymi cuiusdam in libros historicos, quem adducit Lucas Borgensis, *tractatu de paraphrasi Chaldaica*. Onkelium esse Aquilam de cuius Græca interpretatione statim dicam volunt Bellarm. *libro secundo de verbo Dei capite tertio*. Serar. *Rabbini prioris capite 16. & in prolegom. capite 14. quæstione quarta.* Vixenim secundo post Christum sæculo imperante Adriano scripsit, quæ omnia pluribus ostendit Serar. *quæstione 4. citat. quæstione autem 5. & 6.* disputat quis fuerit Ionathan, & Ioseph cæcus qui etiam suum quisque Thargum ediderunt, quorum nomina non multum referre cognosces, sicut neque in quos libros sacros Thargum scripserint, potior est quæstio de harum paraphraseon puritate, & vtilitate; de quibus sic statuit Serar. *capite 14. prolegom. quæst. 9. & 10.*

16 Quamuis Thargum non sit omninò purus, & incorruptus, est tamen purior in Pentateuchum, quàm in alias libros. Ita Ximenes in Complutensem editionem, & Bellarmin. *l. cit.* & ex illis Serarios *capite decimoquarto, quæstione nona*, quia alij licèt Thargumi, seu paraphrases, scatent Iudaicis nugis. Corruptionis autem vitia exhibet Bellarmin. ex *Genes. 4. vers. 23. Genes. 22. vers. 26. 28. Exod. 12. vers. 44. numer. 21. vers. 19. & capite 24.* vbi meminit Constantinopolis, quæ nulla tunc erat *Deuter. cap. 4. & 28.* quæ loca quamuis hæretici quidam tueri conentur, eruditè impugnat Bellarmini defensor Gretserus: plurima verò & falsa & inepta, & τὰ ἀκατάλ[ηπτα] in historicis libris emendauit & sustulit Ximenius, quæ in vltimum regiorum Bibliorum tomum reiecit Arias Montanus.

17 Has paraphrases vtiles esse negarûnt aliqui apud Posseuin. *libro secundo Bibliothec. capite nona*, è contrario sentiunt Bellarmin. *l. cit.* & Lucas Burgensis *in duplici tractatu de vsu paraphasis Chaldaica*. Primò, quia defendit Latinum, & Hebræum textum, dum à Græco dissentire videtur. Secundò valet ad obscuriores, & inusitatas aliquas voces Hebraïcas intelligendas. Tertiò iuuat ad illustrationem locorum obscuriorum in Hebræo, & Latino textu. Quartò subseruit lectioni Latinæ. Denique mysteria fidei contra ipsos Iudæos explanat. Vide Serar. *cap. 33. Rabbini prioris.*

18 Syriaca versio veteris Testamenti, duplex est, vna ex Hebræo, altera ex Græco textu, quod testatur Mosea Barcepha *libra primo de Paradiso noui Testamenti*, Syriaco, & Hebræo charactere edidit Viennæ, Albertus Vvidmanstadios Ferdinandi Imperatoris Cancellarius anno 1555. illam deindè Biblia regia tradiderunt, & priùs charactere Hebræo ediderat anno 1584. Parisiis Guido Fabricius: in ea deerant Epistola secunda sancti Petri, duæ posteriores sancti Ioannis, Epistola sancti Iudæ, sed à Maronitis hæc omnia Romam translata sunt. Vetus Testamentum Syriacè legi so antiquissimis Ecclesiis Syriæ, Mesoputamiæ, Chaldeæ, Ægypti, & aliis Orientalibus legi refert Serarius *capite decimaquinto quæstiane prima*. Versionis Syriacæ noui Testamenti auctor dicitur à Syris sanctus Marcus apud Bellarmin. *libro secundo de verbo Dei, capite primo.* quod ipse meritò negat, cùm eius nulla mentio fiat ab Origene, Clemente Alexandrin. Athanasio, Eusebio, Epiphanio, Damasceno, & cæteris antiquioribus, qui in Palæstina, & Ægypto vixêre; quare illis omnibus posterior videtur. Et sanè quomodò potuit Marcus Ioannis Euangelium, & Apocalypsin vertere, qui prior Ioanne VIII. Neronis anno obiit. Alij tribuunt vel alicui Apostolo vel Apostolorum Discipulis; sed ineptè omninò. Non magna est omninò huius versionis auctoritas, immò & minor, cùm Ioann. omittat adulteræ historiam. Vtilis iu eo est, quia in multis Ecclesiæ Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Romanæ vsum conciliat, vt lectiones in festis quorundam Sanctorum, in veneratione aliquorum, in commemoratione fidelium Defunctorum, & quadragesimæ. Guido Fabricius primus transtulit Syriacam versionem in Latinum; ipsum æmulatus est impius Tremellius primò Iudæus, è Iudæo deindè Monachus, tum è Monacho Caluinianos, & demùm ad Iudaïsmum denuò regressus. De illo vide Florimundum à Remundo *libro octauo de Antichristo*: de impij huius inscitia, & peruersione in hac versione plura dabit Genebrardus *libro quarta Chronologia*.

Citatur a Cyrillo *cap. 4. in Genes. vers. 8.* Samaritica 19
versio quam esse Thargum Hierusolymitanum docet Editio Lxx. alij eam esse volunt non solum Thargum Hierosolymitanum, sed alium etiam quemlibet, & S. Hieronym. *libro qq. Hebr. in Genes. c. 4.*

Ex aliis versionibus Orientalibus prior est Arabi- 20
bica in quatuor Euangelia Romæ edita, primò Arabicè tantùm, deindè Arabicè cum interlineari Latino, extat & manuscripta in Epistolas Pauli, Actus Apostolorum, & totum vetus testamentum Romæ in Collegio Maronitarom nostræ Societatis.

Persica in eundem Pentateuchum, cuius auctor 21
Iacobus Tanasius siue Pano apud Vvidmanstadium *præfatione in Testament. Syrium.*

Æthiopica, cuius adhuc nihil editum præter Psalterium à Iustiniano Episcopo Mebiensi.

Nominantur plures versiones Græcæ, vel in totam 22
scripturam, vel in aliquas eius partes: de earum versionum numero non conueniunt Bellar. *lib. 2. de verbo Dei c. 5.* Baron. *tom. 1. annal.* & alij. Serar. *c. 16. proleg. q. 1.* Has præcipuas enumerat, primam ante Alexandrum Magnum, quam agnoscit Bellarm. *l. cit.* & Genebrard. *in Chronol.* & negat Baron. quia veterom omnium primam agnouêre editionem Lxx. & vetustissimam, sua absolutè veterem. Neque sanè erat, cur editionem aliquam ab Hebræis flagitasset Ptolemæus Philadelphus, si iam aliquam eiusmodi habuisset. Neque valet quod dicunt veteres Philosophos ex Bibliis plurima deprompsisse, quæ proindè legerant; quæ ratio nihil probat; quia potuerunt isti philosophi ea ex Hebræorum ipsorum sermonibus & consuetudine, eorúmque libris, & non ex ipsis bibliis accepisse. Serar. verò *cap. 16. cit. q. 2.* probabilius existimat aliquam quorumdam saltem Sacrorom Librorum versionem eiusmodi extitisse, quia & Clement. Alexand. *libro primo stromatum*, id affirmat, & Ioseph. *lib. 12. cap. 5.* Theopompum, & Theodectum diuinitùs punitos fuisse ait, quòd suis scriptis quædam ex sacris libris inseruissent suis poëmatibus. Legerant igitur eos libros non nisi lingua Græca, non verò Hebræa. Moysen quoque expressum & redditum fuisse à Platone Ioseph. *ibidem*, additque Abderitum, Hecatum, & Berosum res Hebræorum descripsisse: *& lib. contra Apionem*, Græcorum philosophos, atque Ægyptios Chaldæorum imitatores, & discipulos, quos proindè legerant, quare & sacrorum sermonū compilatores, ac fures dicuntur à Cyril. *l. 1. contr. Iul.* Orig. *lib. contr. Cels.*

Q quod

quod & de Pytagora, & Platone plures Veteres *alibi adducti libro quarto* testantur. Denique ipsi Rabbini Pentateuchum Græcè versum ante Septuaginta, ipsiusmet Prolemæi tempore fatentur, & eam versionem à quinque Senioribus factam dicunt. Hæc tamen omnium antiquissima versio prorsus interiit, cùm esset paucorum librorum quasi fragmentum, & in multis peccaret; quæ causa fuit Ptolemæo vt aliam deposceret.

23 Iunius Caluinista duas Græcas versiones edidit, vnam Lagianam, Ptolemæi Lagi tempore editam, alteram Herodianam, Herode Tyranno, & apud Ægyptios Prolemæo vltimo regnante factam, sed eas ab impio Caluinista confictas contendit Serarius *in prolegom. capite 16. quæst.* 3. quam enim Lagianam refert Clem. *libro primo stromat.* manifesta est editio Septuaginta Interpret. de qua mox, Herodianam confirmat ex Iustino Iunius, sed falsò: nam apud Iustinum, cùm agatur de Septuaginta versione, legendus Eleazar, pro Herode, & similia errata apud Iustinum obseruauit Perionius: quare illa versio quam communem *κοινὴν* dixit Iustin. est ea, quam ex Theodotione, & Septuaginta conflauit Origenes, vt ait Hieronym. *libro 16. in Isai. Epistol. ad Suniam, & Fretellam; & epistol. 89. ad Augustin.* Quare tandem Scaliger *in Animad. Eusebian.* ait falli eos, qui à Ptolemæo Lagida curatum volunt, vt Hebræorum sacra monumenta in Græcum sermonem conuerterentur.

24 Aquila Proselytus, inquit Hieronym. *libro de optim. gen. interpret.* & contentiosus Interpres, qui non solùm verba, sed & etymologias transferre conatus est, iure proiicitur à nobis: & *infrà* ille *κακόζηλος* qui syllabas interpretatur & litteras, fuit Synopensis, ex Gentili Christianus, ex Christiano Apostata Iudæus, Adriani Imperatoris anno decimo Biblia Græce reddidit ex Epiphan. *libro de ponderibus.*

25 Symmachus primò Ebionita ex Euseb. aut ex Athanas. *in Synopsi*, & Euseb. Samaritanus, deinde factus Iudæus, cùm apud suos non obtineret principatum, quem ambiebat, vertit & Biblia in Græcam linguam.

26 Theodotio Ephesus ex hæretico Marcionita tandem Iudæus proselytus imperante Commodo, Græca Biblia edidit, eorúmque translationem in Danielem potiùs, quàm Septuaginta probasse visa est Ecclesia apud Hieronym. *præfat. in illum libr.* qui eius etiam meminit *præfat. in Psalm.* vbi ait Theod. simplicitate sermonis a Septuaginta interpretibus non discordat: *& præfat. in 4. Euangel. ad Damasum: Theodotion*, inquit, *inter nouam & veterem medius incedit.* Augustinus tamen *Epistola* 11. *capite quinto*, hominem Iudæum, atque blasphemam vocat, atque hæ præcipuæ fuerunt Græcæ, aliæque versiones, quæ omnes magnâ cautione legendæ sunt, vt ex illatum auctoribus satis constat.

QVÆSTIO II.

De editione Septuaginta Interpretum, & Versione.

1 NObilissima fuit Editio Septuaginta senum, quam ab Eleazaro Pontifice ad Ptolemæum missi in Ægyptum concinnarunt, quæque omnium votis tum ab Hebræis, tum deinde à Christianis accepta est, quam & ipse Christus & Apostoli & omnes veteres Patres communiter allegarunt, res verò ita se habuit. Cùm Ptolemæus Philadelphus illustrem instrueret bibliothecam, de qua Lips. *capite 2. lib. de Bibliothecis*, illique præfecisset Demetrium Phaleritam qui Alexandriam Athenis exul venerat ab eo de Hebræorum libris comparandis, sed ex difficili illo idiomate redditis cogitationem accepit, quod vnus negat Iosephus Scaliger *in Animaduersionibus Eusebian.* futili sanè argumento, quòd Hermippus apud Laërtium dicit Demetrium fuisse odio apud Ptolemæum: quàm leue verò fuerit hoc argumentum demonstrat Serarius *in Rabbino posteriore, scrupulo 3. & in prolegom. capite 17. quæst. 5.* Vt verò ab Eleazaro Pontifice Ptolemæus facilius impetraret, plusquàm centum millia Iudæorum libertate donauit, & maxima dona Hierosolymitano templo misit, atque illustrem legationem vnà cum Epistolis, quas Aristæus, Iosephus, & Eusebius recitant, non eo animo, vt occasionem quæreret vexandi Iudæos, vti malè Rabbini sibi ineptissimè fingunt, & non alio sanè quàm instruendi suam Bibliothecam, siue (quod ait Epiphan.) primùm petierit tantùm sacros libros, & quia legi non poterant, eorum Interpretes deindè postularit. Missi itaque sunt seni ex singulis duodecim Tribubus qui efficiebant LXXII. qui tamen breuitatis causa in loquendo rotunditatis numeri gratiâ dici solent Septuaginta, sicut & apud Romanos dicti sunt centum viri, qui tamen erant centum quinque. Quæ verò contra hunc numerum obiicit Scaliger, futilia sunt, vti ostendit Serarius *cap. 17. cit. qu. 7.* fuêre porrò illi è populi senioribus legis peritissimi, linguæ Hebrææ, & Græcæ scientissimi. Quoto verò Philadelphi anno, & ante Christum natum, variant doctores. Diuina sanè prouidentia sic factum est vt via sensim gentibus ad Christianam fidem sterneretur, & diuina mysteria patefierent: tunc enim Græca lingua latissimè patebat, & omnium scientiarum fontes illa tradebantur. Maior dubitatio circa locum in quem conuenerunt excitari solet. An is fuerit Alexandria nobilissima Ægypti vrbs; an illi vrbi proxima, insula Pharos; an in vna Basilica simul verterent, an distinctî singuli cellulis, quarum non meminere Iosephus & Aristæus, & quam mendacium dixit Hieronym. *præfat. in Pentateuchum*; id tamen alij cum Baronio volunt, ita vt inuicem conferre non possent; aliqui tamen singulis suam cellulam assignant, alij binis vnam, ita vt fuerint 36. eiusmodi cellæ, atque ea in re dissident inter se veteres Patres; multò tamen plures LXXII. afferunt, & earum reliquias, se vidisse affirmat Iustinus Martyr, nisi sibi vel à Christianis, vel etiam à Iudæis imponi passus sit, esto suas deinde singulas versiones vno in loco inuicem contulerint. Et sanè ineptè Patres hanc singulorum versionum consensionem, quasi magnum miraculum prædicassent, & Gentibus obiecissent, si conficta & fabulosa esset, & solis Iudæis iactata. Eos verò supplicibus precibus Numen inuocasse ait Philo, & diebus septuaginta duobus totum opus perfecisse volunt Aristæus, & Ioseph. & solum quidem Pentateuchum ab illis versum volunt, cum Aristæo & Iosepho Iudæo; alij verò libros omnes Canonicos; quidam verò duplices inducunt LXX. primos quidem qui tempore Philadelphi solos Mosis libros verterint; alios verò, qui regnante Herode reliquos transtulerint. Verius est omnes libros tunc Canonicos versos fuisse, alioquin neque Philadelphi desiderio satisfactum fuisset, neque eius Bibliothecæ amplitudini consultum, & falsò sæpiùs in nouo Testamento alia loca quam ex Pentateucho tanquam ex versione LXX. afferrentur; neque mirum esset quinque, solùm libros Mosis diebus LXX. fuisse translatos.

translatos. Denique legem interdum pro reliquis libris sacris à veteribus, atque etiam ab ipso Christo vsurpatam fuisse constat ex *Ioann.* 12. *vers.*25. quod ostendit Serarius *Prolegom. capite decimoseptimo quæstione* 13. magnam verò adhibuisse in hoc opere diligentiam, & peritiam fatentur omnes, & demonstrat auctoritas quam huic versioni tribuit hactenùs omnium consensus. Deindè peculiari Spiritus sancti ope adiutos nemo non docet, quod ex summa, quæ inter eos fuit consensio, colligimus; quare & aliqui Prophetas vocant saltem κατὰ μέρος, vt ait Epiphan. Philo verò καθάπερ ἐνθουσιῶντας προφητεύειν: quare dixit illos, ἱεροφάντας, non tantum ἑρμηνέας. Vide Augustinum *libro secundo de doctrina Christiana, capite decimoquinto, & libro quarto, capite septimo, quæstione decimanona in Iosue, libro decimooctauo de Ciuitate, capite* 43. Ambrosius, *libro tertio, Hex. capite quinto*, Cassiodorus *libro de diuin. institution.* & alios. Neque negat Hieronymus, cùm ait non fuisse Vates, sed tantummodò interpretes, quia nempè non habuerunt plenam prophetiam, quam vsitata huius vocis significatione intelligimus. Et sanè tam consentientem versionem flexo poplite Philadelphus sibi oblatam veneratus est; mirati sunt Iudæi, & Hierosolymam miserunt. Quare Iudæi sanxerunt vt deinceps immutata maneret, & dies festus eius versionis quotannis instrueretur, vti Iustin. & Philo referunt: eam Christus, vti diximus, allegauit *Luca* 4. *vers.* 11. ex Isaiæ *capite* 61. *vers.* 1. & ipsi Apostoli *Matth.* 1. *vers.* 23. ex Isaiæ *capite septimo vers. decimoquarto, & Roma.* 9. *vers.* 29. ex *Isa.* 1. *vers.* 9. idémque testantur Irenæus *libro tertio, capite vigesimoquinto*, & Augustinus *libro decimoquinto de Ciuitate, capite decimoquarto, & libro decimooctauo, capite* 44. qui ea in parte imitari se dicit Apostolos, qui & ex Hebræo textu, & ex versione Septuaginta, testimonia posuerunt. Idem fecerunt Iudæi omnes, qui Græcè scripserunt vt Ioseph, & Philo, & eam solam versionem in suis Synagogis per Græciam & Ægyptum legebant, vt existimat Scaliger; vel cum Hebræo textu coniungebant, vt ait Iustinian. *in constitut.* 146. Rabini verò miris eam laudibus commendarunt, dixerúntque decus & gloriam Israëlis, oculum dextrum Israëlis, quæ omnia probat Serarius *capite decimoseptimo, prol. quæst.* 1. vbi & quanta eius fuerit apud Christianos auctoritas, ostendit, & deindè post Christum à Iudæis, & à quibusdam Apostatis, & hæreticis, tum veteribus, tum recentioribus improbatam docet *quæstione* 18. vbi & de mente Hieronym. *sub finem, & quæstione decimanona, sub fin.* quia alicubi corrupta, & deprauata fuit, quod *ibidem* Serarius docet *quæstione vigesima*, & tandem magna ex parte correctam & editam fuisse ex veteribus M. Sc. exemplaribus Romæ anno 1587. Sixto V. Pontifice, nondùm tamen omninò puram & sinceram fuisse addit idem Serarius *quæst.* 21. quia quædam ex illa referuntur à Patribus, quæ in ea non reperiuntur vel non eodem modo, & ex ipsis annotationibus in ea editione additis pluribus eam aliquam deprauationem probat idem Serarius *quæst.* 2. Hinc factum puto, vt in pluribus cum Hebræo textu dissentire videantur, qui initio non fuissent ita commendati, & probati à Iudæis, si eiusmodi dissensionem obseruassent. Quare dubitandum restat an ipse Hebræus textus hodiernus, an ipsa versio Septuaginta corrupti sint, & an Hebræum textum aliter legerint, & an aliter reddiderint, quod facilè in pluribus ostendit Bellarmin. *in Psalm.* ex sola mutatione punctorum multo recentiùs inuenta, aliísque ex causis, quarum aliquas profert Serarius *capite cit.* 17. *prolegomen. quæst.* 23. *& quæst.* 24. Tandem Septuaginta exemplaria tam ἄγραφα, quàm ἔγγραφα periisse contendit Bellarmin. Disputat autem Serarius *cap.* 17. *cit. quæst.* 25. & de archetypis concedit Serarius q. 25. vbi fusiùs de hac deperditione siue Serapæi incendio, siue quo alio casu, contigerit, disputat.

Omitto cæteras versiones Græcas Luciani, Hesychij, & alias quæ non habentur nisi in hexap. vel octaphis Origenis, & eas, quæ vel non sunt integræ versiones, sed aliquot tantùm librorum, vel additiones, aut correctiones duntaxat; & venio ad Latinas, aut etiam vulgares, quæ & communiores sunt, ac populares, quarúmque vsus frequens est: atque imprimis ago. 2

QVÆSTIO III.

De editione vulgata.

FVêre ante sanctum Hieronymum Latinæ versiones, vt ipsemet loquitur, innumerabiles, non quidem immediatè ex textu Hebræo, sed ex versione Græca Septuaginta, vt enim Augustin. *libro secundo de doctrina Christiana, capite* 11. *Vt cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Quare Hieronym. præfat. in Iosue: *Apud Latinos tot exemplaria, quot codices*: omnium tamen præstantissima, & cæteris prælata est quæ vulgò Itala dicebatur, *quia* (vt loquitur Augustin. *libro citat. capite* 15.) *est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* De ea etiam loqui, existimandus est *Epistol.* 178. eam à principio retinuerat Ecclesia Romana, & aliquando dicebatur vulgata vel vetus. Vide Hieronym. *Epistol.* 14. & 19. Gregor. *præfat. in cap.* 5. *Iob.* Cassian. *collat.* 8. *cap.* 11. Eucher. *in libros Regum & libr. de spiritualibus formulis.* 1

Vulgatæ verò, quam manibus terimus, post Tridentini definitionem, dubia nequit esse auctoritas, quare de illa paucis agendum hoc loco est, cùm ex ea sola certum ius diuinum positiuum accipere possimus, vt monuimus in hoc nostro principio. 2

Eius versionis auctor habetur vel Hieronymus maxima saltem ex parte, quâ ratione facilè conciliabis dissidia Doctorum circa istam controuersiam contendentium.

Imprimis igitur transtulit Hieronym. totum vetus Testamentum, paucis libris exceptis, de quibus mox, quod ipsemet in Catalogo de script. Ecclesiæ testatur, aitque: *Nouum* (inquit) *Testamentum Græcæ fidei reddidi, vetus, iuxta Hebraicum, transtuli*: & vt ait Sophronius, πρὸς τὸ Ἑβραϊκὸν μετάφρασα. Idem constat ex Epistolis, & præfationibus quas singulis libris præfixit, ex quibus constat se vertisse Pentateuchum, Iosue, Iudices, Ruth, libros Regum, Paralipomenon, Esdram, Nehemiam, Tobiam, Iudith, Estherem, Iobum, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Isaïam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, duodecim minores Prophetas: quare scribens ad Augustin. *Epistol.* 11. inter Augustinianas sic ait *cap.* 6. *Omnes præfatiunculæ diuinorum voluminum, quas editioni nostræ præposuimus, explicant, quod interpretationis videlicet genus in Scripturis sacris sequendum sit.* Et Augustin. *Epistol.* 10. *capite secundo, & tertio, & lib.* 18. *de Ciu. c.* 43. *Non defuit, inquit, temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas conuerterit.* Non vertisse 3

tamen Sapientiam, Ecclesiasticum, & Machabæos existimat Bellarminus *libro secundo capite nono*, quibus addit Salmeron *prolegom.* 3. Baruch, & Epistolam Ieremiæ: versionem etiam Psalterij qua vtimur non habere auctorem, sed emendatorem Hieronymum, communis est assertio, quia nunquam hos libros à se translatos meminit Hieronym. & eius versionis verba, ac phrases integras quas habet nostra Vulgata, referuntur à Patribus ipso Hieronymo vetustioribus, ipsorum aliquos non putauit verbi gratia, Ecclesiasticum, vel Hebræos non vidit, verbi gratia, Sapientiam; quod testatur *præfatione in Prouerb.* at verò *præfat. in Hieremiam*, ait se Baruch non vidisse, ideóque illum prætermisisse.

4 Hos tamen libros omnes, quos à se versos fatetur Hieronymus, vt diximus, non transtulit omnes ex Hebræo, sed ex Græco, vt Iobum quod ipse monet *capite quinto, & sexto*, deindè Psalterium ex editione Lxx. pura & non confusa qualis in originis He. habebatur. Tertio libros Salomonis, vt dicit libro secundo prioris apologiæ: *Quos*, inquit, *olim à ... Septuaginta obelis & astericis in Latinum verteram, aliquos omnes, vti iam monui, vertit ex Hebræo.* Neque vnquam aliud se fecisse fatetur, & nihil tale vnquam ipsi obiectum est, emendasse, sed tamen in multis editionem Lxx. variè corruptam ait *epistola ad Chromatium in Paralip. & præfat. in Prouerbia*; iustum enim existimauit Græcam eam Lxx. editionem permanere, sed emendatam Augustin. *Epistol.* 10. quæ est ad ipsum Hieronym. *capite quarto*, hoc potiùs quàm versionem ex Hebræo ab illo desiderabat: *Plurimùm, inquit, profueris, si eam Græcam Scripturam, quam Lxx. operati sunt, Latinæ veritati reddideris, quæ in diuersis codicibus ita variaest, vt tolerari vix possit, & ita suspecta, ne in Græco aliud inueniatur, vt inde aliquid proferri aut probari dubitetur.*

5 Nouum Testamentum non vertit quidem ex Græco Hieronymus, sed in multis emendauit iussu Damasi Pontificis, atque, vt ipse *in præfatione ad eundem Damasum* scribit, nouum opus ex veteri coactus fecit, & patet ex *Epistola ad Augustin*, quæ est 11. inter Augustinian. itáque passim Bellarmin, Baron. & alij sentiunt.

6 Solebat porrò Hieronymus suis è Græco editionibus, aut potiùs emendationibus addere stellulas, siue astericos, vel obelos siue obeliscos, quos aliquando verua, virgas iacentes, aut transuersas, vel absolutè virgas, aut virgulas, vocat: & quidem asterici significabant aliquid ex Hebræo, aut Theodotionis versione quod in Septuaginta, & Latina, deerat, fuisse additum, quasi quod obscurum absconditúmque fuisset, stellæ accessu illustratum prodiret; obeli verò indicabant aliquid in Latinis, & Græcis exemplaribus esse, quod in Hebræo deesset, illúdque ideircò verubus configendum confodiendúmque esse: ita enim sese explicat *Epistola ad Suniam & Fratell. & Epistol.* 11. *citata inter Augustin. capite quinto*: sed hæ notæ iam diu librariorum incuriâ prætermissæ sunt magno damno, vt ipse queritur *citata Epistola ad Sun. Hæc signa*, inquit, *dum per scriptorum negligentiam à plerisque, quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error oboritur.*

7 Quibus ita stabilitis, quæritur an Vulgata nostra versio sit ipsiusmet sancti Hieronymi, aut quem alium auctorem habeat? Dissidentes sententias prudenter, & eruditè suo more mihi conciliare videtur Serarius *capite* 19. *prolegom.* 4. *quæst.* 4. atque primò versionem noui Testamenti esse emendationem, & correctionem eius ex Græco, atque ita non ... illius Vulgatæ auctor iure dici potest: cum enim ipsius Damasi iussu facta fuerit ea emendatio, ab ipso sine dubio totáque Romana Ecclesia acceptata est; & cum Patres Hieronymo tum antiquiores, tum nouiores eandem noui Testamenti versionem paucis exceptis verbulis allegent, manifestè ostendunt eandem fuisse iam olim in Ecclesia versionem, quæ ab Hieronymo emendata fuerit, ob quam emendationem eius editionis auctor habitus fuerit, quod idem de versione veteris Testamenti fatendum quoque est, non tantùm quia nobis iam constat illum ex Hebræo vertisse vetus testamentum: id enim non ostendit certò nostram Vulgatam esse Hieronymianam, sed, quia cum nostra Vulgata in omnibus ferè libris cum Hebræo consentiat, quod iam diù fatentur eruditi, & conferenti facile patet, ex Hebræo sine dubio, non ex Græco facta est. At præter Hieronymum nullus siue ante, siue post ipsum simile quid præstitisse proditur. Fateri itaque necesse est hanc nostram versionem esse Hieronymi, qui cùm plurima in antiqua Latina versione defuisse dicat, & se ex Hebræo addidisse atque ita emendasse, ea omnia in nostra Vulgata reperiuntur, quæ proindè Hieronymo vt auctori tribui iure potest. Eiusmodi omnia loca diligenter & accuratè collegit Serarius *capite decimonono Prolegom. quæstione quarta*; eundémque esse veterum Patrum sensum demonstrat *eadem quæstione quarta*; qui certè omnes non alia de causa Hieronymum sacrorum librorum interpretem, & translatorem dicunt.

Non diffitemur tamen eum quoad aliquot libros veteris Testamenti non fuisse translatorem, quod iam etiam docuimus: an verò ipsorum fuerit ex Græco emendator, incertum est: saltem Psalterium, quod in Vulgata habemus, differt ab eo, quod vel ex Hebræo, vel ex Septuaginta transtulit Hieronymus, sed quod è Vulgata Septuaginta Lucianea bis vertit; & est à nostro diuersum, vti probat Serarius *capite decimonono, quæstione quarta.* Totam igitur veteris Testamenti editionem Vulgatam non esse quoad omnia verba & singulos versus Hieronymi, sed quadamtenus mixtam: si tamen à variis codicibus absint menda, probabilius tota Hieronymi esse videtur. Primùm illud indè ostenditur, quòd in Vulgata quædam sint, quæ aliter vertenda esse iudicauit Hieronymus. Illorum seriem dabit Serar. *capite decimonono, quæstione quarta in tertio dicto.* Potuit autem ipse Hieronymus in sana versione quidpiam addidisse, vel mutasse. Et sanè non alium hactenùs auctorem qui ex Hebræo transtulerit, produnt & ipsi etiam hæretici tandem ipsum Hieronymum tanti operis auctorem agnoscunt, & si quem alium produnt fictitium esse nemo non nouit. Quare tandem illi tribuenda est nostra Vulgata Editio tanquam auctori, vel interpreti, vel correctori, vel veteris ante ipsum translationis nullâ in re innouatori, illius veteris editionis plurima verba, & periodos integras retinuerit. Quos verò libros correxit, vt si quid citra sententiæ mutationem retineri commodè potuerit, retinuerit. Quare *præfatione in Ecclesiasten ad Paulam*, ait se suam translationem ex Hebræo ipsis Septuaginta *coaptasse ac interdum Aquilæ, Symmacho, Theodotioni vt nouitate nimia, lectoris studium non deterreret.* Et *Epistolâ ad Damasum* de quatuor Euangeliis ab se correctis: *Ne multùm à lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperauimus, vt his tantùm, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, vt fuerant.* Non probantur verò qui sæpiùs versam scripturam ab Hieronymo suspicantur, nisi emendationem, & interpretationem prò versione vsurparint;

vsurpacint: quamuis enim in libris à se versis quædam verba interdùm mutarit, alia reposuerit, vel reponenda significàrit, vt patet ex *libro quinto in Isaiam capite 19.* nullum tamen, præter Ecclesiasten, bis vertisse constat, quod eius in illum librum præfatio docet.

8 Qua fide fuerit vsus Hieronymus in vertendis sacris Libris eius pretij labor improbus, & insignis, Latinæ, Græcæ, & Hebrææ linguæ peritia, quam in eo agnoscunt ipsi etiam Nouatores, vti docet Serarius *quæst. 6.* non sioli hos dubitare.

9 Hia omnibus singulare Spiritus sancti in perficiendo tanto opere, ad totius Ecclesiæ salutem auxilium, & peculiare charisma interpretationis sermonum, de quo Paul. 1. *Corinth. capite 15. vers.* 10. suadent, non tamen dicimus illum aut fuisse Prophetam, aut non potuisse errare in sua versione & emendationibus, neque id affirmare necesse est ad charisma interpretationis sermonum astruendum, vt contingit in cæteris Spiritus sancti donis, & charismatibus, vti dicemus *alibi*. Hunc verò controuersiam circa sancti Hieronymi versionem agitat in vtramque partem Serarius, & vtriusque argumenta affert, & diluit *cap. 19. proleg. quæst.* 8.

QVÆSTIO IV.

Editionis vulgatæ auctoritas.

1 HActenùs de auctore vulgatæ versionis egimus: superest videndum quanta sit eius auctoritas; id enim ad firmandum principium à nobis positum, ex illa sola colligendum esse ius diuinum positiuum, necessarium est. Maxima verò fuit semper in Ecclesia vulgatæ versionis auctoritas, siue ante Hieronymum, cùm communis & Itala diceretur, siue post illum, à quo partim emendata, partim ex Hebræo versa est, vti constat ex *quarta quæstione superiori*, in qua etiam docuimus ex Latinis versionibus Italam illam fuisse communem, & passim in Ecclesia acceptam, atque ab antiquioribus PP. adductam. Postquàm verò ab Hieronymo concinnata est eo modo, quo diximus, initio quidem illa displacuit, vt vides in Ruffino *libro secundo inu.* & in ipsiusmet Hieronymi *præfationibus*, sed tandem placuit sensim omnibus, vbi illa cœpit innotescere, vt videa in Augustin. *libro* 18. *Ciuitat. capite* 43. Cassiano *Collat.* 8. *capite decimo* & *libro secundo de Incarnatione, capite* 31. Gregor. Epist. ad Leandrum in suos libr. moral. vbi ait, Sedem Apostolicam vtraque versione, veteri & noua, quæ erat Hieronym. vti: quare & ipse Gregor. ea in expositione vsus est, & suis commentariis præfecit, & explanauit; Sedes autem Apostolica nondum veterem abiecit, sed vtramque simul retinuit, vt significat Gregorius, ex eo deindè tempore, vt melior & Hebraïcæ magis consona cœpit ab omnibus probari, & legi passim in Ecclesiis, in concionibus proferri, allegari in Conciliis, commentariis illustrari: & quamuis tunc essent aliæ Latinæ versiones, ista tamen, quam Italam dicebant, omnibus præferebatur, vndè & communis dicta est, vti ex Isidoro *libro sexto etymolog. capite quinto*, & ex aliis eius æui Scriptoribus colligitur; & tandem eius vsus ab Ecclesia indictus est; quod affirmat Hugo Victorinus libro de Scripturis capite nono: *Hieronymi*, inquit, *translatio, quia Hebraica veritati magis concordaret, magis probata est, idcircò Ecclesia Christi per vniuersam Latinitatem, præ cæteris omnibus translationibus quas vitiosa interpretatio siue prima de Hebræo in Græcam, siue secunda de Græco in Latinam facta corruperat, hanc solam legendam, & in auctoritate habendam constituit.* Non assignat tamen Hugo tempus, quo editum fuit illud præceptum, neque eius auctorem, an illud tribuendum Gregorio suspicatur, quando *lib. 10. moral. capite* 23. dixit: *Credendum est quidquid in noua ex Hebræo, & Arabico translatum dicitur, & oportet vt verba illius nostra expositio subtiliter rimetur.* Verùm neque ea verba præceptiua sunt, vel non nisi de libro Iob, de quo id temporis Gregorius agebat; neque alius Pontifex assignatur. Fuerit igitur vsus & consuetudo quæ hanc veluti legem induxerit, & ad Trident. vsque obtinuerit; illa enim Synodus *Sess.* 4. versionem nostram vulgatam solam authenticam esse voluit, his verbis: *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum vtilitatis accidere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, quænam pro authentica habenda sit innotescat, statuit & declarat vt hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt nemo reiicere quouis prætextu audeat vel præsumat.* Non loquitur verò Concilium, nisi de versione ista emendata, vbi *ibidem* imperat, vt deinceps quam emendatissimè imprimatur vti obseruauit Salmer. *prolegom.* 3. & Valent. *libro* 8. *Analysis capite quinto, puncto quarto*. Quàm sapientissimè verò Tridentin. vnam aliquam esse in Ecclesia versionem, edixerit quàm solam omnes sequi tenerentur ostendunt Bellarmin. *libro secundo, capite decimo* Melchior. Canus, *libro secundo de locis, capite* 13. Serar. *capite* 18. *prolegom. quæst.* 2. & *cap.* 19. *quæstione* 10. aliique, vt certi aliquid habeatur in definiendis controuersiis, quæ alioqui nunquam finirentur ob innumeras versiones quæ extant, & quotidie cuduntur adeò diuersæ, & cùm vnusquisque suam versionem alleget, cæcutit omninò animus in eligenda versione, quam sequatur, & tota tandem controuersia ad fidem eorum, qui vertetunt scripturam, reuocetur magna perturbatione, & de vocum significatione ingentibus tricis, & ambagibus. Neque inter versiones iam editas potuit vllam sapientiùs eligere Concilium, quàm quæ omnium optima habita hactenùs fuit ratione antiquitatis, auctoris sapientissimi, antiqui & diuturni vsûs, vt ait ipsum Concilium, & quæ omnium præconiis celebrata fuit, Ipsorumet Heterodoxorùmque testimoniis cæteris omnibus prælata; ipsorum verba dabit Serarius *cap.* 19. *quæst.* 10.

Quare circa hoc decretum Concilij plurima obseruanda sunt, atque imprimis eam versionem declarari authenticam dumtaxat iuxta genus versionis; potest enim scriptura esse authentica, & non eius versio, vt vides in tot hæreticorum versionibus, quæ authenticæ non sunt, licèt Scriptura sacra authentica sit: potest quoque scriptura aliqua esse falsa, & eius versio authentica: nam si falsa aliqua epistola aut liber mendosus, quàm fidelissimè redditus sit, versio erit quidem authentica, quæ proptereà non dabit libro auctoritatem, neque eius falsitatem absterget. Denique potest & liber, & translatio simul esse authentica. Secundò non tribuit Tridentinum nostræ versioni auctoritatem indefinitè, vti volunt hæretici, & innuunt quoque aliqui Catholici, sed finitè cum aliqua restrictione, quod significant cæteri; Driedo quidem *libro secundo capite primo*, si diligenter ad ipsam scripturam in suo fonte collata, nihil contineat subdolè adiectum, vel immutatum; Can. *lib.* 2. *cap.* 13. *conclus.* 1. retinendam ait in his omnibus,

quæ ad fidem, & mores spectabunt, Vega *libr.* 15. *in Tridem. cap.* 9. nullum ex ea posse haberi errorem, & tutò ac citra periculum, quoad dogmata fidei ac morum posse à fidelibus legi. Similia habet Bellarmin. *lib.* 2. *cap.* 11. & alij: Sixtus Senens. *lib.* 8. concedit aliquot errata reperiri, & defectus leues, nihilominus. *Certum est*, inquit, *neque in veteri neque in noua editione aliquid vnquam inuentum esse, quod fuerit à veritate Christianæ fidei deuium, falsumve ac mendax, vel contrarium dogmatibus, ac regulis orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum vel in præiudicium veritatis omissum vel adeò deprauatum, vt occasionem perniciosè errandi attulerit, vel hæresibus ac prauis dogmatibus materiam, & fomenta præstiterit; vel ita obscurè & ambiguè versum, vt mysteria nostræ fidei occultauerit, aut non ad sufficientiam, & quantum satis est, ad salutem explicauerit.* Denique leues defectus esse in ea editione, sed citra vllum fidei ac morum detrimentum. 2. Salm. prolegom. 3. *Voluit præterea sancta Synodus ad hanc Latinam editionem amplectendam, & in omnibus consectandam nos arctare, non quidem simpliciter, sed dummodo esset à vitiis, quæ in eam irrepserant, & ab omnibus mendis & erroribus emaculata atque repurgata*; quod cœptum à Pio V. Pontifice per peritissimos viros *ibid.* testatur. Tertiò, etsi Tridentinum Vulgatam probarit, non tamen, vti obseruat idem Salmeron, reiecit Græca, & Hebræa volumina: nihil enim tunc de Græcis, & Hebraïcis voluminibus agebatur, sed de Latinis editionibus dumtaxat, quas tunc vitiosa sæcula parturiebant. Ex his enim omnibus, quibus omnibus vnam Vulgatam prætulit Synodus tanquam puriorem ac dilucidiorem ea suis fontibus, à quibus orta est, magis consentientem pronunciauit, liberum autem reliquit omnibus qui scripturas profundiùs meditantur, fontes Græcos, aut Hebræos, quatenùs opus sit, consulere, quo nostram vitio librariorum, vel temporum iniuria corruptam emendare valeant, quo etiam dilucidiùs eam explicare, atque illustrare possint; non tamen vt eam falsò interpretatam, præsertim in rebus, fidei, vel bonos mores spectantibus vel errorem intolerabilem continentem condemnent. Addit Salm. *Nemo vetat quin apertis Hebræis vel Græcis codicibus, vel ex varia Patrum veterum lectione, vel ex aperta, & constanti ratione, corrigere, atque emendare valeamus, &c.* Quare stultè aliqui indignantur iis qui ex fontibus Græcis, vel Hebræis diuersa ad vulgatam editionem illustrandam depromunt, aut qui in eius auctorem, quasi imperitum & rudem insaniunt, sed si quid aliter in Vulgata, aliter in Græcis, aut Hebraïcis legitur, vel vtraque lectio recipienda est, vel si sibi videntur contradicere, conciliandæ erant editiones, vel illi potiùs standum, quæ magis cum tota textûs consequentia consonat, aut cum Euangelicis, vel Apostolicis litteris consentit, vel quam probatiora habent Exemplaria, aut quæ à pluribus Patribus probata fuit. Denique recurrendum erit ad antiquiora Exemplaria, si incorrupta sunt: alioqui ipsi fontes Græci, & Latini, Hebræi deferendi, & versiones, quæ sunt fideliter asseruatæ sectandæ erunt, atque aliquando Latina editio vulgata lectioni Græcæ, & Hebrææ præferenda erit tanquam diligentiæ fide, lectionis puritate, & sententiarum veritate, reliquis omnibus emineat, & quæ in his quæ ad fidei dogmata pertinent, nullum continet errorem; quod ipsimet Hæretici, qui illam proscindunt, non potuerunt vnquam aliud euincere, vti Bellarminus, Serarius, & alij fusè ostendunt.

3 Hoc igitur suo decreto Tridentina Synodus non aliud dicit quàm nostram versionem esse authenticam, hoc est, vti exponit Valent. *lib.* 8. *Analysis, cap.* 5. esse præ aliis omnibus in sententia conformem scripturæ originali, neque quidquam contra dogmata fidei, & bonos mores continere. Non comparat verò illam cum Hebraïcis, Græcisque fontibus, neque illam ipsis præfert, sed præfert aliis versionibus Latinis, quæ circumferuntur, vt loquitur: quare nonnisi de cæteris versionibus Latinis, non de fontibus agit, cùm illorum non meminerit, quod ipsius decreti verba manifestum faciunt; cum enim quotidiè nouæ versiones cuderentur, quam vt effrænem licentiam Concilium coërceret, prohibuit eas in publicis concionibus & disputationibus legi & afferri, grauibus de causis, maximéque ad fouendam fidei & morum omnimodam consensionem, vti Salm. *prolegom.* 3. & Serarius *quæst.* 11. *cap.* 19. aiunt. Neque negat Synodus versionem nostram esse aliquando conferendam cum ipsis fontibus, sed emendatis, & sinceris, quod faciunt sæpiùs Patres, maximè Hieronymus, pluribus locis Augustin. & Cassiodorus, quorum loca *quæstione citata* collegit Serarius. Vnde est illud Hieronym. *Epistola* 28. ad *Lucium Bæticum* relatum à Gratiano distinct. 9. capite, *Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est; ita nouorum Græci sermonis normam desiderat.* Sed in multis fontem Hebræum corruptum esse fusè ostendit Salmeron. *prolegom.* 4. & Serarius *capite* 12. *prolegom. quæst.* 2. qui & idem affirmat de Græco noui Testamenti *capite* 13. *quæstione vnicâ*, siue illi errores contigerint incuriâ, & inscitiâ amanuensium & librariorum, siue vitia in ipsummet textum irrepserint, in quibus aliter & aliter legit, quod in alterutro Exemplari erratum fuisse eruditè suo more demonstrat *ibidem* Serarius, fatentibus Hebræis siue Rabinis, multisque rationibus, siue eiusmodi corruptio malitiâ Iudæorum contigerit, quod ante Diui Hieronymi tempora vix credibile est, neque ante annum Christi quingentesimum: insignia corruptionis exempla dabit *ibidem* idem Serarius, qui tandem concludit *proposit.* 5. hodiernum textum Hebræum dicendum esse simpliciter corruptum physicè, moraliter autem non omninò, sed secundùm quid, videlicet secundùm aliqua exemplaria, & non secundùm omnia, & secundùm aliqua tantùm loca. Synodus igitur Vulgatam non comparat cum Hebræis fontibus, neque illis eam præfert, neque prohibet componere cum Hebræo textu, licèt dicat, eam non esse reiiciendam quolibet quæsito prætextu, si Hebræus textus sit purus, & non sit corruptus, ipsáque versio sit emendatissima, vt loquitur: tunc enim non est reiicienda quasi aliquid bonis moribus, aut rectæ fidei aduersum contineat, aut à versionis natura, aut perfectione aduersum. Si comparetur Vulgata cum aliis versionibus, Synodus nostram prætulit, quod intelligendum est de versionibus nouis, *quæ circumferuntur* (inquit Synodus:) nam veteres sensim periere, & obliuione sepultæ sunt. Quod verò aliqui quærunt an etiam hodiè fieri possit aliqua melior, non definit Synodus, neque de iis quæ futura sunt, feruntur definitiones, & quæ bona sunt nihil prohibet fieri meliora. Cur enim charisma interpretationis sermonum non posset vberiùs alicui Deus conferre, & suscitare aliquem interpretem etiam Hieronymo doctiorem, & sanctiorem? Cur etiam non posset Synodus, & Pontifex viros aliquot probos, & peritissimos cogere in vnum qui nouam, aut correctiorem versionem magnâ diligentiâ & labore simul adornarent, & tandem illam versionem tanquam authenticam Ecclesiæ proponere? quæ declaratio non faceret nostram Vulgatam non esse, aut non fuisse authenticam. Voluit igitur dumtaxat

taxat Synodus reiicere vulgares versiones, quæ hodie circumferuntur & perpetuò à sciolis cuduntur, maximè ab hæreticis insana libidine, & pruritu Vulgatæ contradicendi, quam Hebraïco textui parùm consentaneam, vt eius nempè auctoritatem eleuent, dicunt; qua in re dupliciter peccant, cùm & Hebræum & Græcum textum incorruptos esse, & vulgatam ab illo dissentire ineptè probant. Vtrumque illum errorem Bellarmin. Serarius, Salmeron. & alij confutant, & manifestò primi fontes ostenduntur, ac Vulgatæ ab illis dissensum malè afferri, cùm facile sit ea loca, quæ obiiciunt, conciliare, ac proindè totam Nouatorum obiectionem, ex mera inscitia, vel maleuolentia prodire: sed in his diutius nobis immorandum non est; id enim pertinet ad interpretes eiusmodi locorum, quod non indiligenter plerique præstiterunt. Nos hoc loco quærimus dumtaxat aliquam authenticam versionem, ex qua possimus certò & liquidò ius diuinum positiuum, quod in sola Scriptura diuina extare diximus, colligere, cùm illud sit primarium Scientiæ Canonicæ principium & fundamentum: illud autem non ex fæculentis, & variis, diffidentibúsque Nouatorum etiam Catholicorum versionibus, sed ex vna Vulgata, quam solam authenticam Tridentina Synodus agnouit, capiendum esse contendimus, & Scientiæ Canonicæ studiosum monemus.

4 Neque idcircò asserimus nulla esse menda Librariorum vel oscitantia, vel imperitia, vel etiam malitia, quæ aduerterunt ipsi Catholici, & iampridem Alcuinus, imperante Magno Carolo aduertit, ipséque Carolus aliqua eiusmodi menda correxit in Euangeliis, quæ tamen neque fidei, neque bonis moribus contraria fuerunt; idcircò Tridentina Synodus iussit vt Biblia quàm emendatissimè imprimerentur; qua in re laborarûnt eruditissimi Theologi Louanienses, & demum maxima cura sanctissimi Pontifices Pius IV. Pius V. Sixtus V. & tandem Clemens VIII. quæ omnia videbis in iis quæ initio Bibliorum præposita sunt, circa ipsorum editionem, quæ notant Serarius *capite* 20. *prolegom. capite* 19. *à quæstione* 15. *ad quæstionem* 21. in qua contendit adhuc fas esse manifesta typographiæ menda emendare; nefas tamen vel minimam particulam in sacro Textu correcto aliter, quàm habeatur in Vaticano codice mutari, addere, vel detrahere; alibi tamen & extra textum licebit, si quæ menda occurrant præter typographica, notare, & emendare, quia id non prohibet Pontifex in sua constitutione, quæ sine causa extendenda non est, & præfatio Bibliis præposita fatetur superesse adhuc aliqua corrigenda; imò ad illa obseruanda hortatur, & modum quo id fieri possit, indicat: inspectis nimirùm antiquissimis Codicibus M. SS. Hebraicis Græcisque fontibus aditis, Patrum commentariis diligentissimè consultis. Vbi verò aliqua eiusmodi notata & collecta fuerint, & à Sede Apostolica recognita, & approbata, poterunt in textum referri, vbi eadem sancta Sedes annuerit vt tandem correctior perfectiórque, & pluribus absolutior textus appareat; quod non prohibetur à Tridentino. Itaque Doctorum quidem & piorum officium est monere si quod corrigendum intellexerint; decernere verò, aut ea equi correctionem auctoritas est in solo summo Pontifice; neque enim illi adempta est corrigendi & perficiendi Biblia potestas vbi id faciendum esse iudicarit; non enim de fide est hanc nostram editionem ita esse emendatam, vt nihil in ea mutari quacumque auctoritate queat. Aliquorum exempla dabit Serarius *illa quæstione* 21. *citatâ*.

QVÆSTIO V.

De vulgaribus & vernaculis sacræ Scripturæ versionibus.

VVlgares & vernaculas versiones nominamus, quæ fiunt idiomate passim, & vulgò in aliqua prouincia, vel natione vsitato, vt Italico, Gallico, Hispanico, Germanico, Prouinciali, Britannico, Anglico, & aliis eiusmodi, quales plures versiones circumferuntur, maximè à Nouatoribus; cùm enim suas semper hæreses, ex sacris libris se haurire mentiantur, eos libros legendos plebi perpetuò curarunt, vt eam facilius in errores inducerent, atque ex ea lectione controuersiarum omnium iudices constituerent. Innumeræ itaque versiones vernaculæ apud singulas gentes prodierunt, hac maximè tempestate; antiquæ enim vel nullæ, vel paucæ omninò, vel incertæ sunt; quod enim Sclauonicam Erasmus, & Sixtus Senensis D. Hieronymo tribuunt, qui, vt ait *Epist. ad Sophron.* translationem suæ linguæ hominibus dedit, inane est; non enim Hieronym. Dalmaticæ linguæ, sed Latinæ, hominibus suam translationem dedit, vti constat ex eius *Epistola ad Paul. & Eustochium*; quare quæ talis hodie habetur, recentiorem dicunt, Causabonus siue Scaliger *in notis ad Bellarm. obseruation.* & Armenicam S. Chrysostomo tribuis Sixtus Sen. *lib.* 8. nullo veteri auctore, & Petrus Victor, Caietanus *lib. paradigmatis linguarum Orientalium* obseruat linguam, qua Armeni in diuinis & sacris vtuntur, non esse vernaculam, sed arcanam & exquisitã, quam dicunt Crapor. Alias quasdam ex malè intellectis veterum locis finguot Vvitaker, Iunius aliíque Anglicam, Britannicam Scoticam, Punicam, & cæteras quasdam de his omnibus, & an aliquæ fuerint recentiores, an antiquæ Serarius *capite* 20. *prolegom. q.* 2. vbi quænam nouæ sint hæreticæ, maximè in Germania, Anglia, & Gallia, similia habet Cochlæus *lib de nouis interpretibus*, Lindanus *libro* 1. *dubit.* qui & alij de vitiis versionis Lutheri multa dabunt ex ipsismet Lutheranis, vt videas quàm fidem heterodoxorum versionibus habere nos oporteat. In his immorandum nobis non est, sed quærendum dumtaxat, an eiusmodi vernaculæ licitæ sint, & à quibus fieri debeant: omnibus enim, & passim eas permittunt Heterodoxi & & earum lectionem probant, quod damnant plerique Catholici iure meritò: totam controuersiam paucis aliquot assertionibus mihi definiuisse videtur Serarius. *cap.* 20. *prolegom. quæst.* 3. quas *hic* dumtaxat exhibeo. 1

Prima est adiophorum esse, & neque præceptum, neque prohibitum sacras literas, in vulgare & vernaculum idioma transferre, aut legere: & quidem eius rei præceptum, aut iussio nulla proferri potest, & ipsa veteris Ecclesiæ praxis euidenter confirmat, cùm plusquàm quadringentis annis post Christum nullæ eiusmodi translationes in Italia, Gallia, Germania, Anglia, Hispania factæ legantur, quamvis ad eas Gentes Euangelij sonus peruenisset, neque ab Apostolis, & viris Apostolicis, à quibus Euangelij verbũ accepissent, curatum fuit vt translationẽ aliquam vernaculã sacrorum librorũ haberent, quare neq; illa de re fuit vnquã Canon, aut lex, in tot Synodis tum Prouincialibus, tum œcumenicis lata; cùm doctrinæ Christianæ notitiam aliunde habere potuerint, ex doctrina nimirùm, & institutione Pastorum, & Episcoporum, atque ex veteri vsu Ecclesiæ in singulis nationibus Eu- 2

ropæis, quæ sola Latina translatione vsæ sunt ostendit Bellarm. *lib. de verbo Dei cap.5.* quem consule. Immò neque Synagogam eiusmodi translationem aliquam curasse legimus, postquàm lingua Hebraïca vernacula esse desiit à captiuitate Babylonica ad Christum vsque, tunc enim maximè transferri debuisset sacra Scriptura in linguam Syriacam, vel Aramæam, vel Assyriam, ipsis vernaculam, &c, vt loquitur Tertullian. *ipsis passiuam*; immò Esdras & Nehemias cùm populo librum Dei legerent *capite* 8. *Nehemiæ v.*10. ipsum Hebraïcè non Aramæè, aut Syriacè legit, sed ipsum Hebræè scriptum, deinde Syriacè est interpretatus, vti faciunt passim concionatores, cùm aliquid ex Scripturis, aut ex Patribus alia lingua proferunt, quod ea ipsimet Rabinis probant *loco citato* Serarius & Bellarmin. *lib.2. cap.15.* Et sanè ipsi Thargumim non nisi post Christum esse cœperunt, neque de illis faciendis extat vllibi præceptum, aut iussio: cur ergo necessarium, aut imperatum esse dicemus in Euangelica lege eiusmodi vernaculas translationes fieri.

3 Non esse etiam prohibeas eas versiones contendimus, quia nullibi reperimus Canonem, aut legem, quæ eas prohibeat, nisi Vualdensium, Vviclefitarum, & aliorum hæreticorum versiones quæ ipsam Scripturam corrumpebant, potiùs quàm vertebant.

Secundò expedit aliquandò vernaculas translationes quibusdam personis legendas permittere, nam olim cum non essent aliæ Scripturæ quàm Hebrææ, & alibi Græcæ, aut Latinæ, eæque linguæ essent variis nationibus vernaculæ, ab omnibus legebantur, ad eámque lectionem sæpius hortabantur Patres, vt Chrysost. *hom.9. ad Colossenses hom.2. & 3. in 2. ad Thessal. homil.2. in Math. Præfat. in Ep. ad Paul homil.1. 0 in Ioan. homilia 3. de Lazaro*, Origen. *homilia* 12. *in Exod. & homilia* 9. *in Leuit. homilia* 2. *in Isa.* Augustinus *co. 2. in Psal.* 33. quin ipsemet Hieron. plis fœminis, Paulam, Eustochiam, Celant. Marcellam, Fabiolam, Sunam. Fratellam, & alias, ad idem hortatur. Gregor. *lib.4. Dialog.* 10. *capite* 14. idem de fœmulo mendico testatur, de pueris Euangelium legentibus, indéque commendatis à Ioanne Calybita habes apud Surium *Ianu.* 15. & perplures magno suo compendio vernaculas eiusmodi Scripturas legisse certum omninò est.

4 Tertiò non esse passim, & omnibus permittendas vernaculas translationes cùm plurimi venena inde hauriant, & exitium æquè certum est: inde enim ita efferuntur plurimi vt omnia se scire arbitrentur, qua de re queritur Hieronym. *Epistola ad Paul. & præfat. in c.1. Daniel* ipsíque nouatores sibi mutuò hanc effrænem licentiam exprobrant: de Vualdensibus & Hussitis alij, cum apud eos etiam mulierculæ scire se Scripturam, docere, & interpretari audeant. Quam deinque infanda scelera homunciones aliqui sibi permissa garriant, ostendit Serarius *quæstione* 3. *citata*. Denique quam indecorum sit Dei verbum illotis, impuris, & vilibus, sine cœnosis manibus tractari nemo non videt. Ex quibus tamen omnibus nihil virij redundat in Scripturam, sed in eos qui per summam imprudentiam re tam bona & salutari abutuntur in sui, aliorúmque perniciem.

Quartò. Quare sapienter omninò nostrâ ætate statuit Ecclesia quibus, & quomodò concedendæ essent vernaculæ bibliorum translationes. Pius IV. *in præfat. indicis librorum prohibitorum*, primò quidem vniuersè prohibet vernaculas hæreticorum versiones: & sanè dedecet accipere Euangelium ab Euangelij hostibus, neque ab illis purum, & incorruptum sperare possumus. Secundò non prohibet Catholicorum versiones, nisi illis qui indè damnum accepturi sunt, vel fidei, vel pietatis ad hoc dignoscendum. Deinde has regulas tradit: secundò vt habeatur licentia à Pastore Episcopo, qui etiam consulet confessarium. Tertiò detur, & accipiatur in scriptis eiusmodi licentia; & denique qui secus fecit, puniatur pœnâ Ecclesiasticâ. Vides igitur quàm sapienter vsum antiquæ Ecclesiæ, quæ non habebat eiusmodi vernaculas versiones pro singulis Ecclesiis, & nationibus, sed vnam toti, & vniuersali Ecclesiæ, communem, Latinam, aut Græcam, temperatit. Vide Serarium, Bellarminum, & alios qui ista omnia contra nouos Heterodoxos fusiùs disputarunt: nostrum enim institutum aliud longè est.



PRINCIPIVM III.

Ius diuinum ex solo litterali sacrarum Scripturarum sensu colligi, & erui potest.



VM pridem diximus primum fontem iuris Ecclesiastici esse ius diuinum positiuum, illúdque ex solis diuinis Scripturis noui & veteris Testamenti contineri diximus, & diuinæ Scripturæ neque facilè legi, neque intelligi possint, videndum omninò quo idiomate legi & quo sensu explicari valeant, vt ex illis verum diuinum ius positiuum eruamus, & ex illis ius Ecclesiasticum & Canonicum deriuetur, idcircò duo ista principia tradimus, vt sciamus quánam oatiui textûs, qui nobis ferè incognitus est, versione, & translatione vtendum sit: & quia Scripturæ sensus, siue sententia multiplex excogitari & fingi potest, vel patet ex tot diuersisque interpretum, & commentatorum interpretationibus, & exegesibus, statuendum omninò fuit certum expositioni, & interpretationi standum sit, & quænam sectanda sententia in scripturarum expositione, vt verum diuinum ius ex illa colligamus. Dicimus verò ex litterali tantùm sensu diuinum illud ius certò colligi, quod principium demonstrari nequit, nisi priùs de variis scripturæ sensibus pauca aliqua dicamus: sit ergo

QVÆSTIO I.

De multiplici sacræ Scripturæ sensu: & primùm de litterali.

Diuinarum litterarum obscuritas, quam agnouerunt Chrysost. *hom.*40. *in Ioann.* Ambrof. *Epist.* 44. Hieronym. *Epist. ad Paul. de studio Scripturæ, præfatio Epist. ad Ephes. & Epist. ad Algasiam q.*8. Augustin. *lib.2. de doctrina Christian. q.*8. *& lib.* 12. *confessio capite* 14. Gregor. *hom.* 6. *in Ezech.* aliique, & docet ipsa experientia. Huius obscuritatis causas affert Bellarm. *lib.* 3. *de verbo Dei, cap.* 1. Serarius *in prolegom. cap.*22. *toto, & cap.* 28. *de sacrorum Bibliorum studio.* Plurimas, eásque diuersas pepetit hæc obscuritas expositiones, & quod inde necessariò efficitur, plurimas sententias, siue sensus, de quibus Driedo *lib.*2. *cap.* 2. Adamus Sasbour. *præfat. in Isaiam* Vasq. 1. *p. q.*1. *art.* 10. *disp.*12. & Salmeron. *prolegom.* 7. Serarius *cap.* 23. Bellarm. & alij. Vulgò autem multiplicem faciunt litteralem,

litteralem, mysticum, tropologicum, anagogicum, addunt quidam accommodatitium: alij sensus istos ad pauciores contrahunt, cum vnum includamus in alio; alij verò in plures partiuntur, qui omnes ad duos reduci possunt, litteralem nempè & mysticum, qui deinde in alios diuiditur. Sensus litteralis est, qui per voces propriè, siue impropriè, & tropicè in contextu acceptas primò & proximè significatur, quem primò Spiritus sanctus, qui est primus sacræ Scripturæ auctor, intendit siue qui proximè & immediatè per eiusmodi voces propriè vel impropriè acceptas significatur. Consentiunt Driedo *libro* 2. *cap.* 2. Adamus Sasbout *præfat. in Isai.* Salmeron *Prolegom.* 7. Vasq. q. 1. *p. disp.* 14. *&* 15. Serarius *Prolegom.* 21. *cap.* 2. estque euidens ratio: in omni enim Scriptorum genere, eum orationis sensum, siue sententiam esse dicimus, quam voces primò & per se, siue secundùm primam & propriam impositionem & notionem, siue impropriè, & tropicè secundùm structuram orationis, aut contextum & acoluthiam significant: atque hac in parte cæteri omnes Doctores, si attentè legantur, consentiunt; notandæ dumtaxat sunt particulæ *primò*, *& proximè*, & voces *propriè* vel *ac tropicè* acceptæ: aliud enim est significari remotè & mediatè, aliud primò, & proximè. Nam significatio remota quæ varia esse potest, non subest primò & proximè orationi, neque proinde ab illa significatur, sed ex ea tandem mediante discursu elicitur, ac proinde non intenditur primò à dicente. Dixi deinde hanc significationem esse vocum siue propriè, siue tropicè acceptarum: nam qui tropum, & metaphoram vsurpat, illius metaphoræ sensum primò, & per se intendit, alioqui non videretur tropica, & figurata oratione, sed simplici dumtaxat, & plana, non inuoluta, quæ ab audientibus perciperetur statim: vnde vulgò distinguunt duplicem sensum litteralem, simplicem, & figuratum: primus sumitur in natiua verborum proprietate, & significatione, quem capiunt qui natiuas vocum proprietates, & vsitatas significationes capiunt: figuratus est, cùm verba à propria significatione transferuntur ad alienam, tunc enim sensus est, quem verba sic translata significant, suntque tot eius species, quot sunt genera figurarum, quibus explicatur, & significatur, vt cum Christus electos omnium nomine significat Ioan. capite 10. *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili.* Significat Christus se alios homines præter Iudæos habere in Ecclesiam, & ouile suum congregandos. Illa igitur figurata loquutione intelligit homines ex variis Gentibus cogendos in Ecclesiam, eaque significatio, quamvis tropica, & figurata, significat electos vndique in Ecclesiam adducendos; estque ille sensus litteralis, & primò ac proximè à Christo intentus, oratione figurata & non simplici expressus. Est igitur duplex sensus litteralis; vnus simplex per propria verba significatus; alter per orationem figuratam expressus, & æquè primo intentus per verba tropica designatus, primò tamen & proximè, estque hic sensus figuratus & metaphoricus, & verè litteralis est, vtpote ab auctore Scripturæ primò & proximè intentus: quare falluntur qui eiusmodi sensum metaphoricum aut parabolicum, vocant sensum spiritualem, & mysticum cum Lyrano *prolog.* 3. *in postillis Bibliorum.* est enim, vt dixi, verè litteralis; quod monet S. Thomas 1. *p. q.* 1. *art.* 10. *ad* 3. *& quodlibet.* 7. *q.* 6. *art.* 16. *& lect.* 7 *in cap.* 4. *ad Galat.* Henric. *in summ. art.* 16. *quæst.* 3. *ad* 1. *&* 5. & alij magno numero apud Gill. 1. *p tract.* 1. *capite* 2. *n.* 6. quod vt intelligatur, distinguendus est sensus grammaticalis à litterali, qui à plerisque confunduntur aliquando: grammaticalis consistit in propria significatione verbi ad aliud aliquid significandum per metaphoram translati: ille enim sensus primùm dumtaxat litteræ corticem tenet; neque assequitur sensum & mentem Auctoris, vt Apoc. cap. 5. *vicit leo de tribu Iuda: Deus habitat in caligine.* Cuiusmodi perplura leguntur *in Cantico Canticorum*, per continuatas & perpetuas metaphoras; in quibus omnibus propria quidem est verborum significatio, quæ suum habet sensum grammaticalē, cuius notitia plurimùm conducit ad verum sensum percipiendum, qui verè consistit in significatione rei, ad quam vocabula per metaphoram transferuntur, & quam scriptor per eiusmodi metaphoram designare intendit: sic prata dicuntur ridere. Neque eo loquendi modo significatur verus risus, sed viror & flos. Deus dicitur habitare in caligine, hoc est inuisibilis, quomodò ea quæ latent in caligine impervia sunt humanis obtutibus.

In hoc verò sensu litterali metaphora consistit, aliquandò in vno tantū, aut altero verbo, quod totā enuntiationem reddit metaphoricam, vt, prata rident, pluit tristis hiems. Aliàs tota oratio est longa quædam allegoria, ita vt nullum vocabulum in propria significatione accipiatur, sed in translatitia, vti contingit in parabolis, in quibus tota oratio est figurata, qualem vsum ponit Agrippa apud Liuium *libro primo*, dum ex parabola humani corporis & membrorum eius contra stomachum coniurantium, Romanæ plebis seditionem sedauit.

Obiectat præterea Molina 1. *p. quæst.* 1. *art.* 10. *disp.* 2. quoties in oratione interseruntur aliqua verba per modum parabolæ, quæ alioquin non dicuntur propriè de aliqua re, si vsurpetur verbum aliquod indicans similitudinem esse accipiendum in proprio sensu. Ita Christus non dicitur propriè agnus, sed metaphoricè, vt Ioann. 1. *Ecce agnus Dei.* Agnus sumi debet metaphoricè, vt constet sensus litteralis: at verò Isaiæ cap. 53. *Tanquam agnus coram tondente obmutuit*, &c. agnus propriè sumitur, quia particula tanquam indicat similitudinem, quæ non potest esse nisi inter duo: quare ibi agnus non sumitur pro Christo, sed pro vero agno, cui Christus similis esse dicitur propter suam mansuetudinem, & patientiam. Quare verba, quæ similitudinem inter aliqua indicant, propriè sumi debent pro rebus, inter quas fit similitudo & comparatio: sic Matth. 13. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas &c.* fit enim comparatio inter prudentem, & diligentem mercatorem, & hominem salutis suæ studiosum, quare de vtroque agitur in propria significatione. Quoties igitur adhibetur nota similitudinis, vel comparationis, verba in propria significatione sumenda sunt vt constare possit distinctio duorum, inter quæ fit comparatio siue exprimatur, siue subintelligatur: quandò verò non adhibetur nota similitudinis, & perspicuum est verba in propria significatione vsurpari non posse, vel metaphora tunc in simplici voce consistit, vel in longiori oratione: si primum, sensus litteralis & immediatus non est res propriè significata, sed ea, cui per metaphoram applicatur, vt Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*: nomen leo non accipitur pro vero leone, sed pro Christo, qui propter fortitudinem, metaphoricè significatur nomine leonis, alioquin nomen leonis propriè sumeretur pro aliquo leone ex tribu Iuda oriundo, & sensus proximus & immediatus intentus à Spiritu sancto, non esset Christi resurrectio & victoria, neque proinde foret sensus litteralis & mysticus significatus per rem, & non immediatè per vocem. Atque hic loquendi modus nouus non est: dum enim *Æneid.* 12. dicitur, *fontemque ignemque ferebant*, non ait Virgilius fontem ipsum allatum esse, sed fontis aquam: & cùm

cùm Demosthenes fulminasse Græciam dicitur, non de veris fulminibus loquimur, sed de magnifica, & fulgurante eloquentia.

4 Quoties autem est parabola, aut similitudo longior in oratione, hoc enim modo non distinguimus subtilius, Alens. 1. *part. quæst.* 1. *memb.* 4. *art.* 4. *ad* 2. & *art.* 5. aliique recentiores volunt sensum litteralem totius illius dicti & orationis, ex duabus partibus constare: priùs siquidem concipiendus est totius orationis discursus, tum sensus per illam intentus, ideóque sensus parabolici duæ sunt veluti partes: prior circa rem ex qua sumitur similitudo; posterior circa rem illam ad quam parabola & similitudo adducitur. Prior itaque pars est veluti propositio exempli, à quo sumi debet similitudo ad finem parabolæ; posterior est veluti applicatio illius: sic in *lib. Iudic. cap.* 9. ligna varias arbores adeunt, vt sibi regem eligant à quibus repudiatæ rhamnum adeunt, ab eóque in Regem magno consensu electo igne consumuntur. Ecce parabolæ & similitudinis sensum: parabolam verò applicat Ioathan filius Ierobaal, ad viros Sichem, qui Abimelech in regem vnxerunt: *Sin autem perversè nimirum egistis, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem.* Abulensis verò *in cap.* 13. *Matth. q.* 28. & Salm. *tom.* 7. *tract.* 1. *n.* 13. aliique censent, cùm tota oratio est parabolica, aut metaphorica immediatam significationem esse rem ipsam, ad quam significandam assumitur parabola, vt cùm Christus *Luc.* 8. dixit: *Exiit qui seminat, seminare semen suum.* Sententia immediata est de prædicatore, qui prodiit ad annuntiandum verbum Dei. Et sanè Christus cùm parabolam deinde est interpretatus, nulla voce similitudinis aut comparationis vsus est, sed absolutè dixit, semen est verbum Dei: voluit enim explicare quid nomine seminis intellexerit, & in sequentibus partibus parabolæ quosnam expresserit auditores. Et sanè tota illa narratio parabolæ secundùm sensum grammaticalem accepta, nullam rem significat præter eam, ad quam ex instituto significandam adducitur parabolæ, sensus tamen ille litteralis non est, sed grammaticalis: necessarius tamen omninò est ad litteralem sensum eruendum, & sicut qui nesciet propriam significationem verbi *ridere*, non capiet quid sit, *prata ridere*; ita qui nesciet sensum grammaticalem parabolæ, nesciet etiam ex illa verum, & proprium litteralem sensum eruere.

5 Ex quibus vides, quod initio diximus, duplicem esse sensum, litteralem vnum simplicem, quem verba propriè significant; alterum figuratum, & metaphoricum, quem verba figurata, & in aliud translata designant. Ratio euidens est, quam Molina 1. *p. quæst.* 1. *art.* 10. *disp.* 2. indicat; quia cùm in omnibus Scriptoribus sacris & profanis, in ipsóque communi loquendi vsu voces aliquando vsurpentur in significatione propria, aliquandò in translatitia, & tropica, siue metaphorica, ac proinde impropria: quoties propriè accipiuntur, sensus sine dubio litteralis est, quem in propria acceptione significant: quandò verò translatitiè accipiuntur, sensus litteralis alius esse non potest, quàm quem in significatione translatitia indicant. Quare S. Augustin. *libro* 3. *de doctrina Christiana cap.* 5. sic explicat illud ad *Corinth. cap.* 3. *Littera occidit*, ait illud verum esse quando illud, quod in translatitia significatione passim à Prophetis dicitur, aut in veteri Testamento habetur, quasi in propria significatione dicta esse intelliguntur, vel quæ in veteri lege quasi vmbra futurorum ad tempus instituta & præcepta sunt, litteraliter accipiamus illisque insistendo nolumus ad sensum spiritualem, & intelligentiam eorum, quæ illis adumbrata sunt, & deindè in lege gratiæ impleta, transire, quare in eo Iudæi obcæcati miserè fuerunt; & errarunt, *illúdque velamen est vsque in hodiernum diem positum super cor eorum* (id est Iudæorū) *in lectione veteris Testamenti, quod auferendum ait Paulus, cùm ad Dominum fuerit conuersus.* Cùm igitur metaphoris passim vtatur Scriptura, sensus litteralis non est, quem verba in propria significatione præferunt; ille enim sæpenumerò falsus esset, quod nemo dicat, sed ille ipse quem eiusmodi voces translatitiæ propter rerum similitudinem, ad quas transferuntur, significant, quare cùm Christus dicit apud *Ioan. cap.* 5. se vitem esse, patrem suum agricolam, & fideles palmites, sensus litteralis petendus est ex similitudine rerum quas significant vitis, Agricola, & palmites. Nam ad similitudinem vitis & palmitum, qui viti cohærent, Christus meritis suis vim crescendi, & fructificandi fidelibus communicat, quamdiu cum ipso per fidem, spem, & charitatem communicant, & coniuncti cum eo permanent, & ipse Pater qui vicem agricolæ gerit, curam habet purgandi eiusmodi fideles, qui fructificant & crescunt, vt fructus plura afferant, & amputandi palmites inutiles, & infructuosos. Eodem modo dum *Matth.* 9. ait esse eunuchos, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, sermo non est, neque sensus litteralis de castratione propria, quæ licita non esset, sed de castratione impropria, & metaphorica, per votum castitatis, quo quia ad vsum matrimonij redditur impotens ac si verè & propriè castratus fuisset; quod idcircò *ibidem* Christus distinguit ab iis qui tales fiunt ab hominibus. Eodem modo *Matth.* 18. Christus iubet eruere oculum; *Proiice oculum abs te, si te scandalizet*; non est ea iussio in propria significatione, sed metaphorica accipienda, estque metaphora vel in voce *oculus* accipienda, ita vt si res nobis adeò chara & necessaria vt oculus sit, si tamen nobis scandalo sit, eam à nobis abiiciamus: si verò, in voce, *proiice*, & *abiice abs te*, metaphoram colloces, vt loco rerum earum, quæ nobis scandalo sunt, ita nos geramus, quamvis nobis necessaria videantur & chara sint, atque ille qui oculum suum sibi eruisset, & abiecisset. In parabolis itaque sensus litteralis sumendus non est in significatione propria, v. g. eruendus, sed in translatitia, quam etiam deinde Scriptura explicat, vel doctoribus explicandam relinquit: & Christus aliquando parabolam ipsemet explicat, vt *Matth.* 13. parabolam de seminante interpretatur: & *lib.* 2. *Reg. cap.* 12. Nathan propheta parabolam, quam increpando Dauidi proposuerat, interpretatur: quæ expositiones, vt veræ sunt, ita sensum parabolæ, non alium fuisse quàm translatitium apertè designant, & non in propria significatione verborum, sed tropica sumendum fuisse demonstrant. Discrimen tamen aliquod in hac parte, inter metaphoram, & parabolam, & similitudinem adducit *l. c.* Molina, quòd in metaphora voces transferantur à propria significatione ad aliam propter similitudinem, quam habent cum rebus, quas voces propriè significant: in similitudine verò, & parabola nulla fit translatio vocum, sed [illegible] sua significatione propria accipiuntur; quare sensus similitudinis est ille, quem voces propriè significant, quia in vna loqutione, res vna alteri comparatur, in altera res vna altera esse dicitur per translationem, v.g. *vicit leo de tribu Iuda.* Leo significat Christum propter fortitudinem, itáque sensus litteralis est translatitius. In hac verò loqutione: *aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*; vbi est mera similitudo; Diabolus leoni comparatur, & leo in propria significatione accipitur, vti nuper monuimus.

Hinc

6 Hinc oritur non exigua difficultas, quis sit sensus litteralis in visionibus Prophetarum, vt in Apocalypsi; cùm enim Deus spectra illa ostenderit Prophetis, quibus illis alia quædam futura, tum populo Israëlitico, tum Ecclesiæ præmonstrabat, vt persecutiones, bella, & varios status eius; non videtur alium earum visionum sensum litteralem fuisse, quàm quem illæ ostendebant, non autem metaphoricum, quem significabant res illæ per visiones ostensæ. Censet nihilominùs sapienter Molina *disp.* 2. *cit.* litteralem sensum eiusmodi visionum fuisse metaphoricum, quo significabantur res talibus visionibus ostensæ, quia Spiritus sanctus non tam intendit manifestare Ecclesiæ visiones Prophetarum mentibus exhibitas, quàm prænuntiare futura, quæ illis visionibus prædicuntur euentura. Ideò illæ omninò exponendæ sunt in sensu metaphorico, litterali tamen, & ab Spiritu sancto proximè intento, atque ita exponit visionem *Danielis c.* 8. Molina, & somnium Pharaonis *Genes. cap.* 8. septem boum, & septem spicarum, quæ significabantur septem anni vbertatis, & septem sterilitatis explicat idem Molina & litteraliter accipit de somnio, quod secundum propriam vocum significationem Pharao habuit, & id quod significabant, contigit; non autem metaphoricè de annis vbertatis, & sterilitatis, qui illo somnio significabantur, & re ipsa contigerũt, quia neque eam somnij sui significationem percepit Pharao, antequàm doceretur à Iosepho; neque intendebat verbis suis illud significare, & Scriptura non narrat illud in persona Pharaonis, narrátque dumtaxat tale somnium habuisse, quo tamen Deus illi futuram sterilitatem, & vbertatem voluerit significare.

7 Ad extremum hic sensus figuratus litteralis, quem metaphoricum, & parabolicum dicebamus, non de sola metaphora, & parabola intelligendus est, sed de quolibet etiam alio tropo, & figura, vt hiperbole, ironia, antiphrasi, paræmia, prouerbio aliisque figuris tum sententiarum, tum verborum, vti Rhetores appellant: in his enim omnibus sensus litteralis erit ille, quem tropi per se primò significant, & ad quem significandum scriptura tropis illis vtitur: eorum distinctionem aliquam dabit Martinus Delrio *in præfat. ad adagialia sacra.*

8 Notandum etiam sapiens Augustini monitum *lib.* 3. *de doctrina Christiana, cap.* 10. in exponenda Scriptura, non esse facile, & non nisi ex causa iusta recurrendum ad tropum & metaphoram, idcircò Hieronym. *Epistola ad Pammach.* Epiphan. *in Ancorat.* Methodius *Dialogo Aglaaphon*, relati à Sixto Senensi *lib.* 5. *Bibl. annotat.* 33. arguunt Origen. qui plantationem paradisi & alia conditionis mundi metaphoricè fuit interpretatus, & displicuit Amb. *qui lib.* 2. *in Luc. capite* 22. illud Matth. 18. *Frigus erat & calefaciebant se*; non de vero frigore ad litteram exponere visus est, sed frigore metaphorico, & tempore charitatis.

9 Notandum secundò est vbi scriptura introducit personam aliquam loquentem, quam mentiri non deceat, sensum litteralem esse verum in significatione propria, vel translatitia verborum, alioquin Scriptura posset esse falsa in sensu litterali, quod quis ausit dicere? Quare Patres, qui passim dicunt deficiente littera, recurrendum esse ad mysterium, nihil aliud profectò volunt, quàm deficiente littera in sensu proprio, recurrendum esse ad sensum metaphoricum & translatitium, qui etiam litteralis est, vti pridem ostendimus, quem aliquando mysticum & latentem iidem Patres vocant, vt statim ostendemus.

10 Hinc reiicies Lyranum, & alios, qui dicunt aliquandò Scripturam carere sensu litterali & habere dumtaxat sensum mysticum: nam tunc ille mysticus est litteralis, vti ostendimus, quod malè Alphonsus à Castro sub dubio reliquisse videtur; quamquam liceat cum Vasq. 1. *p q.* 1. *art.* 10. *disp.* 15. *cap.* 3. *num.* 12. duas in parabola partes distinguere, prima est rei quæ in exemplum adducitur, estque illa velut historia, vel similitudo: secunda est eiusdem rei & similitudinis ad alteram applicatio, illáque est sensus reconditi & mystici explicatio: & vtraque illa pars dici potest habere sensum suum, litteralem nimirum, prior rem illam sensibilem quæ supponitur quasi pro historia, posterior autem rem spiritualem, & quasi mysterium, ad quod significandum res illa sensibilis, siue parabola applicatur, vt cum *Matth.* 13. regnum cœlorum simile dicitur fermento, quod acceptum mulier in farinæ tribus satis abscondit: nam sensus litteralis parabolæ est factum mulieris quæ in exemplum adducitur, quæque ex fermento & farina præparat massam, ex qua fiat panis: posterioris partis parabolæ siue illius applicationis sensus litteralis est; qui & mysticus, & est verbum Euangelicum eiúsque vis, & efficacitas quæ in ea parabola latet, dicitórque idcircò sensus mysticus, & latens, vt dicam *quæstione sequenti.* Parabola verò aliquando per notam similitudinis applicatur, vt dixi: aliquandò verò non exprimitur, sed subintelligitur, quare cum vario modo vsurpentur parabolæ, aliquandò non exprimantur: aliàs verò vno tantùm verbo exprimantur, alias denique sit prolixior parabola, vt in Cantico Canticorum, varius tunc sensus est litteralis, vnus videlicet rei quæ adducitur in parabolam, éstque veluti grammaticalis, aut (vti nominat Vasq. *cap.* 3. *cit. n.* 13.) materialis, & eius quod sub illa designatur. V. g. in Canticis, cum sponsam rogat sponsum vbi pascat, & cubet in meridie; ipse verò respondet vt si scipsum ignoret: *Egredere, & abi post vestigia gregum suorum*: sensus litteralis est, si nescis, sine abire greges & hœdos tuos; ipsi enim sponte sua gradientur in eum locum, in quo me inuenies: mysticus sensus ad spiritualem amorem & charitatẽ refertur inter sponsum Christum & Ecclesiam siue animam, quem Spiritus sanctus toto illo Cantico intendit, quamvis enim in metaphora sit semper aliqua similitudo, ac proinde duo extrema; non tamen necesse est, vt vnum prius, & alterum postea intelligatur: simul enim intelliguntur, ex communi regula relatorum: alioquin vt obiicit Serarius *cap.* 21. *prolegom. quæst.* 2. qui metaphoricè loqueretur, priùs semper falsum, quàm verum loqueretur. Aduertendum tamen monent Vasq. Gill. & cæteri, nihil opus esse, vt quod in parabolis narratur reipsà ita contigerit, & gestum fuerit; satis enim est si ita geri potuerit, quod apparet in parabolis frequenter à Christo vsurpatis: an enim historia filij prodigi reipsà euenerit cum omnibus illis adiunctis, quæ referuntur, quis ausus fuerit affirmare: Ratio à priori est; quia tota veritas consistit in significatione rei, ad quam aptantur parabolæ: ad id verò parum omninò refert an reipsà ita fuerint, immò & an sint possibiles, vel impossibiles, modò res, ad quam assumuntur, significetur; non enim sunt res significatæ, sed signa; vnde quoque fit vt ad argumentum Theologicum, nihil intersit, vtrùm discursus parabolicus pertineat ad sensum litteralem, vel non: nam ex eiusmodi parabolis in se consideratis, & præciso sensu illo, ad quem adducuntur, nihil effici potest, sed ex sensu per parabolam significato, qui verè litteralis est. Quare quacumque ratione explicetur parabola siue per modum similitudinis intelligendo eam in primo sensu litterali, siue immediatè intelligendo rem ipsam, per parabolam

rabolam intentam, optimum inde argumentum eruitur, v. g. in parabola decem Virginum, in qua per oleum charitas & opera, per lumen fides accipitur, quocumque modo explicetur, & quicumque sensus litteralis explicetur, rectè deducitur argumentum ad probandam fidem sine operibus non esse sufficientem ad salutem.

11 Sensus porrò litteralis sæpè vocari solet historicus, quia maximè in historia relucet, & quia interdum tota Scriptura, historia vocari solet à Cassiano *collat.* 8. *cap.* 3. Gregor. *præfat. in Iob, & alibi* sæpius Hieronym. *Epist.* 103. *ad Paulin.* & aliis dicitur etiam cortex litteræ. Nazianz. *Epistola ad Nemesium.* superficies litteræ ab Gregor. *lib.* 20. *moral. cap.* 11. *& lib.* 21. *cap.* 1. superficies litteræ ab eodem Gregor. *lib.* 20. *moral. cap.* 11. Intellectus simplicis formæ, ab Ambros. *lib.* 5. *in Luc. cap. de missione discipulorum Ioannis*; expositio secundùm litteram ἡ κατὰ λέξιν ἐξήγησις. *Clem. lib.* 2. *constit. Apostol. cap.* 5. qui & lexicus, & grammaticus dici posset. Hunc autem ab historico distinguit Genebrard. vt qui totus à grammatica sit, & ea nimium putidè vtatur. Alij deducunt à littera quæ est γράμμα, & quia κατὰ πρῶτον λόγον ἢ τὸ ὁρᾶν, secundùm primum sermonem, & secundùm aspectum. Ita Theodorus Mopsuestenus *apud Clem. loco citato.* Dicitur etiam corporalis: opponitur enim spirituali, de quo *quæstione sequenti*, qui in illa tanquam spiritus in corpore latet; ideóque obseruat Turrian. *lib.* 1. *pro Epist. Pontific. cap.* 13. Scripturam exponi κατὰ τὸ σωματικόν, & κατὰ τὸ πνευματικόν. Sæpissimè verò PP. litteram, siue sensum litteralem accipiunt pro sensu grammaticali, quoties diuina explicantur per symbola; quâ ratione dicunt sensum Scripturæ secundùm litteram esse perniciosum, aut periculosum, ideóque recurrendum monent ad spiritualem, quoties secundùm litteram malè sonat, & falsum, aut indecens quidpiam significat, v. g. illud *Psalm.* 2. *Ex vtero ante Luciferum genuite*; secundùm sensum grammaticalem Deo tribuit vterum, & vuluam; quare ad sensum spiritualem recurrendum est, videlicet ad fecunditatem paternæ naturæ: quam in rem Gill. *lib.* 1. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 10. Origen. Nissen. Ambros. Augustin. aliósque Patres allegat, qui omnes non negant loquutiones istas metaphoricas carere omni sensu litterali, vti malè contendebat Lyranus nuper allatus; sed non esse accipiendum sensum grammaticalem, quem inducit prima & propria verborum significatio, sed alium tropicè significatum, & tamen proximè intentum à Spiritu sancto, quem *quæstione sequenti* explicabimus, & demonstrat ex illis ipsis Patribus Bellarm. *libro primo de verbo Dei, cap.* 3. Vnde vides cur D. Paulus dixerit litteram, veteris nimirum Testamenti, occidere, & spiritum viuificare; quia nimirum Iudæos nudis & meris signis adhærentes, neque ad Christum peruenientes non adducebat ad gratiam & salutem, siue ad participationem spiritus vitæ; & ille sensus à Spiritu sancto intentus est, ac proindè litteralis, vti diximus.

12 Hinc igitur colliges primò, nullum esse Scripturæ locum, qui careat suo litterali sensu, & à Spiritu sancto intento, siue ille sit, quem propria verborum significatio præfert, siue quem metaphorica, & parabolica indicat: vterque enim est à Spiritu sancto primò & proximè intentus, & illi duo sensus, si illos partiri & diuidere libeat, non nisi vnum totalem ab auctore Scripturæ intentum conflabunt.

Quæritur secundò an sit vnus & idem duntaxat sacræ totius Scripturæ sensus litteralis. Ita affirmare Nouatores refert Serarius *c.* 21. *prolegom. q.* 5. idémque ex Catholicis tribuit Abulensi, atque viro dubiæ fidei Erasmo *in præfatione quadam ad Imperatorem.* Huc referri potest Theodori Antiocheni siue Mopsuestenus interpretatio, qui dicebat se κατὰ λέξιν interpretari, vt nunquam Prophetæ de Christo secundùm historiam prophetarint, sed aut de Zorobabele Christi figura, aut de Dauide, vel alio quopiá, in quibus quod prædicabatur, impletum fuerit. Hanc Theodori fallacem interpretationem, &, vt loquitur de illo Leontius, παροινίας, καὶ παρεξηγήσεις, deliras & prauas interpretationes pluribus confutat Turrian. *in notis ad lib.* 2. *Clement. ad cap.* 5. illásque à Petro Epist. 1. dicit, cum ait; *ea quæ nobis nunciata sunt, & prædicata per sanctos Apostolos, fuisse reuelata sanctis prophetis*, hoc est, vidisse ea in spiritu & eorum claram cognitionem mentibus prophetarum informatam fuisse: hi verò interpretes censent cum Theodoro nunquam prophetas habuisse reuelationem de Christo & mysteriis eius, quare beato Petro contradicunt, qui illos talem reuelationem habuisse affirmant, cum secundum historiam nunquam de eo prophetauerint secundùm litteram, aut historiam: quæ, aliáque obiicit Turrian. eo loco, quem non pœnitebit consuluisse.

Alij verò volunt vnicum sacræ Scripturæ sensum, 13
quem illius auctor, & artifex per totam Scripturam partésque ipsius singulas spectauit, & significare hominibus voluit, vt qui solus spectaret ad restituendam illorum salutem, hunc verò sensum non alium nouo Testamento expressum, alium veteri adumbratum, sed vtrobique, & vbique Deum de Christo nos alloqui, neque id sparsim, & subsultim interiectis subindè, aut sæpius aliis quæ ad Christum nihil attineant, sed continenti & perpetua serie. Cùm autem Christus dicitur, non intelligitur eius tantùm persona singularis, sed ciuilis, publica, regia, sacerdotalis quæ Ecclesiæ caput est, & ij etiam, quibus suas vices in regenda Ecclesia commisit; sed totum Ecclesiæ corpus ex illo capite aptum eiúsque influxu viuidum ac florens, sed singula eius membra, vt quæ Christum non minus repræsentent quàm filius Patrem, & Ciuitatem ciuis, eiúsque in bona & iura veniant, totus demum Christus intelligendus est, omniáque illius mysteria; nihil verò aliud sacris Scripturis contineri. Neque enim fides, quibus cytharæ tenduntur, clauos aut assulam, qua è testudine subriguntur, quisquam aliud esse diuersum à cythara censebit. Ita sententiam hanc exponit Ludouicus Ianin. *in erudito opusculo*, quod explicandæ Scripturæ tyrocinium inscripsit, quod verius viri consummati partum dixeris. Probat verò suam illam sententiam. Primò quia vulgò Patres dicunt vetus Testamentum diuina Iesv opera dixisse, & nouum illi effecisse, Iudæos habuisse vmbram futurorum, & typica, ac imagines, & præfigurationes, in veteri Testamento fuisse expressum, legem, & Euangelium eiusdem esse substantiæ, aliaque similia quæ leges apud Dionys. *capite* 5. *Ecclesiast. Hierarch.* Irenæum *lib.* 4. *cap.* 18. atque vt subtiliter aduertit Augustinus, Christus ipse ait *Ioan.* 5. Mosem Scripsisse de illo, *de me*, inquit, simpliciter, & pressim, de me vt innueret Moysen de Christo omnia scripsisse, *omnia*, (inquit Augostinus) *credere deberemus quæ scripsit ad Christum pertinere, licet ob tarditatem nostram nihil tale in Mose inueniremus.* & *lib.* 16. *de Ciuit. cap.* 2. explicans factum filiorum Noë qui gressu retrogrado, pallio patris nuditatem tegebant, de Iudæis, & gentibus qui scelus in crucifigendo Christo commisisse auersabantur ait: *Verumtamen fideliter certum tenentes non ea sine aliqua præfiguratione futurorum gesta esse, atque conscripta, neque nisi ad Christum, & eius Ecclesiam esse referenda, huius ab initio generis humani non defuit prædicatio, quam per omnia videmus impleri.* Plurima deinde eruditè

addensat

addensat vt probet vetus testamentum fuisse propositionem, & nouam veluti conclusionem, ex eo deductam: nouum testamentum in veteri delituisse, neque absque illo sciti potuisse, ideóque Christum hortatum fuisse Iudæos, vt scrutarentur Scripturas, vt in illis testimonium de se inuenirent, quod diligenter fecerunt Apostoli. Ex eorum igitur perpetuo Christique ipsius vsu qui vetus testamentum de ipso Christo explicarint, vel disertè, vel tacitè, per allusiones, aut manifestas, & professas, aut indicantes saltem, explicarunt; neque illæ vnquam reiectæ sunt. Quæ omnia aliaque plurima ab eodem auctore eruditè & ingeniosè adducta, non aliud mihi probare videntur, quam vetus testamentum prædictionem, & & vmbram futurorum bonorum continere, & imaginem quandam Christi venturi nobis exhibere, & synagogam typum fuisse Ecclesiæ, & præcipuas eius partes allegoricè nobis quædam Ecclesiæ mysteria expressisse: quod non diffitemur cum Seratio c. 21. *prolegom. quæst. 8. in secundo dicto* ex Hieronymo, Augustino, & aliis, & id apertè dicunt PP. Non probant autem quod intendere videtur hic auctor, singulas eius partes non nisi vnum cumque litteralem sensum de Christo habuisse; quare in consectandis singulis particulis, ac connexionibus, & noui testamenti continenter, & non subsultim (vti loquitur) sed, perpetuo filo applicandis, & connectendis, mirum in modum inutiliter se torquet. Quod etiam ostendit ibid. Serarius in multis personis, vrbibus, locis, actionibus, & aliis, quæ non videntur per se aliud significare quàm quod aut fidei, aut bonæ actionis, aut spei materia, & obiectum sit. Sapienter igitur Augustin. *lib. 17. de Ciuit. cap. 3.* monet: *Mihi sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere litterarum* (nempè veteris testamenti) *aliquid aliud præter id quod eo modo gesta sunt, significare arbitrantur: ita multum audere qui prorsus omnia significationibus allegoricis inuoluta esse contendunt.* Arguit sine dubio Theodorum & Origenem; de quo etiam Hieronym. *epistola ad Auitum.* & *epistola ad Pammachium & Oceanum, & prolog. 5. comment. in Isai. & in Ierem. c. 27. & 29.* Quare claudamus cum Petro Damiano sermone 3. de Dedicat. *Non omnia, fratres charissimi, quæ sunt in cythara sonant, sed omnia iuuant: sic non omnia quæ sunt in diuina Scriptura spiritualem intelligentiam generant, sed omnia iuuant.* Immò neque ipse Origenes qui in consectandis allegoriis perpetuus videtur, hunc interpretandi modum semper approbat, vti *ibidem* ostendit Serarius. Malè verò sibi hic author patrocinium à Synodo Romano sub Vigilio Theodorum Mopsuestenum damnante: nam aliam fuisse Theodori mentem constat ex ipso Turrian. qui ipsamet Theodori verba Latinè reddidit, & titulit: ipse enim plurima tunc gesta, & à prophetis prænuntiata, partim de Christo, partim de Zorobabele, Dauide, aliisque, & de Iudæis allegoricè & parabolicè facta interpretatur, vultque suam interpretationem de fide esse; quod iure merito damnat Romana Synodus. Maneat igitur esse quidem litteralem Scripturæ sensum, siue proprium & simplicem, siue figuratum, qui vnus & idem non est in tota Scriptura, sed variis & diuersis eius partibus; sed qui omnes aliquo modo pertineant ad Christum, qui vniuersalis est totius Scripturæ scopus, & finis, quique primò, & per se, atque immediatè significatur, & intenditur à Spiritu sancto. Sed omnium non est latentem in Scripturis Christum deprehendere, quem neque ipsi Iudæi propter velamen ipsis, sicut & Mosi quondam iniectum, videre potuerunt.

QVÆSTIO II.

De sensu mystico, & spirituali sacræ Scripturæ.

PRæter litteralem Scripturæ sensum, quem hactenùs descripsimus, alium esse arcanum & occultum, & à Spiritu sancto etiam proximè intentum Patres significant, & omnes interpretes vulgò fatentur. Dicitur mysticus quia in littera, & historia, siue cortice litteræ (vt nuper aliqui loquebantur,) tanquam mysterium aliquod latet, & spiritualis, quia in litteræ corpore, velut spiritus in corpore residet, isque per res vocibus expressas, significatur, siue, vti dicunt vocibus tropicè, & impropriè, acceptis significatur, ita vt eius signum proximum sit litterarius sensus, siue (vt alij malunt) qui rebus ipsis per verba significatis proximè significatur. Itaque litteralis sensus proximè per verba indicatur: mysticus autem remotè dumtaxat, quia proximè & immediatè significatur per res quas verba immediatè significant; ita vt sensus litteralis per verba, & voces; mysticus per res verbis illis significatas demonstretur; ita vt verba sint signum immediatum rerum: res verò sint signa aliarum rerum quæ mysticè in illis, tanquam in suis signis proximis continentur; atque adeò voces, non sint nisi signa remota, & mediata ipsarum: tuncque diuina Scriptura & verbis loquitur, & rebus. Neque insolens profectò est, rebus, quas verba proximè significant vti tanquam signis ad alias quaspiam significandas, quod ab ipsis etiam hominibus vsitatum esse sapientes agnoscunt. Nam Periander, teste Aristotele *lib. 3. politic. cap. 9.* dum excelsiores spicas demetebat, & segetem æquabat, & Tarquinius, dum apud Liui. *libro primo* summa papauerum capita decutiebat, significabant se omnium æqualitatem velle: Tarquinius verò Gabiniorum proceres è medio tollendas designabat. Pipinus gibbosus nuntiis ad se à parente magno Carolo missis spectantibus, herbas noxias euellebat, vt patri renuntiarent excindendos qui contra se coniurassent. Videmus quoque homines quotidianis nutibus, & motionibus suam mentem aperire, & histriones, quod aduertit Augustin. *libro secundo de doctrina Christiana capite tertio: Omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, & cum oculis eorum quasi fabulantur, & vexilla, draconesque militares per oculum insinuant voluntates Ducum, & sunt hæc omnia quasi quædam signa visibilia: & tuba, tibia, & cythara dant plerumque non solum suauem, sed etiam significantem sonum.* Pergit idem Augustinus: *Cur igitur non poterit Deus rebus ipsis loqui?* Quare & litterariũ & mysticum hunc sensum in Scripturis agnoscunt Patres; & per librum intùs, & foris scriptum designari ait Hieronymus *in cap. secundum Ezechiel.* & Greg. *homilia 9. in commentariis eiusdem prophetæ.* Neque in hoc duplici sensu diuersa res significatur, sed vna & eadem: quid enim attinet quod vocibus, aut rebus significetur? Quod videmus in oratorum verbis, oculis, manibus, & toto gestu; neque enim vnam rem gestu, aliam verbis designant. Quod verius erit in scripturis quæ vnam rem proximè significant: hæc verò res aliam primò & per se designat. Si igitur homines & rebus, & verbis loqui possint, quidni id etiam poterit Deus, qui & solis verbis loquitur, quando illa solam & vnam rem enunciant? Potest & solis rebus suam mentem enunciare, vti in iride

non futurum deinceps vniuersale diluuium. Quidni etiam poterit pluribus aliis signis vel solis, vel rebus & verbis simul vnam eandemque rem significare, quod in Prophetis sæpius factum legimus? atque hunc sensum, intelligentiam spiritualem, quæ nimirum quod arcanum, abditum, & occultum est in verbis, atque litterario sensu intelligit & penetrat, vt ait Hieronym. *libro secundo in Epist. ad Galat. & 1. Corinth. capite decimo, & Rom. 7. Qui vniuersa Scripturarum sacramenta cognoscens sublimiter ea intelligit, & Christum in diuinis libris videns nihil in eis Iudaicæ traditionis admittat.* Typicus etiam vocatur hic sensus; est enim typus aliquid generalius allegoria verborum, & tam ad res, quàm ad verba refertur. Sic Paul. 1. Corinth. capite 10. vers. 11. *Omnia in figura contingebant illis, πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις, vel ταῦτα τυπικῶς συνέβαινον ἐκείνοις.* Rerum enim signa proxima sunt voces: hæ verò rerum aliarum signa quoque proxima figuræ ac typi sunt. Denique dicitur etiam theoricus ab Hieronymo, Bernardo, aliisque nominibus, quibus eci orcultæ, & arcanæ intelligentia, siue contemplatio designatur.

Hic verò sensus mysticus diuiditur in tropologicum, allegoricum, & anagogicum; quæ diuisio diuersimodè iterùm accipitur etiam à Patribus; quare de eorum mente propter diuersa loca lis est apud Vasq. *in prim. part. disputat.* 16. Gill. *libro primo tract. 7. capite tertio.* Sixtum Senens. *libro tertio Biblioth.* Serar. *prolegom. capite secundo quæstione septima,* & alios, à qua lite dirimenda abstineo. Satis sit voces istas secundùm varias acceptiones vsurpari, & passim allegoria ad res credendas, siue ad res fidei: ad res autem agendas siue charitatis, hoc est ad mores formandos spectare tropologiam. Anagogiam denique, ad res sperandas, siue res cœlestes; ita vt omnia respiciant Ecclesiam, vel militantem, res nimirùm credendæ, aut agendæ, vel triumphantem, ad quam pertinent res sperandæ, quas per anagogiam spectamus. Itaque allegoriam, tropologiam, & anagogiam tres spiritualis intelligentiæ partes nominant Augustin. *lib. de vtilitate cred. capite tertio,* Cassian. *collat.* 14. *capite* 8. Eucherius *libro de spiritualibus formulis,* & alij, suntque harum omnium intelligentiarum frequentia exempla apud Patres, & accipiuntur tum in sensu litterali, tum in mystico qui cum intendatur ab auctore Scripturæ, vti diximus, est verè sensus litteralis non simplex, sed figuratus. Possunt verò hi omnes sensus mystici in eodem loco, immò & vno nomine simul reperiri, verbi gratia, Hierusalem litteraliter, & historicè significat vrbem Palæstinæ nobilissimam, sic appellatam, allegoricè verò sanctam Ecclesiam, tropologicè animam, anagogicè beatitudinem æternam eiúsve locum. Idem videmus ad *Galat.* 4. vbi Paulus Abrahæ prolem explicat, *Abraham duos filios habuit,* quod in sensu litterali verum est, Isaac cum enim suscepit ex Sara, Ismaelem ex Agar ancilla, & allegoricè exponit Paul. de duobus testamentis. *Hæc enim,* inquit, *sunt duo testamenta.* Tropologicè autem de persecutione Ecclesiæ, à Iudæis. *Quomodò tunc is persequebatur.* Deindè anagogicè, *illa autem quæ sursum est Hierusalem mater nostra,* similia plurima colligunt ex Scripturis interpretes: quare monent Patres vt variè Scripturas sanctas, & eloquia veritatis interpretemur, & intelligamus: *Primo iuxta litteram* (inquit Hieronym. *in caput decimumsextum, Ezechiel.*) 2. *mediè per tropologiam: tertiò sublimius vt mystica quæque noscamus.* Bernard. *serm.* 13. *in Cantica,* in Scripturis agnoscit hortum, hoc est historiam planam, & simplicem, deindè cellarium, hoc est moralem sensum, & demùm cubiculum siue arcanum theoricæ contemplationis.

Admittendum verò esse sensum mysticum in veteri testamento ne ipsi quidem Iudæi negant, vti pluribus ex ipsorum libris, & commentariis euincit Serarius *capite vigesimoprimo prolegom. quæstione* 8. *proposit.* 1. & in vniuersum quidem concedendum esse, cùm lex vmbram futurorum bonorum habuerit, non ipsam imaginem: in singulis tamen etiam minutissimis particulis inuestigandum non esse nuper monuimus, ex ipso etiam Augustino, contra molestam & ineptam Origenis, & aliorum quorumdam sollicitudinem. In nouo quoque Testamento, sensus quoque mysticos & allegoricos aliquandò reperiri docet illud Paul. ad Hebræos cap. 12. vers. 13. *Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes.* Sæpissimè volunt Patres Christum ita veteres prophetias implesse, vt ipse initium esset futuræ. Locum PP. Dionysij, Ambrosij, Chrysostomi, Augustini, signat Serarius *capite vigesimoprimo prolegom. quæstione* 8. Vide etiam Molin. 1. *part. quæstione* 1. *art.* 10. *disp.* 4. *sub fin.* neque solum in sacris Scripturis sensum istum mysticum, & spiritualem, allegoricum, anagogicum, & tropologicum admittendum esse, ex Patrum mente, atque ipsius Pauli exemplo contendimus; sed etiam in solis illis vsurpandum, & quærendum esse volunt, S. Thom. 1. *part. quæstione* 1. *art.* 10. & alij, *cùm,* inquit S. Doctor. *in omnibus scientiis, voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsa res significata per voces, etiam significant aliquid.* Nam fabulæ, emblemata, ænigmata, hyeroglyphica, symbola quidpiam significant, quod Macrob. *in somnium Scipionis lib.* 1. *capite secundo,* pluribus & fusiùs differit; quod vlterò fatemur. Verùm discrimen inter Scripturam, & cætera eiusmodi enumerata, aliquod ponimus, quòd Deus voluerit vt plurimum rebus loqui, vti constat ex omnibus Scripturis; nam nisi illæ nobis indicarent, non haberemus vndè eum loquendi modum Deo proprium affirmaremus, cùm hominibus quoque communem, & ab illis vsurpatum esse constet. Quod autem diximus hunc esse solemnem Dei, & Scripturæ vsum vt rebus ipsis loquatur, probat Molina 1. *part. quæstione* 1. *art.* 10. *disp.* 4. dum triplicis illius sensus allegorici, anagogici, & tropologici hactenus allati exempla ex ipsa Scriptura, interprete Christo, & Apostolis nobis suppeditat. Nam *Matthæi* 12. Christus Ionam in typum, & signum suæ mortis, sepulturæ, & resurrectionis affert. Ioan. *capite tertio,* serpentem æneum à Mose in typum Christi in crucem exaltati adducit, quæ de agno Paschali scribuntur ex *capite* 12. in Christo impleta fuisse dicuntur Ioan. *capite* 19. quod Ose. *capite* 11. scribitur de redito populi Israël de Ægypto, impletum dicitur Matth. *capite secundo* in regressu pueri Iesu ex Ægypto. Illud Genes. *capite secundo. Erunt duo in carne vna.* Paul. *ad Ephes. capite quinto,* dicit esse magnum sacramentum in Christo, & Ecclesia. Paul. 1. *ad Cor. capite* 10. post longam rerum gestarum narrationem concludit quod nuper attulimus, *omnia in figura contingebant illis: ad Galatas* autem 4. quæ de Abrahamo, & duobus eius filiis Isaaco & Ismaële enarrantur, dicit esse per allegoriam dicta, & typicè esse duo testamenta, Melchisedecis sacerdotium fuisse Christi summi sacerdotis expressum typum, pluribus exponit idem Paul. ad *Heb. cap.* 7. 8. 9. & 10. vbi concludit legem habere vmbram futurorum, non autem ipsam imaginem rerum. Ex quibus omnibus

nibus vides præter ipsum sensum qui ex primo aspectu litteræ apparet, alium magis reconditum, & ex ipsa rerum per voces significatarum, allegoria quærendum esse. De morali, & tropologico sensu exemplum habemus *Luc.* 17. vbi Christus, *Memores estote vxoris Lot*: quod enim respiciens retrò in statuam salis versa sit, moniti sunt cæteri ne respicerent retrò, & relicta vitia, aut malos mores iterum repeterent: &, vt ait Paul. 1. ad Corinth. 10. *Hæc in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.*

3 De anagogico sensu habes ad Galat. 4. *illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est quæ est mater nostra*, & ad *Heb.* 9. introitum sacerdotis in vetus tabernaculum, fuisse typum Christi in tabernaculum non manu factum, & ipsum cœlum per mortem suam vt nunc appareat vultui Dei pro nobis docet idem Paulus. Quare Driedo *libro secundo de Ecclesiasticis dogmatibus capite secundo.* Molin. *loco citato* & alij legem veterem multò Dei summa maiestate digniorem esse dicunt, si in sensu mystico, & spirituali earum rerum, quarum typum gerebat, accipiatur, quam in solo litterali sensu, quem vocum cortex præfert, exponatur; immò pluribus in rebus inepta, & insulsa videretur, vti obseruat Scot. *quæstione* 2. *prologi.* Ex his verò omnibus sensum mysticum, & spiritualem, siue allegoricus, siue anagogicus, siue demum tropologicus sit fundari debet in sensu litterali; alioquin qui illo non nititur, sensus Scripturæ non est, sed ipsius interpretis commentum. Ita Molina *disp.* 4. *cit.* S. Thoma *loco citato*, Gillius *libro primo tract.* 7. *capite tertio numero secundo.* & alij ab iis adducti: sapienter enim Chrys. *proœm. in psal. non aduersatur historia sublimiori contemplationi, sed contrà, ea est basis, & fundamentum altiorum intelligentiarum.* Monetque Gregor. hom. 40. in Euangl. *In verbis sancti eloquij, fratres charissimi, prius seruanda est veritas historiæ, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriæ: tunc namque allegoriæ fructus suauiter carpitur, cùm priùs per historiam in veritatis radice solidatur. Et homilia* 15. *in Ezechiel.* litteram ait esse lumen exterius sacræ Scripturæ, allegoriam verò lumē interius, *quia per litteram ad allegoriam tendimus.* Atque horum omnium ratio euidens est, ex hactenus disputatis: sensus enim mysticus non proximè & immediatè significatur per verba Scripturæ, sed per res quas voces, & verba primò significant. Quare si hic sensus non supponit historiæ veritatem, non significatur eo Scripturæ loco, neque proximè, quia non est sensus litteralis, neque etiam remotè & mysticè, quia non significatur per rem quæ est immediatum obiectum sensus litteralis, siue historici, quod obiectum tunc nullum est. Quare reiiciendi sunt qui pro arbitrio sensus mysticos sæpius sibi fingunt, etiam contra litteralem.

4 Vnde oritur alia quæstio: cùm enim dixerimus sensum litteralem esse intentum à Spiritu sancto, qui illum per verba impropriè & metaphoricè accepta voluerit significare, an id perpetuò verum sit, & necessarium, iure quæritur, quod idem de ipsumet scriptore sacro petitur, quod ita concedendum esse videri poterit, quia cum voces siue scriptæ, siue pronuntiatæ sint signa conceptuum, aliam veritatem aut falsitatem continere non possunt, quam quæ est in mente loquentis, aut scribentis, siue sit Deus, siue sacer Scripturæ author. Si enim tuam Epistolam alio sensu interpreter, quam tu ad me scripseris, dicere non possum me verum & legitimum sensum tuæ Epistolæ vna mea interpretatione reddidisse, aut assecutum fuisse. Deinde, cum veri sensus diuinæ scripturæ infallibilem authoritatem eam habere nequeunt, nisi ex diuina reuelatione, quæ profectò non fit Scriptori sacro nisi ipse capiat, & saltem intelligat sententiam, quam Spiritus sanctus intendit, alioquin illa non erit reuelata quoad veritatem, cùm non innotescat, quandiù obiectum reuelatum ignoratur. Ioseph *Genes.* 41. per somnium septem vaccarum & septem spicarum, aperit Pharaoni annorum consequentium fœcunditatem, & sterilitatem, & quandiù Pharao ignorauit eam significstionem, non fuit completa reuelatio, neque sufficiens argumentum cognoscendi, & præsagiendi eam sterilitatem, & vbertatem. Quod idem verum quandò quidpiam in sensu figurato, & tropico significatur & reuelatur; si enim is, cui fit reuelatio, non nouit habitudinem signi, & figuræ ad rem figuratam, & per eum tropum expressam, malè dicitur reuelatam illi fuisse eam veritatem signi, & figuræ, & illum sensum mysticum eius scriptoris esse, cùm eum neque intenderit, neque inde potuerit per ea verba siue propriè, siue impropriè, & tropicè accepea intelligere.

Et quidem quoad primum auctorem sacræ Scripturæ fatentur passim omnes cum sancto Thoma, *prima parte, quæstione prima, articulo decimo, & quæstion.* 4. *de potent.* & *aliis.* illum non modò sensum litteralem, sed etiam mysticum intendisse, quia S. Spiritus non modò voces, sed & res ipsas accommodat ad quidpiam significandum, & non verbis solum, sed & rebus ipsis loquitur, vti nuper dicebamus. Eóque trahunt illud *Sapient. capite septimo vers.* 13. Spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex; siquidem vnica littera plures habet subiectos sibi sensus; & litteræ meæ, aut orationis sensus profectò non est quem meis litteris, aut vocibus significare non intendo: quare sanctus Thomas, *quæstione quarta, de potentia, articul.* 21. videtur docere veritatem omnem, quæ illæsâ litterâ potest diuinæ Scripturæ adaptari, facere sensum intentum à Spiritu sancto: nouerat enim ille eiusmodi expositionem, quæ cum vera sit & litteræ congruat, ab illo intendi & verè intendi potuit: quid enim repugnat, & quis affirmet, omnes sensus à diuino spiritu intentos fuisse hactenùs ab expositoribus obseruatos & non alios potuisse intendi? Cur enim diuinam intelligentiam angustis mentis nostræ terminis arctanda erit? rectè enim Augustinus *libro tertio de doctrina Christiana, capite vigesimoseptimo*, ait: *Quando autem ex eisdem Scripturæ verbis non vnum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi lateat quid senserit ille, qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati, ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest; id tamen eo conante qui diuina scrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur auctoris, per quem scripta illa sanctus operatus est Spiritus, siue hoc assequatur aliam sententiam de illis verbis quæ fidei certæ non refragatur, exculpat, testimonium habens à quocunque alio loco diuinorum eloquiorum: ille quippe auctor in eisdem verbis quæ intelligere volumus & istam sententiam fortassis vidit, & certè Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori, vel auditori sine dubitatione præuidit; immò vt occurreret, quia & ipsa veritati subnixa est prouidè nam quidem diuinis eloquiis largius, vberiùs potuit diuinitùs prouideri, quàm vt eadē verba pluribus intelligantur modis, quos alio minus diuina contestantia faciant approbari.* Vides igitur Augustinum non

dubitasse vtrùm sacer scriptor sensus omnes ab expositoribus datos intellexerit; non dubitasse tamen vtrùm Spiritus sanctus omnes illos intenderit nimirum, vt ego interpretor intenderit afferri posse; ea enim est diuinæ Scripturæ profunditas, & obscuritas; non tamen quemlibet allatum sensum voluerit tanquam legitimum & litteralem, sed tanquam mysticum, quoties non erit litteræ impertinens, illique commodè poterit adaptari: quod fusiùs explicat Henric. *in summa art.* 16. *quæst.* 16. *quæst.* 6. est verò impertinens quoties non congruit litteræ circomstantiis, quæ aliud potiùs indicant; vel non facit ad intentionem litteræ, quæ tota tendit ad fidei & morum ædificationem. Hunc sensum alienum & extrinsecum nominat Clemens primus *Epistolá* 5. & refertur *capite, relatum, distinctione trigesimaseptima*, contra prauas & arbitrarias Scripturarum interpretationes disputans, *Diligenter*, inquit, *obseruandum vt lex Dei cùm legitur, non secundùm propriam ingenij intelligentiam legatur, aut doceatur: sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit, sed fieri non oportet. Non enim sensum quem extrinsecus adulteretis, alienum, & extraneū debetis quærere, aut quoquomodo eum Scripturarum auctoritate confirmare; sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis; & ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruauit, vt ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere. Cùm ex diuinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus studiis quæ forte in pueritia attigit ad assertionem veri dogmatis conferat: ita tamen vt vbi vera didicerit, falsa, & simulata declinet.* Quæ sapientissimi sanctissimíque Clementis regula in exponendis Scripturis perpetuò seruanda, tenendaque est, alioquin non attingitur verus Scripturæ sensus, cùm vel sit contra intentionem Scripturæ, quia vel non ædificat, & non conducit ad finem charitatis, vel alienus est à mente sacri Scriptoris. Quod iterum monet Bernard. serm. 5. in Cant. *Non sanè à prudente de diuersitate sensuum iudicabor, dummodo veritas vbique patrocinetur, & charitas cui Scripturas seruire oportet, eò ædificetur, quò plures ex eis in summopus veros erudierit.* Ex quibus monet Gill. *tract.* 7. *cit. cap.* 3. *numero septimo sub fin.* licèt certum sit Spiritum sanctum præuidisse omnes sensus ab interpretibus afferendos; non tamen constare omnes eos sensus accommodatos esse litteræ, nec proindè sensus omnes mysticos communiter traditos, & ab Spiritu sancto intentos esse, quamvis pij sint & fidei ac moribus consentiant. An verò scriptor ipse immediatus Scripturæ v. g. Moses, intellexerit, & intenderit sensus Scripturæ non exigua lis est: quidam enim cum Albert. *in* 1. *distinctione decimoquinto, art.* 5. volunt intellexisse sensum litteralem, non mysticum, qui est à Spiritu sancto illuminante: verius tamen S. Thom. *quodlibet.* 7. *quæstione* 6. *articulo decimoquarto ad quintum & quæstione* 4. *de potentia articulo* 2. aliique quibus adhæsit Gill. *capite decimotertio cit. numero* 8. dixit nihil repugnare, quominus sacer scriptor aliquos eiusmodi sensus mysticos agnouerit: nihil tamen necesse esse vt omnes intellexerit. Primùm probat ex August. *lib. de mendacio, capite quinto*, cùm enim loquatur de quibusdam veteris Testamenti figuris, quibus eorum, quæ in nouo Testamento euenerunt, continebantur prædictiones, ait, sanctos illos prophetice hæc egisse, dixisse, de eodémque prophetico spiritu conscripsisse, quare videtur existimasse eos habuisse prævisionem rerum figuratarum in figuris; quas vel ipsi exibebant vel scribebant. *Credendum est*, inquit, *illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur, omnia quæ scripta sunt de illis propheticè gessisse, atque dixisse, nec minus prophetico eis accidisse quæcumque sic acciderant, vt eodem prophetico spiritu memoriæ, litterísque mandanda iudicarentur.* Quæ tamen sancti Doctoris verba aliud non probant, quàm multa & dicta, & gesta à veteribus fuisse, prophetice; quod rerum deindè probauit euentus. Neque aliud voluit, cum dixit Augustin. quàm veterum illorum dicta, & gesta prophetica fuisse, siue prophetico spiritu dicta & gesta fuisse, non tamen ab illis ea præuisa & intellecta fuisse, cùm dicerentur, aut fierent; quod tamen vnum modo quæritur: neque negamus id facilè Deo fuisse, nullámque in eo absurditatem reperiri vltrò concedimus, vnde tamen non sequitur id ita factum fuisse. Fatemur etiam sensum litteralem intendi à scriptore Canonico, non verò sensum mysticum, quamvis & illum quandóque intelligere potuerit, licèt id omninò necessarium non videatur, neque ad diuinam reuelationem aliud necessariò requiritur, quàm vt signum à Deo positum ab aliquo tandem, & aliquandò intelligatur, licèt non necessariò intelligatur ab eo cui illud signum manifestatur, & figura exhibetur: si enim princeps ad Ducem exercitus mittat signum, quod ipse probè intelligat, licèt nuntius illum non norit, dicetur tamen Duci suam mentem, & voluntatem significasse, Diuinæ reuelationis certitudo non pendet ex eius, cui fit reuelatio tanquam internuntio, immediatè notitia. Dici quoque potest reuelata fuisse in mysticum intelligentiæ sensum figuræ, si illi reuelata est figura, nimirum in illa figuratum fuit reuelatum, mediatè nimirùm, & implicitè in ipsa figura, atque ita sæpiùs loquitur Scriptura: nam *Genes.* 41. reuelata est in somnio consequentium annorum vbertas, & sterilitas Pharaonis, licèt somnij sui interpretationem nondùm à Ioseph audiisset: & *Daniel.* 2. nondum erat explicata Nabuchodonosori significatio statuæ, quam viderat; ait tamen Daniel Deum reuelasse Regi mysteria, & indicasse, quæ sunt futura in nouissimis temporibus, quæ nimirùm in illa statua figurabantur. Itaque quod scriptor sacer intelligat, aut intendat sensum mysticum, id nihil facit ad firmitatem & veritatem reuelationis.

Præter sensus scripturæ hactenus enumeratos, est & alius quidam satis frequens, quem accommodatitium nominant, qui (vt ait Vasquez *prima parte, disputatione decimaquarta, capite primo*,) est verborum scripturæ per quandam extensionem applicatio; licet eam rem sacer scriptor illis verbis non intellexit nec significare voluit, nec primariò & historicè, nec secundariò & mysticè, quem sensum accommodatitium communem & frequentem esse etiam in Ecclesia, & Patribus probat idem Vasquez; illod enim *Ecclesiastic. capite* 44. de Noë dictum: *Inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, de omnibus Confessoribus Pontificibus canit Ecclesia, quod Ioann. *Apocalyp. vndecimo* de duobus viris prophetaturis per dies 260. tempore Antichristi dixit: *Hi sunt duæ oliuæ & duo candelebra. &c.* De Iosedech, & Zorobabele dixerat olim Zacharias *cap.* 4. & multi Doctores existimant dictum à Ioanne de Enoch, & Elia, vt videas vnum

aliquandò

aliquandò sacrum Scriptorem, alterius verba vsurpare, & ad alium aliquem accommodare. De hoc sensu eruditè Vasq. disput. 4. cit. vbi de eiua sensus vsu etiam in scripturis; & Serarius cap. 21. prolegom. quæst. 14. vultque illum à Theodoro Mopsuesteno vocatum κατ᾽ ἔκβασιν, seruandum euentum, seu prout rerum euentus dedit: à Cajetano *in opusc. de vsu sacrorum Scripturarum*, sensum transumptum. Euangelium de Magdalena & Martha sororibus, quod die assumptæ Virginis Ecclesia recitat, sensus istius vsum comprobat. Hic verò sensus potest benè vsurpari quandò ad res bonas & bono fine fit eorum verborum traductio, quod in concionibus frequenter à Patribus factum docet Vasquez *disputat. cit. cap. 1.* malè quoque & ineptè eiusmodi sensu dixit Serarius; quia *cit. quæst.* quando ad facetias & spurcitias, sacræ scripturæ verba torquentur, quod damnat Tridentin. *sessione 4. sub finem.* Secundò si qui hunc sensum tanquam literalem & mysticum proponunt & iactant, quos carpit Hieronym. Epistola ad Paulin. *Taceo de mei similibus qui si fortè ad Scripturas sanctas post seculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant. Nec scire dignantur quid prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit & non vitiosissimum docendi genus deprauare sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem, quasi non legerimus Homerocentones & Virgiliocentonas; ac non sic* etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, qui scripserit:

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Puerilia sunt hæc & circulatorum ludo similia, docere quod ignores; imo, vt cum stomacho loquar, nec hoc quidem scire quod nescias. Tertiò cum quis sensum verè litteralem & mysticum accommodatitium, & natiuum esse doceat, quod faciebat Theodotus Mopsuestenus, vt iam monui, & Turrian. *libro secundo in constit. Apostolic. Clement. cap. 5.* & ex eo Vasquez *disputat. 56. capite 4.* ac Serarius mox allatus fusè. Quartò denique cùm quis per eam accommodationem falsum & impium sensum diuinæ scripturæ affingit, quod ex Beza fecisse Michaëlem Seruetum refert *ibi* Serarius.

QVÆSTIO III.

Probatur principium, quæst. 1. *positum.*

1 EX variis scripturæ sensibus hactenus breuiter explicatis non fuerit operosum principium, quod *quæstione prima* posuimus, confirmare, nimirum ex solo litterali sensu à Spiritu sancto intento, siue per verba propriè, siue tropicè accepta constare de iure diuino positiuo, quod ex aliis sensibus efficaciter colligi non potest; quod ipsum affirmant S. Thom. 1. *part. quæst. 1. art. 10. ad primum.* atque eius interpretes & discipuli, Bellarmin. *lib. 3. de verbo Dei. cap. 3.* Salmeron *prolog. 19.* aliique deinceps, quos dabit Gill. *tractat. 7. cap. 55. numero 3.* Serarius *prologom. cap. 21. quæst. 10.* contra Michaël. Medin. *lib. 6. de recta in Deum fide.* qui per sensum mysticum vult solidè probari mysteria fidei, quia ille sensus & verus, & intentus à Spiritu sancto est, ideoque in discursu Theologico efficaciter vtiliterque adhiberi potest: neque illi magis licebit refragari, quàm sensui merè litterali, cùm ambo intenti sint ab auctore Scripturæ, & ab illo significentur per verba propria, aut tropica, vel immediatè & proximè, si verba sint propria; vel mediatè, & remotè, si sint tropica, quia significatur per res per propria verba significatas, vti fuit supra expositum. Communis tamen sententia manifesta videtur; quia sensus mysticus dumtaxat, si non sit simul litteralis, neque intentus est à Spiritu sancto, neque verus scripturæ sensus: signi siquidem sensus, siue significatio non est, quem quilibet videns signum potest illi affingere, sed qui intenditur ab illo, qui tale signum ponit, quod vult esse sui conceptus expressiuum, non autem ille qui eiusmodi signo ab alio posito vtitur.

2 Hæc Doctorum dissidia facillimè conciliabis, si aduertas sensum omnem siue litteralem, siue mysticum intentum à Spiritu sancto, habere infallibilem veritatem, & omnium auctoritatem secundùm se, quia nititur infallibili reuelatione diuinâ, non tamen secundùm nos, nisi nobis constet illum intentum esse ab eodem Spiritu sancto, sacræ Scripturæ auctore. Itaque vt sensus aliquis intentus à Spiritu sancto, & idcircò infallibiter verus habeatur, nobis constare debet, Deum voluisse nobis illum, per verbum significare, ac proindè niti diuinâ reuelatione, vel auctoritate; quod voluit S. Thoma *quodlibet. 1. quæstione 6. art. 14. ad 4.* dum ait ex sensu mystico non erui efficax argumentum; & id non oriri ex defectu auctoritatis, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur; quæ cùm possit pluribus adaptari, ideo incertum omninò est cui primò & per se adaptetur ex mente Spiritus sancti. Quare tota difficultas est vt nobis constet verùm sensus litteralis sit ad mentem Spiritus sancti, & sensus mysticus, qui in eo latet, cùm tam variè à doctoribus, & piis, & eruditis exponatur, ideo manet mens ambigua, an ille sensus non litteralis intendatur à Spiritu sancto, & quia illorum sensuum, an verò vterque habeat irrefragabilem auctoritatem ad dogmata definienda; ideóque vt iudicemus vtrùm sensus litteralis, an mysticus sit intentus à Spiritu sancto, certa regula quærenda erit. Vbi enim de illa constiterit, constabit etiam ex illo loco certum, & efficax argumentum fidei deduci, neque illi sine culpa posse repugnari.

3 Cum verò duplex, vti ostendimus, sit sensus litteralis vnus simplex, alter parabolicus, & metaphoricus, vterque non æquè euidenter cognoscitur esse intentus à Spiritu sancto, atque adeò non habet infallibilem auctoritatem quoad nos, licèt secundùm se habeat.

4 Sensus litteralis proprius & simplex vt plurimum constat ex Ecclesia, & proindè nobis applicari potest tamquam sententia à Deo reuelata, ideóque præbet argumentum infallibile Theologo. Sic ostendit vnitatem Dei ex Deut. 6. *Audi, Israel; Dominus Deus noster Dominus vnus est:* & incarnationem Verbi ex cap. 1. Ioan. *Verbum caro factum est*; nam qui hæc & alia eiusmodi negaret, ageret profectò contra mentem eius qui illa scripsit. Si verò sensus iste obscurus esset, neque ex certa aliqua regula nobis constaret an esset intentus à Spiritu sancto, non haberet infallibilem auctoritatem, neque infallibilem assensum gignere posset, & tunc suspendendus foret assensus, & non facilè præcipitanda sententia, statuendo quidpiam esse de fide, quod neque verum est, vel negando quod de fide est, & infallibile.

5 Sensus litteralis, figuratus, parabolicus, & metaphoricus aliquando æquè clarus, & perceptibilis est atque sensus proprius & simplex, vt, prata rident, quid facit lætas segetes, & Isai. 16. *Mitte agnum dominatorem terræ.* Psal. 33. *Oculi Domini super iustos*, & eiusmodi sensus ferè consistit in translatione & metaphora vnius alicuius vocis; quæ translatio vulgò ferè cognita est. Alij verò sensus parabolici sunt in toto filo & contextu orationis, v.g. parabola zizaniorum, seminis in viam, & spinas, ac bonam terram iacti; cuius sensus obscurus erat Apostolis, qui idcircò rogarunt Christum, vt illam ipsis edissereret. Ex vtroque isto sensu litterali duci potest efficax argumentum, modò de illo constet, quod passim obuium est, v.gr. *Ierem.* 18. ait Dominus: *Si gens illa pœnitentiam egerit, & ego pœnitentiam agam*, nemo non videt inde efficaciter probari de fide Deum parcere verè pœnitentibus; illa tamen verba, *pœnitentiam agam*, non dicuntur propriè de Deo, sed dumtaxat per metaphoram, vt vides: similiáque occurrunt in scripturis, in quibus Deo tribuuntur, quæ illi quoque conuenire non possunt, sed per quandam metaphoram. August. *lib. contra Donatistas post collationem*, bonos permixtos esse bonis in Ecclesia probat. Quia verò hic sensus obscurus est, & incertus, non potest suppeditare firmum argumentum. Quare symbolicam Theologiam minimè esse argumentatiuam monet Dionysius; symboli enim, signi, & metaphoræ significatio varia est, incerta, & multiplex, ex qua proinde quisnam eliciat infallibilem veritatem? Diuersis itaque rebus à singulis Expositoribus solet accommodari; quare in illis mens perpetuò fluctuat quid in eiusmodi parabolis intendat Spiritus sanctus, & ferè dubitat in singulis parabolæ partibus; quod diuersæ Doctorum circa illas singulas interpretationes ostendunt, & totus liber Cantici Canticorum, qui continuam parabolam continet manifestò docet, in illo enim & proprius sensus litteralis, & allegoricus, siue parabolicus obscurus omninò est & abstrusus; quare nisi aliundè constet de vero illius significato, & à Spiritu sancto intendi, non præbebit argumentum efficax ad dogma aliquod probandum.

6 Itaque sensus non præcisè quia mysticus est inefficaciter probat; nam eiusmodi sensus potest esse litteralis, sed non proprius & simplex. Verùm quia hic sensus obscurus est, & non apparet an fuerit ille, vel alius intentus à Spiritu sancto, à quo solo accipit veritatem, infallibilitatem, & auctoritatem, sed de eo nobis constare debet ex penetratione verborum, claritate, vel ex alio scripturæ loco, Ecclesiæ definitione & norma, vel denique alio aliquo quopiam modo; eius enim obscuritas facit, vt licet reuerà sit intentus à sancto Spiritu, ac proindè infallibilis, & habeat irrefragabilem auctoritatem secundùm se, non tamen secundùm nos, sed tamen habet quoties in alio Scripturæ loco idem constat, vti sæpiùs contingit: verbi gratia, *ad Roman. 9.* Iacob & Esaü assumit, Paul. in figuram populi Iudaici, & Gentilis, & idcircò ex Malach. 1. *Iacob dilexi; Esau autem odio habui*: rectè concludimus vocationem gentium, & reprobationem Synagogæ. Matthæi *capite secundo*, ait impletum esse illud Oseę 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, Christo & fuga Ægyptiaca in Israëlitidem redeunte, ex quo sensu, qui mysticus omninò est, infallibiliter constat reditus Christi ex Ægypto: vnde non sequitur, vt monui, ex omni, & quolibet sensu mystico sumi efficax argumentum, quod euidens ratio demonstrat; vbi enim signum aliquod indifferens est ad plura significanda, & ex instituto impositum est ad vnum aliquod determinatè, significandum, nihil significat certò iis, qui eiusmodi impositionem & determinationem ignorant, neque ex eo signo possunt ad aliquid determinatum efficaciter arguere: atqui verba Scripturæ, quibus continetur sensus mysticus, non sunt signa naturalia, & ex se determinata ad significanda obiecta sensûs mystici, sed indifferentia, & ex Dei arbitrio, qui intendit per illa significare obiecta sensu mystico significata. Non possumus igitur ad certam significationem verè & infallibiliter ea applicare nisi constet nobis de diuina intentione, qui voluerit eiusmodi signa & verba, siue allegoriam & metaphoram ad vnum, & non ad aliud determinatè applicare, maximè verò cùm eadem verba habeant suum sensum litteralem, & proprium. Cur igitur recurremus ad sensum mysticum, & ad vnum determinatum ex innumeris, qui fingi & cogitari possent, nisi sit ea rerum circumstantia quæ ad id cogat? Nam ea sola lectione scripturæ id non habebamus in cóque non malè discrimen aliquod inter sensum litteralem, & mysticum constituere licet, quod quamuis sensus tum litteralis, tum spiritualis, & mysticus sæpè sint obscuri, & lateant propter obscuritatem & profunditatem mysteriorum in littera latentium, sæpius tamen litteralis apertus est, & ex sola diligenti lectione deprehenditur, vt videmus in Euangeliis & in pluribus mysteriis, quæ legenti panduntur. At verò sensus spiritualis, & mysticus latet, neque ex sola Scripturæ lectione manifestus fit, vt nisi quando vnus locus alterius allegoriam ac tropum exponit. Quare sensum litteralem cortici, spiritualem nucleo comparant Bernard. *sermon. 4. in Cantica*; Nazianzen. *Epistola ad Nemes.* atque ita conciliantur diuersæ sententiæ. Qui enim negant ex sensu mystico duci efficax argumentum ad quidpiam probandum, loquuntur de sensu mystico vt præcisè mysticus est, & quem non constat esse intentum à Spiritu sancto, vel communi Ecclesiæ definitione, vel ex aliquo alio scripturæ loco, vel ex communi loquendi modo accepta metaphora, quæ passim obuia est, atque alibi à scriptura in simili sensu vsurpata, vel quando finis allegoriæ, aut eius contextus id ferunt, & aliter absque errore explicari rectè & opportunè non potest. Qui verò volunt hunc sensum efficaciter probare, agunt de sensu mystico quem à Spiritu sancto intentum esse constat aliquo ex modis recensitis; tunc enim habet infallibilem auctoritatem & secundùm se & secundùm nos, quæ duo non semper necessariò coniunguntur, neque contrarium probat exemplum sancti Pauli, qui sæpiùs ex sensu nostro mystico argumentatur, cùm enim Paulus afflatus Spiritu sancto scribat & illa scripturæ loca mysticè exponat secundùm sensum mysticum, eo ipso nobis constat de veritate illius, & intentione Spiritus sancti; vnde iure colligimus omnes sensus alios, vt mysticos eiusdem generis, & in Euangelio vel alia scriptura canonica traditos; paris omninò auctoritatis esse cum iis, qui à Paolo traditi & allati sunt.

Obserua verò in Scriptura contentas quasdam argumentationes explicitè vel implicitè duobus modis considerari posse, primò vt humano discursu fieri & colligi possunt, & sic non sunt semper necessariæ, siue non necessariò & demonstrabiliter inferunt, vt dum Paul. 1. ad Corinthios 15. ex Christi resurrectione nostram futuram concludit: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Nam non repugnabat Christum solum & non alios mortuos resurgere, quare nisi reuelatum esset Christi resurrectionem esse causam futuræ nostræ, tota ea Pauli argumentatio probabilis tantùm foret, &

non

non demonstratiua, qualem tamen esse fatemur, cùm ex instinctu diuino, facta fuerit: ideóque conuexio antecedentis & consequentis à Deo reuelata infallibilis omninò dicenda sit, quæ seclusâ tàdem diuinâ reuelatione probabilis tantùm nobis foret. Eodem modo idem Paul. *ad Hebræos* 1. colligit diuinitatem Christi, ex illo 2. *Regum capite* 7. & ex 1. *Paralipomenon, capite* 22. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quæ verba ad litteram de Salomone dicta erant, quia iam apud omnes vulgò receptum erat Salomonem fuisse typum & figuram Christi, quare apud omnes valebat Pauli argumentatio; alioquin in toto eo & simili discursu Paulus arguit tanquam magister, supponítque veritatem antecedentis sibi tanquam certam & reuelatam, ex eóque antecedente infert consequens, vt cùm ex illo Deuteronomij 28. *Non alligabis os bouis triturantis*, colligit Euangelij prædicatores de Euangelio & ex illo sustentari debere, illum locum mysticè exponens: *Nunquid de bobus cura est?* Supponit quippè boues triturantes esse typum concionatorum Euangelij. Sic pleraque alia magistraliter ponit, non tam probando quàm Apostolicâ auctoritate constituendo, asserendo, vel docendo: nobis verò non licèt eiusmodi sensus mysticos tanquam à Spiritu sancto intentos, vel supponere, vel asserere, vt ex illis deindè verè, & solidè aliud aliquid colligamus & inferamus. Quare eæ omnes argumentationes parùm efficaces sunt, cùm ex propria intellectûs perspicacia inferantur, nisi antecedens, quod habeamus ex sensu mystico, vel ex alio scripturæ loco, vel ex definitione Ecclesiæ, vel ex communi acceptione & verborum tropo passim intelligatur, aut sensus ille mysticus quo continetur antecedens argumentationis nostræ, intentus sit à Spiritu sancto quocunque modo certè intelligatur. Manet igitur quod diximus, sensus mysticos, nisi aliundè constet, deduci non posse ex solo loco, illiúsque lectione, & naturali discursu absque diuina inspiratione; sensus tamen litteralis, siue simplex, siue figuratus, & parabolicus non indiget alio testimonio reuelato, vt patet ex sexcentis locis, ac proindè verum esse nostrum principium; ex solo litterali sensu duci argumentum efficax. Nam si quando ex sensu mystico colligitur, de illo nobis constat esse intentum ab auctore Scripturæ Spiritu sancto, ac proindè esse litteralem siue proprium, siue figuratum, allegoricum, & metaphoricum, vti fuit explicatum.

8 Et litteralis quidem sensus verbis immediatè significatur; mysticus autem mediatè tantùm per res verbis significatas, vt dictum fuit, litteralis basis & fundamentum est sensûs mystici, vti affirmat Hieronym. *in capite* 9. *Amos. & præfat. in Isai. cap.* 13. *& Ezechiel. capite* 40. *& in Epitaphio Paulæ* Gregor. *homil.* 4. *in Euangel.* Litteralis vbique necessariò reperitur, non item mysticus: vnus primò & præcipuè intenditur à Deo: mysticus secundariò, & quodammodò minùs principaliter; quod ex varia vtriusque comparatione diiudicandum erit: nam Paulus 1. *Corinth. cap.* 9. *vers.* 9. *&* 10. docuit Deum primò, & principaliùs sensum tropologicum de concionatoribus intendisse, quam litteralem de bobus, cum iussit *Deuteron.* 28. non alligari os bouis triturantis: *Nunquid* (ait) *de bobus cura est Deo; an propter nos vtique dicit?* Quis neget Christianæ fidei mysteria, quæ in veteri Testamento figurata sunt, præstantiora fuisse illis typis ac figuris, ac proindè à Deo priùs & magis intenta, vti disertè affirmat Augustin. *libro primo contra aduersarium legis, capite* 13. quamuis id perpetuum non sit: nam aliquandò, non semper magis intendit Deus sensum mysticum, quàm rem ipsam, quam significat, quæ & maior & nobilior est: verbi gratia, Christus extra portam passus est *Matth.* 21. *Marc.* 18. *Luc.* 28. *Ioan. capite* 19. quod tropologicè interpretatus est Paulus ad Hebræos, *Vt exiremus ad illum extra castra.* Quis verò neget Deum non priùs & principaliùs eam Christi passionem extra portam voluisse & intendisse, quàm eam Pauli tropologiam, quamuis vtramque fateamur esse à Spiritu sancto, id tamen rariùs, ideóque dicitur passim sensus mysticus & priùs intentus à Spiritu sancto, licèt quoad primariam significationem semper litteralis spectetur, atque id tantùm voluerunt Adam. *præfat. in Isai.* & Vasq. 1. *part. quæst.* 1. *disput.* 16. *capite* 1. *& disput.* 17. *capite secundo.* Denique sensus mysticus abstrusior, occultiórque est, litteralis autem clarior, & ipsa vocum notione apertior, ex eóque semper firmum ducitur argumentum; ex mystico verò non nisi ab alia scriptura, alióve testimonio certam & infallibilem auctoritatem habente confirmetur: quare vt cæteros Patres omittamus, D. Hieronym. *in Matth. capite* 13. de fermento agens quod fœmina tribus farinæ satis miscuerat, & quod aliqui ad Trinitatem referebant, ait, *Pius quidem sensus: sed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.*

9 In vsu porrò frequenti sensus mystici, eiúsque commendatione plurimi fuere Patres etiam grauiores; quos dabit Serarius *proleg. capite* 21. *quæst.* 21. ita vt in varias non modò Heterodoxorum, sed etiam Orthodoxorum calumnias, quas *ibidem* refert Serarius, incurrerint. Verùm cum ex iis nihil contra fidem eliciant, neque fidem historiæ tollant, neque quidquam ex historiæ falsata vel ignorata, ad sensum mysticum fingant, immeritò arguuntur Patres ab ineptis hominibus, vt ostendit Serarius *quæstione* 11. *citata.*

10 Vna restare videtur quæstio, an plures tum litterales sensus, tùm etiam sensus mystici, iisdem scripturæ verbis subiiciantur.

11 Quoad litterales, plures eiusdem loci agnoscit Vasq. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 10. quia Deus Scripturæ auctor suo diuino intellectu plures comprehendit, qui tamen inter se non aduersantur, neque distinguendum est, vt quidam volût, inter mediatum & immediatum, principaliùs & secundariò intentum; atque ea in re D. Thomam sequuntur eius Discipuli, & alij plures, quos dabit Serarius *capite* 21. *citat. quæst.* 12. asséritque eam in rem Augustin. pluribus locis, & Bernard. in Cantica, videtúrq; exemplum manifestum Ioan. c. 11. *vers.* 50. vbi Caiphas ait: *Expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Cuius dicti duplicem dicunt esse sensum; vnum politicum, quem Caïphas suis Senatoribus, alterum Theologicum & Propheticum quem intendebat Spiritus sanctus, vt insinuat Ioan. cùm ait Caïpham prophetasse, licèt nesciret quid diceret, & vterque ille sensus litteralis erat. Deindè quidnam prohibet plura eodem signo immediatè significari, & cur id majestati sacræ Scripturæ negabimus, cùm & eiusmodi loquutiones perfectiores sint, & maioris vtilitatis? Natura paucioribus instrumentis vtitur; vnica species plura obiecta repræsentat Angelis, quo perfectiores sunt: vnicus conceptus infinita ferè significat, quem conceptum nos in plures propter nostram agendi imperfectionem partimur. Quare mirati sunt veteres Iulium Cæsarem, & alios, multis eodem tempore librariis loqui & dictare; quod mirabilius multò fuisset si iisdem litteris & vocabulis diuersa illa sua sensa diuersis hominibus dictare & enuntiare valuissent.

12 Hinc etiam diuina sapientia elucet in scripturis, atque etiam potentia humana excitatur in intelligan-

dis & accuratè voluendis scripturis industria; quò enim magis se fatigat humanus intellectus in eiusmodi exercitatione, eò & plura perspicit & intelligit, maxima cum suauitate & laude. Videmus denique easdem voces tum in variis linguis, tum in vna & eadem diuersa significare; quod notat Augustinus *libro secundo de doctrina Christiana, capite* 24. vbi id demonstrat in voce Bera & voce lege, aut λέγε.

13 Dices, admissa litteratiorum sensuum multitudine, sacram Scripturam fore ambiguam, & fallacem, ac fraudulentam, qualia erant Dæmonum olim oracula: facile siquidem audientem accipere vnum sensum, & loquentem alterum.

14 Respondeò illam orationem esse fallacem, quando quis vnum tantummodò sensum percipi vult ab audiente; vt indè decipiatur: ideóque vtitur verbis ambiguis, & æquiuocis. At verò omnia illa significata quæ subiiciuntur Scripturæ, percipiuntur ab omnibus, neque vsurpantur ab Scriptore sacro, vt legentes decipiantur, & quemcumque sensum accipiant, verum sensum capiant. Neque ea in re potest esse deceptio, aut fallacia, & humanum ingenium diuersorum eiusmodi sensuum capax est, vt patet ex communi etiam consuetudine: indéque diuina prouidentia factum non malè existimant aliqui vt diuinæ scripturæ sine punctis scriberentur, quorum adiectione, & detractione varia fierent significata, variæque translationes, quæ tamen nullam producerent dissensionem doctrinæ & fidei, sed insignem quandam copiam & vbertatem sensuum progenerarent, non oppositionem tamen sibi inuicem aduersantium, vt sapienter aduertit Salmeron *Prolegom.* 8. Quare vtiliter omninò eiusdem loci varias expositiones afferunt catholici Doctores, vel Interpretes, quod monent Origen. *tractatu* 27. *in Matth.* Cassian. *collat.* 8. *capite* 4. & fusiùs August. *libro* 3. *contra Maxim. capite* 22. *lib.* 15. *de Ciuit. capite* 26. *libro primo de doctrina Christiana, capite* 36. *& libro secundo, capite* 27. *libro primo de Trinitat. in Psalm.* 9. *&* 18. *exposit.* 2. *& alibi.* Plures verò istos sensus litterarios Scripturæ scriptori fuisse cognitos affirmant Vasquez, & Salmeron; Serarius verò quosdam dumtaxat patefactos illis esse modo eo, quo Spiritui sancto visum fuit: neque enim omnes æquale lumen accipimus, immò & hos sensus interdùm differre, neque æquales esse perspicuitate, expositionis immediatione, & aliis eiusmodi, in quibus aliqui gradus fiunt. De hac multitudine sensuum litteralium accuratè egit Gill. *libro primo tractat.* 7. *capite* 4. Molina 1. *part. quæst. in prima art.* 10. *disp.* 3. Vasquez 1. *part. disputat.* 17. & *disput.* 18. quo postremo loco expendit quæ solent afferri singillatim ad astruendam multitudinem sensuum litterariorum eiusdem textus & loci scripturæ.

15 Quod attinet ad sensus mysticos plures tum diuersæ speciei, tum eiusdem eidem litteræ subesse, communis est sententia; nam eundem locum allegoricè, tropologicè, & anagogicè explicari posse ostendimus. Et quoad sensus mysticos eiusdem speciei nulla apparet repugnantia: cur enim gemina allegoria concurrere non poterit? nam manna, signum est verbi Dei, *Sapient. capit.* 16. Eucharistiæ quoque figura; & signum est 1. *ad Corinth. cap.* 10.

QVÆSTIO IV.

Regulæ interpretandi Scripturam, & diuinum ius positiuum in eâ traditum.

Ex variis Scripturæ sensibus hactenus explicatis liquet varias esse rationes illam explicandi pro diuersitate sensuum, qui in ea reperiuntur. Cùm verò alibi non habeamus ius diuinum positiuum, quo vel maximè regitur Ecclesia, & cuius aliquam explanationem tradere debet scientia Canonica, siue Hieropolitica necessariò docere debet quomodò ius illud diuinum ex Scriptura colligemus; quod efficaciter non fieri nisi ex sensu litterali nuper diximus. Inquirendum itaque restat quámnam in exponenda scriptura rationem sequi debeamus, vt & sensum litteralem inuestigemus, & ius illud diuinum, quo tenemur, certò habeamus. Inquirimus igitur certas & constantes regulas veræ & solidæ huius interpretationis. Quare tradendi videntur imprimis varij modi huius interpretationis scripturarum, sed paucis omninò, ne videamur hoc loco scripturæ etiam integræ commentarium alieno loco, & temerario suscepisse, deindè paucas regulas tum vniuersales, & toti scripturæ communes, tum particulares, & singulis eius libris proprias breuiter afferemus. 1

Ordior à variis interpretandi modis, de quibus fusè disputat Sixtus Senensis *libro* 3. *Bibliothecæ*: paucis dici potest pro quadruplici sensu hactenùs explicato, quadruplicem esse exponendi scripturas rationem: alij enim sensum litteralem dumtaxat inquirunt, siue simplicem, siue figuratum, parabolicum, & metaphoricum, atque, vt suum Pharum in sacram Scripturam inscripsit Delrio, Glossas litterales scribunt: sic legem Mosis *Deuteron.* 24. *vers.* 1. explicat Christus *Matth. capite* 19. *vers.* 8. *&* 9. contra falsas Hebræorum interpretationes exposuit ad litteram: illi enim interpretabantur, quæ erat mera permissio, & ad quamlibet causam, quæ vxorem minus gratam marito reddebat, extendebant, & solutionem contractûs naturâ suâ indissolubilis admittebant. Volebant enim vxorem ita dimissam ab alio duci posse; quod damnat Christus, & falsam interpretationem in multis emendat. 2

Alij sensum dumtaxat mysticum sectantur, & & vel allegoriam, vel tropologiam, vel anagogiam vbique, sed sæpè inutiliter sectantur, siue hos omnes sensus mysticos vbique perscrutentur, siue modò vnum, modò alterum, quia olim gesta tanquam vmbram futurorum perpetuò exponunt, aut olim gesta ad præsentem vitæ moralem institutionem applicant, aut ad futuræ vitæ cœlestis sublimia mysteria per anagogiam dirigunt. Quod expositionis mysticæ genus Patres interdum sectati sunt, sed interdum, & non continuò, sed datâ occasione: qua in re malè audiit Origen. apud Euseb. & alios, quòd in iis nimius, & ferè continuus fuerit, imitatus Essenos, qui apud Philon. *libro de vita contemplatiua, siue theoretica*, cùm totos dies diuinarum scripturarum lectioni impenderent, illas perpetuò ad spirituales & allegoricos sensus traducebant, exemplo Christi, qui & ipse & eius Discipuli mysticâ expositione vsus est, qui *Matthæi capite* 11. Heliæ vitam, vmbram & typum fuisse Ioannis Baptistæ docet apertè: & Paul. *ad Galat.* 4. Abrahæ filiorum allegoriam de Ecclesiæ filiis exponit, Niniuitarum pœnitentiam, Reginæ Austri ad Salomonem aduentum, ad obstinatissimos, 3

&

& perditissimos Iudæorum mores, atque infractam obstinationem argnendos deriuat Christus: *Matth capite* 11. *vers.* 41. *&* 42. & Paul. 1. *ad Cor. cap.* 10. Hebræos qui in deserto variis cladibus perierunt, ad Iudæos tunc viuentes accommodat. Denique idem Paul. *ad Hebr. capite* 11. *vers.* 13. terram Chananæam fertilem, omnibúsque bonis & deliciis affluentem olim patribus promissam, ad cœlestem patriam, tamdiù expetitam per sensum anagogicum traducit. Quadruplex ista expositio in vniuersum competit vni & eidem loco, vti aliàs diximus, & ostendit Eucher. *libro spiritualium formularum*, aquæ nomine exemplo quod quadruplicem illam expositionem patitur, quod *ibidem* edisserit. Quanquàm Eucherij, Augustini & Hieronymi partitio illa quadruplex diuersa esse videatur, quod distinctiùs explicat Sixtus *loco citato*, qui & addit has omnes expositiones vtiles esse, quamquam sola litteralis, vt monuimus, ad probanda dogmata, & confirmandam fidem vtilis sit, cùm alij omnes sensus mystici eludi facilè queant. Sapienter enim Augustin. Epistola ad Vincentium Donatistam: *Quis autem non impudentissimè nititur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura.* Idémque manifestum fit ex innumeris absurdis quæ mysticæ expositiones ad merum arbitrium, & ex nullo litteræ fundamento excogitatæ apud veteres pepererunt, hodiéque pariunt apud Nouatores, quas dabunt Hæreseologi. Nec minora sequentur incommoda, si mysticam omnem expositionem reiiciamus & solam litteram sectemur: nam vetera etiam, & Iudaïcas vmbras sectabimur, atque ad omnes Iudaicos ritus & ceremonias repetendas damnabimur, & omnia illa vetera, ex quibus & mysteriorum, & nostrorum maiestatem, & morum nostrorum sanctitatem deducebant Patres, inutilia protsus erunt. Quare mediam viam insistamus vehementer hortantur Sixtus & Hieron. *præfat. in Abdiam.* & Augustin. *lib.* 1. *retractat.* vbi agit de duobus libris in Genesin à se contra Manichæos scriptis.

3 His quatuor vulgaris sacræ Scripturæ expositionibus, tres alias addit Sixtus, elementariam, propheticam, licèt in prioribus illis contineri posse videatur. Elementaria circa significationem simplicium elementorum, & litterarum versatur, siue syllabas ipsas repræsentent, siue numerorum indices, vel apud Græcos & Hebræos: primam faciunt resolutoriam & cōponentem: in priori singulæ litteræ singulas dictiones significant, & singulæ per singulas dictiones exponuntur. Dicitur verò resolutoria; quia tota versatur in resolutione elementorum, dum litteras propositæ dictionis diuellit inuicem, ac separat, & ex vnaquaque littera dictiones extrahit, ab eadem littera incipientes, atque ita mysteria, in dictione illius vel potiùs medulla, latentias educit. Componens verò eiusdem dictionis elementa priùs dissita, & diuulsa, denuò nouo ordine per transpositionem coniungit siue componit, & alteram litteram pro altera variata sede reponens connectit, ac proindè nouas ex illis syllabis conficit voces, & sermonis formulas componit, quæ, quod vndè necessariò sequitur, diuersorum sensuum intelligentias generant, & mysteria vel fingunt, vel explicant. Hæc est decantatissima Hebræorum cabala, siue secretior anagogica vel allegorica sapientia quam à maioribus sibi per manus traditam iactant, aut veriùs nugantur; quamquam & eadem exponendi ratio Græcis etiam venustissimis non fuit incognita, vt videbis apud Platonem *in Cratylo*, vbi de nominum etymologia; & Æsopum Phrygium, qui cum hero suo Xantho veteres ædificiorum ruinas perlustrans, incidit in columnam marmoream, cui septem litteræ Græcæ incisæ erant, & quæ thesaurum in loco proximò defossum indicarent, quas Æsopus explicauit: erant verò Α Β Δ, Ο Ε Θ, Χ, quæ reddebant hanc sententiam. Ἀναβὰς ascendens, Βήματα gradus, Δ τέσσαρα quatuor, Ο ὀρύξας fodiens Εὑρήσεις inuenies, Θησαυρὸν Χρυσίου Ascendens gradus quatuor inuenies thesaurum aureum: quem cùm Xantus sibi sumpsisset, neque vlla parte Æsopum coniectoré donasset, ab illo monitus est faceret quod litteræ eædem iuberent hoc sensu: Ἀπελθόντες tollentes, βαδίσαντες ite, διέλετε, diuite, ὃν, quem εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου tollentes ite, diuidite, quem inuenistis thesaurum aureum, quod cùm facere nollet Xantus minatus est Æsopus facturum se quod eædem litteræ imperarent Ἀπόδος redde, βασιλεῖ Regi, Διονυσίῳ Dionysio, ὃν quem, Εὗρες inuenisti θησαυρὸν χρυσίου, redde Regi Dionysio quem inuenisti thesaurum aureum. Huius resolutoriæ expositionis, in qua singulæ litteræ singulas dictiones faciunt, exemplum habes apud Hieronym. *in qq. in libro tertio Regum capite secundo, vers.* 8. explicans maledictionem pessimam qua Semei Dauidi maledixit, nam litteras quibus Hebraïcè exprimitur ea maledictio, plurima, grauiáque conuitia continere docet. In litteris quoque nominis Adam, quatuor mundi partes agnouère veteres. Danielis etiam *capite quinto* comminans Regi manus cladem futuram tribus litteris in pariete depinxit.

Secundus modus elementariæ expositionis, quæ 4
est componere, siue, quæ fit per compositionem, siue commutationem & transpositionem litterarum, quæ apud antiquos Hebræos vetustissima fuit. Huius exemplum, immò & artem tradidit Hieronym. *in capite* 25. *Ieremiæ*, in illa verba: *Et Sesac calicem iræ Dei bibet post eos*; vbi per Sesac nomen Babel litteris transmutatis intelligit, vti exponit Hieronymus: & huius explanationis regulas tradit. Aliud exemplum fusiùs explicat Picus Mirandulanus in Eptaplo dum vocem *Beresit*, in principio exponit; & in eius vocis resolutione varia & profunda mysteria sibi fingit: illum adiisse iucundum fuerit. Vide & iam citatum Hieronymum, *Epistola ad Paulam Vrbicam, & præfat. in Threnos.* vbi elementa Hebraïca seorsim interpretatur, & in singulis ipsorum combinationibus mysterium exponit, in illisque septem connexiones siue commentationes reperit. Fuere quoque apud Græcos litteræ aliquot mysticæ de quibus Isidorus γ, Θ, Τ, Α, Ω: nam γ, humanam vitam, Θ mortem, Τ crucem, Α salutem, Ω finem, de quibus Sixtus *loco cit.*

Hæc porrò ratio exponendi sacram Scripturam, 5
cùm fere ex humano ingenio pro arbitrio vsurpetur, non mihi omninò damnanda videtur, cùm & à magnis aliquando viris vsurpata fuerit, neque etiam sectanda mihi videtur, cùm non modò fictitia sit, & ad arbitrium excogitata sed etiam aliquandò ineptiarum ferax & somniorum, ex eáq; videantur Valentiniorum & Gnosticorum insaniæ natæ, de quibus Irenæus, & Tertullianus. Satis itaque illa non vtendum censuerim nisi exercitationis & probandi ingenij gratiâ. Sanè inutilis, & plerumque ludicra erit, neque ex illa firmum aliquod argumentum duci poterit; immò neque probabilis aliquis sensus siue litterarius, siue mysticus deduci & colligi, & multò minùs ius aliquod diuinum, cùm in vtramque partem etiam peruersam torqueri queat eiusmodi expositio.

Est & tertia quædam elementaria expositio, quam 6
Sixtus arithmeticam vocat, quæ in numerorum significationibus, quas litteræ repræsentant, occupatur; nam

nam apud Græcos, & Hebræos singulæ litteræ numerum aliquem repræsentant, quod apud Latinos non contingit. Hinc apud Hebræos nata cabala, & variæ eiusmodi expositiones, de quibus Bongus *tractatu de numeris*; Sixtus Senensis, & alij, quam expositionem scripturæ nos inutilem, Rabbinicam, & delirij expositum, à viris eruditis & prudentibus reiiciendam ducimus. Atque hactenùs de expositione elementaria.

7 Expositio physica, siue naturalis, mysticos diuinæ Scripturæ sensus transfert ad rerum conditarum vniuersitatem. Sic in tabernaculo veteri mundum agnoscit, & in qualibet eius parte, mundi partes sublunares, cœlestem, & supermundanam, & quæ in singulis partibus continentur accommodat: quæ licet subtilis & elegans sit expositio, ad dogmata tamen stabilienda probandáq; prorsùs inutilis est, vt vides. Quare doctori Canonico, qui ius diuinum tanquam primarium Ecclesiastici fontem explicat, nullatenùs tenenda est.

8 Sequitur tertia expositio prophetica quæ scripturas sicut diuino afflatu scriptas, ita eo diuino afflatu, tanquam rerum futurarum prædictiones aut figuras interpretatur, siue eæ futuræ res vel iam omninò aut ex parte impletæ fuerint; siue implendæ. Hæc expositio non tam studio, quàm Numinis luce acquiritur, neque proindè temerariò suscipienda est, ne iniurij simus ipsi Spiritui sancto, illúmque mendacem faciamus & eum velimus prædixisse, quæ non prædixit, & nostra somnia plerumque pro veris prophetiis venditemus. Deindè in eiusmodi expositione videndum accuratè erit, an secundùm primarium sensum fuerint, an secundùm sensum typicum & mysticum implendæ adhuc supersint. Quæ omnia, cùm satis incerta sint, nisi de illis ex alio loco, aut aliundè certò constet, hæc quoque expositio stabiliendo iuri diuino parùm accommodata, & inutilis prorsus erit, quod tamen quærimus hoc loco.

9 Prætereo alias exponendi rationes, de quibus fusè Sixtus Senensis *libro tertio Bibliothecæ*, *ἐπιγραμματικήν*, punctuariam, quæ inter consonantes interserit puncta, quæ funguntur munere vocalium, quibus Hebræi carent, & pro varia eiusmodi punctuatione diuersæ fiunt syllabæ, diuersæque voces existunt.

10 Est quoque ἐλλαβική, quæ scripturæ indices, quos Græci *συλλαβὰς* vocant, texit, in quos summa rerum capita reuocant, estque optimus, sed operosus vsus eiusmodi indicum, quorum omnium præstantissimum iure existimat concordantiarum, vti vocant, indices, Sixtus qui & commodam illius praxin exponit.

11 Denique diuersi diuersas sibi fingunt methodos: alij enim totam scripturam, velut corpus quoddam in caput, variáque membra, siue grandia, siue minuta partiuntur: alij diuersarum partium summas colligunt, quibus singularum partium, vel capitum frontes inscribunt. Alij epitomes, siue breuiaria, tum totius scripturæ, tum singularium partium memoriæ causâ, vel alios in vsus sibi parant, & eiusmodi compendiis laudabiliter vtuntur: alij eclogas, harmonias, specula, locos communes, siue quo alio nomine vocent, éstque reuerà farrago indigesta, sententiarum, ad fidei vel morum eruditionem pertinentium; qua in re à variis hactenùs laboratum est, & sic efficaciter. Horum omnium naturam explicat, & exempla congessit Sixtus *l. iii.* vbi & perplures alias expositionis methodos non indiligenter affert: illum adi, si placet; aliquam enim in tanto numero tuo palato non insuauem inuenies: eáque vti licebit, sicut & tibi gratum expositorem, ex iis quos toto *libro decimoquarto*, operosè conquisitos enumerat, magis tibi commodum eliges.

QVÆSTIO V.

Canones & Regulæ vniuersales exponendis sacris Scripturis, & diuino iuri positiuo.

EX hactenùs disputatis de multiplici Scripturæ sensu, déque varia illam interpretandi methodo, & diuersis eius translationibus, ac versionibus certos ac constantes Canones, siue Regulas illam exponendi, & quod præcipuè quærimus hoc opere, eruendi ex illa ius diuinum positiuum, quo imprimis regitur Ecclesia, licebit colligere; qui canones & Regulæ duplicis generis sunt: alij siquidem sunt vniuersales & omnibus diuinis libris, totíque sacræ Scripturæ communes, quos vniuersales dicimus: alij sunt singulares, & particulares singulis diuinis libris: vtrosque paucis trademus ex multa sacrorum interpretum lectione strictim collectos. Ordior ab vniuersalibus.

CANON I.

De dignitate sacræ Scripturæ.

DIVINÆ Scripturæ studium magno animo tanquam necessarium iucundissimum aggredere, neque in eo te iniucundam operam vel infructuosam vel ingloriam positurum arbitrare; ciúsque primùm sacræ disciplinæ præstantiam priusquàm te ad illam accingas, æstima. 1
Eam omnium disciplinarum principem facile foret ostendere; sed cum laborem iam plures occuparunt, ex quibus vnus Martinus Delrio *in proloquiis ad Pharum sacræ Sapientiæ, capite primo*, quem in re maximè vulgata adiisse sufficiet, ille dignitatem scripturæ fusè commendat ab auctore, fine, materiâ, & formâ. Auctor enim non mendaculus Poëta, non Rhetor garrulus, non Sophista captiosus, non Philosophus gloriosus, non qui possunt, ac solent errare hominum alius, non quorum, vt libet magna, precaria tamen, certísque finibus comprehensa scientia, vllus angelorum, sed ipsemet Deus, æterna infallibilis, infinita bonitas, & sapientia Sanctissima námque Trinitas, cui absolutè conuenit soli scripturam canonicam condere, primarius est sacræ Scripturæ fons & auctor; quod probat: quia singulis sanctissimæ Trinitatis Personis diuerso respectu, sed eodem, & æquali iure tributum legimus; Patri quidem veluti primo Principio & Auctori, Filio in verbo Patris & æternæ sapientiæ; & denique Spiritui sancto ab vtroque procedenti: *Non enim* (inquit Petrus Epistolâ secundâ capite primo sub fin.) *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Sed præter hunc primarium sacræ Scripturæ auctorem Deum, secundarij alij fuerunt omnes Deo pleni, vitæ probatæ, veritatis exploratæ. Ab auctore igitur cœlestem quandam auctoritatem habet Scriptura canonica. Finis sacræ Scripturæ vltimus est Christus: *Ideo enim scripta sunt quæcunque scripta sunt, vt*

credamus quia Iesus est filius Dei. & vt credentes vitam in nomine eius habeamus, ad Rom. cap. 10. vers. 4. Finis proximus est charitas 1. *ad Timoth*, 1. *vers.* 5. Vide Augustini, *libro primo de doctrina Christiana*, *capite* 37, & *vltim.* & *libro tertio*, *capite decimo*.

2 Materia est Dei natura, eius attributa personarum Trinitas, Incarnatio Verbi, mundi salus, hominis lapsus, virtutes, gratia, lex & cætera eiusmodi.

Forma, siue methodus tractationis, quâ melior cogitari nequeat, cui nec ars deest, nec eloquentia: rationem reddit Ambros. *Epistolâ* 63. *ad Iust.* quia sacri Scriptores scripserint non secundùm artem, sed secundùm gratiam, quæ supra omnem artem est. Quàm verò emineat sacra librorum istorum eloquentia pluribus docet idem Del-rio *capite primo*. imitatus Augustinum *libro vltimo de doctrina Christiana*, *cap.* 6. qui ait: *Non solùm nihil illis sapientius, verùm etiam eloquentius videri potest*: & quæ magni æstimarit, qui olim Scripturæ simplicitatem ridebat & præ Tulliano ditore despiciebat. Vide *libr. tert. Confess. cap.* 5. De vtilitate porrò huius disciplinæ adi Cyrillum Alexandrinum *libro* 7. *aduersùs Iulian.* Gregorium *lib.* 20. *moral. capite primo*, Nanzianzenum *Epistola ad Nemesium*, quem ad hoc studium relictis vanis & ludicris adhortatur, & ne dum ad purissimum diuinitatis fontem pergit, cœnosæ paludi immoretur Basil. qui *Epistola* 79. *ad Eustathium Episcopum Sebastenum* deplorat multùm temporis, vanitati impensum, omnem iuuentutem inani studio attritam, tùm infatuatæ à Deo sapientiæ disciplinis, immorabatur, ait se aliquandò velut è graui somno expergefactum ad Euangelicæ veritatis admirabile lumen respexisse, agnouisséque inutilitatem sapientiæ, & principium huius sæculi, deplorata plurimùm miserabili vitâ ductorem sibi dari optasse à quo ad pietatis dogmata introduceretur, subditque tandem hanc sibi fuisse Euangelij lectionem. Claudo Clementis Romani libro primo constitut. Apostolic. capite septimo. *Quæcunque in Gentilium libris desiderari possunt in sacra Scriptura longè reperiri meliora*, quod etiam refert Anastasius Nicænus *in quæstionibus sacræ Scripturæ*, quæ etiam percursis variis scientiis, demonstrat in scriptoris citatus Del-rio. His adde Chrysost. *homil.* 36. *in Genes.* Georgilium libros cum sacra Scriptura conferentem, & *homilia* 41. *in Matth.* de vtilitate, quam per partes singularibus exemplis comprobat, eáque virtutuio exempla, Basil. *Epistola prima ad Nazianz.* dicuntur Ἐικονες ἔμψυχοι, similia simulacris animatis, & spirantibus. Mitto innumera quæ Patres, & Interpretes de studij Sacrarum litterarum dignitate, suauitate, & vtilitate tradiderunt, variáque elogia, quibus eam scientiam, & disciplinam commendarunt, quibus ad hoc studium diligenter suscipiendum incitamur.

CANON II.

Subsidia intelligendæ Scripturæ.

3 AVENDUM tamen est, ne in hæc sapientiæ adyta malè initiati perrumpamus, & ne iis destituti præsidiis, quibus instructi esse debent qui in eo progredi & proficere volunt, secedentes, oleum, & operam perdamus. Quare præparandus erit animus variis artibus & scientiis, quæ ad penetrandos scripturæ sensus nos instruant. Itaque vel priusquàm operam nauemus huic studio, vel simul cùm illi incumbendum, vt hæc adiumenta comparentur, alioquin & operosum, & insuaue, ac sæpiùs inutile fuerit hoc studium, quod etiam sæpiùs ignorantiâ & difficultate rerum interrumpere cogemur, & tandem assequi desperantes, illud abiicimus, aut venena potiùs quàm mella ex tam florulentis areolis legemus.

Chronologia sacra imprimis necessaria est, cui & per occasionem etiam profana coniungenda est, cùm omnis temporis χρόνος. & chronologiæ initium à sacra Scriptura repetendum omninò sit. Quare & temporis partes, dies, horas, hebdomadas, menses, & annos, ipsorum periodos, æras, olimpiades, mundi varias ætates, monarchias, quibus epochas consignamus, Patriarcharum, summorum Pontificum, Iudicum, & Regum annos, captiuitatum, & seruitutum durationem, Christi demùm & primæ Ecclesiæ Christianæ initia, & æram aliquomodò nosse oportet, cùm sine illis plurima in Scripturis ignorare cogamur. Rudem igitur aliquam illorum notitiam comparare nos oportet, ne ad pleraque Scripturæ loca cæcutiamus, erremúsque. 4

Dies alius ciuilis est, alius naturalis, qui inæqualis variis in locis est: nam crescunt & decrescunt pro variis solstitiis, æstiuo, & brumali. Ciuiles æquales inter se, & ferè vbique locorum: & licèt naturales incipiant ab ortu solis; & cum eius occasu deficiant, Hebræi inchoant suum ciuilem diem ab occasu solis. sicut & Athenienses; atque alij quidam: Babylonij ab ortu, Vmbri à meridie, Romani à media nocte; quod & nobis, aliisque gentibus commune est. Sunt etiam quidam dies sacri & festi, alij profani, & communes, id est, diuinis, seu politicis rebus destinati. Dies in 24. partes æquales distribuimus, quales partes vocamus horas: primam aliqui populi annumerant à solis ortu, vltimam finiunt solis occasu, reliqui Europæi populi ferè dispescunt in duas duodenas, primam à meridie, alteram à media nocte. Olim horæ tùm diurnæ, tum nocturnæ erant inæquales, sicut & ipsi dies naturales: nam æstiuo tempore diurnæ horæ erant longissimæ; nocturnæ, breuissimæ, è contrario hyeme contingebat. Horas inæquales καιρικὰς dicebant Græci; earum vsus erat in Oriente, maximè in Iudæa, dè illis intelligendæ sunt sacræ literæ: earum prima inchoabat à solis occasu, sexta finiebatur media nocte, duodecima cum ortu solis. Habebant quoque Hebræi diem ciuilem in partes octo distributum; quatuor ad diem, aliæ ad noctem pertinebant breuiores, vel longiores pro ratione diei naturalis longioris, aut breuioris. Noctis partes vigiliæ à Vigilibus, mutuato nomine, dicebantur. Diei partes quatuor nomen commune horarum retinebant, atque variè numerantur in sacris Litteris pro more gentis. Vide Censorinum *cap.* 23. Iansenium *in Concordia capite* 142. Maldonat. *in Euangel.* Baron. *anno Christi* 34. *n.* 163. atque ita conciliabis Marcum, qui ait Christum cruci affixum hora tertia, cum Ioanne, qui à Pilato damnatum dixit horâ quasi sextâ, cùm videlicet nondum effluxisset tota hora tertia, & iam immineret hora sexta. 5

Dies componunt hebdomadas, siue septimanas, quæ constituuntur ex septem diebus, semper in orbem recurrentibus. Sub initium conditi mundi sic ordo est à Deo conditore institutus, & in Oriente receptus, sed religiosissimè ab Hebræis obseruatus, & deindè à Christianis apud quos singuli hebdomadæ dies, feriæ dicuntur, à gentibus hominibus falsorum quorundam nominum donantur, Solis, Lunæ, Martis; & ab Hebræis aliquandò Sabbathi, prima Sabbathorũ, vna Sabbathi, prima Sabbathi, *ieiuno bis in Sabbatho*. 6

Menses

7 Menses qui ex hebdomadis quatuor constant, sunt naturales, & ciuiles. Primi illi vel solares, vel lunares: solaris est duodecima pars anni solaris, quo spatio sol vnum zodiaci signum percurrit, constátq; 30. diebus, aut 31. prout sol citiùs, aut seriùs signa zodiaci percurrit. Mensis est spatium ab vno nouilunio ad alterum, siue ab vna synodo, & congressu lunæ cum sole ad alteram synodum, quæ fit spatio 29. dierum cum dimidio circiter. Mensis ciuilis est numerus dierum, quos vnaquæque ciuitas, aut gens pro arbitrio obseruabat, aut notabat. Romani à Kalendis ad Kalendas, Græci à Neomeniis ad Neomenias. Mensium maximè naturalium varia nomina, & vsus apud Hebræos, Syros, Chaldæos, Ægyptios, Athenienses, siue Atticos, Macedones, aliósque Græcos, Arabes & Turcas hodie, dabit Turianus, & alij perplures. Erant ferè lunares, & 29. dierum, nunc vtimur, annis solaribus. Lunarū quoq; notitia studioso scripturæ necessaria, quia illi ferè in ea numerantur: solaris tamen annus totus vndecim diebus lunarem excedit, & constat diebus 365. Quare vt veteres annum suum lunarem cum anno solari, siue eius annuo cursu æquarent, adhibebant secundo, vel tertio quoque anno ἐμβολισμὸν, seu intercalationem vnius mensis, & ille annus ἐμβολισμαῖος, seu intercalaris dicebatur, & tredecim mensibus lunaribus constabat, & ille tertius decimus eius anni dicebatur ab Hebræis Adar, secundus, vel posterior, vel Veadar, vel Adar repetitus. Erat porrò canon Hebræis circa hanc intercalationem, ter ter bis, ter, ter bis, id est intercalandus est mensis tertius decimus anno 3.6.8.11. 14.17. 19. Intercalabantur igitur annis nouemdecim septem menses: & sanè nisi similis aliqua intercalatio fieret, Pascha, & Pentecoste, cæteráque festa æstiua mediam in hiemem aliquandò incurrerēt: sed de his plura dabit Clarius, Ioseph. Scaliger, Petauius, aliiq; mathematici. Anni apud diuersas gētes variè numerati sunt: apud Hebræos annus incipiebat ab æquinoctio verno, & ex eo calculo numerandi sunt anni vsque ad Iudæorum in Ægyptum ingressum; & illi tunc sese accommodarunt Ægyptiorum calculo, qui suum inchoabant à mense septembri. Egressis ab Ægypto imperauit Deus illis principium anni esset mensis Nizan, qui ferè nostro Martio respondet; quia tamen apud illos duplex annus erat, annus nimirum sacer, & alter ciuilis. Sacer incipiebat à mense Nizan, secundùm quem festa omnia, neomeniæ, & omnia sacra dirigebantur. Annus ciuilis perpetuò à mense Thisri, siue septimo capiebat initium, & ad illum calculum omnes contractus, omniáque negotia politica dirigebantur.

8 Erat & Hebræi annus sabbaticus, & iubileus, qui licet sacer esset, morem tamen anni ciuilis sequebatur, quia in eo multi contractus ciuiles, elocationis, venditionis, mutui, aliique inibantur, & à mense Thisri, seu septimo inchoabantur, quod Iosephus, Philo, & Rabbini annotarunt, & de iubileo traditur *Leuitic. c.25. vers. 9. & 10.* de annis Romanorum & Seleucidarum, siue Græcorum, & diuersarum Monarchiarum disputant Chronologi, eorúmque rudis, saltem aliqua notitia nostro discipulo necessaria est.

9 Fuere & variæ annorum periodi, hoc est certi, & constantes annorum numeri, qui in orbem redeunt, ex iisque de rerum gestarum tempore facilè constat. Fuerunt Græcis suæ πενταετηρίδες, in eísque olympiades Elidenses: erat & ἐννεακαιδεκαετηρὶς annos 19. complexa solares, quæ Metone fuit vetustior, sed etiam plures scribunt. Quorum æmulatione vtitur Ecclesia Romana cyclo decemnouennali lunæ, vel Aurei numeri. Sunt Indictiones Constantinianæ & Pontificiæ, & Epactarum, præcipuè apud Hebræos ἑβδομάς, annalis circulus, nimirum septem annorum, quorum vltimus erat sabbaticus, quo terra ab omni cultura quiescere iubebatur, altera periodus erat circulus 50. annorum quorum vltimus erat iubileus, quo & terra à cultura quiescere, & æs alienum remitti, seruíque dimitti iubebantur *Exod.23. & Leuit.cap.25.*

10 Ex variis istis annorum periodis, diuisæ sunt mundi sex ætates: prima à mundo condito vsque ad diluuij finem continet annos 1656. secunda à diluuio ad egressus Hebræorū ex Ægypto annos 887. Tertia ab egressu Hæbræorū ex Ægypto vsque ad templum Hierosolymitanum anno 4. Salomonis conditum, durauitque annis 480. Quarta ab extructo illo templo ad eius vsque destructionem, siue ad exitum Babylonicæ captiuitatis, annis 452. Quinta à laxata captiuitate & initio regni Persarum ad aduentum Messiæ, annis 525. Sexta ab incarnato Verbo ad secundum illius aduentum durabit.

11 Videndúmque quid in singulis ætatibus contigerit maximè ad sacram Scripturam pertinens, aut cum ipso affine, vt prima mundi ætate, posterorum & filiorum Adæ ortus & gesta pauca, quæ recensentur in Genesi. Secunda ætate posterorum Noë, & Patriarcharum vita ex Genesi *capite 2. & sequentis*, præsertim Thare, & Abrahæ ortus, eiúsque annorum distributio, Abrahæ, Iacobi, & Iosephi vsque ad finem seruitutis Ægyptiacæ, quóque anno illa seruitus cœperit, quantumq; durarit. In tertia ætate ab egressu Hebræorum ex Ægypto ad conditum à Salomone templum videnda sunt. Moysis præfectura quadraginta annis, cui Iosuë per viginti septem annos successit: deindè Iudicum acta, & præfecturæ, Othonielis, Aodi, Barachi & Debboræ, Gedeonis Abimelechi, Tholæ, Iairi, Iephtæ, Abesani, Ahialonis, Abdonis, Samsonis, Heli, Samuëlis, & deinde Regum Iudices, consequentium institutio. Saulis, Dauidis, Salomonis; sed maximè annorum 40. Mosis, siue peregrinationis Hebræorum pensanda diuisio, & 42. mansiones in deserto populi, eiúsque quatuordecim murmurationes attendendæ ad *Exod.1.* Historiæ cognitionem, circa quæ alioqnin erratur passim: pari quoque ratione Iosuë anni & gesta distribuenda, & attentè consideranda erunt, in quibus occurret anni sabbatici & iubilei institutio, & initium: qua de re Salian. *primo Iosue anno*, qui & annum, & mensem & diem huius institutionis; déque annorum istorum priuilegiis accuratè disputat. His adde annorum Samuëlis, & Saulis enumerationem, quibus & Dauidis anni subiiciendi sunt, & annumerandi ad plenam Hebræorum Regum historiæ lucem: illis enim libri 4. Regum & duo Paralipomenon narratio innotescet. Quarta ætas, quæ à condito templo vsque ad solutam Babylonicam captiuitatem, porrigitur per annos 452. continet discissionem Regni Iudaici post Salomonis decessum inter Roboamum, & Ieroboamum, qui decem tribubus imperauit. Roboamus autem duabus dumtaxat. Eâdem etiam ætate prophetæ tum maiores, tum minores, tum ij, quorum prophetiæ litteris consignatæ nunc extant, tum alij quorum nomina dumtaxat habemus, viguerunt, quorum omnium anni tum ad illorum prophetias intelligendas, tum ad rerum gestarum seriem, & ad perspicuam fidem consignandi distinctè sunt.

12 Hac eâdem quartâ ætate mundi, institutæ sunt in Græcia Olympiades, quæ erant ludi Olympici, siue Ioui Olympio dicati, & maximâ totius solemnitate & concursu apud Pisam & Elidem celebrari soliti quolibet quadriennio. Singulis verò Olympiadibus pronuntiabantur Victores a publicis Iudicibus, & plurimis donabantur priuilegiis. Res nobiliores per

singu-

singulos singularum Olympiadum annos adnotabantur, & publicâ curâ seruabantur; quare eis nihil in Græcorum historia certius, & exploratius reperitur

13 Hâc ipsâ Mundi ætate condita Roma vndecimo Kalendas Aprilis, siue ipsis Palilibus festo Deæ Palis, quæ passim à Pastoribus in agris illo die colebatur. De anno contendunt Cato & Varro, & illorum sequacea.

Hac eadem ætate Monarchia, & Regnum Medorum floruit, quibus principibus quæ de Tobia & Iuditha tradit Scriptura, contigerunt; quare diligenter assignanda sunt illa tempora, vt omnem controuersiam, & pugnam, atque sacram & profanam historiam inter se conciliemus.

14 Ex iis etiam imperiis natæ sunt diuersæ annorum Æræ & periodi, & inde nata est in Chronologia obscuritas, & in rebus certis temporibus consignandis. Est enim Æra Ægyptiaca, & Babylonica, siue Chaldæa, quæ deindè in diuersas Epochas, per illustrium Regum, qui id temporis imperabant, nomen designatæ, quæ impeditam aliquando reddunt Chronologiam.

Hac eadem ætate contigit Babylonica captiuitas, de qua *Hierem. cap. 25. & 29. Daniel. cap. 9. lib. 2. Paralipomenon cap. 36.* & *1. Esdræ capite primo.* & septuaginta ano. desolationis. De cuius captiuitatis initio & fine, magna Interpretum lis, quam æstimare, nostri modo instituti non est.

15 Quinta ætas suppeditat Monarchiam Persarum, vsque ad aduentum Messiæ, & Verbi incarnationem, continétque spatium annorum 525. Monarchia enim Persica tenuit 200. annos, nimirum ad Alexandrum Macedonem post deuictum Darium Codomannum; tunc enim incepit tertia Monarchia Græcorum durauítque vsque ad Actiacam Augusti victoriam, annis 300. Eo tempore imperarunt in Ægypto Ptolemæi, in Syria Seleucidæ & Antiochi, & in Macedonia varij Principes.

16 Plurimùm etiam intererit noscendæ historiæ Hebrææ, & ipsorum rebus sacris, summos Iudæorum Pontifices ab exitu Ægyptiaco ad captiuitatem Babylonicam, & ab eius solutione ad Christi natiuitatem percurrere vnà cum eorumdem Regibus, & Ducibus, qui tertiâ & quartâ Mundi ætate floruerunt.

17 Quarta Orbis Monarchia, quæ fuit Romanorum, incepit ab Augusto post Actiacam victoriam Cleopatra, & Antonio deuictis, post quam etiam cœpit Æra Iulij & Augusti, Cæsarúmque Romanorum, quæ est Epocha valdè celebris, ad dirigendam historiam eorumdem Cæsarum. Ad sacram autem proderit tempora Herodis Ascalonitæ & filiorum eius Archelai, & Herodis Antipæ & eius nepotis, atque abnepotis Agrippæ, distinctè digerere.

18 Sexta demùm Mundi ætas, quam modò ducimus ab aduentu Messiæ vsque ad Mundi finem pertinebit. In ea ætate consignandi anni incarnationis, natiuitatis, baptismi & mortis Christi, eiusdem per Patriarchas, & Reges genealogia; in quibus digerendis plurimæ easque graues controuersiæ, definiendæ erunt. Annorum verò à primo conceptu ad mortem vsque, series numeranda erit, distinguendique anni prædicationis Christi ad eius gesta capienda, & certo loco collocanda. Deindè digeres acta Apostolorum à morte Christi vsque ad euersionem per Titum Hierosolymam. Ex quibus vides ad studium sacræ Scripturæ callendam omninò esse Chronologiam, & eius præcipuas partes atque celebriores Epochas.

19 Illi accedat oportet Geographia, quæ regiones, tractus, & loca in quibus nota singula quæ ab scriptoribus narrantur dicta gestáque sunt, eámque cognitionem geographicam Palæstinæ plurimùm ad intelligendam Scripturam sibi profuisse fatetur Hieronym. Et sanè hinc historiæ fides plurimùm firmatur, & plurimæ antiquæ conciliantur.

Ponderum, monetarum, mensurarum notitia eidem, tum longitudinum, tum latitudinum, aliarúmque rudis saltem cognitio comparanda est. Cæterorum subsidiorum necessitatem & vsum ipsa experientia, atque obuiæ difficultates, & salebræ te docebunt. 10



CANON III.

Obseruanda circa textuum & versionum vsum.



DE texto primario, & versionibus diximus nuper; modò quædam de illis sunt maximè obseruanda, atque imprimis quod pridem monuimus, linguam Hebræam, quæ primæuum & (vt loquuntur) originale exemplum suppeditat habere quidem viginti duas consonantes, nullas verò vocales. Quare, si verè loquamur, priores illæ litteræ insonæ sunt, & per se in sonum erumpere, vel syllabas reddere non possunt; quare veteres illi Hebræi, sono viuæ vocis supplebant, addebántque communibus litteris sonos quosdam vocales ea communi gentis probatione, & consuetudine, &, vt multi loquuntur, consonantea aduocitabant, donec euerso funditus Hierosolymitano Regno, dispersi passim Hebræi linguam sanctam obliti, amissâ sacræ lectionis intelligentiâ, Scripturæ sacræ voces, & dictiones, variis & ambiguis sonis defectu vocalium, quibus carebant, legere, intelligere, exponere cœperunt, & siue ex ignorantia, siue ex malitia in alias linguas, diuersis discrepantibus verbis transferre. Ipsorum igitur Magistri siue Rabbini veriti, ne tandem diuinæ Scripturæ lectio prorsùs interiret, adinuenerunt aliqua puncta, ac notulas vocalium loco, vt singulis consonantibus appositæ sonum redderent, & propriæ cuiusque dictionis significationem aperirent; quod totum illustri exemplo explicat Sixtus *lib. 3. Biblioth.* Decreuerunt tamen magistri illi, vt volumina legis Mosaïcæ, quæ in singulis Synagogis sanctissimè asseruabantur, sine vocalibus, & punctis scriberentur, vt diuinæ legis maiestas, & auctoritas, nullis ascititiis, nouísque additamentis corrumpi posset. Quo verò anno inuenta fuerint hæc puncta, vide eundem Sixtum, & Serarium *in prolegom.* Bellarm. & alios. Ex quibus vides textum Hebraïcum variè interpongi posse, ac legi mutatis punctis, & vocalibus, & in pluribus locis corruptum esse vel ignorantia, vel malitia, neque illi certè adhærendum esse facile quoque esse viro erudito, varias versiones ad illum textum accommodare, & denique variis modis illum reddi & exponi posse, indéque tot varias expositiones, & versiones natas fuisse, atque adeò ea sola vocis Hebraïcæ vl & significatione, quæ multiplex esse non potest, non posse duci verum & legitimum sensum, siue litteralem, siue mysticum, & multò minùs efficax argumentum. Quod contra hebraïzantes est obseruandum, qui vel nouitatis causâ, vel iactandæ linguarum peregrinarum peritiæ, ex textu Hebræo, Chaldæo, Syriaco, Arabico argumentantur, & linguarum eiusmodi imperitis fucum faciunt. 1

Quare sapientissime Synodus œcumenica Trident. *sess. 4.*

sess. 4. iussit vnam versionem, quam vulgatam dicimus, authenticam haberi, vti nuper *principio secundo* monuimus; circa quam obseruanda videntur, quid ex eo loco addendum est, LXX. Interpretes primum apposuisse Psalmis numeros; quod testatur Hilar. *præfat. in Psalm.* Quare deinde numerorum diuisiones ex codicibus nostris, & Græcis accepti sunt. Quod idem de capitum diuisionibus dicendum est; nam veteres expositores partiebantur diuinas Scripturas, & allegabant non enumeratione capitum, & numerorum, sed allegatis particularibus historiis, aut rebus tractatis, quomodò dixit Augustinus *se scripsisse à principio Geneseos vsque ad primorum parentum e paradiso electionem*, quod nos diceremus in tria priora capita Geneseos. Gregorius ait se exposuisse à principio libri Regum ad Dauidis vnctionem, hoc est nostro more loquendi, in quindecim priora capita libri primi Regum. Communis etiam partitio per periodos, aut sententias siue breues, siue longiores, quarum sæpè verba referebant & designabant, Codices quoque Hebræi per sententias, commata, & versus diuisos certis interuallis habuisse testatur Hieronym. dum *in præfat. Paralipom. & Isai.* se ad legentium vtilitatem easdem commatum incisiones, & interuallorum distinctas, quas in Hebræis codicibus reperit, in sua translatione secutum esse. Elias tamen Leuites in præfatione libri *Masoreth*, affirmat ex traditione Rabbinorum totam legem olim fuisse quasi vnam sententiam & Pasuk vnum, ita vt omnia sibi cohærerent sine vlla versuum distinctione. Sed 436. annis post vltimum excidium Hierosolymitanum à Iudæis Tyberiadis factam fuisse versuum, & sententiarum diuisionem, quam etiam dissectionem Iudæis tribuit Auctor libri quæstionum Hebraïcarum, & probat ex libro Prouerbior. in ipsius Hebræis commentariis ait nunquam se legisse aliquam ex illis sententiis numerali aliquâ, aut arithmeticâ notâ distinctam. Hebræi tamen, Latini & Græci, in ea versuum partitione plurimùm differebant. Latini siquidem, & Græci pari dictionum numero versus distinguebant, singulis v. g. versibus sex aut plures dictiones, siue monosyllabas, aut pollisyllabas includebant. Probant ex August. *lib. specul. Scripturæ*, si tamen sit eius verus auctor Augustinus: Iudæi verò in sua distinctione, neque numerum dictionum, neque commata, neque rerum aliam partitionem, etiam hodie attendunt, sed maiorum vsum, & Rabbinorum consuetudinem. Cœperunt ergo posteri partiri Scripturam in titulos, & capita: Euthymius quidem partitus est Euangelium Matthæi in capita siue titulos 68. alij deindè capitula, & titulos partiti sunt in 28. titulos, & capita 355. vt narrat Suïdas. Latini quoque varij fuerunt, vt in eorum commentariis, & citationibus facilè deprehendes; verùm de hac capitum, & versuum partitione, & per notas arithmeticas distinctione, plura, & erudita Serarius *prolegom. cap. 26. à quæst. 9. 10. & 55. & q. 13. ad 18.* inclusiuè. Quidquid verò statuatur,

3 Certum est, eam diuisionem omninò vtilem esse; nam quoad capitum distributionem, eam omnes probarunt, & adhibuerunt, ipsi etiam Nouatores & Rabbini quoque; quod ostendit Serarius *cap. 27. cit. q. 11.* & Causabonus *initio suarum notarum in Euangelia.* De vtilitate veræ diuisionis versuum habet Serarius *quæst. 15.* vbi & in Aristotelis, veterumque scriptis eam fuisse vsurpatam docet *& sequent. q. 16.* de æqualitate & inæqualitate versuum istorum disputat. Vnum est quod moneo vnà cum Serario *q. 18.* etsi hæc per capita, & versus diuisiones communes sint, & in emendatis Bibliis retentæ, non idcircò canonicas esse, cùm à canonicis scriptoribus adhibitæ non sint, & non potuerint proindè fieri canonicæ à recentibus earum auctoribus. Neque in emendatis Bibliis fuerunt collocatæ, vt canonicæ haberentur; sed vt locus distinctiùs, & elegantiùs commodiùsque haberetur. Vnde concludit Salmeron *prolegom. 9.* elici posse nos interdùm, si ratio, & auctoritas patrocinetur, præcedentis superioris capitis verba cum prioribus sequentis contexere, & si meliorem, & solidiorem sensum præ se ferant, explicare, & vel priori, vel sequenti capiti eiusmodi verba tribuere, & explicare.

Quamvis vnam vulgatam versionem authenticam habendam esse definierit sacra Synodus Tridentina, cæteras tamen vel à veteribus, vel etiam ab eruditis recentioribus factas, inutiles non esse monemur; quod ostendit Serarius *cap. 18. proleg. q. 2.* ex illis siquidem vocabuli, aut periodi de primogenia lingua, magis intelligentia cognosci potest: deindè sunt quidem diuersæ eæ versiones, non tamen contrariæ. Vide Hieronym. *in cap. 16. Ezech.* & Augustinum *libro secundo de doctrina Christiana. capite 11.* ideoque ipsorum etiam hæreticorum, & apostatarum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Græcas versiones Christiani doctores olim citarunt; quod etiam monet Hieronym. *libro secundo contra Ruffin.* cùm tamen hæc collationis diligentia, & peritia paucorum omninò sit, & in ea multùm laboris impendatur. Idcircò vnam voluit esse communem Synodus Trident. etsi vsum aliarum, non omninò prohibeat. Cauendum tamen est ne ex multitudine versionum lites & dissidia in re magni momenti oriantur; quod de versionibus Græcis testatur Hieronym. *præfat. ad libros Paralipomenon*, & de Latinis Augustin. *libro secundo de doctrina Christiana, capite 15.* ipsique Nouatores hodiernam versionum multitudinem, quæ in dies excrescit, improbant. Horum & loca, & verba adducit Serarius *capite 18. prolegom. q. 2.* 4



CANON IV.

Quomodo sensus legitimus Scripturæ, inuestigandus sit?



QVIA difficile omninò est verum & legitimum diuinæ Scripturæ sensum inuestigare, & difficilius multò quæsitum inuenire; difficillimum autem est de sensu diligenter quæsito atque etiam inuento iudicare, & definire, an verus sit, an verosimilis, an denique authenticus. Ideò in tradendis certis hac de re indiciis plurimi sunt aliqui. Salmeron. *proleg. 9. 10. & 11.* canones centum quinquaginta tradit circa sensum proprium, & circa sensum figuratum, alios nonnullos *proleg. 12.* ad pauciores reducit Serarius *cap. 21. proleg. q. 15.* & imprimis diuidit in communes omnibus aliis libris, & in proprios. Cùm enim quidquid omnibus libris conuenit, reperiatur in sacris Bibliis, demptâ imperfectione communi, nisi quid obstet eodem modo explicandi sunt, & cùm in iisdem libris nonnulla propria, & particularia sint, quæ aliis non conueniunt, proprias etiam exponendi regulas habere debent. Inter communes autem enumerat primò linguarum, quibus liber scriptus est, peritia. Secundò grammaticæ, & aliarum loquendi artium notitia. Tertiò disciplinæ, quam auctor explicandus tractat, scientia. Quartò totius textûs series, & acoluthia, antecedentium, & consequentium connexio. *Ante omnia* (inquit Cyril. lib. 8. Thesauri, cap. 8.) *quando locum scripturæ aliquem rectè volumus intelligere,* 1

tria

tria spectanda sunt; tempus, persona, & res: persona, per quam, & de qua; res, propter quam, & de qua. Concinit Hilar. *libro 9. de Trinitate*, Augustinus *libro 83. qq. q. 69.* & Hieronym. *in caput 19. Isai.* estque vetus Hebræorum regula, *Quis non aduertit quod suprà & infrà in scriptoribus scribitur, is peruertit verba Dei viuentis.* Prodest quoque similium, & dissimilium locorum collatio, vti ostendunt. Basil. *in asceticis quæst. 267.* Irenæ. *libro secundo, capite 55.* & alij. Denique lucem afferet Interpretum, qui eosdem, vel similes libros exposuerunt lectio; qui omnes modi communes sunt, vt vides, omnibus, cuiuslibet generis sint, auctoribus exponendis.

2 Modi magis proprij sacris Paginis intelligendis, sunt rogatio, siue interrogatio Bibliorum auctoris, siue Dei per orationem, & meditationem, ad quam hac de causa hortantur Patres. Inspicienda etiam est traditio Apostolica, communis Ecclesiæ sensus & praxis, analogia fidei, interpretis vita & mores, vnanimis Patrum consensus, regulæ siue vniuersales siue particulares, siue à recentioribus, siue à veteribus ad hoc negotium traditæ: aliquas tradit Augustinus *libro secundo de doctrina Christiana, capite trigesimo.* Primò agi aliquando de Christo & eius corpore; aliquandò agi tanquam de vna persona, & ab vno ad alterum transitum fieri. Secundò de Christi corpore vero & simulato siue permixto loquendum loqui Scripturam, id est, de iis, qui verè Domino tanquam membra eius & corpus in æternum adhærent adhæsurique sunt, & de aliis qui vel non adhærent æternum, vel adhærere videntur, vel mali Christiani. Quare aliqui dicuntur de corpore Christi, alij dicuntur non esse de corpore Christi, licet nunc in illo sint; quod aliàs *libro secundo* exposuimus, agentes de iis qui sunt, vel non sunt in Ecclesia. Tertiò distinguenda quæ dicuntur de promissis & lege, siue de littera & spiritu. Quartò de specie, & genere, siue de toto. Quintò de temporibus & æternitate, an simpliciter, an per tropum dicantur. Has omnes regulas Tichonij Donatistæ & hæretici, probat Augustinus *libro secundo citato, capite trigesimoprimo*, quanquàm in eo errabat hic hæreticus, quòd suis istis regulis occurri omnibus difficultatibus iactabat, & multis quidem per eas satisfieri non negamus. Vt verò dilucidè & distinctè quæ ad hunc Canonem spectant tradamus, omissis, quæ fusiùs habent Sanctius Pagninus *in Isagoge ad sacras lites.* Catharin. *opusculo de clauibus Scripturæ*, Sebastianus Episcopus Oxoniens. *in Regul. de sensibus Scripturæ*, Franciscus Ruizius *in Regulis intelligendi sacras Scripturas*, Salmeron. *in prol. 9. 10. 11. & sequentibus.* Ipsi etiam Interpretes in præfationibus, aut prologuis suorum operum, & expositionum; Scholastici quoque *in prima parte q. 1. art. 10.* Gillius *libro de Deo, tractatu 7. capit. 6.* & alij.

3 Aio, veri & legitimi sensus Scripturæ inquisitionem necessariam imprimis esse doctori Theologo, & Canonici iuris: non enim possumus dogmata fidei explicare, vel tueri, neque ius diuinum, quod est fons iuris omnis Ecclesiastici, tradere ex falso sensu & sententia Scripturæ, in qua sola traditur vel explicitè, vel implicitè. Habendus igitur est verus Scripturæ sensus, hoc est, à Spiritu sancto intentus, cuius solius voluntas ius facit, & legem ponit. Ille verò sensus plerumque obscurus est, & latet: Inuestigandus igitur est. Aliud verò est verum & legitimum sensum inquirere & inuenire; aliud qualis ille sensus verus & legitimus sensus, quærere, & de illo affirmare. Cùm enim duplex sit Scripturæ sensus in vniuersum, vnus litteralis, alter mysticus, & vterque verus sit, siue in eodem loco, siue in diuerso vterque reperiatur, ita vt aliquandò quæ exprimuntur mysticè, non possint litteraliter accipi sine aliquo absurdo, eáque de causa dictum sit, *littera occidit & spiritus ædificat*, vt quæ ad corticem litteræ accipiuntur, nisi aliquid subintelligatur, aut per litteram explicentur, absurda omninò significent, vt cùm Scriptura nonnunquam Deo humana membra tribuit; alius verò sensus mysticus multo fundamento litteræ fundetur, fingatur ad arbitrium, illeque varius omninò sit, quærendum omninò est quomodò hi duo sensus varij dignoscantur, & cùm etiam sensus litteralis duplex maximè sit proprius, & figuratus, videndum etiam est, quisnam duorum istorum sit litteralis, & cui adhærere nos oporteat. Sensum quoque mysticum triplicem iam esse diximus, allegoricum, anagogicum, & tropologicum: restat dubitatio quisnam ex illis mysticus, verè mysticus & à Spiritu sancto intentus, & non ad arbitrium nostrum excogitatus sit, quamvis bonus & vtilis: nam sunt quamplurimi, & varij, atque apud Patres tum veteres, tum recentiores accuratè & piè excogitati. Quare tradendi sunt Canones, & regulæ, quibus dignoscamus, an aliquis sit sensus verus, & legitimus, & qualis ille sit an litteralis, an mysticus, & an allegoricus, anagogicus, tropologicus. Primum exequar *hoc Canone*: secundum, *duobus sequentibus.*

Atque imprimis ponendum est quod affirmat Antonin. *3. parte tit. 5. cap. 1.* §. 5. quod Apostolis suggerebat Spiritus sanctus, hoc aliis confert quotidiana in lege Domini meditatio. Quare opus est diligenti studio, & meditatione, ad eruendum verum Scripturæ sensum: ideircò varij circa hoc studium & intelligentiam Canones, & certas regulas nobis tradere curarunt. Pagnin. *in Isagoge ad sacras litteras*, Catharin. *in clauibus Scripturæ*, Sebastian. Oxoniensis Episcop. *in regulis de sensibus Scripturæ*. Ruizius, *in regulis intelligendi sacras Scripturas*, Salmeron. *prolegom. 9. 10. 11. 12. 19. & 20.* Serarius *loco citato*: quod etiam suadet Christus ipse, qui iubet *Ioan. 5.* vt perscrutemur Scripturas quæ testimonium perhibent de illo. Ea vero scrutatio non fit sine studio, & lectione diligenti, quo si non esset opus, Christus *Lucæ 24.* non aperuisset Apostolis sensum, vt intelligerent Scripturas, quas nempè non aperiente Christo non poterant intelligere, & Candacis Reginæ Eunuchus Philippo roganti an quæ legeret in Isaia perciperet, non respondisset, se intelligere non posse nisi quis alius sibi ostenderet. Neque tam multi essent Patres in exaggeranda diuinarum litterarum obscuritate, & profunditate, cum August. *epist. 3. 119.* Irenæ. *lib. 2. c. 47.* Origen. *contra Celsum lib. 7.* Chrys. *homilia 40.* Ambr. *epist. 44.* Hieronym. *epistola ad Paulinum*, & *epistola ad Algas. quæst. 8.* si illæ omnibus peruiæ paterent, & omnibus intellectu faciles essent: neque ipsi Patres tantam industriam, & laborem in hoc studio adhibuissent: neque denique tot exorta fuissent hæresean monstra, quæ diutiùs vexarunt Ecclesiam, ex praua interpretatione, & intelligentia Scripturæ. Neque denique laborarent & Interpretes, & Patres in tradendis veræ, & germanæ interpretationis regulis, ne in hæreticorum insaniam, qui cuique fideli, & peculiari spiritui credunt, incideremus. Quæ etiã intoleranda nugacitas ipsâ ratione reiicitur: nam hæc facultas interpretãdi, vel cuilibet fideli conuenit, vel quibusdam fidelibus, videlicet piis, & sanctis, siue singulis, siue in vnum coactis, & congregatis communi sensu, & rogatis sententiis ac suffragiis exponentibus: primum dici non posset; non enim errassent ex spiritûs reuelatione dicentes, cum ille spiritus non sit spiritus

erroris; eos tamen suâ illâ expositione, in hæresin lapsos, & alios in eam induxisse constat, quod monet Augustinus *lib. 7. ad Genes.* non etiam communicatur hæc vera intelligentia scripturæ cuilibet pio, & sancto, inde patet quod plurimi, etiam pij in innumerabiles impegerint errores; vt vides in Origene, Tertulliano, & aliis, quod idem de cœtu similium ostenditur, cùm & aliquæ hæreticorum Synodi pessimè quoque cæcutierint in exponẽdis scripturis. Cùm denique de intelligentia hæresis, non de scriptura sensus, non sermo sit crimen, vt inquit Hilar. *lib. 2. de Trinit. ac proinde tota præcipuaque lis de sensu sit, non de littera, aut scriptura quæ obscura & peruia non apparet*, statim videmus magno studio, & diligentiâ inuestigandum esse sensum ne erremus, & turpiter labamur. Itaque aliquos vitandi errores, canones comparare nobis debemus.

5 Primus est: sensus loci scripturæ repugnans cum alio loco, non est à Spiritu sancto, neque proinde verus, & legitimus, congruens cum veritate alterius, non statim legitimus esse sensus ostenditur, nisi ab altero explicetur, siue nisi vnum alium explicet. Ita S. Thom. *q. 4. de potentia, art. 1.* nam cùm verum non opponatur vero, sensus verus non potest opponi vero alteri sensui, qui proinde nequit esse intentus à Spiritu sancto; ideoque Paulus dicit anathema illi qui aliud annuntiaret Euangelium ab illo quod ipse Galatis prædicarat. Eadem de causa Hæretici nihil recipiunt quod vel ipsorum non faueat hæresi, vel illam impediat; quod de Manichæis testatur Aug. *hæresi 46. & lib. 28. contra Faust. cap. secundo*, & de omnibus passim hæreticis Tertull. *libro de præscript. capite 17.*

6 Quod denique in eodem canone addebam, licèt alicuius scripturæ sensus verus sit, non sequi statim locum alterum ipsi non repugnantem trahere eundem sensum legitimum & intentum à Spiritu sancto: nam duæ veritates possunt esse conformes inter se, non tamen necesse est vt Spiritus vtramque illam per diuersa loca designare voluerit, neque vt omnia fidei veritas tradatur quolibet scripturæ loco, quare potest sensus, vt locus quoad veritatem sit congruus alteri loco; non idcirco tamen sit accommodatus illi ad cuius expositionem affertur. Quod vides in diuersis locis, quæ ad probandam Trinitatem afferũtur, v. g. 1. Epist. Ioan. cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, &c.* Inde tamen non conficies tria sata frumenti quæ *Matthæi 5.* mulier absondit in farinæ satis tribus, rectè ad significandum mysterium Trinitatis afferri. Loca tamen quæ à Christo, vel Apostolis & Euangelistis afferuntur, intelligenda prorsùs sunt secundùm sensum quo ab illis adducuntur, v. g. *Osee 11. Ex Ægypto vocaui filium.* quod Matth. *cap. 2.* testatur impletum esse à Christo redeunte ex Ægypto, ita omninò est explicandum, siue literaliter, siue mysticè. Isque sensus est verè à Spiritu sancto intentus, quod vnum modo quærimus.

7 Secundò, sensus ex traditione Apostolica habitus, verus & indubitatus scripturæ sensus est: traditur ab Augus. *lib. 3. contra Faust. cap. 5. & lib. 28. cap. 2. & lib. 33. cap. vlt. Quapropter vos admoneo vt si authoritatem scripturarum omnibus præferendam sequi vultis, eam sequamini, quæ ab ipsius præsentia, Christi temporibus per dispensationem Apostolorum, & certas ab eorum sedibus successiones Episcoporum, vsque ad hæc tempora toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata peruenit.* Tertull. libro quarto contra Marc. capite 5. *His ferè compendiis vtimur cùm de Euangeliis, fidem aduersùs hæreticos expedimur, defendentibus, & temporum ordinem posteritati falsariorum præscribentem, & authoritatem Ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem.* Similia dabit Irenæ. libro primo, capite 63. *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo secundùm successiones Episcoporum, quæ peruenit vsque ad nos custodita sine fictione scripturarum, tractatione plenissima, neque ablatione recipiens. Lectio sine falsatione, & secundùm scripturas, expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia.* Ratio huius regulæ est, quia Apostoli neque in scribendo, neque in explicando sacras litteras errare potuerunt, cùm ipsos Spiritus docebat vt magister, & qui à Christo audierunt, vt ea probe ac verè intelligerent, & quæ deinde docturi deinceps erant, & Christus ipse ante suam ascensionem aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, *Ioan. 14. & Luc. 24.* quare dubium esse nequit, sensum scripturæ eiusmodi traditione Apostolica perpetuò acceptum, verum & legitimum esse.

Sensus Scripturæ à tota Ecclesia traditus, & approbatus, est legitimus. Hunc canonem nemo vnus Catholicus reiicit. Totam porrò Ecclesiam appello vel per vniuersum orbem diffusam vnà cum suo visibili Capite Romano Pontifice, cuius est omnia membra dirigere, sicut & membrorum caput sequi in iis quæ pertinent ad fidem: vel appello totam Ecclesiam per repræsentationem in Concilio vniuersali: vel denique in ipso capite totam Ecclesiam dirigente. His enim tribus modis considerata Ecclesia vniuersalis non potest circa fidem errare, cùm sit columna, & fundamentum fidei: atqui Scripturæ sensus ad fidem maximè pertinent: in illis itaque pro veris & legitimis assignandis errare nequit. Illum igitur pro legitimo habere debemus, quem illa vt verum, legitimum probabit: & tunc non habetur sensus huius, aut illius, sed communis. Sapienter enim Augustinus libro 12. Confess. capite 25. *Veritas tua, Domine, nec mea est, aut illius, vel illius, sed omnium, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur eâ: nam quisquis id quod tu fruendum omnibus proponis, sibi proprio vindicat, & suum esse vult quod omnium est, à communi propellitur ad sua, id est, à veritate ad mendacium.* Tertull. libro de præscript. capite 19. *Solùm disputandum est quibus competat fides ipsa, cuius sunt Scripturæ, à quo, & per quos, quando, & à quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illis erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum.* Cùm igitur constet Ecclesiam solam habere veras Scripturas, de iisque definiri, neque tales haberi posse quæ ab illa reiiciuntur, vel non approbantur, ipsam etiam verum, & legitimum sensum Scripturarum habere omninò necesse est. Si enim illo sensu careret, nihil haberet nisi inutilem characterem. 8

Sensus communi Patrum consensione receptus, probatus, & confirmatus, verus & legitimus habendus omninò est: quia ita iubet Ecclesia fidelibus quos omnino iubet iuxta Patrum mentem Scripturas exponere. Quando neque traditio Apostolica, neque definitio Ecclesiæ, neque communis consensio Patrum, qui ea in re diuersa sentiunt repugnant verba scripturæ in propria significatione, quantùm fieri potest, accipi debent, nisi indè sequatur aliquod absurdum in fide. Hanc vniuersalem regulam tradunt passim Interpretes, & sæpius Patres, qui monent vtrumque extremum interpreti vitandum esse, ne aut omnia per metaphoram interpretetur, quam vbique fingit, 9

fingle, aut ita cortici litteræ inhæreat, vt in pleraque perabsurda incidat, &, vt ait Cyrill. *lib. 9. contra Iulian.* ne in carne permaneat. Quæ eadem monet Hieronym. *in caput 5. ad Galat.* & alij. Neque ita sono & cortici literæ adhærendum est, vt in absurda, & sæpiùs Deo indigna deueniamus: quare sapienter August. *lib. 8. de Genesi, capite secundo*, sic verum describit interpretem: *Sanè inquam, quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt secundùm litteram accipere, id est, non aliter intelligere, quam littera sonat, & potest cauere blasphemias, & omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solùm ei non est inuidendum, sed præcipuus, multumque laudabilis intellectus habendus est. Alioquin si absurdum sequitur, ad metaphoricum sensum recurrendum erit.* Quod sæpiùs monet idem Augustinus: neque aliud dicunt Patres, qui monent aliquando non sumendam esse puram litteram, & sensum litteralem: aliquando reprehendunt eum Nysseno *de vita Mosis* Athanas. *de communi essentia trium personarum.* Denique citatus Hieronymus in caput 5. ad Galat. *Multorum malorum occasio est, si quis in scriptura carne permaneat.* Quàm verò hac in parte errauerint hæretici, & Nouatores, obuium est.



CANON V.

De sensu litterali.

1 Vm duo præcipui scripturæ sensus sint litterarius, & mysticus, & primus ille sit alterius fundamentum, prior priori proinde loco stabiliendus est, ideoque de priori & litterali primo loco agendum est, in eóque eruendo laborandum erit. Et quidem imprimis ponendum est, quod proximè monebamus, in scripturis semper verborum proprietatem retinendam esse, nisi bona quædam ratio tropum suadeat, quod euidens ratio probat, quia in communi sermone verba vsurpamus secundùm propriam significationem, alioquin indigebimus perpetuò lexicis, nullaque fides in communi consuetudine retineri poterit. Vsus amphibologiarum, æquiuocorum, & restrictionum mentalium, & aliæ verborum hallucinationes, delusiones, & fallaciæ, licitæ omninò essent, quæ in causa Religionis potiori iure reiiciendæ essent. Vide quid Zuinglius suâ figuratâ, & metaphoricâ dictione garrierit de figura corporis Christi in Eucharistia, scelusâ realitate: & inceperunt ita sanè aliqui, vt baptismum fieri per tribulationes finxerint, quia aquæ significatione tribulationes interpretantur ex illo Psalmi: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, &c. Quia verò tùm Latinus, tùm Græcus textus habent sibi plura propria, vix intelligi & capi poterunt sine peculiari aliqua animaduersione. Obseruandæ sunt

2 Primò peculiares quædam phrases & idiotismi, tùm Hebræi, tùm Græci, qui retinentur sæpiùs ab Interprete Latino, & reddunt etiam nonnumquam sensum obscuriorem, & aliquando minùs correctum & solœcismis infectum, quod idē dicendū est de quibusdam particulis, quibus turbari potiùs videatur oratio, quàm ligari & vinciri, cùm nihil appareat quocum vinciatur: vt cùm inchoantur nomina per, *&, ab, autem, ergo*, vt in *Leuitico, Numeris*, & *alibi* sæpiùs videmus contingere: quidquid enim sacri Scriptores animo contemplarentur, quod iis particulis coniungerent, fictitium sanè est.

3 Secundò, cùm Hebræi casibus careant, eodémque nomine inuariato per omnes casus vtantur, fit vt etiam Interpretes casum pro casu vsurpent. V. g. 2. Cor. 8. v. 23. *siue pro Tito, siue fratres nostri.* dicendum enim esset, *fratribus nostris*: quâ simili ratione verborum tempora mutant. Nam vtuntur præterito pro præsenti & imperfecto, quo carent: pro comparatiuo, & superlatiuo, vtuntur positiuo, aliisque modis eam comparationem exprimunt, neque sæpè adhibent particulam similitudinis, & comparationis.

4 Tertiò, cùm nomina radicalia siue primitiua, à quibus cætera formentur, aut deriventur paucissima sint apud Hebræos (numerantur enim tantum 10. radices) fit vt vnum idémque nomen, verbum, & sententia pluribus diuersisque rebus significandis designetur, indéque ex ingenti sylua ambiguorum verborum, & nominum nascuntur diuersæ interpretationes, etiam alicuius eiusdémque nonnũquam loci variis occasionibus, & temporibus. Qua ratione se excusat Hieronymus *libro primo aduersùs Ruffinum*, qui ei obiiciebat quòd *Psal.* 2. vertisset, *Osculamini, vel adorate filium*, vbi LXX. vertissent, *Apprehendite disciplinam.* & deindè in vertendo psalterio dixisset, *Adorate* purè, quia Hebræa vox ambigua erat, ad illa omnia significanda. Plura alia illustria exempla huiusce rei dabit Tirinus in idiotismis.

5 Quartò, propositionum & coniunctionum varia admodum vis & significatio est, quod pluribus ostendit Tirinus *ibid.* quod etiam de particulis admirantis & stupentis demonstrat.

6 Quintò, quoties plures proprietates habent, res totidem nominibus appellari solent, quæ tandem eandem rem designant; quod aduertendum diligenter est, ne facilè ludamur, sicut & diuersorum animalium, arborum, aliarúmve specierum nomina, quibus carent, & quæ cum nostris aptamus, facilè ludimur: quod Tirinus aliique passim obseruant. Quare neque in illis accuratè explicandis, nostrisque hodiernis & vsitatis aptandis, immorari oportet, cùm vix aliquid certi, nisi ex aliis locis, assignare possimus: & tum Rabbini, tum nostri Doctores dissentiant.

7 Sextò, sæpiùs nomina propria & gentilitia aliquod mysterium, aut rem aliquam particularem designant, quæ aduertenda sunt; nam illud significatum manet pro nomine proprio. Sic 26. *Genes.* pro propriis nominibus puteorum, ponuntur propria illorum *calumnia, inimicitia, latitudo, siue abundantia*, & Iobi filiæ *cap. vltimo* vocantur, *dies, Cassia, Cornustiby.* Oseæ filia dicitur, *absque misericordia* filius, non *populus meus*, & alibi sæpius apud Tirinum.

8 Septimò, vni eidémque personæ plura nomina addebantur, quod obseruandum omninò est; sic enim magna dissidia componuntur. Vide Tirin. in *idiotismis*; quod verius est in appellatiuis. Sic decem tribus Israël sæpius vocantur Ephraïm, Ioseph, ac etiam Samaria, quæ sedes Regum illorum erat, Israël vel Iacob, erat enim maior populi pars, duæ reliquæ tribus dicuntur Regum Iudæ, Domus Dauid, Hierusalem, Sion. Post captiuitatem Babylonicam. Israël, & Iuda, indiscriminatim vsurpantur pro Iudæis quibuscumque in Iudæam reductis, qui etiam maiori ex parte erant ex tribu Iuda.

9 Octauò, Oriens, Occidens, & reliquæ regiones assignantur comparatione ad Vrbem Hierosolym. & Palæstinæ: ex ea comparatione sumunt Austrum, Aquilonem & Meridiem.

10 Nonò, in subducendis numeris, numerum plenum, & rotundum ponunt Scripturæ, minori numero siue deficiat, siue excrescat neglecto, sic dicuntur LXX. interpretes, cum fuerint 72. *& Iudic. c. 9. v. 18.* dicuntur interfecti ab Abimelecho septuaginta filij Ierobaal: non erant tamen, nisi 68. deerant enim,

ipsemet Abimelech, qui eos interfecit, & Ioatham natu minimus qui eoalin

11 Decimò voces *æternum, sæculum, generationes*, & aliæ eiusmodi non significant passim absolutam æternitatem, siue durationem interminabilem, sed solùm diuturnam, & longiorem durationem. Similes sunt aliæ particulæ, vt, *ampliùs, non vltrà*, & alibi, modò completè, modò incompletè capiuntur, & in rebus aliis pars pro toto, & caro pro toto homine, caput pro homine. Quò referas varios trapos, vt ironiam, cathachresin, hyperbolem, metaphoram, hypallagem, enallagem, & frequentes alias figuras adhibent, quæ sensum figuratum, licèt verum, & litteralem in communi loquendi modo faciunt.

12 Qui omnes, aliíque loquendi modi aduertendi sunt, & plurimùm facient ad verum sensum litteralem eruendum: & imprimis aduertendæ sunt, vt iam monui, quæ ad Scripturæ phrases, & idiotismos, & quæ ad nostri temporis controuersias spectant ex August. *tract.* 5. *in Epistol. ad Ioan.* Tertiò quæ videntur antilogiæ; cùm nullo tamen modo sint. Quartò collationes locorum instituendæ, quæ agunt de eadem re.

13 His adde quæ ad cuiosque statum, institutionem & finem faciunt. Sextò monet sanctus Augustinus quæ in sacris litteris apertè posita sunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi solertiùs, diligentiúsque inuestiganda sunt. Mitto alia quamplura ad studium Theologicum; sic enim vocant scripturæ eximium, & illustre studium, de quo vide quatuor sancti Augustini *libros de doctrina Christiana*, quos accuratè perlegas velim. Abbas Nesterius apud Cassian. *Collatio.* 14. *capite secundo, nono, & decimo.* Sanctus Bonau. *Sermone* 19. *in Exahameron*, vbi quatuor huius studij conditiones, ordinem, assiduitatem, complacentiam, commensurationem diligenter, & vtiliter pertractat; illum adi. Sed omnium fusissimè de hoc studio scripsit eruditissimus Serarius, & de iis omnibus quæ ad hoc studium facere possunt, & ad eruendum verum sensum litteralem: in eo enim potissimus debet esse labor, qui dabit etiam nomina potissimorum interpretum, quod & præstitit Sixtus Senensis *lib.* 4. & 5. *sua bibliotheca sancta.* Sanè plurima in eo volumine perbona habentur, quæ legisse non pœniteat. Ribera quoque de præstantioribus expositoribus quædam dedit *in præfationem Aggæi*, & *in proœmio Zachariæ*, atque etiam *in proœmio Malachiæ*, quibus locis suum etiam consilium confert; illum adi.



CANON VI.

De sensu mystico.

1 PRÆCIPVVS est alter hic sensus quem tanti faciunt Patres, quem animum, spiritum, fructum & radicem arboris, librum intùs & exteriùs scriptum aliisque variis nominibus donant, & in quo plurimi sunt Gregorius, Ambrosius, Origenes, aliíque. Sectandus igitur iste sensus vbi litteralis primo loco positus fuerit, sed nimia in eiusmodi sensu facilitas laudanda non est. Immò illam Benedictus Arrius *tomo* 1. *problematum Theologicorum loco* 35. reprehendit in Patribus, atque in ipso etiam Hieronymo, quamvis & ipse rarior sit in illis adducendis. Cauendum igitur, ne qui contra fidem eliciantur, vti notat Augustin. *contra Donatistas Epistolà* 48. *libro de vnitate Ecclesiæ, cap.* 14. & 19. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 1. Epiphan. *hæresi* 33. Videndum quoque, ne per sensum eiusmodi mysticum historiæ veritas tollatur, vel ea ignorata, aut non satis expensa eiusmodi sensus mystici fingantur. Debet enim historia esse fundamentum eiusmodi sensuum, significari siquidem rebus, quæ verbis ipsis, & à littera significentur, quare vel sciri omnimodè debent, vel expendi eæ res quæ verbis significantur, alioquin non poterunt cognosci rebus quæ significarentur. Vbi verò res aliquæ rebus aliis significantur, sunt sensus mystici, vti aliàs explicuimus: & quamvis in his sensibus prosequendis liberiores aliquandò sint Patres, culpandi tamen, & arguendi facilè non sunt, & dum commodè exponi non possunt, in sensu mystico & accommodatitio explicari, & semper suâ authoritate magni fieri poterunt. Neque licebit proptereà cuique ad libitum sine magna aliqua causa, quacunque ratione eiusmodi expositiones excogitare, atque adeò vbique pro suo ingenio fingere. Sic enim omnia vbique liceret reperire, & excogitare, & perplura sequerentur absurda, & quæ aliena sunt inuicem copulare. Sapienter igitur monet Franciscus Ribera *præfat. in commentarium Malachiæ*, paucas omninò eruendorum sensuum mysticorũ leges, & præcepta nosse; nam aliqui audacter, & veluti ex Tripode eos mysticos sensus proferunt; cùm tamen historicum ignorent, & ignorare velint, fortassis vt conscientia non reclamante licentiùs, ac securiùs aberrent. Ea in parte peccasse se fatetur Hieron. *in Abdiam*: *In adolescentia*, inquit, *mea prouocatus ardore & studio scripturarum, allegoricè interpretatus sum Abdiam prophetam, cuius nesciebam historiam. Veniam merebatur adolescens ardens studio sacrorum librorum*, qui præsertim indefessis tot annorum laboribus, senex compensauit quod defuit adolescenti; at illi non merentur qui in adolescentia & in virili ætate, atque adeò in senectute temerè proferunt quæ non norunt, nihil que in Prophetis, & in cæteris libris tam reconditum, & obscurum, quod interpretari non audeant, cum nihil ferè sit tam perspicuum, quod seriò aliquando euoluerint, aut didicerint. Hæc igitur habeto ex Ribera.

2 Primò, vbique præferendi, qui regulam fidei catholicæ in exponendo sequuntur, vt nihil affirment, quamvis elegans & plausibile videatur, quod à recta Ecclesiæ fide vel minimum discrepet: qua in re peccauit Origenes, homo audax, & temerarius, adeóque suorum errorum pertinax amator, vt quidquid in mentem venerit, continuò iudicet spreta Ecclesiæ auctoritate, vti habet Hieronym. *in prolog. libro* 5. *In Isaia liberis*, inquit, *allegoriæ spatiis euagatur, & interpretatis nominibus singulorum, ingenium suum facit Ecclesiæ sacramenta.* Plurima alia fusiùs affert in Origenem Ribera loco citato.

3 Secundò, in sensu mystico præponendi sunt aliis omnibus qui studiosè retinent conuenientiam, & côiunctionem historiæ cum allegoria. Historiam voco perpetuò sensum litteralem; allegoriam verò sensum spiritualem, quicunque ille sit, siue sit vera allegoria, vel anagogia, vel moralis, ex mente veterum. Est porrò historiæ, & allegoriæ conuenientia cum ambæ, vel lætæ vel tristes sunt; non vna, tristis, altera læta, neque de minis & suppliciis eruamus allegoriam blandientem, & prospera nuntiantem: & si laudat historia, allegoria non terreat. Commendandus hac in parte Origenes. Hieronymum non semper imitandum monet Ribera *in proœm. in Malach.* quandoque enim historiæ oblitus contrariam profert allegoriam, vt in *Nahum capit. tert.* & ad illud Habacuc 1. *Ecce suscitabo Chaldæos*, atque

alibi

alibi: immò id fieri posse docet illo capite tertio Nahum. *Cernitis*, inquit, *quàm confragosa loca sint, & aduersa historia veritati, & quomodo ea quæ secundum litteram super Chaldæis interpretati sumus, nunc iuxta tropologiam videantur honorare clementiam, & libertatem eorum qui de Chaldæorum manibus euaserint. Historia stricta est, & euagandi non habet facultatem. Tropologia libera, & his tantùm legibus circumscripta, vt pietatem sequatur intelligentiæ, sermonisque contextum, nec in rebus tantùm inter se contrariis violenta sit copulandis.* Quanquam ipsemet Hieronymus interdùm eiusmodi allegorias, vt parùm aptas reiiciat: nam *in cap. 5. Osee*, negat Bethauen esse posse figuram Ecclesiæ: quia Bethauen domus idoli est. Et capite 10. *impium*, inquit, *est, quod iuxta historiam de Rege intelligitur Assyrio, iuxtà tropologiam ad Christum referre.*

4 Cauendum igitur ab eiusmodi allegoriis & tropologiis, quæ dedecent personas quibus adaptantur; estque euidens ratio. Sicut enim sensus historicus est ille dumtaxat, quem verba propriè, aut figuratè, vel translatè sumpta significant: ita sensus spiritualis non est, nisi quem res illis verbis significatæ per similitudinem reddunt. At læta non sunt similia tristibus, neque minæ promissionibus, neque seuera clementibus, neque bona malis, neque captiuitas libertati, & cætera eiusmodi inuicem pugnantia. Quæ igitur allegoria aduersatur historiæ, illius ipsius historiæ sensus dici, & haberi non potest, sed eius, qui eam commentus est, quique potiùs verba considerauit, quàm res ipsas attendit: cum tamen allegoria pendeat à rebus.



CANONES

singulis diuinis libris explicandis peculiares.

1 AVCISSIMA, vt vides, cauenda ad diuinorum librorum expositionem monuimus: non enim modò id agimus vt diuinorum mysteriorum interpretes agamus, qui occasione dumtaxat diuini iuris positiui, quod ex solis diuinis libris eruimus, huc delapsi sumus. Quare his contenti erimus, neque immensam ferè operam imprudentissimè comprehendemus hoc opere, alieno omninò loco. Ne tamen de diuino iure nihil omninò diceremus, paucissima illa attigisse in vniuersum volumus, quibus, & pro singulis libris cautiones apponendas breuiter duximus.

2 Primò, atque imprimis retinendus est sacrorum librorum ordo qui habetur apud Latinos in vulgatis, quanquam Augustin. *in Speculo* post Paralipomenon interserat Ruth, & alios quosdam libellos: non nominat etiam Abdiam, & Ionam; quia ex illis nulla præcepta in *suo Speculo* collecturus erat.

3 Secundò, in Lxx. Græcis Romæ editis anno 158. sunt libri veteris testamenti, licet non semper eodem ordine, est tertius Machabæorum.

4 Tertiò, apud Hebræos nullus erat certus diuinorum librorum ordo: deindè varius fuit apud Thalmudicos: multiplicem dabit Serarius *c. 27. prolegom. q. 4.* Hæreticorum verò ordinem varium quoque *quæstione 5.*

5 Quartò, soli canonici libri exponendi, quamvis & alij libri legi, & vsui esse possint, atque alicuius auctoritatis, vt & alij auctores, qui non superant fidem, & auctoritatem humanam. Neque habendus est sacer Scriptor qui non sit canonicus. Habes decretum Tridentinum *sess. 4.* cui omninò adhærendum est, debétque nobis solius Ecclesiæ auctoritas sufficere, vt quispiam liber habeatur canonicus. Vide Serarium *capite 7. prolegom.* quo toto agit de Bibliorum auctoritate.

6 Quintò, cuiusque libri argumentum, auctor, occasio, & tempus scriptionis, initio quærendum erit: inde enim plurima ad verum sensum, & intelligentiam eruentur.

7 Sextò, toto & continuo contextu examinandus erit vnus aliquis liber, vbi de solida eius expositione agetur: neque ex disparatis eius locis quidpiam certi poterit colligi.

8 Septimò, cuiusque Scriptoris peculiaris character, idiotismus, phrases, & alia similiter, sunt diligenter annotanda.

9 Octauò, nihil prorsùs negligendum, aut parui faciendum est.

10 Nonò, de Patrum sensu perpetuo magnificè loquendum, non tamen vbi eum sensu historiæ, & litterali pugnant, vnquam sequendi; sed ab illis cum honore discedendum; & si liceat illos cum vera sententia conciliare, id faciendum erit, maximè in concillanda vulgatâ versione cum Hebræo, & Græco, laborandum: quod aliàs monui fieri ab eruditis posse, mutatis punctis. Quoad pronuntiationem verò, & lectionem, illam Lxx. à maioribus acceperunt, à quibus cum dissentiam recentiores, patet eos innouasse. Circa hæc & similia vide Apolog. Leonis Castrij in sex libros diuisam.

11 Decimò, certus Canon Scripturarum est, vt quando manifestè verba prophetiæ competunt Christo, defendamus esse litteralem, ne per allegoriam prophetia extenuetur. Hanc regulam tradit Tertullian. *libro de resurrectione carnis, capite 14. & 15.* & *libro aduersus Praxeam cap. 9.* Hieronym. *in Zach. cap. 9. & 14. & in Malach. capite primo.* Origen. *libro secundo contra Celsum. Quarum Iudæi intelligere dumtaxat prophetias allegoricè de Christo, vt prophetiis non ligentur, sed illas per allegorias rideant.*

12 Vndecimò, nulla apud nos debet esse Massorethærum auctoritas, nulla credulitas: qua de re vide Castrium *lib. 1. apolog. capit. 55. & 56. & vltimo cap. sub finem; & libro 2. c. 20.*

13 Duodecimò, cauendum ne prophetias & alia loca mysteriis prægnantia ad Hæbræorum idiotismos reuocantes exponamus quoad nuda verba dumtaxat: sic enim plures prophetias, & fidei dogmata labefactant: quod ostendit Leo *capite vltimo citato.*

14 Decimotertiò, aduertendum etiam est quantum inter Massorethas & Lxx. discriminis sit, quantum ad dispunctionem: nam Lxx. alias vocales addiderunt consonantibus, aliter etiam quàm illi dispunxerunt. Voces quoque legerunt coniunctim, quas Massorethæ diuisim, & è contrario. Porrò Lxx. lectionem, & dispunctionem sequuti sunt Christus & Apostoli; quod constat ex citationibus in nouo Testamento. Vide eundem Castrium *libro secundo, capite 19.*

15 Decimoquartò, voluere iam pridem Iudæi per suum (*quære*) *Cherib*, id est *lege. scribe*, tegere corruptelas Hebræi contextus; nam, cùm dicunt aliter legendum quàm scriptum est, hodie in excusis, statim apparet, hodiernum contextum esse vitiatum, & aliter olim, ac meliùs lectum. Plura exempla colligit Leo Castr. *Apolog. libro 2. cap. 56.*

16 Decimoquintò, obseruat Martinus Del-rio *in pro-*

loquiis phari sui notas quibus veritas nostræ vulgatæ versionis defendi possit, contra nouatores, & rabbinisantes.

17 Primò, quandò prima lectio Hebræa admittit vtramque interpretationem, *Christiani pectoris non est* (inquit Hieronymus) *Iudaicam sequi.*

18 Secundò, quandò voces Hebrææ habent multiplicem significationem, inuestigandum est primarium significatum, quo se abstinuit vulgatus & id non sine causa omisit.

19 Tertiò, an vox Hebræa ibi locata diuersas radices habeat, & credendum potiùs nostræ significationi quàm Iudæorum. Neque ea in parte fidendum punctis, & regulis Massoretharum.

20 Quartò, quandò vel sunt prophetiæ de Christo, vel ea versio confirmat alterius loci versionem, in quo continetur prophetia de Christo, videndum ne Iudæi corruptione, litterarum mutatione, distinctione, & punctorum varietate quidpiam vitiauerint, & aliis modis, quos enumerat Del-rio. Hæc & alia Martinus Del-rio eruditissimus scriptor, quæ in vniuersum annotasse sufficiat, quo ad eruendum ius diuinum positiuum, ex sacris libris: neque enim illud aliunde certò colligi potest, vti sæpius diximus.



PRINCI



PRINCIPIA, ET REGVLÆ IVRIS CANONICI, siue Ecclesiastici.



Ccepto ius Canonicum provi contrà-distinguitur à iure naturali, & diuino positiuo; quæ iura vel supponit vel adducit, & illustrat ius Canonicum: tria siquidem illa iura scientia Canonica considerat, & simul docet, atque hoc quidem initio certa quædam pronunciata, à quibus nunquam discedat ponit, quæ & vniuersalia sunt, & facilis atque euidentis intelligentiæ, qualia in omnibus scientiis & artibus deprehendimus. Sanè ipsi affinis iuris ciuilis scientia similia principia habet, hortantúrque Doctores studiosos omnes iuris primam operam in illis titulis *de Regulis iuris, & de verborum significatione,* ediscendis ponere. Simile quid faciunt Canonici DD. circà similes titulos de regulis iuris, & verborum significatione: quare vtriusque tituli breuem expositionem dabimus. Inde enim magna lux reliquæ nostræ scientiæ affulgebit: neque alium in explicandis harum regularum ordinem, quàm passim obuium sectabimur, commentatorum vestigia secuti, & quæ paucis comprehendere licebit, exponemus, ne totum ius Canonicum simul comprehendere velimus. Facilius enim esset totum quantum quantum est ius Canonicum simul explicare, quod tamen minus commodum videretur. Quæ verò explicandis eiusmodi regulis continentur, vel ad alia fusius explicanda reiicientur, vel paucis designabuntur, vt suo loco tota latiùs materia clarè & solidè exponatur. Hæ verò Regulæ vel à quibusdam conciliis indictæ sunt, vel à conciliis vniuersalibus positæ, vel communi quodam consensu & conspiratione acceptæ: quæ omnia indicabuntur. Quia verò aliquæ quædam sunt regulæ iuris politici; aliæ Iuris Canonici, quamvis omnes legitimæ & firmæ sint, earum discrimen indicabimus. Ordinem porrò illarum regularum non sequemur, quàm quem *in 5 de regul. & in 6. eodem tit.* legimus.

Supponimus verò quæ pridem de Regulis & principiis diximus in vniuersum; neque enim habent aliquid peculiare hoc loco.

REGVLÆ RELATÆ

Lib. 5. Decretal. tit. 41.

REGVLA PRIMA.

Res omnes dissoluitur per res, per quas contrahitur.

HÆc Regula, quam sumptam volunt ex *hom. 32. in Matth.* ex opere imperfecto, non est vniuersim vera: plurima enim fiunt, quæ non eadē facultate dissoluuntur, vt composita naturalia, & plurima quæ vbi producta sunt, perseuerant, neque desinunt, cùm non pendeant à sua causa effectiua in conseruari. Nam vua pendet à vite, & frumentum à germinante, cùm tamen à sole continua productione conseruari oporteat. Itaque Regulam illam non de compositis naturalibus, sed de artificialibus, aut etiam ciuilibus intelligi oportet. Deindè vsurpatur in iure de obligationibus temporalibus, & quasi contractibus, quæ quasi quibusdam actibus, & mutuo quodam consensu & contrahuntur, & dissoluuntur: in obligationibus verò spiritualibus idem non semper contingit; quamvis enim vero & legitimo consensu ineatur matrimonium, solo tamen dissensu non dissoluitur neque disrumpitur vinculum. Qui legitimè & Canonicè electus est, beneficio non reiicitur inuitus. Itaque fœdera pacta, contracta, conuenta, sponsiones, instituta, leges, priuilegia, & cætera, quæ pendent ex libera voluntate eorum, qui illa inivetunt, statuerunt, imposuerunt, &c. onera, leges, mutationes, vectigalia, vota, quorum firmitas pendet ab aliena voluntate: & denique testamenti voluntas à superstite testatore. Vides itaque eiusmodi Regulam non esse vsqueadeò veram, cùm multa semel posita dissolui non possint. Vt itaque vniuersalis sit Regula, debet res posita permanere in suo esse, conseruari, & non tantùm produci ab iis causis, à quibus posita est: tunc enim per easdem causas à quibus fuerit posita, dissolui poterit.

REGVLA II.

Quæ dubia sunt, in meliorem partem interpretari oportet.

NOn disputo de dubia opinione, suspicione quæ alias excussimus: ad hæc enim digredi non postulat Regula; nihil enim aliud postulat quàm vt quæ fiunt, interpretemur in meliorem partem, siue de personis, siue de rebus agatur: & ne cuiquam crimen vel non certum inferamus, vel illum, vt ait S. Thom. Iniuriemus, & contemnamus, neminem à bono auertamus, & denique dum vnum defendere volumus, illi non noceamus. Quæ omnia ex æquo pensanda sunt, atque omnia quæ ad iudicium temerarium, perpendenda, quorum fusior erit *alibi* disquisitio.

REGVLA III.

Scandali metu, veritas deserenda minimè est.

HÆc est sancti Bernardi mens *Epistola* 84. imprimis enim vitæ nostræ integritas violari non debet, & ne offendatur proximus violandum ius. Secundò quæ à Deo sunt præcepta pro aliorum salute, seruanda sunt. Tertiò, quæ ad salutem necessaria seruanda non sunt, vbi de eorum salute agitur omitti poterunt. Quartò, quandò monitis, salubri doctrina, institutionibus, & exemplis, iure merito timetur potiùs offensio, exasperatio, & multò grauiora mala, quàm ea quæ modò toleramus, nulla emendationis, & veniæ, aut profectus spes, omittenda est illa emendatio. Quintò, quoties aliorum bona, nostræ fidei commissa sunt, ea, si possumus, repetere cogimur, & ab alienis recuperare debemus, ne eiusmodi neglectu pereant illa bona, licet ex ea repetitione scandalum generetur; alioquin peccamus contra fidem nobis creditam, nisi inde tantùm oriatur illud & maius malum, quod posthabere modo patimur. Sextò, si indè tamen & Religio, & fides, atque eiusmodi grande incommodum nascantur, tuenda, aut repetenda erunt illa bona, & generosè defendendum erit proximi bonum.

REGVLA IV.

Necessitas licitum facit, quod alioqui illicitum foret.

RAtio est; quia necessitas aliquando malitiã actionis tollit, quando videlicet eius malitia non est intrinseca, & ex natura actionis: cùm enim tunc circunstantia malefica possit seiungi ab actione, mirum videri non debet si actione separatâ & avulsâ maneat deindè labes abstersa: si enim aliud obstaret quàm illius prohibitio, aut iussio, necessitas tunc imminens & cogens, licitam illam redderet, ac proindè non fieret contra prohibitionem, vel iussionem. Quare tota difficultas est vt ostendatur an malitia sit ex natura rei, & ratione intrinseca, separabilis à malitia, an illi sit intimè imbibita, vt loquuntur. Quænam verò malitia sit separabilis non potest definiri, cùm plures eiusmodi malitiæ sint inseparabiles: quare melius fuerit accuratè id inquirere, quàm præcipiti ausu definire.

REGVLA V.

Quod vi aut latenter, aliáve ratione inductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

HÆc Regula pertinet ad priorem: cùm enim malitia sit nonnunquam ita intrinseca actioni, vt ab illa auelli non possit, itáque implantata sit, vt nequeant separari, quis illas inuicem separabit, nō sempèr sibi mutuò cohæreant? & maximè cùm in illa ita lateat, & aliundè implicita, & inuoluta in ea sit, necesse non est rem subsistere: id enim non fieret nisi cum maximo damno: sic enim quæ firma existimamus, nutarent & quæ nutare existimaremus, facilè subruerent.

Hic tamen non videtur Regulæ sensus, sed de iis quæ per dolum, fraudem, vim, alióve modo legibus prohibito fiunt: illa enim quæ neque laudem, neque approbationem vllam merentur, pro factis habenda non sunt, sed potiùs irritanda, quamquàm omnia eiusmodi non habeantur semper irrita: & licet illicita sint, non tamen viribus omnibus carent, & statim pro infectis habentur. Quod innumeris exemplis demonstratur: nam licèt sententia sub conditione ferenda non sit, si tamen feratur eâ ratione, ita lata tamen valet: vt Guardianus sancti Francisci prohibetur fieri per alium Guardianum sancti Francisci *Clem. Eximi. de verborum significat.* Valet tamen ea executio facta, & eiusmodi alia sunt quæ facta tenent, illicitè facta.

Notanda sunt verba Regulæ *latenter*, *per vim*, & clandestinè; qui videlicet vel in fraudem aperire tenebatur, occultat, & vi prohibet.

REGVLA VI.

Causa non est inchoanda à quæstionibus.

ITa scribit Gregorius VII. Viuatiensi Episcopo; quod etiam ab Imperatoribus imperatum & ne inciperet à tormentis. Ita Augustinus & alij, & si contrarium fiat, appellationis remedium conceditur, c. *non solent*. 2. *quæst*. 6. Neque vlla ratio apparet, propter quam torqueatur reus, cùm non sit adhuc damnatus. Verum de tortura & signis ad illam necessariis plurima dicenda sunt, & *nos tom. secundo de negotiatione*, dum de pœnis disputaremus, aliqua obseruanda diximus.

REGVLA VII.

Quidquid Domino consecratum est, lædi & violari nequit sine sacrilegio.

HÆc Regula ponitur à Bonifacio Papa, & refertur cap. nulli. 12. q. 2. *Nulli*, inquit, *liceat ignorare omne quod Domino consecratum est, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quidquid semel fuerit sanctum, Sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit sacerdotum; propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit, & vsque ad emendationem, Ecclesiæque sanctificationem, vt sacrilegus iudicetur, & si emendare noluerit, excommunicetur.* Firma igitur semper fuit in Ecclesia persuasio, res omnes Deo consecratas violari sine scelere & sacrilegio non posse, tum circa personas sacras, tum circa res ipsas committi sacrilegia, quæ idcircò variè diuidi

diuidi solent; de quibus nos *alibi*, vbi de Religione latè differemus, modò ad eius Regulæ intelligentiam, aliud non monemus quàm illam commendate venerationem circa res Deo semel consecratas, quæ veneratio latiùs patet, vt vidibimus vbi de sacrilegia fusè disputabimus, in præsentiarum dumtaxar Bonifacium velle, vt ad excommunicationem procedat Ecclesia, vbi violator rerum sacrarum non emendarit illatam iniuriam. Tridentin. verò *sess. 22. c. 18. de reformat.* varias alias pœnas adiicit, quas vide, & nos vbi de hoc scelere disputabimus, expendemus.

REGVLA VIII.

Qui ex timore facit præceptum, facit aliter quàm debet, & ideò iam non facit quod debet.

ITa vult Augustin. *libro de vera & falsa pœnit. cap. 4.* Hinc aliqui sibi persuadent, nihil timore pœnæ vnquam agendum esse, & qui metu operatur, malè agere. Alij distinguunt de timore cum seruilitate, & sine seruilitate, plurimáque alia disputant, quæ nos vbi de charitate latissimè expendemus, quibus, modò omissis, dicimus ad eius Regulæ intelligentiam eum qui operatur dumtaxat timore pœnæ, ita vt si timor ille non vrgeret, non modò non poneret illud opus, sed opus contrarium, in cuius affectu sibi complacet. Quare si quid facit, id non facit, nisi inuitus, & quadam cum fictione, sine dubio non operatur vt debet, neque iure merito mercedem operis exigit, siue non ponit nisi externam operis partem, sicue corticem, non succum, & animam. Non potest quidem argui omisisse opus imperatum, neque inde puniri; coram Deo tamen nihil egit, neque quidpiam meritus est.

REGVLA IX.

Offendens in vno fit omnium reus.

PLurimæ sunt huius Regulæ expositiones: malè enim quidam ex illa colligunt, æqualem omnium peccatorum esse aut culpam, aut pœnam, vti aliàs contra Stoïcos euicimus; admittitque fides Catholica inæqualitatem culpatum, alioquin omnia essent peccata mortalia, & æquales iniutiæ, aut crimina, aut omnia essent leuia. Sensus igitur Regulæ multiplex est, vel pro vno graui crimine excludi quemlibet à Regno, amittere charitatem, vel vnâ etiam offensâ legem violari, aliquos quia semel peccarunt damnari quandoque. Ratio à priori est, cùm quodlibet crimen à regno exturbet, & peccator nesciat an pro meritis plectendus sit, *iure merito flere debet*, (inquit Gregorius) *an eâ seueritate puniendus sit, quâ puniri debet: an verò Deus illi parciturus. Neque de sua damnatione conqueri poterit.* Vide alia apud Augustinum *libro de vera & falsa pœnitentia.*

REGVLA X.

Agit de vigilantia, & cura Pastoris.

DEsumitur ex Gregorio *in Registro*, vbi Pontifex ait, non excusari Pastorem, si lupus oues comedat pastore nesciente: debet enim prælatus inquirere & corrigere suorum subditorum excessus: Deus enim ex manibus eius requiret ouem. Quare propter supinam eiusmodi negligentiam deponi iubentur, 71. *dist. c. dictum*, & 7. *q. 1. c. si qui Episcopi, §. Ecce cum honoris.* Plura alia de custodia ouium dicentur *alibi*.

REGVLA XI.

Homagium pro spiritualibus non fit ab Ecclesia Romana.

CEnsent DD. ad vitandam simoniam, id caueri, neque etiam id seruari debere ex consuetudine Ecclesiæ Romanæ: neq; enim ex Ecclesiæ tantū consuetudine simonia caueri debet; sed quòd ex natura sua mala est, vti *tractatu de illo* vitio ostendimus aliàs. Existimarim igitur homagia quædam esse quæ debentur etiam aliquandò à Clericis. Nam Pontifex *cap. Grauem, de excess. prælat.* Archidiaconum Ambianensem, qui contra fidem datam negarat Episcopo domum suam, deponi debere damnat, beneficiis in alium translatis. Vult itaque Pontifex eiusmodi quædam debita homagia persolui, sed caueri ne ea pro aliquo beneficio obtinendo persoluantur, aut promittantur, vt Ecclesiæ integritas, & sanctitas seruetur illibata.

DE REGVLIS

iuris *sub lib. VI. Decretalium* relatis.

ATque hæ quidem Regulæ iuris *lib. 5. Decretal. titulo 41.* insertæ sunt, quas paucis exposuimus. Aliæ relatæ sunt *lib. item 5. sexti Decretalium sub extremum* illius libri, quæ & plures multò sunt & vberiorem multò doctrinam continent. Eas itaque hoc eodem loco paucis explicate placet; continent enim plures veluti definitiones quæ lucem toti nostræ Scientiæ Canonicæ affendent: quæ tamen materiam aliquam fusiùs *alibi* tractatam vel tractandam continebunt, in suum locum remittentur, ne omnia vbique pertractare videamur. Neque alium tenebimus ordinem, quàm quem collectores iuris tenuerint, appositis numetis singulis regulis.

Præmittendum imprimis est quid sit Regula. Est enim, vt iam monui, quæ regit & normam viuendi præbet breui sua quadam definitione, & sententia, vniuersaliter vel indefinitè affirmando vel negando. Non comprehendit verò exceptiones quæ reuerà in Regula non sunt, sed extra illam; alioquin ea non diceretur exceptio à Regula, & plus contineretur in exceptione, quàm in regula: & id facit exceptio, vt quod aliàs sub verbis Regulæ comprehendebatur, determinatione Regulæ, virtute exceptionis tollatur à Regula. Constituitur Regula per verba, vt disi. vniuersalia, tum affirmatiua quæ omnia comprehendunt, tum negatiua, quæ vniuersaliter negando, omnia excludunt. Item per verba indefinita quæ simpliciter probata æquipollent vniuersalibus, ideoque omnes ferè Regulæ traduntur per verba indefinita affirmatiua, aut negatiua.

Officium verò siue potestas Regulæ est, plures casus simul iungere clauo rationis, vt loquuntur. An verò Regula constituat ius nouum, an verò ius antiquum tecitet, grauis est inter DD. controuersia, quia in 88. Regulis quæ recensentur *in fine 6. Decretal.* vix vnam reperies quæ ius nouum constituat. Regula verò Catoniana constituit vt legata quæ sunt inutilia tantùm ratione legantis, vel legatarij, & eius, à quo legatum est præstandum, vel ratione rei tantùm, vel ministratione rei legatæ, & personæ legatarij, tractu temporis non constituantur; etiamsi causa impedimenti

menti remoueatur, *l.1. imprimis D. de Regula Catoniana, & l. Cæsarea D. de leg.* 1. Verùm quidquid sit de Regula Catoniana, de inutili testamento, & triplici tempore factionis testamenti, vide Hotman. *libro secundo obseruationum, cap.* 17. Manet semper difficultas an Regula nouum aliquod ius constituat? Respondent passim DD. quoties casus in regula exprimuntur, Regulam in illis non constituere ius, quia iam in illis constitutum reperit, sicut neque in casibus à lege determinatione exceptis: quia apertè sub legis dispositione non ponuntur. Alij denique sunt casus, qui in iure quidem positi non sunt, in iis tamen eadem reperitur æqualitas propter rationis identitatem, propter quam Regula sine dubio idem quoque ius facit: non enim æquum est similium omninò casuum determinationem esse diuersam. His obseruatis, venio ad singulas Regulas relatas hoc ordine.

Regula Prima.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica institutione obtineri.

HÆc Regula est Bonifacij VIII. Pontificis, cuius videtur aperta sententia, necessariam esse Canonicam institutionem ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum. Si qua enim institutio fiat ab eo, qui non habet ius instituendi, vel de eo qui non est eiusmodi institutionis capax: vel si institutio non fiat seruata debita forma, vel cum aliquo defectu eorum quæ substantialiter requiruntur, beneficium non obtinebitur neque validè, neque legitimè; quia nulla fuit institutio sed irrita, & sine effectu. Ad maiorem verò perspicuitatem quæri debet quid sit institutio Canonica, & quomodò differat ab inuestitura, & à missione vel inductione in possessionem: hæc enim duo differre necesse est; alioquin nec inuestitura, nec inductio in possessione necessaria esset post institutionem, quod enim iam habetur, ampliùs conferri non posset. Deinde ad Episcopum pertinet institutio, *c. cùm ex iniuncto fiat. de heretic.* ad Archidiaconum inductio in possessionem, *de officio Archidiac. cap. ad hac & c. vestram.* Huic difficultati faciemus satis *tomo* 4. vbi de beneficiis: impræsentiarum verò sufficiet, si dicamus institutionem esse iuris alicuius, beneficij verbalem collationem; inuestituram verò esse collationis, seu institutionis confirmationem, siue declarationem, per quam inducitur confirmatio: & denique missio in possessionem est collationis & inuestituræ præcedentium executio. Quæ omnia singillatim illustrat Dyous Muxellan. *in Regulam, beneficium.* Quam subtiliorem distinctionem modò non moror: sufficit requiri Canonicam institutionem, in qua omnia substantialia validæ institutionis, saltem largo modo concurrant, nimirùm collatio, inuestitura, inductio in possessionem, decens personæ habilitas, tam ex parte conferentis, quàm ex parte illius cui confertur, & solemnis institutionis forma. Circa has actiones plurima iure quæri possent, quæ *in tractatu de beneficiis* explicabuntur. Quæ paucis modò dicta sunt ad huius Regulæ intelligentiam, sufficiunt, nimirum beneficium Ecclesiasticum sine institutione Canonica non obtineri, hoc est, ius spirituale percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis à nullo, iure & legitimè acquiri, occupari, vel retineri posse nisi Canonico more, ac solemnitate illi collatum fuerit. Quare neque transactione, neque præscriptione, neque intrusione, neque notoriè iniusta possessione obtinetur. Quæ verò in eam Regulam quæri possent, suo loco soluentur: neque enim explicandæ eius Regulæ, cuius sensus planus est, causa, beneficiorum integra materia commodè & aptè explicabitur hoc loco.

Regula II.

Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit.

ITa edicit idem Bonifacius VIII. de præscriptionibus bonæ & malæ fidei; & de possessione latissimè diximus *in nostro opere de vniuersa negotiatione. libro 5. cap. 5. toto.* ita vt nihil in ea materia superesse existimemus. Ad intelligentiam itaque huius Regulæ, quæ duplex est, prima qui tempore possessionis vel inchoatæ, vel continuatæ habuit malam fidem, nullo temporis tractu, seu continuatione præscribit, etiamsi centum annis, vel vltrà possideret, quod non est tantùm verum de Canonico iure; & si quæ leges contrarium dicere videantur, & malam fidem præscribere, sunt iure Canonico correctæ. Ita tenent Glossa, Innoc. Immola, Panorm. & alij moderni. *in cap. fin. de præscription.* Baldus *in l. quibus. de condition. & demonstr.* cæterique omnes. Secundò intelligitur etiam Regula, vt si possessor tempore inchoatæ possessionis habuit bonam fidem, ideoque præscriptionem inchoauit, & deindè successu temporis superuenit mala fides, impeditur processus & effectus præscriptionis inchoatæ: quare illa verba, *nullo tempore*, determinate possunt præcedentia & subsequentia. Quæ verò pro præscriptione cum mala fide possent obiici, diligenter à nobis expensa & diluta sunt *citato capite* 5. Nam *art.* 2. statuimus, quæ bona mobilia, aut immobilia præscribi valeant. *art.* 3. assignauimus conditiones, ad præscribendum necessarias, in quibus est possessio, quam Regula tertia, apertè necessariam esse pronunciat, cùm neget præscriptionem siue possessionem currere. Qualis autem debeat illa esse possessio an naturalis tantùm, an etiam ciuilis requiratur, an proprio possidentis nomine, an fendatario, an emphyteutico aut colonico nomine sufficiat, aliáque similia consectaria definiuimus *loc. cit.* Quoad bonam autem fidem substantialiter requisitam tradidimus VIII. certas Regulas, quibus totam hanc materiam definiuimus *art.* 4. déque eiusdem bonæ & malæ fidei causis, ex quibus magnam hauries lucem sicut ex *sequent. art.* 5. de titulo, qui præter bonam fidem præscribenti necessarius est, & quinam existant eiusmodi tituli. Ac denique de vario præscriptionum tempore, vnde etiam est inducta diuersitas præscriptionum *art.* 6. Ex quibus plurimæ soluuntur difficultates, & conciliantur leges ac iura. Itaque nihil superesse videtur ad secundæ, & tertiæ Regulæ intelligentiam, quod hoc loco addere debeamus: neque placet accuratè tractata, denuò retractare, & solâ repetitione inutili fatigare lectorem. Hinc etiam fit, vt

Regulam III.

Sine possessione præscriptio non procedit.

Superfluum existimemus denuò explicare.

REGVLA IV. & V.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. Peccati venia non datur nisi correcto.

IN his duabus Regulis peccatum sumitur, vel pro diuina offensâ, vel etiam pro peccati pœna: nam neque diuina offensa dimittitur per absolutionem, neque etiam pœna imposita, aut debita condonatur, nisi fiat restitutio, & damnum proximo illatum suo modo reparetur. Quomodo verò facienda sit ea restitutio ac reparatio, an per solam displicentiam, an per solam reparandi & restituendi voluntatē, an per actualem restitutionem, & quomodò fieri debeat longa lis est, quā accuratè prosequuti sumus in *opere de negotiatione lib. 6. c. 5. toto*, & quæ ad vtrumque forum pertinent digessimus; quæ denuò repetenda non sunt. Sensus verò vtriusque Regulæ satis perspicuus est, sine longioribus eiusmodi digressionibus & disputationibus.

Prima quidem; si quid surripuisti, vel violenter abstulisti, vel ex extorsisti per vsurarum prauitatē, vel alia ratione contra iustitiā ademisti, vel accepisti, non tibi remittitur peccatum commissum, & consequenter pœna peccati, nisi restituas rem ablatam, non tamen si restituatur ablatum, statim dimittitur peccatum quoad diuinam offensam quæ indiget absolutione, displicentia, & aliis *in tractatu de peccatis, & pænitentia* explicatis, & *tractatu de Sacramentis* explicandis. Quoad pœnam verò externam, & damnum illatum proximo, vbi quis restituit, & damnum illatum reparauit, iam sufficit, neque ad nouam damnī reparationem damnari debet, si integrè illud reparauit, & ad iustitiæ omnimodam æqualitatem, quæ tamen quoad dimissionem culpæ non sufficeret, si reliqua ad culpæ & diuinæ offensæ remissionem non adhiberentur, quæ supponuntur hoc loco. Nomine etiam, *restitutionis necessaria*, hoc loco intelligo, vel formalem, vel virtualem, vel æquiualentem, qualis est condonatio læsi, qui suo iuri cedit, vt cùm quis vsurarius vsuras ab illo iniustè acceptas, aut quid aliud liberaliter cedit. Secunda Regulæ pars; peccati venia non datur nisi correcto, consentit priori: nam venia non indulgetur nisi pœnitenti, & iam correcto, saltem per internam voluntatem & resipiscentiam. Iudex tamen peccans non euadit pœnam ciuilem, aut externam, vnde Dynus in hanc Regulam, diuinæ veniæ facilitatem miratur: & rationem reddit, quia cùm sola animi cogitatione peccatum quis committat coram Deo, & non iure ciuili, mirum videri non debet si contraria animi pœnitentia & contritione deleatur. De discrimine verò inter internam & externam pœnitentiam, & quatenus vtraque sit necessaria, *alibi* dicemus.

REGVLA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

VNiuersalissima est ista Regula, quæ dicit neminem obligari posse ad id quod de natura vel facto, vel de iure impossibile est, siue in vltimis voluntatibus, cùm ne auctoritas quidem vltimæ voluntatis licèt excedat auctoritatem contractuum, *D. de verborum obligatione l. in testamentis*, ad aliquid impossibile natura vel facto, iure obligatoria sit. Immò idem valet in legibus, cùm, vt aliàs diximus, lex possibilis & honesta esse debeat, aliàs non est lex, *4. distinct. c. erit autem lex.* Vides itaque huiosce Regulæ auctoritatem generalem esse, quæ nec auctoritate contractus, vltimæ voluntatis, sententiæ, præcepti, confessionis, & denique legis possit ad impossibile obligare, saltem ciuiliter, cùm eiusmodi obligatio saltem per leges & Canones impediatur & elidatur. Quod etiam habetur *l. qui possibilium. D. de Regul. iuris.* An verò conditiones impossibiles vel tollant omnem obligationem, vel dumtaxat reddant illas putas, & pro non adiectis, & plura alia eiusmodi circa conditiones vel simpliciter impossibiles, vel per accidens & secundùm quid, & de tempore eiusmodi impossibilitatis, aliáque perplura controuersa in hac materia fusissimè tractauimus *in opere nostro de negotiatione l. 3 cap. 2. q. 2. & sequentibus, ad q. 12.* quæ nihil attinet hoc loco retractare, & totam huius Regulæ controuersiam omninò exhauriunt. Ad illum itaque locum eruditum Lectorem remitto, iam enim monui me Regularum istarum sententiam meram & simplicem traditionem; varias verò circa illam controuersias, quæ à Doctoribus excitari solitæ sunt in dies, & ad alias materias ferè pertinēt, in sua loca cōmodiùs reiecturū, cùm sentētia Regulæ ex illarū explanatione potiùs implicetur, quā explicetur. Pergo cæteras Regulas eadem methodo percurrere.

REGVLA VII.

Priuilegium personale personam sequitur, & cum persona extinguitur.

HÆc Regula certa est, & ad priuilegiorum valorem & vsum omninò necessaria; nam sine illa vel malè ampliantur, vel ineptè restringuntur, cùm aliqui existiment sibi præcipuo iure licere, quod illis non licet: alij timeant sibi esse prohibita, quæ sibi licita sunt. Illam exemplificat Glossa in pallio, quod Romanus Pontifex concessit Archiepiscopo, quod eius successor obtinere nequit, nisi petat: quia priuilegium illud sequitur personam, & cum ea extinguitur: ideoque cum Archiepiscopo sepelitur. Idem ostendit in marito, qui conueniri non potest pro dote ab vxore debita, soluto matrimonio, nisi in quantùm facere potest: quo tamen priuilegio defuncti illius mariti hæredes non gaudent, & conueniri possunt in solidum, si sine beneficio inuentarij hæreditatem illius adiuerunt. Quod idem contingit in priuilegio personali concesso patri, patrono, & militi, vt condemnentur inquantum facere possunt, quod cum persona extinguitur, *l. sunt qui in id. & l. patronus. & l. item miles. D. de re iudic.* Idem ipsum valere ait *ibidem* Glossa *de rescriptis directis ad personas quæ cum ipsis quoque extinguuntur, & c. quoniam. de officio delegat.* Pacta quoque personalia personas non egrediuntur. *cap. de cætero. de transactionibus. cap. Veniens. D. de pactis. l. iuris gentium. §. pactorum. tit. eodem.* Compromissum quoque non extenditur ad hæredes, nisi de ipsis caueatur, *cap. vltimo. de arbitris.* Idipsum intelligendum est de priuilegio ex parte concedentis: qui enim ex priuilegio sibi facto potuit aliquid conferre, nequit eandem facultatem alteri sibi superstiti facere; sed vnà cum priore concedente illa perit: quod tamen non benè probare videtur Glossa, *ex c. si gratiosè in 6.* vbi facultas tibi facta vt beneficia tuæ promotionis cui volueris conferas vsque ad beneplacitum Pontificis, expirat ipso defuncto. Secùs verò, si concedatur vsque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ: quia ipsa nunquam expirat. Indè, inquam, malè probabat Glossa facultatem personalem extingui cum persona cui cōceditur: quia in illo textu designatur tempus, quo durare debet priuilegium, nimirùm beneplacituo pontificium, quod vnà cum vita Pontificis expirat. Cùm igitur dotatio priuilegij sit assignata, mirum non est cum illâ cessare.

Ampliatur verò hæc Regula ad priuilegium reale, quoties extinguitur res, cui priuilegium affixum, & affectum est, nam, etiam vnà cum illa perit & extinguitur priuilegium. V. g. quandò ipsæ res, vel loca Ecclesiæ, ciuitas, locáve alia sacra, vel profana destruuntur, v. g. superioris auctoritate, tunc enim non erit aliqois vocandus clericus talis Ecclesiæ, vel talis loci municeps: si verò destruatur ab hostibus, remanent omnia illius priuilegia, & remanent, ac dicuntur Clerici eiusdem loci, *7.q.1.c. pastorales,& 19. q.3.c.qui semel.* Item si auctoritate superioris transferatur ad alium locum, vel alij vniatur, *16.q.18.c.de temporibus. c. quia monasterium. de Religiosis domibus. l.cit. D.de contrah. emptio.* neque tantum extinguitur priuilegium dum extinguitur persona; aliquando etiam antè extinguitur, vt cùm priuilegiatus abutitur priuilegio, *11.q.13.c.priuilegium.*

Dices; priuilegium restitutionis, quod datur minori, personale est, non tamen extinguitur cum persona, sed ad hæredes transit, *l. non solum. D. de in integrum restitut.* beneficium Velleiani mulieribus pro alijs intercedentibus competens, ad hæredes quoque transit, & non extinguitur cum persona.

Respondeo hanc Regulam intelligi de priuilegio, ita personali, vt persona cui conceditur, sit causa immediata talis beneficij personalis, vti vides in marito, patre, patrono, milite, & similibus. Quandò verò non est eiusmodi causa, sed eius læsio, vti videmus in minore, qui læsus restitui quærit: si enim illam probet, illi conceditur, quare eius causa est læsio ipsi facta. Discrimen vtriusqoe casus reddit Dynus: quia in primo casu extincta persona extinguitur priuilegium, siue indemnitas læsi minoris. Cæterùm de priuilegiis, eorúmque duratione fusiùs diximus *lib.7. superiori.*

Regvla VIII.

Semel malus, semper præsumitur malus.

Titius vocatus in testem falsò affirmauit, vel negauit quiddam in iudicio, & id iuramento confirmauit. Deindè in alia causa in testem quoque affertur, & denuò iure reiicitur à testimonio, & eius iuramentum reiiciendum est, maximè si ad eius commodum cedat, secùs si sit contra ipsum, quia iure præsumitur denuò dicturus falsum. & periuraturus. Ponit & aliud exemplum Glossa. Qui delinquentem fratrem monuit, & correxit, sed inutiliter, si iterùm delinquere aduertat, non tenetur eum denuò admonere, quia præsumit vanam quoque fore eiusmodi monitionem. Illud tamen exemplum non videtur vsquequaque verum, alioquin non teneremur nisi ad vnam correctionem. Verùm de correctione, & eius obligatione amplior nobis erit quærendi locus *tom.1. operis,* vbi de charitate fraterna. De triplici autem solemni præsumptione hominis, facti, & iuris longior erit suo loco disputatio: hoc loco triplicem hanc præsumptionem reperiri dicit Glossa: hominis quidem qui contra hominem præsumitur: facti, quia ex facto præsumitur: & iuris, quia ius sic præsumit ex facto. Vides etiam hoc præsumi ex præterito circa præsens, & futurum; aliquandò tamen præsumitur ex præsenti circa præteritum; aliàs circa præsens & futurum: hæc tamen præsumptio non est hoc loco iuris de iure, quia contra illam admittitur probatio in contrarium, & quòd v. g. pœnituerit, ideóque non præsumetur vlterius malus.

Si semel fuit bonus, semper præsumitur bonus, *distinct.61.cap.miramur.& cap.mandata.de præsumptionibus*: & ex prima facie & aspectu quis præsumitur bonus, *21.q.3.c.cum tuntis,& c.dudum. de præsumptionib.& l.cùm pater,& ego. D. de legatis 2.* De his, aliisque præsumptionibus *alibi* in variis materiis; & verum transeat ad liberos. Mihi videtur, omnes istas præsumptiones admodùm incertas esse, excepta præsumptione iuris de re, aduersùs quam ius ipsum non vult admitti probationem: nam quælibet res iudicari debet secundùm præsentem statum, eiusque naturam, & varia accidentia quæ aut iuuant, aut minuunt varias coniecturas, quibus inniti debet coniectura, ne sit omninò temeraria. Vide Gail. *lib.2.obseruat.109.* Denique tota ista Regula non est nisi pro foro externo: cùm enim in eo constare non possit de mutato animo, semper idem manere præsumitur, nisi certis indiciis ea mutatio appareat. Loquitur autem Regula de eodem genere malitiæ, in quo semel malus perstare censetur; qood verius est, si in vno semel iudicialiter, & per sententiam damnatus fuit. Ex quibus obseruatis facilè dilues qoæ aduersùs illam Regulam: plurima autem obiici solent, & ad diuersas pertinent materias. Adi Strein. *in eam Regulam.*

Regvla IX.

Ratum quis habere non potest, quod eius nomine gestum non est.

Gaudeo Clericum, inimicum meum iniuriosè, & suadente diabolo fuisse violatum à Titio, & quantùm in me est, ratam habeo illam iniuriam, eámque laudo: si nihil aliud afferam nisi approbationẽ, non incurro excommunicationẽ cum Titio, qui meo nomine scelus illud non commisit, neque meo iussu, licet cogitaret se mihi rem gratam facturum, neque dici posset se ratum habere quod meo nomine gestũ non est. Idem dicie de illo qui filij mei peculium gessit, & administrauit, & aliqoid in ea gestione, & administratione exposuit, egóque eam gestionem ratam habui; non poterit tamen gestor agere contra me in solidum, sed solùm peculio tenùs. Ex quo enim non gessit nomine meo, non possum habere ratum. Occidisti hominem, vel aliud qnodcunque delictum commisisti: vel contractum celebrasti nomine tuo; si ego ratum habeo, pecco quidem, sed non teneor: quia nomine meo gestum non est, vt idcircò propter ratihabitionem sim obligatus, vel possim agere contra aliũ. Quod si rem meam vendideris nomine tuo, & pretiũ perceperis & ego habeam ratum, distinguendum erit: si enim habui ratũ quasi vendideris nomine tuo, nihil mihi præiudicabit ratihabitio, quia videor in causa ratihabitionis errasse, & ideò non consensisse: sed si ratũ habui quia vẽdidisti nomine tuo non ratũ habiturus, si scirem me pretium petere non posse, tunc ea ratihabitio non inducet actionẽ negotiorum gestorum, quia nomine meo non est gestum; facit tamen dominium rei illius perdere, *l. mater.C.de rei vendicatione.* Agam tamen contra possessorem, qui, si excipiat de ratihabitione, replicabo de dolo. *l.1.si cùm.D.de pactis.*

Dices: error causæ non impedit translationem dominij, *l. cùm in corpus. D. de acquirendo rerum dominio.* Falsa etiam causa, & falsa demonstratio non vitiat legatum, *l.demonstratio. & l.falsa.in princip. D.de condition. & demonst.* neque igitur impediet confirmationem dictæ venditionis. Denique si trado rem, seu pecuniam, credens me debitorem, cum tamen non sim, transfero dominium, & datur mihi deinde condictio indebiti, *D.& C de condictione indebiti.*

Respondeo in his ex rigore iuris transferri dominium. Quia tamen error probabilis non debet erranti nocere, ideò contra possessorem excipientem datur replicatio

replicatio doli, quia non erat ratum habiturus nisi credidisset sibi competere per ratihabitionem, actionem negotiorum gestorum ad pretium: & ideò meritò datur replicatio, quia & in legatis falsa causa vitiatet legatum, si testator aliàs legaturus non foret, *l. cum tale. D. de condit. & demonstrat. §. falsa*, Deindè vel ille qui vendit rem meam nomine suo, & pretium percipit, habet causam à me, aut ab alio, aut à nullo? Si habebat causam à me, competit mihi actio ad pretium re extante, *l. si non sortem. §. libert. & l. in summa. §. si seruum. D. de condictione indebiti*, si habebat causam ab alio, vel lucratiuam, vel non lucratiuam. Si primum, re perempta non tenetur ad pretium, nisi suâ culpâ aut morâ fuerit causa destructionis eius *l. Iulianus, D. de rei vendic.* Ratio est: quia quando non habet causam non lucratiuam, non videtur locupletari ex aliena iactura, & tantùm sibi abest quantùm sibi adest. Si habebat causam lucratiuam, tunc in subsidium, siue re peremptâ, vel præscriptâ, tenetur mihi ratum habenti ad pretium perceptum actione negotiorum gestorum, *l. fin. D. de negotiis gest.* Quando denique à nullo habet causam, si ratum habeo re extante, nullo modo tenetur per hanc Regulam: quia quod meo nomine non est gestum, ratum habere non possum, quamvis mihi peremptâ re consulatur actione negotiorum gestorum.

Dices, si pater, vel dominus ratum habet contractum à filio, vel seruo celebratum, obligatur in solidum, *D. quod iussu l. 1. §. si ratum: & l. si res. §. penult. D. de in rem verso*: ergo ratum habere potest quod suo nomine non est gestum.

Respondeo, si habeat ratum contractum serui, aut filij, tenebitur in solidum per iura citata: si autem ratum habeat contractum ab alio nomine filij, aut serui celebratum, tunc ratihabitio nihil operabitur. Deinde, cùm filius repræsentet personam patris, & seruus personam domini, quare neque pater neque dominus ratum habeat quod omninò alieno nomine gestũ est, sed suo quodammodò nomine. Si igitur ratum habeat tanquã pater, aut dominus, valet ratihabitio in solidũ, aut ratũ habet tanquã alius quispiã, & nihil operatur.

Ratio verò huiusce Regulæ est, quia ratihabitio non potest habere effectum nisi per fictionem translatiuam; ad quod requiruntur duo extrema cum habilitate, siue habitudine vnius ad alterum. Hæc autem habitudo nullum prorsùs habet fundamentum, quandò alia est voluntas contrahentis, & mea ratum habentis: quare etiam quando requiritur connexio inter rem & actionem eius, qui agit, & cuius commodò, vel incommodo agitur (ea enim quæ nos contingũt in vniuersum loquendo rata habere possumus) tunc enim est cõsẽsus interpretatiuus, qui sufficit vt dicatur quidpiam nostro nomine, etiã quod ignoramus. Atq; ea ratione omnes huius Regulæ difficultates diluẽtur.

REGVLA X.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.

HOc est, qui ratum habet, ac tum suo nomine factum idem præstat, ac si mandasset fieri, eo tempore quo factus est: nam ad tempus illud ratihabitio reuocatur. Itaque ea omnia, quæ ex eo opere consequuntur, ratum habenti tanquam mandanti consequentur; quod maximè verum est in contractibus, & delictis, v.g. si meo nomine rem aliquam emesis, & per traditionem eam acceperis, quam emptionem ratam habui, dominium rei illius ademptæ eiusque possessio ita mihi acquiritur, atque si ab initio emptioné illam imperassem. Si nomine meo Clericum percussisti, eámque iniuriam ratam habeo, eam excommunicationem ita incurro, atque si illam percussionem mandassem: atque hic sensus Regulæ est, modò conditio mutata non sit: si enim quid acciderit, quod vtriusque extremi connexionem impediat, nullus erit ratihabitionis effectus, vt *in c. si pro te, & c. quamvis, de rescriptis, in 6.* In quibus duobus casibus Pontificis non modò ratihabitio, sed neque concessio habet effectum, si similis gratia ante illam facta fuit, & habuit effectum: quia intelligitur fieri sine præiudicio tertij, &, vt loquitur Pontifex, *alieni*. In illis quoque delictis quæ fieri nequeunt ab illo, qui ea rata habet, eiusmodi ratificatio, licèt mala sit, & culpabilis, nullum tamen effectum ciuilem habet. V.g. ratum habens adulterium ab altero commissum, non subiicitur pœnis adulterij; eius enim nomine scelus eius fieri nequibat. Quinimmò si crimen à se commissum nomine suo, cuius tamen tunc incapax erat, commissum, deindè illius capax redditus, ratum habeat, inutiliter quoad pœnas ratificabit, v.g. si cùm triennalis esset, quis eius nomine hostem occidit, & deindè grandior factus tale homicidium ratum habuit, peccauit quidem, sed irregularitatem, aut alias homicidij pœnas non incurrit. Ita Tolet. *libr. 1. cap. 87. num. 5.*

Nulla quoque erit ratihabitio, si fiat post tempus elapsum, & intra quod fieri debuerat, aut si in ea non seruetur forma debita: v.g. fiat eo tempore, quo actus principalis, de cuius ratihabitione agitur, fieri potuisset, *l. penult. in princ. D. rem ratam haberi*, vbi passim Barb. & communiter omnes. Vide Tiraq. *tract. de retractu gentilitio. §. 1. glos. 10. n. 89.* Ant. Gomez. *in l. 45. Taur. n. 83.* Couar. *lib. 3. var. c. 16. n. 5.* Et sanè, cùm ratihabitio æquiparetur mandato, fieri illam eo tempore oportet, quo mandatum de illo dari potuisset non simpliciter & rebus sic stantibus, & supposito quòd actus gestus non sit: nam si homo sit occisus, nequit denuò occidi, sed fieri potuisset meo mandato, & mandari potuisset, atque potuisset occidi tempore ratihabitionis, si non fuisset occisus. Cui difficultati succumbit Felin. *in caput, sicut tuis, n. 5. de Simonia*, Nihil etiam impedire debet retrotractionem, & vtriusque extremi coniunctionem; quare dum fit ratihabitio, oportet rem esse integram, siue omnia esse in eo statu, quo fuerunt eo tempore, quo negotium gestum est, quare si præiudicium fiat tertio, cui vel medio tempore, vel aliâ ratione præiudicium quæsitum est, vti iam monui. Denique ratihabitio retrotrahitur ad locum, in quo actus initio gestus est, in eóque ipsum gessisse, & mandasse fingitur, ipsum ratum habens. Ita Tiraq *de retract. tit. 1. §. 1. gloss. 10. n. 68.* Hinc fit vt qui ratum habet cõtractum, vel delictum, forum sortiatur actûs gesti, non loci ratihabitionis. Quæ tamen omnia vera non sunt in iis in quibus mãdatum ab initio requiritur pro forma, aut per vim authoritatis: nã in illis ratihabitio non sufficit ad retrotractionem, neque, vt iam monui, ad irregularitatem, cæteràsque pœnas incurrendas ob homicidij, aut mutilationis crimen. Couarr. *in Clem. si furiosus, p. 2. §. 1. n. 5.* Vgol. *de irreg. c. 15. §...* Suar. *de censu. disp. 44. sect. 3. n. 44.* & alij à nobis *simili tractatu* laudati.

Ratio istorum omnium est, quia in ratihabitione per fictionem quandam translatiuam, vt dixi, fingitur actum à principio gestum fuisse ex mandato illum ratum habentis, quæ coniunctio fieri aut fingi non potest, nisi aliquod extremum trahatur ad aliud. Necesse igitur est, ratihabitionem ipsam trahi retrò ad ipsum actum præcedentem, tanquam ad id quod principaliter prætenditur. Ad id porrò requiritur vtrumque extremum, à quo, & ad quod, esse habile

Ampliatur verò hæc Regula ad priuilegium reale, quoties extinguitur res, cui priuilegium affixum, & affectum est, nam, etiam vnà cum illa perit & extinguitur priuilegium. V. g. quandò ipsæ res, vel loca Ecclesiæ, ciuitas, locáve alia sacra, vel profana destruuntur, v. g. superioris auctoritate, tunc enim non erit aliquis vocandus clericus eius Ecclesiæ, vel talis loci municeps: si verò destruantur ab hostibus, remanent omnia illius priuilegia, & remanent, ac dicuntur Clerici eiusdem loci, 7. q. 1. c. *pastoralis*, & 19. q. 3. c. *qui semel*. Item si auctoritate superioris transferatur ad alium locum, vel alij vniatur, 16. q. 1. 8. c. *de temporibus*. c. *quia monasterium. de Religiosis domibus. l. cir. D. de contrah. emptio.* neque tantum extinguitur priuilegium dum extinguitur persona; aliquando etiam antè extinguitur, vt cùm priuilegiatus abutitur priuilegio, 11. q. 1 3. c. *priuilegium.*

Dices; priuilegium restitutionis, quod datur minori, personale est, non tamen extinguitur cum persona, sed ad hæredes transit, *l. non solùm. D. de in integrum restitut.* beneficium Velleiani mulieribus pro alijs intercedentibus competens, ad hæredes quoque transit, & non extinguitur cum persona.

Respondeo hanc Regulam intelligi de priuilegio, ita personali, vt persona cui conceditur, sit causa immediata talis beneficij personalis, vti videtur in marito, patre, patrono, milite, & similibus. Quandò verò non est eiusmodi causa, sed eius læsio, vti videmus in minore, qui læsus restitui quærit: si enim illam probet, illi conceditur, quare eius causa est læsio ipsi facta. Discrimen vtriusque casus reddit Dynus: quia in primo casu extincta persona extinguitur priuilegium, siue indemnitas læsi minoris. Cæterùm de priuilegiis, eorúmque duratione fusiùs diximus *lib. 7. superiori.*

REGVLA VIII.

Semel malus, semper præsumitur malus.

Titius vocatus in testem falsò affirmauit, vel negauit quiddam in iudicio, & id iuramento confirmauit. Deindè in alia causa in testem quoque affertur, & denuò iure reiicitur à testimonio, & eius iuramentum reiiciendum est, maximè si ad eius commodum cedat, secùs si sit contra ipsum, quia iure præsumitur denuò dicturus falsum. & periurarurus. Ponit & aliud exemplum Gloss. Qui delinquentem fratrem monuit, & correxit, sed inutiliter, si iterùm delinquere adnertar, non tenetur eum denuò admonere, quia præsumit vanam quoque fore eiusmodi monitionem. Illud tamen exemplum non videtur vsquequaque verum, alioquin non teneremur nisi ad vnam correctionem. Verùm de correctione, & eius obligatione, amplior nobis erit quærendi locus *tom. 2. operis*, vbi de charitate fraterna. De triplici autem solemni præsumptione hominis, facti, & iuris longior erit suo loco disputatio: hoc loco triplicem hanc præsumptionem reperiri dicit Glossa: hominis quidem qui contra hominem præsumitur; facti, quia ex facto præsumitur: & iuris, quia ius sic præsumit ex facto. Vides etiam hoc præsumi ex præterito circa præsens, & futurum; aliquandò tamen præsumitur ex præsenti circa præteritum; aliàs circa præsens & futurum: hæc tamen præsumptio non est hoc loco iuris de iure, quia contra illam admittitur probatio in contrarium, & quòd v. g. pœnituerit, ideóque non præsumetur vlterius malus.

Si semel fuit bonus, semper præsumitur bonus, *distinct. 61. cap. miramur. & cap. mandata. de præsumptionibus*: & ex prima facie & aspectu quis præsumitur bonus, 11. q. 3. c. *cum cunctis*, & c. *dudum. de præsumptionib.* & *l. cùm pater*, & *ego. D. de legatis* 2. De his, aliisque præsumptionibus *alibi* in varijs materiis; & vtrum transeat ad liberos. Mihi videtur, omnes istas præsumptiones admodùm incertas esse, excepta præsumptione iuris de re, aduersùs quam ius ipsum non vult admitti probationem: nam qualibet res iudicari debet secundùm præsentem statum, eiusque naturam, & varia accidentia quæ adiuuant, aut minuunt varias coniecturas, quibus inniti debet coniectura, ne sit omninò temeraria. Vide Gail. *lib. 2. obseruat.* 109. Denique tota ista Regula non est nisi pro foro externo: cùm enim in eo constare non possit de mutato animo, semper idem manere præsumitur, nisi certis indicijs ea mutatio appareat. Loquitur autem Regula de eodem genere malitiæ, in quo semel malus perstare censetur; quod verius est, si in vno semel iudicialiter, & per sententiam damnatus fuit. Ex quibus obseruatia facilè dilues quæ aduersùs illam Regulam: plurima autem obiici solent, & ad diuersas pertinent materias. Adi Strein. *in eam Regulam.*

REGVLA IX.

Ratum quis habere non potest, quod eius nomine gestum non est.

Gaudeo Clericum, inimicum meum iniuriosè, & suadente diabolo fuisse violatum à Titio, & quantùm in me est, ratam habeo illam iniuriam, eámque laudo: si nihil aliud afferam nisi approbationē, non incurro excommunicationē cum Titio, qui meo nomine scelus illud non commisit, neque meo iussu, licet cogitaret se mihi rem gratam facturum, neque dici possit se ratum habere quod meo nomine gestū non est. Idem dicie de illo qui filij mei peculium gessit, & administrauit, & aliquid in ea gestione, & administratione exposuit, egóque eam gestionem ratam habui; non poterit tamen gestor agere contra me in solidum, sed solùm peculio tenùs. Ex quo enim non gessit nomine meo, non possum habere ratum. Occidisti hominem, vel aliud quodcunque delictum commisisti: vel contractum celebrasti nomine tuo; si ego eatum habeo, pecco quidem, sed non teneor: quia nomine meo gestum non est, vt idcircò propter ratihabitionem sim obligatus, vel possim agere contra aliū. Quod si rem meam vendideris nomine tuo, & pretiū perceperis & ego habeam ratum, distinguendum erit: si enim habui ratū quasi vendideris nomine tuo, nihil mihi præiudicabit ratihabitio, quia videtur causa ratihabitionis errasse, & ideò non consensisse: sed si ratū habui quia vēdidisti nomine tuo non ratihabiturus, si scirem me pretium petere non posse, tunc ea ratihabitio non inducet actionē negotiorum gestorum, quia nomine meo non est gestum; facit tamen dominium rei illius perdere, *l. mater. C. de rei vendicatione.* Agam tamen contra possessorem, qui, si excipiat de ratihabitione, replicabo de dolo *l. 1. fi cùm. D. de pactis.*

Dices: error causæ non impedit translationem dominij, *l. cùm in corpus. D. de acquirendo rerum domini.* Falsa etiam causa, & falsa demonstratio non vitiat gatum, *l. demonstratio.* & *l. falsa. in princip. D. de co tion.* & *demonst.* naque igitur impediet confirm nem dictæ venditionis. Deniqué si trado rem, cuniam, credens me debitorem, cum tamen n transfero dominium, & datur mihi deinde c indebiti, *D. & C. de condictione indebiti.*

Respondeo in his ex rigore iuris tran nium. Quia tamen error probabilis non nocere, ideò contra

replicatio doli, quia non erat ratum habiturus nisi credidisset sibi competere per ratihabitionem, actionem negotiorum gestorum ad pretium: & ideò meritò datur replicatio, quia & in legatis falsa causa vitiatet legatum, si testator aliàs legaturus non foret, *l. cum tale. D. de condit. & demonstrat. §. falsa*. Deindè vel ille qui vendit rem meam nomine suo, & pretium percipit, habet causam à me, aut ab alio, aut à nullo; Si habebat causam à me, competit mihi actio ad pretium re extante, *l. si non sortem. §. libert. & l. in summa. §. si servum. D. de condictione indebiti*, si habebat causam ab alio, vel lucratiuam, vel non lucratiuam. Si primum, re perempta non tenetur ad pretium, nisi suâ culpâ aut morâ fuerit causa destructionis eius *l. Iulianus. D. de rei vendic.* Ratio est: quia quando non habet causam non lucratiuam, non videtur locupletari ex aliena iactura, & tantùm sibi abest quantùm sibi adest. Si habebat causam lucratiuam, tunc in subsidium, siue re perempta, vel præscripta, tenetur mihi tamen habenti ad pretium perceptum actione negotiorum gestorum, *l. fin. D. de negotiis gest.* Quando denique à nullo habet causam, si ratum habeo re extante, nullo modo tenetur per hanc Regulam: quia quod meo nomine non est gestum, ratum habere non possum, quamvis mihi peremptâ re [illegible] actione negotiorum gestorum.

Dices, si pater, vel [illegible] ratum habet contractum à filio, vel servo celebratum, [illegible] *D. quod iussu* [illegible] *D. de in rem verso* [illegible] ratum habent [illegible] quod [illegible] nomine non est gestum.

[illegible]

REGULA X

[illegible]

[illegible]

rie um percussisti, eámque iniuriam ratam habeo, eam excommunicationem ita incurro, atque si illam percussionem mandassem: atque hic sensus Regulæ est, modò conditio mutata non sit: si enim quid acciderit, quod vtriusque extremi connexionem impediat, nullus erit ratihabitionis effectus, vt *in c. si pro te. & c. quamvis. de rescriptis, in 6.* In quibus duobus casibus Pontificis non modò ratihabitio, sed neque concessio habet effectum, si similis gratia ante illam facta fuit, & habuit effectum: quia intelligitur fieri sine præiudicio tertij, &c., vt loquitur Pontifex, *ibidem*. In illis quoque delictis quæ fieri nequeunt ab illo, qui ea rata habet, eiusmodi ratificatio, licet mala sit, & culpabilis, nullum tamen effectum ciuilem habet. V.g. ratum habens adulterium ab altero commissum, non subijcitur pœnis adulterij; eius enim nomine scelus eius fieri nequibat. Quinimmò si crimen à se commissum nomine suo, cuius tamen tunc incapax erat, [illegible] habeat, [illegible] v.g. si cùm [illegible] eius nomine hostem occidit, & [illegible] homicidium ratum habuit, peccavit quidem, sed irregularitatem, aut alias [illegible] non incurrit. *In Tolet.* [illegible]

[illegible]

[illegible] enim [illegible] endum [illegible] ces Regulæ [illegible], nullum ex

ad eliciendum actum, de quo agitur, & quod nihil impediat vtriusque coniunctionem, alioquin ratihabitio neque retrotrahi, neque mandato poterit comparari. De mandatis diximus *in opere de censuris*: de fictionibus verò *inferiùs* plura. Hæc porrò Regula ex *l. si fundus 16. §. 1. D. de pignoribus. & ex l. 1. §. deiecisse. D. de vi & vi armata. & l. vlt. C. ad Macedonianum.*

REGVLA XI.

In iuribus obscuris Reo potius, quàm Actori fauendum est.

SVmitur *ex l. fauorabilibus. D. hoc tit. & l. retinenda, de interdictis.* Ratio est, quia cùm causa sit vtrimque discussa, & nihil omiserit Actor, neque quidquam obtinuerit, & secundùm alterum è duobus sit pronuntiandum, potiùs fauendum Reo est tùm propter ipsius miserabiliorem conditionem & sortem, tum quia in re dubia absolutio non modò fauorabilior est; sed etiam minus periculosa: quandò tamen causa Actoris iure fauorabilior est, tunc omnia paria non sunt, sed causa Rei iure præponderat.

REGVLA XII.

In iudiciis non est habenda acceptio personarum.

QVando nimirum qualitates personæ nihil faciunt ad rem, de qua agitur, & quando res illa ex iustitia, vel ex quocumque alio titulo debetur, datur, aut fit: qui enim merè gratis, & pro arbitrio quidpiam facit, id pro libidine, & in gratiam cuius libuerit præstare potest, si das vni potiùs pauperi quàm alteri, æquè calamitoso, cùm neutri benefacere obligeris, & in mero beneficio valeas vnum alteri præferre. Cæterùm de acceptione personarum *tom. 2.* in materia charitatis fusissimè disputabitur.

REGVLA XIII.

Ignorantia facti, non iuris, excusat.

DE ignorantia iuris, & facti, & vtriusque probabilitate, & improbabilitate, & multiplici diuisione, an, & quomodò excuset à culpa, vel à pœna, aliáque perplura diximus *in opere de vsuris, lib. 3. c. 2. art. 3. & hoc ipso libro*, vbi de principiis iuris naturalis, quæ sufficiunt ad huius Regulæ sensum enucleandum, quibus si tibi non fiat satis, vide Azor. *1. par. lib. 1. c. 12.* Sayr. *in Claui lib. 2. c. 2. n. 15. & c. 9. n. 4.* Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 32. n. 23. & lib. 1. in Decal. c. 16. & c. 23.* Comitol. *lib. 5. respons. q. 2.* & fusissimè Ioan. Bapt. Costa *peculiari tractatu de facti, & iuris ignorantia*: ex quibus, aliísque innumeris nos olim nostra collegimus. Ignorantia igitur, cuius naturam locis allatis explicuimus, non excusat, nisi sit probabilis, siue sit facti, siue iuris; quæ tamen posterma ordinariè est improbabilis. Ignorantia quoque affectata non excusat: habet enim affectatam malitiam scire nolentis; immò illa accusat, & peccatum auget: si etiam vincibilis, crassa & improbabilis est, & culpabilis propter præcedentem malitiam, non excusat. Ignorantia quoque proprij facti nequit excusare; vix enim potest esse nisi crassa & improbabilis, nisi ex peculiaribus circumstantiis negotiorum & personarum, in factis etiam propriis admitti soleat probabilis excusatio, vt si in antiquo facto probabilis obliuio admittatur, aut in facto admodum intrinseco, & obscuro ex plurium sententia apud Mascard. *conclus. 879. n. 51.* ideò ignorantia facti alieni non præsumitur vt excuset apud Menochium *præsumpt. 23. à n. 5.* Gaillard. *obseruat. 48. n. 1. & 19.* Si tamen illud potuit, & debuit sciri per mediocrem diligentiam, eò quò factum illud & notorium & publicum sit, eius ignorantia non excusabit.

Quod verò dixit Regula, ignorantiam iuris non excusare, quia non præsumitur, non modò de ignorantia diuini & naturalis, ac iuris gentium intelligendum est; sed etiam de ignorantia iuris humani, siue commune, siue municipale, &, vt loquuntur statutij, si commune sit, nec nisi qui in illud peccauit, peregrinus sit, vel in ciuitatem vel regionem recens aduenerit, nisi sit admodum arduum, & difficile, aut qualitas & incapacitas illud violantis ipsum vulgò, addantur; cuiusmodi sunt rustici, mulieres, milites, & minores.

REGVLA XIV.

Cùm quis succedit in ius alterius, censetur habere iustum ignorantiæ causam.

EX *l. qui alterius 42. D. de regulis iuris.* Vide Tiraquell. *de retractu tit. 2. §. 4. Glossa 6. n. 5.* Qui subrogatus motu proprio, in litem ab altero cœptam, præsumitur ignorare sententiam latam contra suum antecessorem. Successor etiam in Ecclesia præsumitur ignorare gesta tempore sui prædecessoris: quia eiusmodi ignorantia versatur circa factum alienum: *l. vlt. D. pro socio.* & iusta censetur. Vide Tuschum *vers. Ignorantia. Concl. 18.* sic etiam hæres regulariter præsumitur ignorare facta defuncti, & eius testamentum, & in eo contenta, maximè si agitur de damno vitando, etiamsi hæres ille sit filius, & agatur de facto paterno.

REGVLA XV.

Odia restringi: fauores ampliari conuenit.

LEge. *Cùm quidam. D. de liberis, & posthumis, & C. renouantes 22. distinct.* Odium nominat Regula omnia, quæ pœnam aliquam, & molestiam continent, quæ primo aspectu acerba, dura & iniusta videntur. Fauor est quidquid gratiam, amicitiam, & beneuolentiam prouocat: quandónam verò dispositio censeatur fauorabilis, vel odiosa, colliges ex intentione disponentium. Vide Tiraq. *de retractu gentilitio. §. 30. Glossa 2. n. 5.* Sanch. *lib. 1. de matrimonio, disp. 1. n. 4.* Sensus igitur Regulæ est, in dubio potius censendum esse fauorem quàm odium; itáque etiam fert *Regula 8. Cancell.* & in eam Gonzal. *§. 6. pœna, con. 37.* addit Tiraquell. *de retractu in præfat. n. 62. & 63.* nequidem ex identitate rationis fieri extensionem in odiosis, licèt ratio illa expressa sit in dispositione, si illud odium sit irrationabile.

REGVLA XVI.

Beneficium à Principe concessum mansurum esse decet.

ITa *cap. Si super gratia 9. de officio delegati, in 6. & c. 51. nulla 36. de præbendis in 6.* Quæ igitur Princeps confert beneficia, perpetua esse decet, nisi aliud in sua collatione Princeps significet: quia sine dubio intendit perfectum & firmũ beneficium, & priuilegium facere, vt eius liberalitas, & gratia perfectior existat, & non manca, aut diminuta. Quare eiusmodi Principis

fauores

fauores non expirant per obitum concedentis. Vnde Cooaruuias *lib. practicarum qq. cap.* 1 1.*n.*2. licet causa concessionis quæ initio fuerit impulsiua, desinat deinde, non cessat dispensatio ex Sanch. *lib.* 8. *de matrimonio, disp.* 3. *n.* 7. Quæ tamen Regula non impedit quominus possit ea concessa subditis beneficia, aut priuilegia per se, vel prædecessorem suum, atque adeò ius per illud priuilegium sibi quæsitum, pro arbitrio reuocare. Vide Conarr. *lib.* 3. *variar. c.* 6. *n.* 3. de quibus diximus *nuper lib.* 6.

Regvla XVII.

Indultum alicui beneficium à iure non est tollendum.

LEge, *Adulter. C. ad l. Iuliam. de adult. & l.* 1. *D. de feriis.* Intelligitur Regula de obligatione, quæ fiat per inferiores iure: quia à iure communi alicui specialiter collata, ea iustè nequeunt per inferiores eo inuito tolli, *c. cùm inferior. de maioritate, & obedientia.* Iudex itaque & homo quilibet non potest eiusmodi beneficium tollere: secus verò ipsa lex noua, aut contraria. V.g. legitima filiorum lege præscripta nequit ab homine, iudice minui, vel tolli *D. de inofficios. testam.* consuetudine tamen, lege, & principis auctoritate minui poterit. Vide Couarr. *de sponsalib.* 2. *p.* c. 8. §. 6. *n.* 4. Inde etiam fit, hanc Regulam non valere in beneficiis, quæ à iure conceduntur, in defectum prouisionis hominis: nam si tunc homo præuiderit, cessat beneficium legis, *l. ex hac.* & *l. vltim.* 6. *de pactis conuent. & l. habet* §. *cum qui. D. de precar.* vnde illud vulgare: *prouisio hominis tollit prouisionem legis*; quæ scilicet non simpliciter introducta est, sed in defectum hominis. Hinc etiam videa dilationes à iure concessas non posse à iudice & homine auferri. Ita Felinus *in c. cùm sit Romana. n.* 7. *de appellatione,* & alij communiter.

Regvla XVIII.

Non firmatur tractu temporis quod ab initio fuit nullum, vel non subsistit.

LEge, *Quod initio* 30. *l. pen. D. de Regul. iuris.* & *cap. auditis* 29. *de electione.* Ex hac igitur Regula effectus nullitatis alicuius actus iam producti nunquam valet, etiam sublatâ illius nullitatis causa, licet superueniant ea omnia quæ deerant: poterit tamen de nouo poni actus nouus, & fieri validus. Vide Tiraquell. *tractatu cessante causa limit.* 22. & *l. si vnquam vers. reuereatur n.* 415.

Regvla XIX.

Qui rei ad se non pertinenti se immiscet, culpâ non vacat.

LEge, *Culpa* 17. *D. de Regul. iur.* & *capite de homicid.* Vide Barbosam *axiom.* 62. Cortas. *lib.* 4. *Miscell. n.* 1. quare qui absque sufficiente peritia alicuius artis eandem exercent, & profitentur, non sunt sine culpa, vti ostendit Tuschus *lit. F. concl.* 2. Medicus igitur imperitus tenetur de damno sequuto, immò & aliquando puniri potest vt culpabilis, *l. idem iuris.* §. *vlt. D. ad l. Aquiliam l. illicitas* §. *veritas. D. de officio præsidis.* Idem de iudice propter imperitiam ineptè, & iniustè iudicâte probât Menoch. *de arbitrariis, centur.* 4. *casu* 339. & Mascard. *conclus.* 1532. *n.* 20. de magistro nauis imperito. Idem tradit Stracha *de mercatur.* 3. *p. n.* 52. quare ij dicuntur se immiscere iis quæ ad eos non pertinent, qui agunt de iis quæ contraria sunt & repugnant, quæ ad illum eiúsve statum ob quamcumque circumstantiam non pertinent.

Regvla XX.

Nullus vti prohibetur pluribus defensionibus.

LEge 15. *Qui* 5. & *l. nemo* 8. *D. de exceptionibus l. nemo ex his* 44. *de Regulis iuris in* 6. quid enim prohibere potest reum ad sui defensionem plures causas & titulos habere, eósque producere, vti in loca citata & alia probant Doctores? Neque sibi contrarius est qui plures eiusdem rei alterius profert, cùm qui per vnum acquisiuit, nequeat per alterum denuò sibi acquirere quod suum iam est. Consentit *c. vt dum, de electione in* 6. Respondeo enim id verum esse quod ad acquisitionem siue iuris, siue dominij, quod iam ex certo titulo acquisitum & perfectum est: non autem quod ad iuris iam quæsiti conseruationem, aut augmentum. Quare qui quoquo modo dubius est de suo iure, aut titulo, potest alios titulos multiplicare, addendo ius iuri & vtrumque producere, vt vel ex ambobus, vel ex alterutro ius suum obtineat: aliúdque est multiplicare actiones, aliud multiplicare titulos. Deinde plures defensiones & actiones, non sunt propterea inuicem contrariæ, aut oppositæ, neque vnâ addita deseritur prior.

Regvla XXI.

Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

LEge, *sicut C. de actionibus & obligationibus.* Vide Tusch. *litter. Q. concl.* 48. Ex hac Regula perseuerantiam in bono docemur: ex quo iudici placuit certam ferre sententiam, illámque tulit, non poterit eam deinde mutare, *l. Iudex. l. Paulus. l. post rem, l. cum quærebatur. D. de re iudicata l.* 1. §. *fin. D. de quæstionibus. l. Diui fratres. D. de pœnis.* Si tamen sententia non teneat ipso iure, eâ tunc, si Iudex est ordinarius, potest secundò pronuntiare: si autem delegatus, pronuntiabit delegans, *l. si præses. & l. si vt proponis. C. quomodo & quando.* & *l.* 3. *D. de accusationibus.* Si verò teneat sententia & iniquitatem contineat, non potest per eundem Iudicem reuocari, *l. quod iussit. D. de re indic.* & *l. post sententiam. C. de sentent.* poterit tamen appellari de iniquitate, & per Iudicem appellationis de iniquitate cognosci, illáque cognita corrigi, *l. præses. D. de re indicata.* & *leg. cum prolatis ibid.* & *leg.* 1. *D. de Appellationibus.* Circa hanc Regulam plura quæri possent, de reuocationibus & mutationibus voluntatum, in contractibus, donationibus, commerciis pactis, electionibus, & aliis, de quibus nonnulla dabit Dynus in hanc ipsam Regulam: sed fusior est illa materia, quàm vt in expositione illius Regulæ tota expediri possit. Quare si quæ sint ab illa expositiones, exceptiones, &, vt loquuntur, fallentiæ, suis locis explicabuntur.

Regvla XXII.

Nullus debet alterius odio prægrauari.

LEge, *Non debet alter* 75. & *l. factum* 193. *D. de Regul. iuris.* Sensus non est, vt vulgò credunt, neminem afficiendum esse pœna pro delicto alterius: id enim habetur *Regula proximè sequenti*: neque credendum est Bonifacium VIII. duas proximè se sequentes Regulas de eadem retulisse. Sensus igitur est, nullum

ex pacto contractum, odio alterius damnum debere pati, neque illi pœnam infligi à lege vel Iudice. Quomodò verò vnus aliquando puniatur, etiam à Deo pro delicto alterius, diximus aliàs fusè *libro quarto*. Vide quoque S. Thom. 2. 2. q. 108. *art*. 4. quæ omnia consule; quæ *hic* repetenda non sunt.

REGVLA XXIII.

Sine culpa nemo puniendus est, nisi subsit causa.

EX *l. si putatur. D. ad l. Aquil.* & *c. cognoscentes de constitutionibus & cap. cum voluntate de sentent. excommunic.* Cùm enim culpa sit commensuratio supplicij, illa nulli infligitur sine culpa: potest tamen aliquando esse causa aliqua boni publici, propter quam innocens loco delinquentis, aut simul cum illo punitur, propter aliquam cum illo connexionem, tanquam cum toto, vel parte: aut quia delinquens in innocente puniri censetur: quia denique eius quodammodò crimen participat. De quibus diximus *libro 4. superiori*, cùm ageremus de æquitate legis diuinæ; in qua Deus aliquandò vsque ad quartam generationem scelera patrum puniuit in posteris. Vide & *tractatum nostrum de pœnis tom. 2. de negotiatione.*

REGVLA XXIV.

Qui facit mandato iudicis, non videtur dolo facere.

LEge, *non videtur* 128. §. *qui iussu. D. de Regul. Iur.* vide Tiraq. *de pœnis*. Ratio est: quia qui ex mandato superioris operatur, censetur agere obedientis virtute, & non habere animum machinandi: qui tamen ad dolum necessarius est: & plurima quæ illicita videntur, vbi auctoritas superioris accedit, non modò licita fiunt, sed etiam ipsis inferior parere tenetur, *cap. qui culpatur* 23. q. 5: in iis igitur dolo non agit. Si tamen eiusmodi mandatum foret euidenter iniustum, & contra legem diuinam, vel humanam tunc obligantem, non excusaretur subditus, qui iure censeretur suæ culpæ prætexere superioris mandatum: quod eo tempore nullum est, cùm non obliget.

REGVLA XXV.

Mora sua cuilibet nociua est.

LEge, *in condemnatione* 133. §. *vnicuique, D. de Regul. iuris, & l. Emptoris D. de aqua pluuia arcenda.* Quandò igitur mora & tarditas, alteri damnosa & culpabilis est, eâ dilatione siue tarditate allatum damnum compensandum est. Vide Petrum Gregor. *libro* 21. *syntagmatis, part*. 3. *cap*. 14. Mascard. *concl*. 1070. *numero* 1. & 4. Couarru. *libro* 2. *Miscell. c*. 6. quare hæc mora definiri solet culpa prætermittendi officij in soluendo, recipiendóve debito, quæ alteri damnosa est. De moræ multiplici diuisione eiúsque natura diximus *alibi libro* 3. *de vsuris & commerciis*. Non est porrò mora nociua, nisi illi, qui eam committit, nisi legitimè purgetur, non alteri, nisi sit maximè coniunctus cum, illo siue cum mutuo. Sic mora Rei nocet fideiussori quoad obligationem perpetuando, & mora Tutoris nocet pupillo. Mora verò defuncti officit etiam hæredi: mora vnius ex reis, aliis reis in iis, in quibus censentur vnum & idem quoad continuandam obligationem.

REGVLA XXVI.

Quæ fiunt à Iudice, & ad eius officium non pertinent, inualida sunt.

LEge, *Factum à Iudice. D. de Regul. iur.* Vide Couarr. *libro* 1. *Variar. cap*. 17. *n*. 13. quia vel non fiunt à potestate, in qua fundatur Iudicis iurisdictio, & in iis priuatus censetur, quare ab illo gesta non habentur nisi vt à priuato gesta, propter defectum publicæ potestatis. Itaque ea Regula valet in omnibus actibus, qui quacumque ratione ad iudicis officium non pertinent. Si v. g. *ius dicat extra territorium, aut sit in ea causa incompetens*, aut iuris ordine non procedat. Neque ad iudicem inferiorem Regula restringenda est; valet enim etiam in superiore, debet etiam notoriè non pertinere eiusmodi causa ad officium iudicis: si causa sit dubia, præsumetur pro iudice, & valida erit sententia donec à superiore reuocetur.

REGVLA XXVII.

Scienti, & consentienti, neque iniuria, neque dolus fit.

LEge, *Nemo videtur* 18. *D. de Regul. iuris*. Ita passim omnes, & nos disputantes *de iure, lib*. 4. nuper diximus: nemo enim potest lubens & volens iniuriam formaliter pati. Quare si non sit inuitus, sed consentiat in aliquam actionem, quam nouit, non patitur, & si quod haber ius, illi volens cedit suo consensu à neque potest conqueri.

REGVLA XXVIII.

A iure communi exorbitantia in consequentiam trahenda non sunt.

LEge, *Quod contra rationem. D. de Regul. iur.* Exorbitat porrò à iure communi, quod in aliquo correctorium est iuris communis. Vide Tiraquell. *in l. si vnquam. vers. libertas*, *n*. 19. siue vt tullat totum illud ius ea in parte, vel illud emendet, vel minuat.

Hinc sequitur in explicatione legis, eius ampliationem & extensionem non debere fieri ad exorbitantia. Vide Tiraquell. *in l. si vnquam. vers. libertas n*. 19. maximè in odiosis & pœnalibus, vti habet Farinac. *in fragment. criminal. part*. 1. *littera E. n*. 124. qui *n*. 125. sapienter addit extensionem fieri de casu ad casum, quando eadem est ratio, & quando dispositio non est coniungens, sed præter ius. Denique addit *n*. 126. in exorbitantibus faciliùs admitti extensionem, quàm in correctoriis, iusque correctorium difficiliùs extendi, quàm ius exorbitans. Nam in illo fauore piæ causæ, religionis, & relictorum pro anima, & fauore ipsius animæ facilius admittitur eiusmodi extensio.

REGVLA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus probari.

LEge 1. & *vlt. C. de auctorit. prætor. l. per fundum* 11. *D. de seruit. rustic. prædior.* Distinguendum igitur est inter ea quæ pertinent ad singulos vt singulos, vel in speciali, & ea quæ pertinent ad vniuersos vt sic, vel in communi, vt ad collegium, communitatem & Vniuersitatem: in istis enim verissima est hæc Regula: in aliis sufficit maior pars, v. g. Capituli, aut Vniuersitatis. Vide Nauarr. *in cap. si quando de rescriptis*. & Tiraquell. tractatu

tractu res inter alios. Distinguendum existimarim, vt ea quæ pertinent ad singulos vt singulos, de quorum præiudicio, præcipuè agitur, debeant ab omnibus, & singulis approbari: illorum verò, de quorum præiudicio secundario tantùm agitur, non est omninò necessaria approbatio. Quod indicat ipsum verbum Regulæ *tangit*: qui sanè sunt ij de quorum præiudicio principaliter agitur. Tunc enim publicum bonum, & vtilitas vrgere possunt: alioquin sequeretur iniquitas, quæ vitanda maximè est.

REGVLA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

Ege, *semper in obscuris. leg. semper stipulationibus, D. de Regul. iur.* Vide Tiraquell. *de retractu gentilit.* §.30. *Gloss.* 2. *num.* 27. 29. Menoch. *de præsumpt. libro* 4. *præsumpt.* 106. Tusch. *lit. O. concl.* 55. *num.* 3. Barbos. *de axiom. iuris. axiom.* 165. Estque euidens ratio: quia obscuritas reprobatur in omni dispositione: & ita loquens æquiparatur tacenti verum, aut etiam habetur pro concesso: & in obscuris soles inspici quod vero similius est. Et denique sequendo minimum ex illis minori periculo errandi exponimur.

REGVLA XXXI.

Eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet.

Ege 1. *D. de actionibus empti.* Vide Glossam *in c. cùm inter* 18. *de electione. vers. cognouerunt.* Tiraquell. *de retractu gentilitio. Glossa* 2. §. 36. *n.* 14. v.g. cùm quis scit quomodocumque actum aliquem esse prohibitum, ab illo abstinere debet: neque indiget maiori, & clariori intimatione prohibitionis. Quod etiam aliqui ampliant ad casus, in quibus requiritur insinuatio, & intimatio, quando quis habet plenam notitiam: quia tunc non requiritur alia certioratio, quando scilicet ea tantùm fit, vt quis sciat. (Neque enim eo casu debet certus ampliùs certiorari.) Quod si ea certioratio necessaria sit velut de forma, & substantia, quia lex mandat denuntiari, alioquin vult actum esse nullum, non sufficis legis scientia, & debebit fieri denuntiatio etiam illi qui iam certus est.

REGVLA XXXII.

Non licet Actori quod Reo non licet.

Ege, *Non debet. D. de Regul. iuris.* Vide Tusch. *littera A. conc.* 119. Cùm enim Actor & Reus sint correlatiua, pari passu procedunt: & quod vni conceditur, alteri quoque conceditus. Quare si Actor obtinuit, vt Reus personaliter compareat ad respondendum, idem obtinere quoque debet Reus, vt Actos etiam personaliter compareat. Inde alia corollaria deducit Tuschus *l. c.* quæ adibi.

REGVLA XXXIII.

Mutare consilium nemo potest in alterius detrimentum.

Ege, *Nemo potest mutare. D. de Regul. iuris.* Hæc Regula integra est capienda, & cum limitatione sua, & de iure alteri quæsito electione, præsentatione, sententia iudicis, & quacunque aliâ ratione. Siceque interpretatus Archidiac. *in cap. certè, vers. muta* 12. 91. & alij apud Tiraquell. *in l. Boues.* §. *hoc sermone limit.* 2 5. *num.* 1. *D. de verbor. signif.* alioquin falsa esset Regula: cùm sapientis sit mutare consilium in melius. Deinde, cùm consilium non obliget neque eum cui datur, neque consulentem, qui liberè consulit, cur tenebitur in suo consilio perseuerare, maximè si illi melius occurrat, atque magis proficuum illi cui dedit? Quare omninò est intelligenda Regula, vti seipsa explicat, ne illa mutatio consilij alteri detrimentum afferat, ius illi quæsitum tollendo, vel minuendo, vel difficilius reddendo.

REGVLA XXXIV.

Species derogat generi.

Ege. *In toto iure* 8 *de Regul. iuris. l. sanctio* 41. *D. de pœnis cap.* 1. *& cap. pastoralis.* §. *quoniam de rescriptis.* Vide Tusch. *lit. G. concl.* 32. 36. Gutier. *lib. tertio practic. qq.* 4. 24. *num..* Sanctorell. *Variarum Resolution. quæst.* 14. *num.* 5. Barbos. *in Axiom.* 207. Ratio est: quia vbi sunt sibi aduersæ dispositiones, debent in concordiam adduci: quod fieri non potest, quoties genus & species non concordant. Quare vna debet alteri derogare: alioquin nihil attineret speciem nominatim designare: quia iam sub genere continetur. Quare vel apponitur tanquam eius subiectiua, vel distinctionis eius causa, & tanquam pars sub toto, vel tanquam eius exceptio quædam, quæ sub genere non continetur, & quæ vel eius designat amplitudinem, vel illam restringit. Neque enim in hac regula genus accipitur logicè pro vniuersali quod habet sub se partes subiectiuas, sed pro quodam toto, quod plura singularia in se continet, & species pro singularibus, quæ sub aliquo communi comprehenduntur. Quare vniuersalis est ista Regula: & in omni materia specialis dispositio derogat generali, si sunt incompatibiles: quia non possuns aliter reduci in concordiam. V.g. in legatis legatum speciale derogat generali: v.g. legas Titio duas statuas marmoreas, & eidem legas omne marmor, leguntur solùm duæ illæ statuæ quæ specialiter legantur & continentur in omni marmore. Legauit testator in specie duabus sororibus nominatis, & deindè in communi vocanit sorores, intelligendus est de aliis: quia specialis dispositio præcedens derogat generali, maximè si prohibeat honoratas plus petere. Neque refert an præcedat, an sequatur genus in dispositione: immò, etsi generalitas sit posterior, & habeat clausulam derogatoriam, specialitas tamen attenditur. Addunt aliqui id verum esse, licèt generalis dispositio habeat verba habilia comprehendere specialem. Sicut verò species derogat generi: Ita species magis specialis & indiuidua derogat speciei communiori, & ampliori: quod idem contingit, quando sunt duo genera. Nam minùs vniuersale est loco & vice speciei respectu magis vniuersalis.

Primò, Rescriptum & mandatum speciale derogat generali, quamuis nullam de eo faciat mentionem; quod idem dicunt de generali commissione, deputatione, reuocatione: quia non reuocat specialem præcedentem, nisi aliter constet de mente mandantis. Ita Rebuff. *in constitution. Gallic. titulo de rescriptis, num.* 103. Quare mandatum speciale de prouidendo, derogat generali mandato præcedenti, quamvis eius non meminerit.

Secundò, Statutum speciale præualet generali: excipit tamen Bald. *cons.* 78. *Duo sunt*: cùm statutum speciale nihil omninò aliud contineat quàm ius commune per omnia: tunc enim statutum generale contrarium

disponentis præfertur. Secùs verò si statutum speciale in aliquo discrepet à iure communi.

Tertiò, Speciale etiam tempus derogat. Si enim conceditur alicui immunitas, v.g. à gabellis, pro certo, & determinato tempore, derogatur dispositioni generali, ne vllo tempore soluatur. Tusch. *littera citata, conc. 36. n. 26.*

Quartò, Obseruantia specialis derogat generali, Tusch. *ibid.*

Quintò, valet Regula etiam in compromissis. Nam si fiat compromissum speciale de pretio factæ venditionis, licèt fiant deindè alia compromissa de litibus & controuersiis, non est derogatum primo, nisi partes ita se velle explicent.

Sextò, consuetudo generalis accipit declarationem à speciali, quæ proinde attendi debet: & derogat generali.

Septimò, potiùs & magis creditur duobus testibus in specie, quàm mille in genere. Tusch. *lit. G. Conc. 37. n. 42. & num. 65.* & probatio in specie delicti præualet probationi in genere delicti, eò quòd accusatus sit adhuc bonæ famæ.

Octauò, specialis contractus derogat generico. Tusch. *lit. G. concl. 36. n. 64.*

Nonò, verba specialia legis derogant verbis eiusdem legis generalibus: quod aliqui extendunt ad diuersas leges, quoties earum verba non se compatiuntur, & vnius sunt generalia, alterius sunt specialia; non propter aliam causam quàm istam Regulam, *species derogat generi:* quæ etiam aliis in casibus valet, quos lubens omitto.

Decimò, suas nihilominùs patitur exceptiones aut limitationes: nam si species & genus sese compatiantur, & inuicem stare possint, non derogatur generi per speciem, v.g. si simul apponuntur fauore eiusdem personæ: tunc enim genus neque tollitur neque restringitur per speciem subsequentem: aut si species accedit generi: quia tunc prorogato vel mutato genere, prorogatur, & mutatur species, quæ pendet ab illo genere. Si etiam ratio persuadeat per generalem promissionem, aut concessionem fuisse recessum à speciali, & deinde si species apponatur ad coadjuuandum, & explicandum genus, aut si genus explicetur per verba dispositiua, & species per enunciatiua dumtaxat: aut quando apponi videtur accumolatiuè potiùs quàm derogatiuè, vt sæpiùs fit in iurisdictionalibus, quæ dantur in genere, & in specie. Tusch. *citatâ concl. 36. num. 102.* & Gotierr. *practicar. qq. libro tertio. qu. 15. num. 6.* Si etiam per dispositionem generalem est iam ius alicui quæsitum, illi non derogatur per dispositiones speciales posteriores: secùs, si effectus litterarum, & dispositionis penderet adhuc ab euentu incerto, vt sæpè contingit in beneficialibus.

Vndecimò, in dispositionibus diuersis & diuerso tempore factis, non habet locum ista Regula, sed contraria: vltima enim generalia derogant prioribus. Tusch. *citat. conclus. 36. num. 112.* Quod idem contingit quando dispositio generalis & specialis tendunt ad diuersos fines, vel non concurrunt super eodem iure, sed diuerso.

Duodecimò, per speciale priuilegium derogatur generali. Rebuff. *in constitution. Gallic. tract. de rescriptis in præfat. num. 105.* Tosch. *conclusione* sæpiùs *citata 36. num. 99.* nullâ eius factâ mentione, Sylu. *vers. priuilegium q. 10.* Menoch. *de præsumpt. præsumpt. 40. n. 21.* Suar. *lib. 8. de legibus c. 39. n. 7.* Moneta *de commutat. vlt. voluntat. cap. 8. n. 529.*

Regvla XXXV.

Plus continet minus.

Lege, *In eo quod plus. D. de Regul. iur.* Estque euidens ratio, cùm semper minus contineatur in maiori in eo, quo comparantur ratione, siue vt plus & minus, in mensura, & pondere & quantitate, in toto, & partibus eius, in speciebus, & genere: in qualitate, vt in obligatione pura & simplici, vel conditionata in comparatione duorum, quorum vnum excedit alterum, & aliis similibus comparationibus. Quamquam enim Regula agat tantùm de quantitate, & toto: in aliis tamen omnibus vera est quam docet ratio naturalis, & non sola iuris interpretatio. Neque tamen sequitur, dispositionem de summa maiori, verificari in summa minori per se solam, nec disponens eâ tantùm contentus esse debeat, nisi aliter verosimiliter appareat de mente illius, cui tunc standum erit, éstque euidens ratio, quia dispositio non verificatur, nisi secundùm verba aut mentem disponentis: quod latiùs explicat Tiraquell. *in l. si vnquam. vers. liberis. num. 53. C. de reuocand. donatio.* Verba autem quæ maiorem summam significant puta 20. non verificantur in minori, v.gr. 10. neque etiam mens disponentis, quæ ex verbis colligitur, nisi aliundè colligatur, quare tota summa, non illius dumtaxat aliqua pars sumenda est. Neque ista Regula vult aliud quàm in eo quod plus est, contineri minus non per se solùm, sed velut membrum aut partem ad integrandum vel conflandum illud plus. Quare qui consentit in maiori quantitate, consentit etiam in minori, ex hac Regula eo modo quo hæc minor continetur in maiori quantitate, tanquam in parte illius. Intelligenda verò est Regula in causa lucratiua, nam in causa onerosa dispositio summæ maioris non verificatur in minori, nisi appareat verosimiliter disponentem intendisse quamlibet summam in maiori contentam.

Regvla XXXVI.

Qui dolo desiit possidere, pro possessore habetur.

Lege, *Qui dolo desierit. l. non parem esse, & l. ad ea §. semper. D. de Regul. iur.* quia possessor semel possidere præsumitur, & dolus non debet ita patrocinari.

Regvla XXXVII.

Vtile non vitiatur per inutile.

Lege 1. §. *Item quæritur. D. de aqua quotidiana & æstiua. l. prædium, de receptis arbitris,* atque *alibi.* Quod intelligendum est in diuisibilibus, & diuisibilibus: in connexis enim & indiuiduis Regula falsa est. Vide Tuschum *Littera V, concl. 373.* Tiraquellum *de retractu gentilitio. ad fin. num. 74. & de retractu conuention. ad fin. num. 145.* Quare si vtile est connexum cum inutili, ita vt separari nequeant, si vtile est de iure communi, trahit ad se inutile, de iure speciali, & vincit: & è contrario. Si verò æqualia sunt, præualet inutile: quia non potest valere pro parte. Cùm persona inhabilis admittitur scienter ad perficiendum actum indiuiduum cum persona habili, vt ad iudicandum, ferendam sententiam, actus erit nullus in totum, *cap. cùm super. de officio delegati:* si verò inhabilis

habilis ignoranter fuerit admissus, validus erit actus: quia cùm agens habilis videatur omni meliori modo quo potest, eius actus meritò sustinetur. Quòd si actus est diuiduus, quia duo illum separatim facere possunt, licèt per se factus sit indiuiduus, separantur, & vnus non vitiat alium, v.g. duo impetrant gratiam, cuius vnus est incapax propter excommunicationem. Duo tutores præstant pupillo auctoritatem, quorum vnus verus, alter falsus est, actus valet, vt ait Tusch. *litt. V, conc.* 573. *num.* 45. & 46.

Dices etiam in diuiduis & separabilibus vtile vitiari per inutile. Si quis enim in aliqua parte testimonium falsò dicit, in nulla fidem habet, & totum eius testimonium corruit, *cap. pura* 3. *quæst.* 9. & *capite* 51. *ad scripturas* 9. *dist.* & ibi Glossa, & communiter omnes apud Tiraquell. *de pœnis tempor. cap.* 44. *num.* 41. S.Thom. 2.2. *quæst.* 5. *art.* 3. Qui vnum articulum fidei negat, habetur hæreticus: litteræ Apostolicæ ob vitium constructionis, & falsæ grammaticæ quoad reliquas etiam partes nullam habent fidem vel auctoritatem, *cap. ad audientiam* 11. *de rescriptis.* Vide Rebuffum *in praxi benefic. tit. opponi contra Bullam, num.* 20. vbi Notarius falsum in aliqua parte instrumentũ scripsit, totum instrumentum corruit, quoad alias omnes eius partes etiam separatas.

Respondeo ad hæc omnia, fidem testimonij, & Notarij esse indiuisibilem, iure optimo falsitatem in vna parte commissam reddere in reliquis fidem testis & Notarij suspectam similia falsitatis. Litteræ verò Apostolicæ quando falsâ & inepiâ grammaticâ laborant, præsumuntur vehementer à Sede Apostolica non emanasse, ac proinde non facient fidem neque quoad illam partem ineptè scriptam, neque quoad cæteras.

Deinde contingit aliquando vt inutile simul cum vtili reiiciatur, etiam in separabilibus: quia quando constat ex illis quoddam esse inutile, & tamen non constat cur id potius vni rei, quàm alteri tribuatur, tota dispositio annullatur: v.g. in alienatione plurium rerum facta à minore, quæ tota cassatur, cùm tamen in aliquibus potuisset vna sustineri, & alia reuocari: quia cùm plurium rerum facta fuerit, non apparet cur magis hæc quam illa debeat reuocari; atque ita non constat de parte vtili quæ manere debeat: sicque intelliges *l. libertas* 16. *vers. si quis placet. D. de iure patronatus.*

REGVLA XXXIII.

Inde quis non debet fructum capere quod nisus fuit impugnare.

RAtio est, quòd quis approbare non possit, quod semel impugnauit, *l. dispensatorem. D. de solutionibus.* Vide Menoch. *Consil.* 393. *num.* 89. & approbatum semel non potest ampliùs reprobari. *l. Pomponius. D. de negotiis gestis:* alioquin omnia essent incerta, fidésque in commerciis humanis perpetuò vacillaret. Licet tamen approbare & improbare variis respectibus. Tusch. *litt. E. concl.* 54. *n.* 6.

REGVLA XXXIX.

Vna prohibitione simul omnia, quæ ex illa consequuntur prohibentur.

LEge. *Oratio. D. de sponsalibus, l. pupillus* §. *sed si per interpositam. D. de auctoritate tutorum. l.* 20. *in fine C. de vsuris, & alibi.* Quæ Regula intelligenda est de iis, per quæ necessariò peruenitur ad rem aut actionem prohibitam, quæ alioquin frustrà prohiberetur. Secus verò contingit quando aliqua contingenter dumtaxat connexa sunt cum re prohibita, ad quam non necessariò prohibentur quæ non sunt media necessaria & infallibilia ad illud prohibitum: & prior prohibitio tota subsistere potest istis annexis non prohibitis.

REGVLA XL.

Numerus duorum sufficit ad pluralem.

LEge. *Libertas,* §. *vlt. D. de manum. testam. l. inter illa.* §. *fin. D. de verbor. obligat.* Tusch. *litt. D. conf.* 335. *num.* 1. & *litt. P. conc.* 193. pluralis nihilominus locutio verificatur aliquando in singulari, quando nimirum vnius & multorum eadem est ratio: aut, vt ait Stephanus Gratian. *discept. forens. c.* 621. *n.* 31. & *capite* 741. *num.* 13. Vide Rebuffum *in l. non est, sine liberis, D. de verb. signific.*

REGVLA XLI.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod faciendum est.

HAnc Regulam ait Dynus propriè procedere in conditione potestatiua, quæ pendebat tantùm ex facto legatarij, vel hæredis cui erat adscripta; si enim casu aliquo impediatur eam implere, nihilominus debetur ei relictum: quia non stat per eum, quin faciat quod per eum fuerit faciendum, *l. quæ sub conditione.* §. *quoties. D. de condition. inst.* Verùm de conditionibus plurima, & quantùm pertinent ad nostrum institutum diximus *in opere de vniuersa negotiatione lib. tertio, capite secundo. art.* 2. *per multas qq.* quibus nihil addendum censeo.

REGVLA XLII.

Accessorium sequitur principalis naturam.

LEge. *Cùm principalis* 139. & *l. nihil dolo* 179. *D. de Regul. iuris.* Vide Tiraquell. *de constitut.* 3. *part. limit.* 7. *num.* 24. & *de retractu, tit.* 1. §. 2. *gloss.* 18. *n.* 31. Couarr. *in cap. quamvis pactum, part.* 2. §. 3. *n.* 2. Tusch. *litt. A. conc.* 76. *num.* 6. &c. Quare delegatâ causâ principali, censentur delegata omnia necessaria ad causam, *l. cum principalis. D. de Regul. iuris.*

Secundò consuetudo & præscriptio etsi sit scripti iuris, & de sua natura non extendenda: extenditur tamen ad accessoria: & præscribens fundum, censetur etiam præscribere seruitutem fundo competentem. Concessâ sepulturâ, censetur etiam concessa Missa pro defunctis & delatio mortui processionaliter, Federic de Senis *consil.* 18. Tusch. *litt. A. concl.* 77. *num.* 9. & 10.

Tertiò valet etiam Regula in pœnalibus, & correctoriis & exorbitationibus.

Quartò vera etiam est, licèt accessorium sit dignius principali: quare si quæ sunt diuersæ naturæ, annectantur accessoriè alteri rei diuersæ naturæ, quæ accessoria est, perdit suam naturam, & recipit naturam principalis, cui fit annexio. V.g. si parochialis Ecclesia vniatur accessoriè beneficio simplici, conditionem naturæ beneficij simplicis omninò accipit. Nauarr. *consil.* 10. *n.* 3. *de maioritate, & obedientia.* Azor. 2. *part. instit. libro* 6. *capite* 28. *quæst.* 10. Garci. *de beneficiis part.* 11. *capite* 5. *num.* 196.

Quintò

menti remoueatur, *l.1. imprimis D.de Regula Catoniana,& l.Casarea D.de leg.1*. Verùm quidquid sit de Regula Catoniana, de inutili testamento, & triplici tempore factionis testamenti, vide Hotman. *libro secundo obseruationum, cap.17*. Manet semper difficultas an Regula nouum aliquod ius constituat? Respondent passim DD. quoties casus in regula exprimuntur, Regulam in illis non constituere ius, quia iam in illis constitutum reperit, sicut neque in casibus à lege determinatione exceptis: quia apertè sub legis dispositione non ponuntur. Alij denique sunt casus, qui in iure quidem positi non sunt, in iis tamen eadem repetitur æqualitas propter rationis identitatem, propter quam Regula sine dubio idem quoque ius facit: non enim æquum est similium omninò casuum determinationem esse diuersam. His obseruatis, venio ad singulas Regulas relatas hoc ordine.

Regula Prima.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica institutione obtineri.

HÆc Regula est Bonifacij VIII. Pontificis, cuius videtur aperta sententia, necessariam esse Canonicam institutionem ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum. Si qua enim institutio fiat ab eo, qui non habet ius instituendi, vel de eo qui non est eiusmodi institutionis capax: vel si institutio non fiat seruata debita forma, vel cum aliquo defectu eorum quæ substantialiter requiruntur, beneficium non obtinebitur neque validè, neque legitimè; quia nulla fuit institutio sed irrita, & sine effectu. Ad maiorem verò perspicuitatem quæri debet quid sit institutio Canonica, & quomodò differat ab inuestitura, & à missione vel inductione in possessionem: hæc enim duo differre necesse est; alioquin nec inuestitura, nec inductio in possessionē necessaria esset post institutionem, quod enim iam habetur, ampliùs conferri non posset. Deinde ad Episcopum pertinet institutio, *c.cùm ex iniuncto fiat.de heretic.* ad Archidiaconum inductio in possessionem, *de officio Archidiac. cap.ad hac & c.vestram*. Huic difficultati faciemus satis *tomo 4.* vbi de beneficiis: impræsentiarum verò sufficiet, si dicamus institutionem esse iuris alicuius, beneficij verbalem collationem; inuestituram verò esse collationis, seu institutionis confirmationem, siue declarationem, per quam inducitur confirmatio: & denique missio in possessionem est collationis & inuestituræ præcedentium executio. Quæ omnia singillatim illustrat Dynus Muxellan. *in Regulam, beneficium*. Quam subtiliorem distinctionem modò non moror: sufficit requiri Canonicam institutionem, in qua omnia substantialia validæ institutionis, saltem largo modo concurrant, nimisùm collatio, inuestitura, inductio in possessionem, decens personæ habilitas, tam ex parte conferentis, quàm ex parte illius cui confertur, & solemnis institutionis forma. Circa has actiones plurima iure quæri possent, quæ *in tractatu de beneficiis* explicabuntur. Quæ paucis modò dicta sunt ad huius Regulæ intelligentiam, sufficiunt, nimirum beneficium Ecclesiasticum sine institutione Canonica non obtineri, hoc est, ius spirituale percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis à nullo, iure & legitimè acquiri, occupari, vel retineri posse nisi Canonico more, ac solemnitate illi collatum fuerit. Quare neque transactione, neque præscriptione, neque intrusione, neque notoriè iniusta possessione obtinetur. Quæ verò in eam Regulam quæri possent, suo loco soluentur: neque enim explicandæ eius Regulæ, cuius sensus planus est, causa, beneficiorum integra materia commodè & aptè explicabitur hoc loco.

Regula II.

Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit.

ITa edicit idem Bonifacius VIII. de præscriptionibus bonæ & malæ fidei; & de possessione latissimè diximus *in nostro opere de vniuersa negotiatione, libro 5. cap.5. toto*, ita vt nihil in ea materia superesse existimemus. Ad intelligentiam itaque huius Regulæ, quæ duplex est, prima qui tempore possessionis vel inchoatæ, vel continuatæ habuit malam fidem, nullo temporis tractu, seu continuatione præscribit, etiamsi centum annis, vel vltrà possideret, quod non est tantùm verum de Canonico iure; & si quæ leges contrarium dicere videantur, & malam fidem præscribere, sunt iure Canonico correctæ. Ita tenent Glossa, Innoc. Immola, Panorm. & alij moderni. *in cap. fin. de præscription.* Baldus *in l. quibus. de condition. & demonstr.* cæteráque omnes. Secundò intelligitur etiam Regula, vt si possessor tempore inchoatæ possessionis habuit bonam fidem, ideoque præscriptionem inchoauit, & deindè successu temporis superuenit mala fides, impeditur processus & effectus præscriptionis inchoatæ: quare illa verba, *nullo tempore*, determinare possunt præcedentia & subsequentia. Quæ verò pro præscriptione cum mala fide possent obiici, diligenter à nobis expensa & diluta sunt *citato capite 5.* Nam *art.2.* statuimus, quæ bona mobilia, aut immobilia præscribi valeant. *art. 3.* assignauimus conditiones, ad præscribendum necessarias, in quibus est possessio, quam Regula tertia, apertè necessariam esse pronunciat, cùm neget præscriptionem siue possessionem currere. Qualis autem debeat illa esse possessio an naturalis tantùm, an etiam ciuilis requiratur, an proprio possidentis nomine, an feudatario, an emphyteutico aut colonico nomine sufficiat, aliáque similia consectaris definiuimus *loc.cit.* Quoad bonam autem fidem substantialiter requisitam tradidimus VIII. certas Regulas, quibus totam hanc materiam definiuimus *art.4.* déque eiusdem bonæ & malæ fidei causis, ex quibus magnam hauries lucem sicut ex *sequent. art. 5.* de titulo, qui præter bonam fidem præscribenti necessarius est, & quinam existant eiusmodi tituli. Ac denique de vario præscriptionum tempore, vnde etiam est inducta diuersitas præscriptionum *art. 6.* Ex quibus plurimæ soluuntur difficultates, & conciliantur leges ac iura. Itaque nihil superesse videtur ad secundæ, & tertiæ Regulæ intelligentiam, quod hoc loco addere debeamus: neque placet accuratè tractata, denuò retractare, & solâ repetitione inutili fatigare lectorem. Hinc etiam fit, vt

Regulam III.

Sine possessione præscriptio non procedit.

Superfluum existimemus denuò explicare.

REGVLA IV. & V.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. Peccati venia non datur nisi correcto.

IN his duabus Regulis peccatum sumitur, vel pro diuina offensâ, vel etiam pro peccati pœna: nam neque diuina offensa dimittitur per absolutionem, neque etiam pœna imposita, aut debita condonatur, nisi fiat restitutio, & damnum proximo illatum suo modo reparetur. Quomodo verò facienda sit ea restitutio ac reparatio, an per solam displicentiam, an per solam reparandi & restituendi voluntatē, an per actualem restitutionem, & quomodò fieri debeat longa lis est, quā accuratè prosequuti sumus in *opere de negotiatione lib. 6.c.7. toto*, & quæ ad vtrumque forum pertinent digessimus; quæ denuò repetenda non sunt. Sensus verò vtriusque Regulæ satis perspicuus est, sine longioribus eiusmodi digressionibus & disputationibus.

Prima quidem; si quid surripuisti, vel violenter abstulisti, vel extorsisti per vsurarum prauitatē, vel alia ratione contra iustitiā ademisti, vel accepisti, non tibi remittitur peccatum commissum, & consequenter pœna peccati, nisi restituas rem ablatam, non tamen si restituatur ablatum, statim dimittitur peccatum quoad diuinam offensam quæ indiget absolutione, displicentia, & aliis *in tractatu de peccatis, & pœnitentia* explicatis, *& tractatu de Sacramentis* explicandis. Quoad pœnam verò externam, & damnum illatum proximo, vbi quis restituit, & damnum illatum reparauit, iam sufficit, neque ad nouam damnī reparationem damnari debet, si integrè illud reparauit, & ad iustitiæ omnimodam æqualitatem, quæ tamen quoad dimissionem culpæ non sufficeret, si reliqua ad culpæ & diuinæ offensæ remissionem non adhiberentur, quæ supponuntur hoc loco. Nomine etiam, *restitutionis necessariæ*, hoc loco intelligo, vel formalem, vel virtualem, vel æquiualentem, qualis est condonatio læsi, qui suo iuri cedit, vt cùm quis vsurario vsuras ab illo iniustè acceptas, aut quid aliud liberaliter cedit. Secunda Regulæ pars; peccati venia non datur nisi correcto, consentit priori: nam venia non indulgetur nisi pœnitenti, & iam correcto, saltem per internam voluntatem & resipiscentiam. Iudex tamen peccans non euadit pœnam ciuilem, aut externam, vnde Dynus in hanc Regulam, diuinæ veniæ facilitatem miratur: & rationem reddit, quia cùm sola animi cogitatione peccatum quis committat coram Deo, & non iure ciuili, mirum videri non debet si contraria animi pœnitentia & contritione deleatur. De discrimine verò inter internam & externam pœnitentiam, & quatenùs vtraque sit necessaria, *alibi* dicemus.

REGVLA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

VNiuersalissima est ista Regula, quæ dicit neminem obligari posse ad id quod de natura vel facto, vel de iure impossibile est, siue in vltimis voluntatibus, cùm ne auctoritas quidem vltimæ voluntatis licèt excedat auctoritatem contractuum, *D. de verborum obligatione l. in testamentis*, ad aliquid impossibile natura vel facto, iure obligatoria sit. Immò idem valet in legibus, cùm, vt aliàs diximus, lex possibilis & honesta esse debeat, aliàs non est lex, *4. distinct. c. erit autem lex.* Vides itaque huiusce Regulæ auctoritatem generalem esse, quæ nec auctoritate contractus, vltimæ voluntatis, sententiæ, præcepti, confessionis, & denique legis possit ad impossibile obligare, saltem ciuiliter, cùm eiusmodi obligatio saltem per leges & Canones impediatur & elidatur. Quod etiam habetur *l. qui possibilium. D. de Regul. iuris.* An verò conditiones impossibiles vel tollant omnem obligationem, vel duntaxat reddant illas puras, & pro non adiectis, & plura alia eiusmodi circa conditiones vel simpliciter impossibiles, vel per accidens & secundùm quid, & de tempore eiusmodi impossibilitatis, aliáque perplura controuersa in hac materia fusissimè tractauimus *in opere nostro de negotiatione l. 3 cap. 2. q. 1. & sequentibus, ad q. 12.* quæ nihil attinet hoc loco retractare, & totam huius Regulæ controuersiam omninò exhauriunt. Ad illum itaque locum eruditum Lectorem remitto, iam enim monui me Regularum istarum sententiam meram & simplicem traditionem; varias verò circa illam controuersias, quæ à Doctoribus excitari solitæ sunt in dies, & ad alias materias ferè pertinēt, in sua loca cōmodiùs reiecturū, cùm sentētia Regulæ ex illarū explanatione potiùs implicetur, quā explicetur. Pergo cæteras Regulas eadem methodo percurrere.

REGVLA VII.

Priuilegium personale personam sequitur, & cum persona extinguitur.

HÆc Regula certa est, & ad priuilegiorum valorem & vsum omninò necessaria; nam sine illa vel malè amplifiantur, vel ineptè restringuuntur, cùm aliqui existiment sibi præcipuo iure licere, quod illis non licet: alij timeant sibi esse prohibita, quæ sibi licita sunt. Illam exemplificat Glossa in pallio, quod Romanus Pontifex concessit Archiepiscopo, quod eius successor obtinere nequit, nisi petat: quia priuilegium illud sequitur personam, & cum ea extinguitur: ideoque cum Archiepiscopo sepelitur. Idem ostendit in marito, qui conueniri non potest pro dote ab vxore debita, soluto matrimonio, nisi in quantùm facere potest: quo tamen priuilegio defuncti illius mariti hæredes non gaudent, & conueniri possunt in solidum, si sine beneficio inuentarij hæreditatem illius adiuerunt. Quod idem contingit in priuilegio personali concesso patri, patrono, & militi, vt condemnentur inquantum facere possunt, quod cum persona extinguitur, *l. sunt qui in id. & l. patronus. & l. item miles. D. de re iudic.* Idem ipsum valere ait *ibidem* Glossa *de rescriptis directis ad personas quæ cum ipsis quoque extinguuntur*, & *c. quoniam. de officio delegat.* Pacta quoque personalia personas non egrediuntur, *cap. de cætero. de transactionibus. cap. Veniens. D. de pactis. l. iuris gentium. §. pactorum. tit. eodem.* Compromissum quoque non extenditur ad hæredes, nisi de ipsis caueatur, *cap. vltimo. de arbitris.* Idipsum intelligendum est de priuilegio ex parte concedentis: qui enim ex priuilegio sibi facto potuit aliquid conferre, nequit eandem facultatem alteri sibi superstiti facere; sed vnà cum priore concedente illa perit: quod tamen non benè probare videtur Glossa, *ex c. si gratiosè. in 6.* vbi facultas tibi facta vt beneficia tuæ promotionis cui volueris conferas vsque ad beneplacitum Pontificis, expirat ipso defuncto. Secùs verò, si concedatur vsque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ: quia ipsa nunquam expirat. Indè, inquam, malè probabat Glossa facultatem personalem extingui cum persona cui cōceditur: quia in illo textu designatur tempus, quo durare debet priuilegium, nimirùm beneplacitum pontificium, quod vnà cum vita Pontificis expirat. Cùm igitur duratio priuilegij sit assignata, mirum non est cum illâ cessare.

Ampliatur verò hæc Regula ad priuilegium reale, quoties extinguitur res, cui priuilegium affixum, & affectum est, nam, etiam vnà cum illa perit & extinguitur priuilegium. V. g. quandò ipsæ res, vel loca Ecclesiæ, ciuitas, locáve alia sacra, vel profana destruuntur, v. g. superioris auctoritate, tunc enim non erit aliquis vocandus clericus talis Ecclesiæ, vel talis loci municeps: si verò destruatur ab hostibus, remanent omnia illius priuilegia, & remanent, ac dicuntur Clerici eiusdem loci, 7.q.1.c. *pastoralis*, & 19. q.3.c. *qui semel*. Item si auctoritate superioris transferatur ad alium locum, vel alij vniatur, 16.q.18.c. *de temporibus*. c. *quia monasterium. de Religiosis domibus. l. cit. D. de contrah. emptio.* neque tantum extinguitur priuilegium dum extinguitur persona; aliquando etiam notè extinguitur, vt cùm priuilegiatus abutitur priuilegio, 11.q.13.c. *priuilegium*.

Dices; priuilegium restitutionis, quod datur minori, personale est, non tamen extinguitur cum persona, sed ad hæredes transit, *l. non solum. D. de in integrum restitut.* beneficium Velleiani mulieribus pro alijs intercedentibus competent, ad hæredes quoque transit, & non extinguitur cum persona.

Respondeo hanc Regulam intelligi de priuilegio, ita personali, vt persona cui conceditur, sit causa immediata talis beneficij personalis, vti vides in marito, patre, patrono, milite, & similibus. Quandò verò non est eiusmodi causa, sed eius læsio, vti videmus in minore, qui læsus restitui quærit: si enim illam probet, illi conceditur, quare eius causa est læsio ipsi facta. Discrimen vtriusque casus reddit Dynus: quia in primo casu extincta persona extinguitur priuilegium, siue indemnitas læsi minoris. Cæterùm de priuilegiis, eorúmque duratione fusiùs diximus *lib. 7. superiori.*

REGVLA VIII.

Semel malus, semper præsumitur malus.

Titius vocatus in testem falsò affirmauit, vel negauit quiddam in iudicio, & id iuramento confirmauit. Deindè in alia causa in testem quoque affertur, & denuò iure reiicitur à testimonio, & eius iuramentum reiiciendum est, maximè si ad eius commodum cedat, secùs si sit contra ipsum, quia iure præsumitur denuò dicturus falsum. & periuraturus. Ponit & aliud exemplum Glossa. Qui delinquentem fratrem monuit, & correxit, sed inutiliter, si iterùm delinquere aduertat, non tenetur eum denuò admonere, quia præsumit vanam quoque fore eiusmodi monitionem. Illud tamen exemplum non videtur vsquequaque verum, alioquin non teneremur nisi ad vnam correctionem. Verùm de correctione, & eius obligatione amplior nobis erit quærendi locus *tom. 2. operis*, vbi de charitate fraterna. De triplici autem solemni præsumptione hominis, facti, & iuris longior erit suo loco disputatio: hoc loco triplicem hanc præsumptionem reperiri dicit Glossa: hominis quidem qui contra hominem præsumitur: facti, quia ex facto præsumitur: & iuris, quia ius sic præsumit ex facto. Vides etiam hoc præsumi ex præterito circa præsens, & futurum; aliquandò tamen præsumitur ex præsenti circa præteritum; aliàs circa præsens & futurum: hæc tamen præsumptio non est hoc loco iuris de iure, quia contra illam admittitur probatio in contrarium, & quòd v. g. pœnituerit, ideóque non præsumetur vlterius malus.

Si semel fuit bonus, semper præsumitur bonus, *distinct. 61. cap. miramur. & cap. mandata. de præsumptionibus*: & ex prima facie & aspectu quis præsumitur bonus, 81.q.3.c. *cum cunctis*, & c. *dudum. de præsumptionib.* & *l. cùm pater. & ego. D. de legatis* 2. De his, aliisque præsumptionibus *alibi* in variis materiis; & vtrum transeat ad liberos. Mihi videtur, omnes istas præsumptiones admodùm incertas esse, excepta præsumptione iuris de re, aduersùs quam ius ipsum non vult admitti probationem: nam quælibet res iudicari debet secundùm præsentem statum, eiusque naturam, & varia accidentia quæ aut iuuant, aut minuunt varias coniecturas, quibus inniti debet coniectura, ne sit omninò temeraria. Vide Gail. *lib. 2. obseruat.* 109. Denique tota ista Regula non est nisi pro foro externo: cùm enim in eo constare non possit de mutato animo, semper idem manere præsumitur, nisi certis indiciis ea mutatio appareat. Loquitur autem Regula de eodem genere malitiæ, in quo semel malus perstare censetur; quod verius est, si in vno semel iudicialiter, & per sententiam damnatus fuit. Ex quibus obseruaris facilè dilues quæ aduersùs illam Regulam: plurima autem obiici solent, & ad diuersas pertinent materias. Adi Strein. *in eam Regulam.*

REGVLA IX.

Ratum quis habere non potest, quod eius nomine gestum non est.

Gaudeo Clericum, inimicum meum iniuriosè, & suadente diabolo fuisse violatum à Titio, & quantùm in me est, ratam habeo illam iniuriam, eámque laudo: si nihil aliud afferam nisi approbationē, non incurro excommunicationē cum Titio, qui meo nomine scelus illud non commisit, neque meo iussu, licet cogitaret se mihi rem gratam facturum, neque dici posset se ratum habere quod meo nomine gestū non est. Idem dicit de illo qui filij mei peculium gessit, & administrauit, & aliquid in ea gestione, & administratione exposuit, egóque eam gestionem ratam habui; non poterit tamen gestor agere contra me in solidum, sed solùm peculio tenùs. Ex quo enim non gessit nomine meo, non possum habere ratum. Occidisti hominem, vel aliud quodcunque delictum commisisti: vel contractum celebrasti nomine tuo; si ego ratum habeo, pecco quidem, sed non teneor: quia nomine meo gestum non est, vt idcircò propter ratihabitionem sim obligatus, vel possim agere contra aliū. Quod si rem meam vendideris nomine tuo, & pretiū perceperis & ego habeam ratum, distinguendum erit: si enim habui ratū quasi vendideris nomine tuo, nihil mihi præiudicabit ratihabitio, quia videor in causa ratihabitionis errasse, & ideò non consensisse: sed si ratū habui quia vēdidisti nomine tuo non ratūhabiturus, si scirem me pretium petere non posse, tunc ea ratihabitio non inducet actionē negotiorum gestorum, quia nomine meo non est gestum; facit tamen dominium rei illius perdere, *l. mater. C. de rei vendicatione.* Agam tamen contra possessorem, qui, si excipiat de ratihabitione, replicabo de dolo *l. 1. si cùm. D. de pactis.*

Dices: error causæ non impedit translationem dominij, *l. cùm in corpus. D. de acquirendo rerum dominio.* Falsa etiam causa, & falsa demonstratio non vitiat legatum, *l. demonstratio. & l. falsa. in princip. D. de condition. & demonst.* neque igitur impediet confirmationem dictæ venditionis. Denique si trado rem, seu pecuniam, credens me debitorem, cum tamen non sim, transfero dominium, & datur mihi deinde condictio indebiti, *D. & C. de condictione indebiti.*

Respondeo in his ex rigore iuris transferri dominium. Quia tamen error probabilis non debet erranti nocere, ideò contra possessorem excipientem datur

replicatio

replicatio doli, quia non erat ratum habiturus nisi credidisset sibi competere per ratihabitionem, actionem negotiorum gestorum ad pretium: & ideò meritò datur replicatio, quia & in legatis falsa causa viriatet legatum, si testator aliàs legaturus non foret, *l. cum tale.D.de condit.& demonstrat.§.falsa*, Deinde vel ille qui vendit rem meam nomine suo, & pretium percipit, habet causam à me, aut ab alio, aut à nullo? Si habebat causam à me, competit mihi actio ad pretium re extante, *l.si non sortem.§.libert. & l.in summa.§.si seruum.D.de condictione indebiti*, si habebat causam ab alio, vel lucratiuam, vel non lucratiuam. Si primum, re perempta non tenetur ad pretium, nisi sua culpâ aut morâ fuerit causa destructionis eius *l.Iulianus,D.de rei vendic.* Ratio est: quia quando non habet causam non lucratiuam, non videtur locupletari ex aliena iactura, & tantùm sibi abest quantùm sibi adest. Si habebat causam lucratiuam, tunc in subsidium, siue re peremptâ, vel præscriptâ, tenetur mihi ratum habenti ad pretium perceptum actione negotiorum gestorum, *l.fin.D.de negotiis gest.* Quando denique à nullo habet causam, si ratum habeo re extante, nullo modo tenetur per hanc Regulam: quia quod meo nomine non est gestum, ratum habere non possum, quamvis mihi peremptâ re consulatur actione negotiorum gestorum.

Dices, si pater, vel dominus ratum habet contractum à filio, vel seruo celebratum, obligatur in solidum, *D.quod iussu l.1.§.si ratum: & l.si res.§.penult. D. de in rem verso*: ergo ratum habere potest quod suo nomine non est gestum.

Respondeo, si habeat ratum contractum serui, aut filij tenebitur in solidum per iura citata: si autem ratum habeat contractum ab alio nomine filij, aut serui celebratum, tunc ratihabitio nihil operabitur. Deinde, cùm filius repræsentet personam patris, & seruus personam domini, quare neque pater neque dominus ratum habeat quod omninò alieno nomine gestū est, sed suo quodammodò nomine. Si igitur ratum habeat tanquā pater, aut dominus, valet ratihabitio in solidū, aut ratū habet tanquā alius quispiā, & nihil operatur.

Ratio verò huiusce Regulæ est, quia ratihabitio non potest habere effectum nisi per fictionem translatiuam; ad quod requiruntur duo extrema cum habilitate, siue habitudine vnius ad alterum. Hæc autem habitudo nullum protsùs habet fundamentum, quandò alia est voluntas contrahentis, & mea ratum habentis: quare etiam quando requiritur connexio inter rem & actionem eius, qui agit, & cuius commodo, vel incommodo agitur (ea enim quæ nos contingūt in vniuersum loquendo rata habere possumus) tunc enim est cōsēsus interpretatiuus, qui sufficit vt dicatur quidpiam nostro nomine, etiā quod ignoramus. Atq; ea ratione omnes huius Regulæ difficultates diluētur.

REGVLA X.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.

HOc est, qui ratum habet, ac tum suo nomine factum idem præstat, ac si mandasset fieri, eo tempore quo factus est: nam ad tempus illud ratihabitio reuocatur, Itaque ea omnia, quæ ex eo opere consequuntur, ratum habenti tanquam mandanti consequentur; quod maximè verum est in contractibus, & delictis, v.g. si meo nomine rem aliquam emeris, & per traditionem eam acceperis, quam emptionem ratam habui, dominium rei illius ademptæ eiusque possessio ita mihi acquiritur, atque si ab initio emptionē illam imperassem. Si nomine meo Cle-

ricum percussisti, eámque iniuriam ratam habeo, eam excommunicationem ita incurro, atque si illam percussionem mandassem: atque hic sensus Regulæ est, modò conditio mutata non sit: si enim quid accidetit, quod vtriusque extremi connexionem impediat, nullus erit ratihabitionis effectus, vt *in c.si pro te.& c. quamvis. de rescriptis. in 6.* in quibus duobus casibus Pontificis non modò ratihabitio, sed neque concessio habet effectum, si similis gratia ante illam facta fuit, & habuit effectum: quia intelligitur fieri sine præiudicio tertij, &, vt loquitur Pontifex, *alieni*. In illis quoque delictis quæ fieri nequeunt ab illo, qui ea rata habet, eiusmodi ratificatio, licèt mala sit, & culpabilis, nullum tamen effectum ciuilem habet. V.g. tantum habens adulterium ab altero commissum, non subijcitur pœnis adulterij; eius enim nomine scelus eius fieri nequibat. Quinimmò si crimen à se commissum nomine suo, cuius tamen tunc incapax erat, commissum, deindè illius capax redditus, ratum habeat, inutiliter quoad pœnas ratificabit, v.g. si cùm triennalis esset, quis eius nomine hostem occidit, & deindè grandior factus tale homicidium ratum habuit, peccauit quidem, sed irregularitatem, aut alias homicidij pœnas non incurrit. Ita Tolet. *lib.1. cap.87.num.5.*

Nulla quoque erit ratihabitio, si fiat post tempus elapsum, & iotra quod fieri debuerat, aut si in ea non seruetur forma debita: v.g. fiat eo tempore, quo actus principalis, de cuius ratihabitione agitur, fieri potuisset, *l.penult. in princ. D. rem ratam haberi*, vbi passim Barth. & communiter omnes. Vide Tiraq. *tract. de retractu gentilitio.§.1.glos.10.n.89.* Ant. Gomez. *in l.45. Taur.n.83.* Couar. *lib.3.var.c.16.n.5.* Et sanè, cum ratihabitio æquiparetur mandato, fieri illam eo tempore oportet, quo mandatum de illo dari potuisset non simpliciter & rebus sic stantibus, & supposito quòd actus gestus non sit: nam si homo sit occisus, nequit denuò occidi, sed fieri potuisset meo mandato, & mandari potuisset, atque potuisset occidi tempore ratihabitionis, si nōn fuisset occisus. Cui difficultati succumbit Felin. *in caput, sicut tuis, n.5. de Simonia.* Nihil etiam impedire debet retrotractionem, & vtriusque extremi coniunctionem; quare dum sit ratihabitio, oportet rem esse integram, siue omnia esse in eo statu, quo fuerunt eo tempore, quo negotium gestum est, quare si præiudicium fiat tertio, cui vel medio tempore, vel aliā ratione præiudicium quæsitum est, vti iam monui. Denique ratihabitio retrotrahitur ad locum, in quo actus initio gestus est, in eóque ipsum gessisse, & mandasse fingitur, ipsum ratum habens. Ita Tiraq *de retract.tit.3.§.1.glos.10.n.68.* Hinc fit vt qui ratum habet cōtractum, vel delictum, forum sortiatur actûs gesti, non loci ratihabitionis. Quæ tamen omnia vera non sunt in iis in quibus mādatum ab initio requiritur pro forma, aut per vim authoritatis: nā in illis ratihabitio non sufficit ad retrotractionem, neque, vt iam monui, ad irregularitatem, cæterásque pœnas incurrendas ob homicidij, aut mutilationis crimen. Couart. *in Clem. si furiosus.p.3.§.1. n.5.* Vgol. *de irreg.c.15.§.* Suar. *de censu.disp.44.sect.3. n.44.* & alij à nobis *simili tractatu* laudati.

Ratio istorum omnium est, quia in ratihabitione per fictionem quandam translatitiam, vt dixi, fingitur actum à principio gestum fuisse ex mandato illum ratum habentis, quæ coniunctio fieri aut fingi non potest, nisi aliquod extremum trahatur ad aliud. Necesse igitur est, ratihabitionem ipsam trahi retrò ad ipsum actum præcedentem, tanquam ad id quod principaliter prætenditur. Ad id porrò requiritur vtrumque extremum, à quo, & ad quod, esse habilo

ad eliciendum actum, de quo agitur, & quod nihil impediat vtriusque coniunctionem, alioquin ratihabitio neque retrotrahi, neque mandato poterit comparari. De mandatis diximus *in opere de censuris*: de fictionibus verò *inferius* plura. Hæc porrò Regula ex *l. si fundus* 16. §. 1. *D. de pignoribus*, & ex *l. 3. §. deiecisse. D. de vi & vi armata. & l. vlt. C. ad Macedonianum.*

REGVLA XI.

In iuribus obscuris Reo potius, quàm Actori fauendum est.

SVmitur *ex l. fauorabiliores. D. hoc tit. & l. retinenda, de interdictis.* Ratio est, quia cùm causa sit vtrinque discussa, & nihil omiserit Actor, neque quidquam obtinuerit, & secundùm alterum è duobus sit pronuntiandum, potiùs fauendum Reo est tùm propter ipsius miserabiliorem conditionem & sortem, tum quia in re dubia absolutio non modò fauorabilior est; sed etiam minus periculosa: quandò tamen causa Actoris iure fauorabilior est, tunc omnia paria non sunt, sed causa Rei iure præponderat.

REGVLA XII.

In iudiciis non est habenda acceptio personarum.

QVando nimirum qualitates personæ nihil faciunt ad rem, de qua agitur, & quando res illa ex iustitia, vel ex quocumque alio titulo debetur, datur, aut fit: quienim merè gratis, & pro arbitrio quidpiam facit, id pro libidine, & in gratiam cuius libuerit præstare potest, si das vni potiùs pauperi quàm alteri, æquè calamitoso, cùm neutri benefacere obligeris, & in mero beneficio valeas vnum alteri præferre. Cæterùm de acceptione personarum *tom. 2.* in materia charitatis fusissimè disputabitur.

REGVLA XIII.

Ignorantia facti, non iuris, excusat.

DE ignorantia iuris, & facti, & vtriusque probabilitate, & improbabilitate, & multiplici diuisione, an, & quomodò excuset à culpa, vel à pœna, aliàque perplura diximus *in opere de vsuris, lib. 3. c. 2. art. 3.* & *hoc ipso libro*, vbi de principiis iuris naturalis, quæ sufficiunt ad huius Regulæ sensum enucleandum, quibus si tibi non fiat satis, vide Azor. *1. par. lib. 1. c. 12.* Sayr. *in Claui lib. 2. c. 2. n. 15. & c. 9. n. 4.* Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 32. n. 23. & lib. 1. in Decal. c. 16. & c. 23.* Comitol. *lib. 5. respons. q. 2.* & fusissimè Ioan. Bapt. Costa *peculiari tractatu de facti, & iuris ignorantia*: ex quibus, aliisque innumeris nos olim nostra collegimus. Ignorantia igitur, cuius naturam locis allatis explicuimus, non excusat, nisi sit probabilis, siue sit facti, siue iuris; quæ tamen postrema ordinariè est improbabilis. Ignorantia quoque affectata non excusat: habet enim affectatam malitiam scire nolentis; immò illa accusat, & peccatum auget: si etiam vincibilis, crassa & improbabilis est, & culpabilis propter præcedentem malitiam, non excusat. Ignorantia quoque proprij facti nequit excusare; vix enim potest esse nisi crassa & improbabilis, nisi ex peculiaribus circumstantiis negotiorum & personarum, in factis etiam propriis admitti soleat probabilis excusatio, vt si in antiquo facto probabilis obliuio admittatur, aut in facto admodum intrinseco, & obscuro ex plurium sententia apud Mascard. *conclus. 879. n. 31.* ideò ignorantia facti alieni non præsumitur vt excuset apud Menochium *præsumpt. 23. à n. 5.* Gaillard. *obseruat. 48. n. 1. & 19.* Si tamen illud potuit, & debuit sciri per mediocrem diligentiam, eò quò factum illud & notorium & publicum sit, eius ignorantia non excusabit.

Quod verò dixit Regula, ignorantiam iuris non excusare, quia non præsumitur, non modò de ignorantia diuini & naturalis, ac iuris gentium intelligendum est; sed etiam de ignorantia iuris humani, siue commune, siue municipale, &, vt loquuntur statutarij, si commune sit, aut nisi qui in illud peccarit, peregrinus sit, vel in ciuitatem vel regionem recens aduenerit, nisi sit admodum arduum, & difficile, aut qualitas & incapacitas illud violantis ipsum vulgò, addantur; cuiusmodi sunt rustici, mulieres, milites, & minores.

REGVLA XIV.

Cùm quis succedit in ius alterius, censetur habere iustam ignorantiæ causam.

EX *l. qui alterius* 42. *D. de regulis iuris.* Vide Tiraqueil. *de retractu, tit. 2. §. 4. Glossa 6. n. 5.* Qui subrogatus motu proprio, in litem ab altero cœptam, præsumitur ignorare sententiam latam contra suum antecessorem. Successor etiam in Ecclesia præsumitur ignorare gesta tempore sui prædecessoris: quia eiusmodi ignorantia versatur circa factum alienum: *l. vlt. D. pro socio.* & iusta censetur. Vide Tuschum *vers. Ignorantia. Concl. 18.* sic etiam hæres regulariter præsumitur ignorare facta defuncti, & eius testamentum, & in eo contenta, maximè si agitur de damno vitando, etiamsi hæres ille sit filius, & agatur de facto paterno.

REGVLA XV.

Odia restringi: fauores ampliari conuenit.

LEge. *Cùm quidam. D. de liberis, & posthumis, & C. renouantes* 22. *distinct.* Odium nominat Regula omnia, quæ pœnam aliquam, & molestiam continent, quæ primo aspectu acerba, dura & iniusta videntur. Fauor est quidquid gratiam, amicitiam, & beneuolentiam prouocat: quandónam verò dispositio censeatur fauorabilis, vel odiosa, colliges ex in intentione disponentium. Vide Tiraq. *de retractu gentilitio. §. 30. Glossa 2. n. 5.* Sanch. *lib. 1. de matrimonio, disp. 1. n. 4.* Sensus igitur Regulæ est, in dubio potius censendum esse fauorem quàm odium; itaque etiam fert *Regula 8. Cancell.* & in eam Gonzal. *§. 6. pœna, con. 37.* addit Tiraquell. *de retractu in præfat. n. 62. & 63.* nequidem ex identitate rationis fieri extensionem in odiosis, licèt ratio illa expressa sit in dispositione, si illud odium sit irrationabile.

REGVLA XVI.

Beneficium à Principe concessum mansurum esse decet.

ITa *cap. Si super gratia* 9. *de officio delegati, in 6. & c. 51. nulla* 36. *de prebendis, in 6.* Quæ igitur Princeps confert beneficia, perpetua esse decet, nisi aliud in sua collatione Princeps significet: quia sine dubio intendit perfectum & firmú beneficium, & priuilegium facere, vt eius liberalitas, & gratia perfectior existat, & non manca, aut diminuta. Quare eiusmodi Principis fauores

fauores non expirant per obitum concedentis. Vnde Couarruuias *lib. practicarum qq. cap.* 12. *n.* 2. licet causa concessionis quæ initio fuerit impulsiua, desinat deinde, non cessat dispensatio ex Sanch. *lib.* 8. *de matrimonio, disp.* 3. *n.* 7. Quæ tamen Regula non impedit quominus possit ea concessa subditis beneficia, aut priuilegia per se, vel prædecessorem suum, atque adeò ius per illud priuilegium sibi quæsitum, pro arbitrio reuocare. Vide Couarr. *lib.* 3. *variar. c.* 6. *n.* 3. de quibus diximus *nuper lib.* 6.

Regvla XVII.

Indultum alicui beneficium à iure non est tollendum.

Lege, *Adulter. C. ad l. Iuliam. de adult.* & *l.* 1. *D. de feriis.* Intelligitur Regula de obligatione, quæ fiat per inferiores iure: quia à iure communi alicui specialiter collata, ea iustè nequeunt per inferiores eo inuito tolli, *c. cùm inferior. de maioritate, & obedientia.* Iudex itaque & homo quilibet non potest eiusmodi beneficium tollere: secus verò ipsa lex noua, aut contraria. V.g. legitima filiorum lege præscripta nequit ab homine, iudice minui, vel tolli *D. de inofficios. testam.* consuetudine tamen, lege, & principis auctoritate minui poterit. Vide Couarr. *de sponsalib.* 2. *p. c.* 8. §. 6. *n.* 4. Inde etiam fit, hanc Regulam non valere in beneficiis, quæ à iure conceduntur, in defectum prouisionis hominis: nam si tunc homo præuiderit, cessat beneficium legis, *l. ex hac.* & *l. vltim.* 6. *de pactis conuent.* & *l. habet* §. *eum qui. D. de precar.* vnde illud vulgare: *prouisio hominis tollit prouisionem legis*; quæ scilicet non simpliciter introducta est, sed in defectum hominis. Hinc etiam vides dilationes à iure concessas non posse à iudice & homine anferri. Ita Felinus *in c. cùm sit Romana. n.* 7. *de appellatione*, & alij communiter.

Regvla XVIII.

Non firmatur tractu temporis quod ab initio fuit nullum, vel non subsistit.

Lege, *Quod initio* 30. *l. pen. D. de Regul. iuris.* & *cap. auditis* 29. *de electione.* Ex hac igitur Regula effectus nullitatis alicuius actus iam producti nunquam valet, etiam sublatâ illius nullitatis causa, licèt superueniant ea omnia quæ deerant: poterit tamen de nouo poni actus nouus, & fieri validus. Vide Tiraquell. *tractatu cessante causa limit.* 12. & *l. si vnquam vers. reuertatur n.* 415.

Regvla XIX.

Qui rei ad se non pertinenti se immiscet, culpâ non vacat.

Lege, *Culpa* 17. *D. de Regul. iur.* & *capite de homicid.* Vide Barbosam *axiom.* 62. Corras. *lib.* 4. *Miscell. n.* 1. quare qui absque sufficiente peritia alicuius artis eandem exercent, & profitentur, non sunt sine culpa, vti ostendit Tuschus *lit. F, concl.* 2. Medicus igitur imperitus tenetur de damno sequuto, immò & aliquando puniri potest vt culpabilis, *l. idem iuris.* §. *vlt. D. ad l. Aquiliam l. illicitas* §. *veritas. D. de officio præsidis.* Idem de iudice propter imperitiam ineptè, & iniustè iudicare probat Menoch. *de arbitrariis, centur.* 4. *casu* 339. & Mascard. *conclus.* 1532. *n.* 20. de magistro nauis imperito. Idem tradit Stracha *de mercatur.* 3. *p. n.* 52. quare ij dicuntur se immiscere iis quæ ad eos

non pertinent, qui agunt de iis quæ contraria sunt & repugnant, quæ ad illum eiúsve statum ob quamcumque circumstantiam non pertinent.

Regvla XX.

Nullus vti prohibetur pluribus defensionibus.

Lege 15. *Qui* 5. & *l. nemo* 8. *D. de exceptionibus l. nemo ex his* 44. *de Regulis iuris in* 6. quid enim prohibere potest reum ad sui defensionem plures causas & titulos habere, eósque producere, vti in loca citata & alia probant Doctores? Neque sibi contrarius est qui plures eiusdem rei alterius profert, cùm qui per vnum acquisiuit, nequeat per alterum denuò sibi acquirere quod suum iam est. Consentit *c. vt dum. de electione in* 6. Respondeo enim id verum esse quoad ad acquisitionem siue iuris, siue dominij, quod iam ex certo titulo acquisitum & perfectum est: non autem quod ad iuris iam quæsiti conseruationem, aut augmentum. Quare qui quoquo modo dubius est de suo iure, aut titulo, potest alios titulos multiplicare, addendo ius iuri & vtrumque producere, vt vel ex ambobus, vel ex alterutro ius suum obtineat: aliúdque est multiplicare actiones, aliud multiplicare titulos. Deinde plures defensiones & actiones, non sunt propterea inuicem contrariæ, aut oppositæ, neque vnâ addita deseritur prior.

Regvla XXI.

Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

Lege, *sicut C. de actionibus & obligationibus.* Vide Tusch. *litter. Q. concl.* 48. Ex hac Regula perseuerantiam in bono docemur: ex quo iudici placuit certam ferre sententiam, illámque tulit, non poterit eam deinde mutare, *l. Iudex. l. Paulus. l. post rem, l. cum quærebatur. D. de re iudicata l.* 1. § *fin. D. de quæstionibus. l. Diui fratres. D. de pœnis.* Si tamen sententia non teneat ipso iure, eâ tunc, si Iudex est ordinarius, potest secundò pronuntiare: si autem delegatus, pronunciabit delegans, *l. si præses.* & *l. si vt proponis. C. quomodo & quando.* & *l.* 3. *D. de accusationibus.* Si verò teneat sententia & iniquitatem contineat, nón potest per eundem Iudicem reuocari, *l. quod iussit. D. de re iudic.* & *l. post sententiam. C. de sentent.* poterit tamen appellari de iniquitate, & per Iudicem appellationis de iniquitate cognosci, illáque cognita corrigi, *l. præses. D. de re indicata.* & *leg. cum prolatis ibid.* & *leg.* 1. *D. de Appellationibus.* Circa hanc Regulam plura quæri possent, de reuocationibus & mutationibus voluntatum, in contractibus, donationibus, commerciis pactis, electionibus, & aliis, de quibus nonnulla dabit Dynus in hanc ipsam Regulam: sed fusior est illa materia, quàm vt in expositione illius Regulæ tota expediri possit. Quare si quæ sint ab illa expositiones, exceptiones, &, vt loquuntur, fallentiæ, suis locis explicabuntur.

Regvla XXII.

Nullus debet alterius odio prægrauari.

Lege, *Non debet alter* 75. & *l. factum* 193. *D. de Regul. iuris.* Sensus non est, vt vulgò credunt, neminem afficiendum esse pœna pro delicto alterius: id enim habetur *Regula proximè sequenti*: neque credendum est Bonifacium VIII. duas proximè se sequentes Regulas de eadem retulisse. Sensus igitur est, nullum

T 5 ex

ex pacto contractum, odio alterius damnum debero pati, neqoe illi pœnam infligi à lege vel Iudice. Quomodò verò vnus aliquandò puniatur, etiam à Deo pro delicto alterius, diximus aliàs fusè *libro quarto*. Vide quoque S. Thom. 2. 2. q. 108. *art*. 4. quæ omnia consule; quæ *hic* repetenda non sunt.

Regvla XXIII.

Sine culpa nemo puniendus est, nisi subsit causa.

EX *l. si putatur. D. ad l. Aquil.* & *c. cognoscentes de constitutionibus & cap. cum voluntate de sentent. excommunic.* Cùm enim culpa sit commensuratio supplicij, illa oulli infligitur sine culpa: potest tamen aliquando esse causa aliqua boni publici, propter quam inoocens loco delinqueotis, aut simul cum illo puoitur, propter aliquam cum illo connexiouem, taoqoam cum toto, vel parte: aut quia delinquens in ioocente puniri censetur: quia denique eius quodammodò crimen participat. De quibos diximus *libro 4. superiori*, cùm ageremus de æquitate legis diuinæ; in qua Deus aliquandò vsqoe ad quartam generatiooem scelera patrum punioit in posteris. Vide & *tractatum nostrum de pœnis tom. 2. de negotiatione.*

Regvla XXIV.

Qui facit mandato iudicis, non videtur dolo facere.

LEge, *non videtur* 128. §. *qui iussit. D. de Regul. Iur.* vide Tiraq. *de pœnis*. Ratio est: quia qui ex mandato superioris operatur, censetur agere obedientis virtute, & non habere animum machinandi: qui tamen ad dolum necessarius est: & plurima quæ illicita videntur, vbi auctoritas superioris accedit, non modò licita fiunt, sed etiam ipsis inferior parere tenetur, *cap. qui culpatur* 23. *q.* 5: in iis igitur dolo non agit. Si tamen eiusmodi mandatum foret euidenter iniostum, & contra legem diuioam, vel humanam iuoe obligantem, non excusaretur subditus, qui iote censeretur suæ culpæ prætexere superioris mandatum: quod eo tempore nullum est, cùm oon obliget.

Regvla XXV.

Mora sua cuilibet nociua est.

LEge, *in condemnatione* 133. §. *vnicuique, D. de Regul. iuris, & l. Emptoris D. de aqua pluuia arcenda.* Quandò igitur mora & tarditas, alteri damnosa & culpabilis est, eâ dilatione siue tarditate allatum damnum compensandum est. Vide Petrum Gregor. *libro* 21. *syntagmatis, part.* 3. *cap.* 14. Mascard. *concl.* 1070. *numero* 1. & 4. Couarru. *libro* 2. *Miscell. c.* 6. quare hæc mora defioiri solet culpa prætermittendi officij in solueodo, recipiendóve debito, qoæ alteri damnosa est. De moræ multiplici diuisione eiúsque natura diximus *alibi libro* 3. *de vsuris & commerciis.* Non est porrò mora nocioa, nisi illi, qui eam committit, nisi legitimè porgetur, non alteri, nisi sit maximè cooiunctus cum, illo sioe cum moroso. Sic mora Rei nocet fideiussori quoad obligationem perpetuando, & mora Tutoris nocet pupillo. Mora verò defuncti officit etiam hæredi: mora vnios ex reis, aliis reis in iis, in quibus censentur vnum & idem quoad continuandam obligationem.

Regvla XXVI.

Quæ fiunt à Iudice, & ad eius officium non pertinent, inualida sunt.

LEge, *Factum à Iudice. D. de Regul. iur.* Vide Couarr. *libro* 1. *Variar. cap.* 17. *n.* 13. quia vel noo fiunt à potestate, in qua fuodatur Iudicis iurisdictio, & in iis priuatus ceosetur, quare ab illo gesta non habentur nisi vt à priuato gesta, propter defectum publicæ potestatis. Itaque ea Regula valet in omnibus actibus, qoi quacumque ratione ad iudicis officium noo pertineot. Si v. g. *ius dicat extra territorium, aut sit in ea causa incompetens*, aut iuris ordine non proeedat, Neque ad iudicem inferiorem Regula restringenda est; valet eoim etiam io superiore, debet etiam uotoriè non pertinere eiusmodi caosa ad officium iudicis: si caosa sit dubia, præsumetur pro iudice, & valida erit sententia donec à superiore reuocetur.

Regvla XXVII.

Scienti, & consentienti, neque iniuria, neque dolus fit.

LEge, *Nemo videtur* 18. *D. de Regul. iuris.* Ita passim omnes, & nos disputantes *de iure, lib.* 4. nuper diximus: nemo enim potest lubens & volens iniuriam formaliter pati. Quare si oon sit inuitus, sed consentiat io aliquam actionem, qoam nooit, non patietur. & si quod habet ios, illi volens cedit suo consensu; neque potest cooqueri.

Regvla XXVIII.

A iure communi exorbitantia in consequentiam trahenda non sunt.

LEge, *Quod contra rationem. D. de Regul. iur.* Exorbitat porrò à iure communi, quod in aliquo correctorium est iuris communis. Vide Tiraquell. *in l. si vnquam. vers. libertas, n.* 19. sioe vt tollat totum illud ius ea in parte, vel illud emendet, vel minuat.

Hine sequitur in explicatione legis, eius ampliationem & extensionem noo debere fieri ad exorbitantia. Vide Tiraquell. *in l. si vnquam. vers. libertas n.* 19. maximè in odiosis & pœnalibus, vti habet Farinac. *in fragment. criminal. part.* 1. *littera E. n.* 124. qui *n.* 125. sapienter addit extensionem fieri de casu ad casum, quando eadem est ratio, & quando dispositio non est coniungens, sed præter ius. Denique addit *n.* 126. in exorbitantibus faciliùs admitti extensionem, quàm in correctoriis, iusque correctoriom difficiliùs extendi, quàm ios exorbitans. Nam in illo fauore piæ causæ, religionis, & relictorum pro anima, & fauore ipsius aoimæ facilius admittitur eiusmodi extensio.

Regvla XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus probari.

LEge 1. & *vlt. C. de auctorit. prætor. l. per fundum* 11. *D. de seruit. rusticor. prædior.* Distiogoendum igitur est inter ea qoæ pertinent ad singulos vt singulos, vel in speciali, & ea quæ pertinent ad vniuersos vt sic, vel in communi, vt ad collegium, communitatem & Vniuersitatem: in istis enim verissima est hæc Regula: in aliis sofficit maior pars, v. g. Capituli, aut Vniuersitatis. Vide Nauarr. *in cap. si quando de rescriptis*, & Tiraqoell. tractatu

tractu res inter alios. Distinguendum existimarim, vt ea quæ pertinent ad singulos vt singulos, de quorum præiudicio, præcipuè agitur, debeant ab omnibus, & singulis approbari: illorum verò, de quorum præiudicio secundario tantùm agitur, non est omninò necessaria approbatio. Quod indicat ipsum verbum Regulæ *tangit*: qui sanè sunt ij de quorum præiudicio principaliter agitur. Tunc enim publicum bonum, & vtilitas vrgere possunt: alioquin sequeretur iniquitas, quæ vitanda maximè est.

REGVLA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

LEge, *semper in obscuris, leg. semper stipulationibus, D. de Regul. iur.* Vide Tiraquell. *de retractu gentilit.* §.30. *Gloss.* 1. *num.* 27. 29. Menoch. *de præsumpt. libro 4. præsumpt.* 106. Tusch. *litt.O. concl.* 55. *num.* 3. Barbos. *de axiom. iuris, axiom.* 165. Estque euidens ratio: quia obscuritas reprobatur in omni dispositione: & ita loquens æquiparatur tacenti verum, aut etiam habetur pro concesso: & in obscuris solet inspici quod vero similius est. Et denique sequendo minimum ex illis minori periculo errandi exponimur.

REGVLA XXXI.

Eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet.

LEge 1. *D. de actionibus empti.* Vide Glossam *in c. cùm inter* 18. *de electione. verſ. cognouerunt.* Tiraquell. *de retractu gentilitio. Gloſſa* 2. §. 36. *n.* 24. v.g. cùm quis scit quomodocumque actum aliquem esse prohibitum, ab illo abstinere debet: neque indiget maiori, & clariori intimatione prohibitionis. Quod etiam aliqui ampliant ad casus, in quibus requiritur insinuatio, & intimatio, quando quis habet plenam notitiam: quia tunc non requiritur alia certioratio, quando scilicet ea tantùm fit, vt quis sciat. (Neque enim eo casu debet certus ampliùs certiorari.) Quod si ea certioratio necessaria sit velut de forma, & substantia, quia lex mandat denuntiari, alioquin vult actum esse nullum, non sufficit legis scientia, & debebit fieri denuntiatio etiam illi qui iam certus est.

REGVLA XXXII.

Non licet Actori quod Reo non licet.

LEge, *Non debet. D. de Regul. iuris.* Vide Tusch. *littera A. conc.* 119. Cùm enim Actor & Reus sint correlatiua, pari passu procedunt: & quod vni conceditur, alteri quoque conceditur. Quare si Actor obtinuit, vt Reus personaliter compareat ad respondendum, idem obtinere quoque debet Reus, vt Actor etiam personaliter compareat. Inde alia corollaria deducit Tuschus *l.c.* quæ adibi.

REGVLA XXXIII.

Mutare consilium nemo potest in alterius detrimentum.

LEge, *Nemo potest mutare. D. de Regul. iuris.* Hæc Regula integra est capienda, & cum limitatione sua, & de iure alteri quæsito electione, præsentatione, sententia iudicis, & quacunque alia ratione. Sicque interpretatur Archidiac. *in cap. certi, verſ. muto* 12. 91. & alij apud Tiraquell. *in l. Bouez,* §. *hoc sermone limit.* 13. *num.* 1. *D. de verbor. signif.* alioquin falsa esset Regula: cùm sapientis sit mutare consilium in melius. Deinde, cùm consilium non obliget neque eum cui datur, neque consulentem, qui liberè consulit, cur tenebitur in suo consilio perseuerare, maximè si illi melius occurrat, atque magis proficuum illi cui dedit? Quare omninò est intelligenda Regula, vti seipsa explicat, ne illa mutatio consilij alteri detrimentum afferat, ius illi quæsitum tollendo, vel minuendo, vel difficilius reddendo.

REGVLA XXXIV.

Species derogat generi.

LEge *In toto iure* 81. *de Regul. iuris. l. sanctio* 41. *D. de pœnis cap.* 1. *& cap. pastoralis.* §. *quoniam de rescriptis.* Vide Tusch. *litt. G. concl.* 32. 36. Gutier. *lib. tertio practic. q.* 94. 24. *num.* . Sanctorell. *Variarum Resolution. quæst.* 14. *num.* 5. Barbos. *in Axiom.* 107. Ratio est: quia vbi sunt sibi aduersæ dispositiones, debent in concordiam adduci: quod fieri non potest, quoties genus & species non concordant. Quare vna debet alteri derogare: alioquin nihil attineret speciem nominatim designare: quia iam sub genere continetur. Quare vel apponitur tanquam eius subiectiua, vel distinctionis eius causa, & tanquam pars sub toto, vel tanquam eius exceptio quædam, quæ sub genere non continetur, & quæ vel eius designat amplitudinem, vel illam restringit. Neque enim in hac regula genus accipitur logicè pro vniuersali quod habet sub se partes subiectiuas, sed pro quodam toto, quod plura singularia in se continet, & species pro singularibus, quæ sub aliquo communi comprehenduntur. Quare vniuersalis est ista Regula: & in omni materia specialis dispositio derogat generali, si sunt incompatibiles: quia non possunt aliter reduci in concordiam. V.g. in legatis legatum speciale derogat generali: v.g. legas Titio duas statuas marmoreas, & eidem legas omne marmor, leguntur solùm duæ illæ statuæ quæ specialiter legantur & continentur in omni marmore. Legauit testator in specie duabus sororibus nominatis, & deinde in communi vocauit sorores, intelligendus est de aliis: quia specialis dispositio præcedens derogat generali, maximè si prohibeat honoratas plus petere. Neque refert an præcedat, an sequatur genus in dispositione: immò, etsi generalitas sit posterior, & habeat clausulam derogatoriam, specialitas tamen attenditur. Addunt aliqui id verum esse, licèt generalis dispositio habeat verba habilia comprehendere specialem. Sicut verò species derogat generi: Ita species magis specialis & indiuidua derogat speciei communiori, & ampliori: quod idem contingit, quando sunt duo genera. Nam minùs vniuersale est loco & vice speciei respectu magis vniuersalis.

Primò, Rescriptum & mandatum speciale derogat generali, quamuis nullam de eo faciat mentionem; quod idem dicunt de generali commissione, deputatione, reuocatione: quia non reuocat specialem præcedentem, nisi aliter constet de mente mandantis. Ita Rebuff. *in constitution. Gallic. titulo de rescriptis, num.* 103. Quare mandatum speciale de prouidendo, derogat generali mandato præcedenti, quamvis eius non meminerit.

Secundò, Statutum speciale præualet generali: excipit tamen Bald. *conſ.* 78. *Duo sunt:* cùm statutum speciale nihil omninò aliud continet quàm ius commune per omnia: tunc enim statutum generale contrarium

disponentis præfertur. Secùs verò si statutum speciale in aliquo discrepet à iure communi.

Tertiò, Speciale etiam tempus derogat. Si enim conceditur alicui immunitas, v.g. à gabellis, pro certo, & determinato tempore, derogatur dispositioni generali, ne vllo tempore soluatur. Tusch. *littera citata, conc.* 36. *n.* 16.

Quartò, Obseruantia specialis derogat generali, Tusch. *ibid.*

Quintò, valet Regula etiam in compromissis. Nam si fiat compromissum speciale de pretio factæ venditionis, licèt fiant deindè alia compromissa de litibus & controuersiis, non est derogatum primo, nisi partes ita se velle explicent.

Sextò, consuetudo generalis accipit declarationem à speciali, quæ proinde attendi debet: & derogat generali.

Septimò, potiùs & magis creditur duobus testibus in specie, quàm mille in genere. Tusch. *lit. G. Conc.* 37. *n.* 42. *& num.* 65. & probatio in specie delicti præualet probationi in genere delicti, eò quòd accusatus sit adhuc bonæ famæ.

Octauò, specialis contractus derogat generico. Tusch. *lit. G. concl.* 36. *n.* 64.

Nonò, verba specialia legis derogant verbis eiusdem legis generalibus: quod aliqui extendunt ad diuersas leges, quoties earum verba non se compatiuntur, & vnius sunt generalia, alterius sunt specialia; non propter aliam causam quàm istam Regulam, *species derogat generi*: quæ etiam aliis in casibus valet, quos lubens omitto.

Decimò, suas nihilominùs patitur exceptiones aut limitationes: nam si species & genus sese compatiantur, & iouicem stare possint, non derogatur generi per speciem, v.g. si simul apponuntur fauore eiusdem personæ: tunc enim genus neque tollitur neque restringitur per speciem subsequentem: aut si species accedit generi: quia tunc prorogato vel mutato genere, prorogatur, & mutatur species, quæ pendet ab illo genere. Si etiam ratio persuadeat per generalem promissionem, aut concessionem fuisse recessum à speciali, & deinde si species apponatur ad coadjuuandum, & explicandum genus, aut si genus explicetur per verba dispositiua, & species per enuntiatiua dumtaxat: aut quando apponi videntur accumulatiuè potiùs quàm derogatiuè, vt sæpiùs fit in iurisdictionalibus, quæ dantur in genere, & in specie. Tusch. *citatâ concl.* 36. *num.* 101. & Gutierr. *practicar. qq. libro tertio, qu.* 15. *num.* 6. Si etiam per dispositionem generalem est iam ius alicui quæsitum, illi non derogatur per dispositiones speciales posteriores: secùs, si effectus litterarum, & dispositionis pendeter adhuc ab euentu incerto, vt sæpè contingit in beneficialibus.

Vndecimò, in dispositionibus diuersis & diuerso tempore factis, non haber locum ista Regula, sed contraria: vltima enim generalis derogant prioribus. Tusch. *citat. conclus.* 36. *num.* 112. Quod idem contingit quando dispositio generalis & specialis tendunt ad diuersos fines, vel non concurrunt super eodem iure, sed diuerso.

Duodecimò, per speciale priuilegium derogatur generali. Rebuff. *in constitution. Gallic. tract. de rescriptis in præfat. num.* 105. Tusch. *conclusione* sæpiùs *citata* 36. *num.* 99. nullâ eius factâ mentione, Sylu. *verf. priuilegium q.* 10. Menoch. *de præsumpt. præsumpt.* 40. *n.* 21. Suar. *lib.* 8. *de legibus c.* 39. *n.* 7. Moneta *de commutat. vlt. volunt. cap.* 8. *n.* 529.

Regvla XXXV.

Plus continet minus.

Leg. *In eo quod plus, D. de Regul. iur.* Estque euidens ratio, cùm semper minus contineatur in maiori in eo, quo comparantur ratione, siue vt plus & minus, in mensura, & pondere & quantitate, in toto, & partibus eius, in speciebus, & genere: in qualitate, vt in obligatione puta & simplici, vel conditionata in comparatione duorum, quorum vnum excedit alterum, & aliis similibus comparationibus. Quamquam enim Regula agat tantùm de quantitate, & toto: in aliis tamen omnibus vera est quam docet ratio naturalis, & non sola iuris interpretatio. Neque tamen sequitur, dispositionem de summa maiori, verificari in summa minori per se solam, nec disponens eâ tantùm contentus esse debeat, nisi aliter verosimiliter appareat de mente illius, cui tunc standum erit, éstque euidens ratio, quia dispositio non verificatur, nisi secundùm verba aut mentem disponentis: quod latiùs explicat Tiraquell. *in l. si vnquam, verf. liberis, num.* 53. *C. de reuocand. donatio.* Verba autem quæ maiorem summam significant puta 20. non verificantur in minori, v. gr. 10. neque etiam mens disponentis, quæ ex verbis colligitur, nisi aliundè colligatur, quare tota summa, non illius dumtaxat aliqua pars sumenda est. Neque ista Regula vult aliud quàm in eo quod plus est, contineri minus non per se solùm, sed velut membrum aut partem ad integrandum vel constituendum illud plus. Quare qui consentit in maiori quantitate, consentit etiam in minori, ex hac Regula eo modo quo hæc minor continetur in maiori quantitate, tanquam in parte illius. Intelligenda verò est Regula in causa lucratiua, nam in causa onerosa dispositio summæ maioris non verificatur in minori, nisi appareat verosimiliter disponentem intendisse quamlibet summam in maiori contentam.

Regvla XXXVI.

Qui dolo desiit possidere, pro possessore habetur.

Lege, *Qui dolo desierit, l. non parem esse, & l. ad ea §. semper. D. de Regul. iur.* quia possessor semel possidere præsumitur, & dolus non debet ita patrocinari.

Regvla XXXVII.

Vtile non vitiatur per inutile.

Leg. 1. §. *Item quæritur, D. de aqua quotidiana & æstiua, l. prædium, de receptis arbitris*, atque *alibi*. Quod intelligendum est in diuisibilibus, & diuisibilibus: in connexis enim & indiuiduis Regula falsa est, Vide Tuschum *Littera V, concl.* 373. Tiraquellum *de retractu gentilitio, ad fin. num.* 74. & *de retractu conuention. ad fin. num.* 145. Quare si vtile est connexum cum inutili, ita vt separari nequeant, si vtile est de iure communi, trahit ad se inutile, de iure speciali, & vincit: & è contrario. Si verò æqualia sunt, præualet inotile: quia non potest valere pro parte. Cùm persona inhabilis admittitur scienter ad parficiendum actum indiuiduum cum persona habili, vt ad iudicandum, ferendam sententiam, actus erit nullus in totum, *cap. cùm super. de officio delegati*: si verò inhabilis

habilis ignoranter fuerit admissus, validus erit actus: quia cùm egens habilis videatur omni meliori modo quo potest, eius actus meritò sustinetur. Quòd si actus est diuiduus, quia duo illum separatim facere possunt, licèt per se factus sit indiuiduus, separantur, & vnus non vitiat alium, v.g. duo impetrant gratiam, cuius vnus est incapax propter excommunicationem. Duo tutores præstant pupillo auctoritatem, quorum vnus verus, alter falsus est, actus valet, vt ait Tusch. *litt. V, conc.* 373.*num.*45. & 46.

Dices etiam in diuiduis & separabilibus vtile vitiari per inutile. Si quis enim in aliqua parte testimonium falsò dicit, in nulla fidem habet, & totum eius testimonium corruit, *cap. pura* 3. *quæst.* 9. & *capite* 51. *ad scripturas* 9. *dist.* & ibi Glossa, & communiter omnes apud Tiraquell. *de pœnis tempor. cap.* 44. *num.*42. S.Thom. 2. 2. *quæst.*5 *art.* 3. Qui vnum articulum fidei negat, habetur hæreticus: litteræ Apostolicæ ob vitium constructionis, & falsæ grammaticæ quoad reliquas etiam partes nullam habent fidem vel auctoritatem, *cap. ad audientiam* 11. *de rescriptis.* Vide Rebuffum *in praxi benefic. tit. opponi contra Bullam, num.* 20. vbi Notarius falsum in aliqua parte instrumentū scripsit, totum instrumentum corruit, quoad alias omnes eius partes etiam separatas.

Respondeo ad hæc omnia, fidem testimonij, & Notarij esse indiuisibilem, iure optimo falsitatem in vna parte commissam reddere in reliquis fidem testis & Notarij suspectam similis falsitatis. Litteræ verò Apostolicæ quando falsâ & ineptâ grammaticâ laborant, præsumuntur vehementer à Sede Apostolica non emanasse, ac proinde non facient fidem neque quoad illam partem ineptè scriptam, neque quoad cæteras.

Deinde contingit aliquando vt inutile simul cum vtili reiiciatur, etiam in separabilibus: quia quando constat ex illis quoddam esse inutile, & tamen non constat cur id potius vni rei, quàm alteri tribuatur, tota dispositio annullatur: v.g. in alienatione plurium rerum facta à minore, quæ tota cassatur, cùm tamen in aliquibus potuisset vna sustineri, & alia reuocari: quia cùm plurium rerum facta fuerit, non apparet cur magis hæc quam illa debeat reuocari; atque ita non constat de parte vtili quæ manere debeat: sicque intelliges *l. libertas* 16. *vers. si quis placet. D. de iure patronatus.*

Regvla XXXIII.

Inde quis non debet fructum capere quod nisus fuit impugnare.

RAtio est, quòd quis approbare non possit, quod semel impugnauit, *l. dispensatorem. D. de solutionibus.* Vide Menoch. *Consil.* 393. *num.*89. & approbatum semel non potest ampliùs reprobari. *l. Pomponius. D. de negotiis gestis:* alioquin omnia essent incerta, fidésque in commerciis humanis perpetuò vacillaret. Licèt tamen approbare & improbare variis respectibus. Tusch. *litt. E. concl.* 54.*n.*6.

Regvla XXXIX.

Vna prohibitione simul omnia, quæ ex illa consequuntur prohibentur.

LEge, *Oratio. D. de sponsalibus, l. pupillus* §. *sed si per interpositam. D. de auctoritate tutorum, l. eos. in fine C. de vsuris, & alibi.* Quæ Regula intelligenda est de iis, per quæ necessariò peruenitur ad rem aut actionem prohibitam, quæ alioquin frustrà prohiberetur. Secus verò contingit quando aliqua contingenter dumtaxat connexa sunt cum re prohibita, ad quam non necessariò prohibentur quæ non sunt media necessaria & infallibilia ad illud prohibitum: & prior prohibitio tota subsistere potest istis annexis non prohibitis.

Regvla XL.

Numerus duorum sufficit ad pluralem.

LEge, *Libertas*, §. *vlt. D. de manumissis testam. l. inter illa.* §. *fin. D. de verbor. obligat.* Tusch. *litt. D, conc.* 335. *num.*1. & *litt. P, conc.* 193. pluralis nihilominus locutio verificatur aliquando in singulari, quando nimirum vnius & multorum eadem est ratio: aut, vt ait Stephanus Gratian. *discept. forens. c.*621. *n.* 31. & *capite* 741. *num.*13. Vide Rebuffum *in l. non est, sine liberis, D. de verb. signific.*

Regvla XLI.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod faciendum est.

HAnc Regulam ait Dynus propriè procedere in conditione potestatiua, quæ pendebat tantùm ex facto legatarij, vel hæredis cui erat adscripta; si enim casu aliquo impediatur eam implere, nihilominus debetur ei relictum: quia non stat per eum, quin faciat quod per eum fuerit faciendum, *l. quæ sub conditione.* §. *quoties. D. de condition. inst.* Verùm de conditionibus plurima, & quantùm pertinent ad nostrum institutum diximus *in opere de vniuersa negotiatione lib. tertio, capite secundo, art.* 2. *per multas qq.* quibus nihil addendum censeo.

Regvla XLII.

Accessorium sequitur principalis naturam.

LEge, *Cùm principalis* 139. & *l. nihil dolo* 179. *D. de Regul. iuris.* Vide Tiraquell. *de constitut.* 3. *part. limit.*7. *num.*24. & *de retractu. tit.*1. §.2. *gloss.*18. *n.*51. Couarr. *in cap. quamvis pactum, part.* 2. §.3. *n.*2. Tusch. *litt. A, conc.*76, *num.*6. &c. Quare delegatâ causâ principali, censentur delegata omnia necessaria ad causam, *l. cum principalis. D. de Regul. iuris.*

Secundò consuetudo & præscriptio etsi sit scripti iuris, & de sua natura non extendenda: extenditur tamen ad accessoria: & præscribens fundum, censetur etiam præscribere seruitutem fundo competentem. Concessâ sepulturâ, censetur etiam concessa Missa pro defunctis & delatio mortui processionaliter, Federic de Senis *consil.*18. Tusch. *litt. A, concl.*77. *num.* 9. & 10.

Tertiò valet etiam Regula in pœnalibus, & correctoriis & exorbitationibus.

Quartò vera etiam est, licèt accessorium sit dignius principali: quare si quæ sunt diuersæ naturæ, annectantur accessoriè alteri rei diuersæ naturæ, quæ accessoria est, perdit suam naturam, & recipit naturam principalis, cui fit annexio. V.g. si parochialis Ecclesia vniatur accessoriè beneficio simplici, conditionem naturæ beneficij simplicis omninò accipit. Nauarr. *consil.* 10. *n.*3. *de maioritate, & obedientia.* Azor. 2. *part. instit. libro* 6. *capite* 28. *quæst.*10. Garci. *de beneficiis part.*11. *capite* 5. *num.*196.

Quintò

Quintò valet etiam separatio, & vbi militat diuersa ratio. Vt si in principali tractatur de damno, & in accessorio de lucro, Tusch. *citat. concl.* 76. *num.* 34. Si tamen accessorium difficile, & ita arduum, vt non sit verosimile de eo fuisse cogitatum, non censetur accessorium concessum cum principali. Vt verò quæ contra hanc obiici possunt facilè diluantur, obserua in tota ista materia & Regulæ expositione illud dici principale, quod per se stat, & propria virtute subsistit: accessorium verò quod per se non subsistit, & pendet à principali cui inest, & accedit, sicut accidens à substantia apud Philosophos. Illud autem hoc loco potest variis modis contingere, primò cùm ita rei prodest vt sine eo res vel nulla, vel inutilis reddatur, vt fundus sine quibusdam accessoris: tunc enim accedunt v. g. fundo legato, aut donato, *c. si super gratia. de officio delegati.* & *l. cùm fundus* 21. *D. de fundo inst.* Secundò accedit, quod ita alicui rei inest, vt sit quædam eius portio, aut pars, *l. etsi non sum.* 21. §. *præueniamus, l. de auro & argento leg. l. vt rem* 24. §. 1. & 2. *D. de rei vindicat.* & *citata l. cum fundus.* Tertiò quod vel ex natura rei, vel ex legis dispositione, vel ex mente partium ita quidpiam comitatur, vt illud semper sequatur, illi dicitur esse accessorium. *l. Hæres meus* 98. §. *pen. l. liberorum* 50. §. *chartas D. de legatis* 34. Quartò quod ex aliqua re immediatè pendet tanquam effectus, videtur inesse suæ causæ: non verò si non pendeat immediatè; atque ita intellige *l. verum* 40. *D. de furtis.* Deinde accessorium intelligitur, vel propriè aliquo ex modis enumeratis, vel impropriè & quasi accessorium, quia secundùm propriam naturam per se subsistit, & verè principale est; ex quadam tamen ratione illi alteri videtur accedere, v. g. *in cap. debitores de iureiurando*, promissioni de soluendis vsuris. Iuramentum de illis soluendis accedens, principale iudicatur, vbi Alexander III. vult debitores qui se iuramento ad soluendas vsuras obligauerint, cogendos esse. Itaque non habetur iuramentum illud nisi tanquam principale, cùm stipulatio simplex vsurarum non cogat ad solutionem ipsarũ. Discrimen porrò est inter istud duplex accessorij genus, quod vnum cum per se subsistere nequeat, principalis sui naturam sequi debeat: alterum, non ita, quia tanquam principale consideretur, & propriâ virtute subsistat. Quintò hinc fit vt hæc Regula non conuertatur, & licitè accessorium sequatur Regulam principalis, non tamen è contrario principale ex natura & conditione accessorij reguletur. Quare ex accessorio legitimo principale vitiosum non sustinetur, nec vitiatur: vnde remisso pignore, debitum principale non remittitur, *l.* 3. *D. de pactis. l. seruo* 25. *C. de pignoribus*, nec liberato fideiussore, liberatur debitor. *l. fideiussoris* 34. *D. eod.* Reddito verò instrumento obligationis debiti censetur liberatus debitor, *l.* 2. *D. de pactis*, quia in eo instrumento continetur ipsum debitum, & ideò vtrumque simul tradi præsumitur, quod non contingit in pignore, & ideò pignus hoc casu, non est verum accessorium: euidénsque discrimen est inter pignus & chirographum. Verum de pignoribus & debitis nuper, quantum satis est, diximus *in nostro opere de vniuersa negotiatione tomo* 2.

REGVLA LXIII.

Qui tacet, consentire videtur.

LEge 2. §. *voluntatem D. soluto matrimonio. l. qui tacet. D. de Regul. iuris l.* 2. *C. de acquirenda possess.* & *alibi*: quæ Regula vera est in fauorabilibus, non in præiudicialibus. Mascard. *conc.* 1218. & *concl.* 1138. *num.* 23. Sanch. *libro primo de matrimonio disp.* 51. *num.* 5. Tusch. *littera T, con.* 2. Couarr. *practic. qq. capite* 15. In iudicialibus quoque tacens consentire videtur, quamvis sibi præiudicet, vt si non contradicat protestationi quæ illi fit, quæ in iudicio non contradicit negationi positæ, quod quis non impleuerit id ad quod obligabatur.

Neque excipiendus est fauor reipublicæ, Ecclesiæ, pupilli, & piæ causæ. Nam etiam tunc tacens consentire videtur in ipsis quoque damnosis.

Si tamen ius resistat illi consensui; nihil oberit ista taciturnitas, quia eo casu ipse quoque consensus foret inutilis. Idem dicunt quando quis contradicendo non potuisset actum impedire: cur enim plus operabitur taciturnitas, quàm contradictio, & cur ad vnam potiùs, quàm ad alteram obligabitur?

Plurima solent obiici contra hanc Regulam maximè an in præiudicialibus valeat, quæ Dynus Barbosa, & alij afferunt, & sua atque Doctores inter se pugnantea conciliare conantur, & Regulam allatam modò restringunt, modò extendunt. Mihi satis fuerit monere, ignorantem aliquem actum fieri suâ taciturnitate, non consentire: cùm consensus & volitio neque ferri neque præsumi in prorsus incognitum valeat: ad hoc enim aliquo modo sciri debet. Et vt teneamur illud scire non tunc negligentia illa sciendi quod scire tenebamur generat coniecturam, & præsumptionem, ignorantiam illam fuisse affectatam, vel voluntariam: quod ex variis etiam iuribus probant *DD.* Vide Tusch. *littera V, concl.* 154.

In dubio quoque modo non detur legitima in contrarium coniectura: is qui tacet consentire præsumitur, quia cùm possit dissentire, & non faciat, ipsa taciturnitate ostendit se simul sentire. Debet itaque tunc illa præsumptio nutu, vel alio aliquo facili signo quo ostendat contradictionem, & contraria voluntas se se prodat, in quibus omnibus suppono tacentem posse aliquo signo suam contradictionem, aut saltem dissensum quapiam ratione significare maximè in præiudicialibus, & quando de suo damno agitur: tunc enim maximè dissentire deberet, cùm id facillimè possit, aut nisi sint fortes, & vehementes coniecturæ in contrarium. De muliere tacente, cuius bona pignori dantur à marito, & de taciturnitate filij, an illi præiudicet contra paternam dispositionem longa lis est. Vide Barbosam *in hanc Regulam à num.* 16.

REGVLA XLIV.

Tacens neque consentit, neque negat.

LEge, *Qui tacet* 185. *D. de Regul. iuris*, Itaque taciturnitas medium quoddam est inter negationem & affirmationem. Explicat Dynus in contractibus serui, quibus dominus consentit, nec contradicit: tunc enim non tenetur contractibus serui in solidum; si contradicit, tenetur de peculio: & deducit quod sibi debetur. Si verò tacet, tenetur tributaria, & concurrit vnà cum aliis creditoribus, *l.* 1. §. *scientia D. de tribut.* videndum tamen superest, ne aliquando medium istud ad aliquod extremum trahatur in variis casibus, & coniecturis.

Regvla XLV.

In obscuris inspiciendum est quod verosimilius, & magis solitum est.

LEge, *In obscuris de Regul. iuris* Tuschus *littera C. concl.* 55. *num.* 4. & Mascard. *concl.* 1401 *n.* 256. non enim potest esse certior iudicandi Regula, vbi nihil certum est, sed omnia obscura, quàm verosimilitudo, vt sequamur quod magis accedit ad verum aut quod magis, & frequentius est. Itaque tunc accedunt vsui communi & consuetudini quotidianæ, quæ consuetudo tunc, vti diximus aliàs, habet vim legis

Regvla XLVI.

Qui alteri succedit, eius iure vtitur.

LEge, *Is qui.* & *l. aliud.* & *l. non debeo. D. de Reg. iuris.* Vide Rebuffum *de nominat.* q. 8. *num.* 12. Mozetam *de decimis. capite* 8. *quæst.* 4. *num.* 50. Regula porrò intelligitur tam de iure agendi, quàm excipiendi, & in vniuersali successore procedit per omnia tam actiuè, quàm passiuè: v. g. ius agendi, quod competebat defuncto, siue erat reale siue personale, siue mixtum, siue inmiatum, siue in rem, siue in personam, competit hæredi: ius agendi quod competebat contra defunctum, manet contra eius hæredem, & ius excipiendi quod habuit defunctus, competit hæredi.

Obserua igitur aliquos esse successores vniuersales, vt hæredes, bonorum possessores, & ex Trebelliana successores: qui omnes propriè nominantur successores iuris, quia succedunt in ius vniuersum, quod ius habuit alter, *l. quoties.* §. *hæredes D. de hæred. institut.* Alij dicuntur successores singulares, v. g. singularum rerum emptores, donatarij & legatarij, dicuntúrque successores in rem: quia non in ius vniuersum, sed in ius aliquod singulare succedunt, *l. quoddam.* §. *his autem. D. de edendo l. etiamsi in rem. D. de iureiurando.* Ex hac successoris vniuersalis & singularis distinctione soluit Dynus quæ contra hanc Regulam solent obiici, & plurimùm faciunt ad materiam de successionibus *alibi* tractandam.

Regvla XLVII.

Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur.

DYnus & alij communiter restringunt hanc Regulam ad ignorantiam facti, vt in tutore, qui præsumitur ignorasse se Tutorem datum esse: defunctus etiam præsumitur ignorasse rem quam legauit fuisse alienam, aut alteri obligatam: dominus etiam militiam à seruo susceptam præsumitur ignorasse. Censetur itaque ignorantia probata, eo ipso quòd non probatur contraria scientia: in his autem quæ quis scire & indagare tenetur, non valet ista præsumptio. Rationem reddunt DD. quia tunc est ignorantia crassa, & supina, & tunc ignorans habetur pro sciente, éstque etiam ignorantia iuris naturalis, quæ neque minorem, neque militem, neque mulierem neque rusticum excusat. Vide Tiraquell. *de pœnis temperand. causa* 11. *num.* 7. Hanc Regulam ita explicatam & singulas quas exposuimus conditiones probat innumeris adductis auctoribus Barbosa.

Regvla XLVIII.

Nullus per alienam iniuriam, & iacturam debet locupletari.

LEge, *Iure naturæ* 206. *D. de Regul. iuris.* & *alibi.* Vide Tusch. *littera L. conc.* 438. Exempla dabit Dynus. Tull. *l.* 3. *Officior.* dixit hominis incommodo suum augere commodum magis esse contra naturam quàm mortem, paupertatem & dolorem. Quare illam in iudicio allegare non debes, cùm Iudex ex officio illi debeat inuigilare. Valet porrò in pupillo, minore, Republicâ, & Ecclesiâ.

Regvla XLIX.

In pœnis benignior est interpretatio adhibenda.

LEge. *Factum cuique.* §. *in pœnalibus, de Regul. iuris, capite ex litteris de constitution.* Hinc vulgare illud, *pœnæ sunt restringendæ non extendendæ.* Itaque ex multiplici pœna minor & mitior eligenda est. *l. eos. dist.* 50. *cap. si quis dederit. capite* 2. q. 1. Secundò si verba videantur importare pœnam perpetuam, eligimus temporalem, *cap. non oportet* 33. q. 4. & *cap.* 1. *dist.* 50. Tertiò non licet à pœnis argumentari ad similia, si non appareat esse de mente legislatoris, nec habent eundem effectum, ne pœnæ excedant proprium casum, §. *pœna. dist.* 1. *de pœn.* Quartò hæc verba, *puniantur, priuentur,* non intelligimus ipso iure, sed per sententiam *cap. quia propter. de electione.* Quintò in dubio meliorem partem sequimur, *l. hæc enim. D. de suspect. tutoribus,* v. g. tutorem suspectum, & ideo amotum propter culpam & non dolum remotum dicimus, atque adeò non infamem manere, & in cæteris ex infirmitate potiùs quàm ex malitia peccatum suspicamur, & interpretamur, aut etiàm aliquando non peccatum. Nihilominus hæc Regula non liberat legis ministrum, quin secundùm illam agat, & indicet. Menoch. *lib.* 1. *de arbit.* q. 81. Hanc regulam in pœnis alternatiuis eligendi mitiorem ait esse consilij, non necessitatis.

Regvla L.

Actus legitimi non recipiunt conditionem, neque diem.

LEge, *Actus legitimi, D. de Regul. iuris.* Vide Sanchem *lib.* 3. *de matrim. disp.* 1. *num.* 5. Tosch. *lit. A. concl.* 129. & ibi citatos.

Actus legitimi dicuntur, qui à lege, aut natura, vel saltem fictione & interpretatione legis iuuenti, constituti, introducti formam acceperunt, confirmati, vel approbati sunt. Hæc Regula intelligitur de conditione suspensiua, quæ suspendat obligationem & effectum actus: immò & validitatem in euentum dubium, ita vt hîc & nunc non censeretur actus perfectus & absolutus, donec ponatur conditio, vel aduenìat dies, veluti emancipatio, hæredis institutio, & alij, qui enumerantur à Papioiano *Regula* 1. *cap.* 77. Omnes autem illi actus, qui à nostra volontate, & arbitrio pendent, conditionem & diem recipiunt, nisi ipsius natura, vel aliqua specialis iuris prohibitio repugnet: quia eiusmodi actus ita proueniunt à nostro consensu vero & interpretatiuo, vt ille sit pro eorum substantia. Et sanè naturalis libertas postulat, vt quilibet possit hoc, aut illo modo contrahere, &

quam

quam liboerit conditionem dispositioni suæ rei addicere. Isti igitur actus per conditionis aut diei appositiones vitiantur, nisi aliter statuatur circa aliquos, *vt in cap. ad Apostolicam. de Regul. iuris, cap. biduum 2. quæst. 6.*

Hinc fit primò vt matrimonium recipiat conditionem, etiam suspensiuam: quia neque ex natura rei, neque vlla speciali lege, humana, vel diuina prohibetur eiusmodi conditionis appositio, cùm ex natura sua sit liber coosensus, cui non repugnat ea conditio: neque diuina lex certam formam illi præscribat: neque eâ ratione contrahi prohibeat humana lex, vt patet *ex toto titulo de conditione apposit. Vbi cap. super eo*, & *cap. de illis*, in quibus eodem modo conditiones apponuntur, recipiuntur, & interpretantur, quæ in cæteris contractibus. Et sanè matrimonij contractus merus ad dignitatem Sacramenti à Christo euectus est. Itaque hæc communis est Theologorum & Canonistarum mens: sed hæc de re *alibi*, vbi de Sacramentis fusiùs agemus.

Secundò Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ conditionem suspensiuam minimè recipiunt, & quia sunt actus legitimi, & habent certam verborum formam ex diuina institutione, quâ positâ ponitur Sacramentum, & suspendi non potest, vt deinde post aliquod tempus positâ conditione fiat Sacramentum, quod nondum erat substantialiter positum. Quod idem de cæteris Sacramentis, excepto matrimonio, dicendum est, vt de baptismo: horum enim omnium certa forma instituta est à Christo: quod habemus saltem ex traditione Ecclesiæ, & auctoritate nobis comprobata.

Tertiò excommunicatioois, & aliarum censurarum sententia non est propriè actus legitimus, cùm neque habeat certam & essentialem verborum formam præscriptam, neque lex vlla prohibeat in iis conditionem, aut diem apponi: immò in illis sæpiùs apponuntur, & probentur. Vide *cap. Romana. vers. caueant. de sentent. excommunic.* & *ibi* Glossam, ac Doctores.

Quartò ex eo quòd actus legitimi neque conditionem, neque diem recipiant, non sequitur non recipere modum: quia modus neque dispositionem cui apponitur, suspendit, neque illius effectum: quia si nihilominus fiat actus, perfectus erit, & reuocari, & inualidari non poterit, vt contingit in conditione resolutiua, & suspensiua, vti vides in Sacramento Pœnitentiæ, & Baptismi, quæ sub aliquo modo vel onere conferuntur. Semel enim valida, etiam nondum impleto modo valent, nisi intentio conferentis fuerit; non valere, nisi impleto illo onere: tunc enim vel nunquam fuere valida, vel si non fuere valida, non valebunt impleto modo: tunc enim perfici & absolui deberent. Quod esse absurdum demonstrabimus, vbi de Sacramentis.

Hinc vides, totam istam Regulam non valere in conditione de præsenti, & præterito: sed de futuro eâque potestatiua, vti iam monuimus: quia illa sola pendet ex dubio euentu, vt diximus *in opere de negotiatione cap. de pactis conditionalibus*, vbi fusiùs de natura diuersarum conditionum disputauimus. Vide etiam Barbosam in hanc Regulam.

REGVLA LI.

Semel Deo dicatum humanis vsibus denuò applicandum non est.

INtelligenda est Regula hæc de rebus inanimatis: nam fallit sæpiùs in animatis hæc materia: tum de rebus inanimis Deo & Ecclesiæ dicatis, quomodo alienari, & à dominio Ecclesiæ transferri possint: tum de personis, an è sacro statu transferri possint, vt an Monachus possit ex Papæ licentia matrimonium inire, graues habet difficultates, quæ hoc loco explicari non debent. De alienatione bonorum, & rerum ecclesiasticarum fusiùs diximus *opere de vniuersa negotiatione*: de mutatione sacri status in profanum, dicemus latissimè *alibi*, vbi de voto solemni.

REGVLA LII.

Non præstat impedimentum quod de iure non sortitur effectum.

EVidens est huius Regulæ ratio: quia quod nullum est, non producit effectum: quia nullum esse, & esse sine effectu idem sunt: & non fieri, atque non sortiri effectum, idem valent. Nescio quis contraxerat sponsalia cum puella nondùm septenni, & multò pòst cum eius puellæ matre: quod matrimonium probauit Alexander III. non obstantibus illis prioribus sponsalibus. Cuius ratio alia esse non potest, quàm quia eiusmodi sponsalia nulla erant, ac proindè non poterant producere impedimentum publicæ honestatis. Ita *cap. 5. de desponsatione impuberum.* Canonici scienter eligentes indignum, ea electio nulla est, & effectu caret, non tamen priuantur iure eligendi, *c. perpetuo de electione. in 6.* quia cùm prima electio careat vi, non potest afferre impedimenta; vbi tamen *cap. quamquam eligentes indignum* 18. *eodem titulo*; quod capitulum enim superiori pugnare videtur. Ita tamen illa conciliat Dynus *in hanc Regulam*, vt si canonici electores perstiterint in electione indigni scienter facta, ita vt ex illo sequatur effectus, priuentur iure eligendi, in pœnam. Si verò non persistunt, & non sequatur effectus, non priuentur eo iure propter hanc Regulam, quamquam & ipse textus significet priuari iure, quia deoluitur ad Pontificem in Ecclesia Cathedrali, in aliis verò inferioribus ad superiorem dumtaxat siue recursu ad Pontificem. Valet eadem nostra Regula in contractibus: si enim prima stipulatio non subsistat, secunda subsistit, *l. si dari, D. de verbor. obligat.* Si quis iurauerit, cui iuramentum non est delatum, potest denuò propter eandem causam solemniter iurare, *l. qui per salutem. D. de iureiurando.* Mandatum citationis non finitur per citationem inualidè factam, *l. in serui electione. D. de legat.* 7. Baptisatus cum defectu essentiali, iterum baptisandus est: susceptio inualida ordinum non impedit sequentem. Quarta funeralis non procedit, nisi fuerit electa sepultura, & completa. Sunt & alia similia.

REGVLA LIII.

Cui licet plus, licet & minus.

LEge, *Non debet. D. de Regul. iuris.* Explicat id Sanch. *libro* 8. *de matrimon. disp.* 2. *numero* 15. quando minus continetur in maiori, vt pars in toto, vel species in genere. Vide Tusch. *litt. A, conc.* 501. &

& addunt alij quando maius & minus sunt eiusdem & non diuersæ qualitatis. Vide Barbosam, *de locis argumentorum iuris, loco 67. & 68.* Inde valet argumentum à maiori ad minus, siue negatiuè, siue affirmatiuè. Vide & Tusch. *littera A. conclusione* 501, *numero* 8. Hæc Regula vera est in iis, quæ à iure communi conceduntur: non verò in aliis, quæ eo ipso odiosa sunt: quare in priuilegiis & dispensationibus non valet. Et sanè cui conferre mandatur præbenda in aliqua Ecclesia, non idcircò debet illi conferri media præbenda, etiamsi in illa Ecclesia mediæ præbendæ sint. Cui licet testari, licet etiam donare causâ mortis: vt filiofamilias de peculio castrensi, *l. tamen*, & *l. filiusfamilias. de donatione causâ mortis.* Iudex, licèt inuitus, dari potest, *l. munerum. §. iudicandi. D. de muneribus*: ergò & cùm ignorat se designari, quia id minus est. Iudex, qui potest deferre iuramentum in litem Actori, ergò & taxationem iuramento adiicere, *l. videamus. §. pen. D. de iureiurando*: quia id minus est. Patri, cui licet adulterum cum filia deprehensum occidere, multò magis eundem verberare & contumeliis onerare licebit, *l. nec in ea. §. ius occidendi. D. de adulter.*

Ex hac Regula valet argumentum à contrario, cui non licet quod minus est, multò magis non licet quod maius est: & ita valet argumentum a minori ad maius. Quare prohibitus à minoribus honoribus repellitur à maioribus, *cap. penult. de* 24. & cui non licet pomaria attingere, nequit vrbem intrare, *l. Relegatorum. §. potest D. de interdictis & relegatis.* Si non licet vulnerare, ergo nec occidere. Pro vili furto ablata non datur actio, multò minus mortis supplicium, *l. eleum, D. de dolo.* Si filia dotata non succedat patri ab intestato, multò minùs succedet nepos. Liberto non licet lacessere famam patroni sui: eundem deprehensum in adulterio cum vxore sua licebit occidere, *l. adulterium cum incestu §. liberto D. de adulter.* Exules, bannitos cuilibet permittitur occidere, ergo & iniuriis afficere. Vide Gaillard. *de pactis publicis, capite primo.* Abbati sine periculo irregularitatis licet Monachos sibi subditos, & plagis & verberibus castigare, *capite vltim. 20. quæstion. 4.* ergo & verbis acrioribus, aliòve modo corrigere. Vide Syluest. *vers. Abbas, num.* 5. quod idem de Magistris & parentibus in Clericos iuniores dices.

Plurimas tamen fallentias & exceptiones patitur hæc Regula, de quibus in casibus singularibus agendum est. Interim adi Dynum, Streinium, & Barbosam in hanc ipsam Regulam. Videndum porrò est an illud maius & minus sint in eodem genere, eiusdémque qualitatis, vt cui conceditur maius, concedatur, & minus: & vtrum illud concedatur iure communi, an verò peculiari quodam rescripto: nam tunc quoque mens concedentis rescriptum diligenter attendenda erit: & vtrum fauorabilis an odiosa sit concessio. Quare vix ea Regula valet in priuilegiis & dispensationibus: in illis enim non admittitur facilè extensio: quod enim *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi*, dicitur, *quod in maiori conceditur, licitum esse videtur & in minori*; non sunt verba Pontificis, sed petentis iam legitimationem, & à temporalibus ad spiritualia arguentis.

Regula LIV.

Qui prior est tempore, potior est iure.

De hac Regula plurimi fusiùs tractant, Tuschos *littera P, conc.* 460. Barbosa *in hanc Regulam*, & *axiomate iuris* 1884. aliique passim commentatores Regularum. Id verum est, etiamsi prioritas sit in hora & momento: & procedit, tam in agendo, quàm in replicando, & excipiendo, in omni concursu, non autem in separabilibus, & diuersis. Quare qui primus impetrauit beneficium, potior secundo erit. Deinde in Ecclesiis, collegiis, congregationibus qui præcedit quoad receptionem, professionem, institutionem, potior est iure, in considendo, procedendo, consulendo, suffragando, participando, & cæteris. Senior præfertur iuniori, antiquior familia, nobilior censetur: prius graduatus præfertur. Vide Chassa. *in catalogo gloriæ mundi, parte secundâ.* Idem dic in pignore, & hypotheca.

Sunt tamen plures huius Regulæ exceptiones. Nam primò res obligata secundo credituri illi cedet, non primo. Secundò si pupilli pecunia sit empta, illi, non priori creditori debetur. Tertiò si mutuator pactus sit in rem per suam pecuniam comparata ipsi maneat obligatio. Vide alia apud Streinium.

Regula LV.

Qui sentit onus, sentiat, & commodum: & contrà.

Lege, *Secundùm naturam, D. de Reg. iur.* Tusch. *litt. C, concl.* 144. Hinc fit vt à quo tollitur officium oneris, priuari debeat officij præmiis. Episcopus qui non sustinet onera iurisdictionis, eius emolumenta percipere non debet. Alia exempla passim obuia sunt, & aduersatiua Regulæ: qui non sentit onus, sentire non debet commodum: qui non exercet artem quam profitetur, licet in matriculam relatus sit, non gaudet priuilegiis illius, *l. scriniarios. C. de numerariis.* Vide Gaillard. *libro secundo obseruat.* 118. Qui sentit commodum, sentire debet & onus. Neque ab hac Regula excipiuntur Ecclesiæ & pia loca. Quare Laiman, *libro primo, tract. 4. capite* 13, infert Clericis, parendum esse legibus ciuilibus, quia ciuium priuilegiis fruuntur: & Tanner. *libro secundo de libert. Eccles, capite* 13. Gaillard. *libro secundo obser.* 52. *num.* 12. inductum vsu notant, vt in pedagiis vectigalibus, nulla sit sacri, & profani ordinis differentia. Quare ne ipse quidem Princeps facere potest, vt aliqui ex mero fauore, & sine grauissima causa non sentiant onus, quod cæteri omnes communiter impositum ferunt. Non valet contra hanc Regulam præscriptio; quare Canonici & alij Præbendarij non residentiam nunquam præscribunt. Vide Rebuff. *in concord. tit. de collat, §. 1. vers. ad onus.* Denique qui non sentit commodum, non sentit onus. Quare si Parocho negentur decimæ, aut quod illatû loco promissum, vel assignatum est, ad prædicationem, Sacramentorum administrationẽ, & cætera similia cogi nequit, vt Glossa & *DD.* notant *in C. omnis Christianus, de consecratione. dist.* 1. Hinc etiam iniquissima societas est, in qua vnus damnum, & alter totum lucrum sortitur, *l. si non fuerint. § finali D. pro socio.* In paucis tamen fallit: nam pupilli & mulieres capere possunt hæreditatem agnatorum; ad eorum tamen tutelam cogi non possunt. Requiritur quoque eadem sit ratio in damno, lucro percipiendo & non sit aut culpa, aut priuilegium causa damni, vel lucri.

Regula LVI.

In re communi potior est conditio prohibentis.

Lege, *Sabinus D. de communi diuid. l. concedendo D. de aqua pluuia arcen. Regul. quod omnes tangit* 18. *ad hoc* 20. Ratio est: quia in negotiis tangentibus plures

plures, concors consensus requiritur, & sensus omnium: ideóque si vnus se opponit, impedit consensum, & deliberationem in negotiis tangentibus plures vt vniuersos, sufficit maior pars; quia illa repraesentat vniuersitatem, quae tunc consentire dicitur. Quare cùm negotij commodum, aut incommodum respicit plures, primò & principaliter omnium consensus est necessarius, nisi lex aliter disponat. Ex hac distinctione plures casus & difficultates soluendae sunt. Sensus verò nostrae Regulae est, cùm vnaquaeque res ad duos vel plures pertinet, aequum non esse vnius tantùm arbitrio illam disponi, mutari, verbi gratia, grauari, lauari cum aliorum praeiudicio, aut vno aliquo inuito, qui proinde si eam dispositionem aut mutationem prohibeat, eius melior erit conditio, quia eius oppositioni & prohibitioni deferendum erit.

Verbi gratia, duo fratres in communi castrum possident, non potest vnus etiam maior illud non consulto, & non consentiente altero etiam minore, illud vendere, aut tradere etiam Principi. Gaillard. *libro secundo obseruat. 69. num. 22.* Si murus pluribus communis est, non potest absque aliorum consensu illum diruere, testamentum aut quapiam aliâ ratione mutare, ex hac Regula, & *Regula 29. eodem tit.* Itaque melior dicatur conditio prohibentis, quia non permittitur fieri illud cui ipse contradicit; & non datur etiam actio repetendi quod proprio arbitrio ipse impendit: quod totum etiam in causa pia valet. Neque enim permittitur vni ex coniugatis castitatem vouere, aut Religionem amplecti, altero inuito. Neque ex aere communi Oratorij, vel hospitali, sociis contradicentibus quidpiam donare vel impendere: & quamvis ad aliquid gerendum non sit semper necessarius omnium consensus, aut suffragium: ad impediendum tamen totum actum & negotium, vnius dissensio sufficit. Quod notat Felinus *in c. cùm omnes de constit.* Quae omnia intelliguntur, quamvis vnus aliquid melius intendat, & in commune commodum, vt in communi pariete restaurando. Vide *l. parietem D. de seruit. vrban. praedior.* Vide Gaillard. *lib. 2. obs. 69.* Dixi denique in hoc negotio meliorem esse conditionem prohibentis, nisi aliter disponat lex; quod interdum facit in commodum commune cui illa irrationabilis prohibitio, seu potiùs contradictio plurimùm obest. Quare prudentis est iudicis de controuersia iudicare, & an Regula tunc in eo casu valeat, indéque facilè solues quae contra Regulam allatam opponuntur cum Streinio.

REGVLA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit, apertiùs est interpretatio facienda.

Lege, *In contrahenda venditione. D. de Regulis iuris.* Quia cùm legem, vel pactum imponens exprimere potuisset, quod non expressit, queri non potest, si non fuerit adhibita interpretatio quam valebat: & & verba ambigua contra proferentem sunt interpretanda, *l. veteribus 40. D. de pactis l. quidquid astringenda. D. de verbor. obligat.* Vide Tusch. *littera V, conc. 107.* Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. libro secondo, titulo nono, numero 95.* Verbum quoque ambiguum testis contra producentem interpretari ait Glossa *in hanc Regulam*, Titaquell. *de retractu gentilitio §. 1. Glossa ibid. num. 4.*

REGVLA LVIII.

Iuramentum contra bonos mores praestitum, non est obligatorium.

Sequuntur passim omnes tum Canonistae, tum Theologi. Gutierr. *de iuramento confirm. part. 1. capite 40. num. 4.* Tusch. *littera I, conc. 511. num. 29.* Molina *tract. 2. de instit. disp. 151. & disp. 271. §. Ad id vnde.* Azor. *part. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 6.* Suar. *de iuramento, libro secundo, capite 20.* Rebell. *de oblig. inst. libro primo, quaest. 9. num. 1.* Lessius *libro secundo, capite 17. dub. 7. numero 50.* Intelligimus autem contra bonos mores, atque etiam ciuiles, quando ciuiles non possunt violari sine culpa. Ratio manifesta est, quia eiusmodi iuramentum seruari non potest sine salutis dispendio aliquo, aut sine eius impedimento & retardatione: ergo non potest ad sui obseruationem obligare.

REGVLA LIX.

Dolo facit qui petit quod restituere ipsum oportet.

Lege, *In condemnatione. §. dolo. D. de Regulis iuris.* Quia cùm in illo petente non possit esse iusta causa; immò statim appareat mala fides, statim fallere & circumuenire videtur. Ita manifestus vsurarius vsuras non petere, neque illas soluere cogitur. Haeres grauatus à testatore ne debitum exigat, si debitorem ad solutionem interpellet, remouebitur doli mali exceptione, *l. Dolo. D. de doli mali, & metûs exceptione.* Obscurat verò Glossa hanc Regulam valere, primò cùm eidem personae, quae reddere interpellatur, reddi oportet. Nam alij non dicuntur dolo petere, vt cùm commodatarius res petit à fure vt vero domino reddat. Deinde quando causa petitionis & retentionis diuersa est, verbi gratia, si possessio rei petatur à proprietario, *l. 1. §. 1. D. quorum legator.* cum Ecclesia de causa possessionis & proprietatis, verbi gratia, legatarius suâ auctoritate accipit legatum, quod ab illo deinde haeres repetit qui tamen scit, illud à se reddendum fuisse, is haeres non dicitur dolo malo petere. Neque etiam idem dicetur in aliis qui petunt, quae non debito modo occupata, aut à se ablata sunt.

REGVLA LX.

Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.

Lege, *Nulla intelligitur. D. de Regul. iuris:* estque aperta Regulae ratio: quia mora inculpata, cuiusmodi est quae habet legitimam exceptionem, mora dici non debet, *l. pecuniae falsis 9. §. fin. D. de vsur.* In mora non constituitur debitor, qui causam iustam habuit ignorandi se debere, *l. qui sine dolo malo. de Regul. iuris.* De mora porrò, & iis omnibus, quae ad illam pertinent, fusè diximus *libro secundo de vsuris & commercio:* neque aliquid adiiciendum videtur.

REGVLA

REGVLA LXI.

Quod alicui in gratiam conceditur, non est in eius dispendium vertendum.

LEge, *nulla iuris ratio 24. D. de legibus*, & *l. quod fauore C. eod.* & passim DD. cum Barbosa *axiom. 96. num. 2.* Vide Gratian. *disceptat. forens. c. 651. num. 21. & 665 num. 20.* Scacci. *de commer. §. 2. Glossa 5 n. 308.* Valet hæc Regula in priuilegiis beneficij loco concessis variis ex causis, & quæ aliqui in eorumdem priuilegiatorum dispendium, vbi retorquere solent, & eorundem prætextu aliis in rebus vexant priuilegiatos, qui ex hac communissima Regula iustissimè se tueri possunt diligentérque considerandum est, qualis sit hic fauor, quæ fuerit mens concedentis, quale nouum onus impositum, & alia eiusmodi.

REGVLA LXII.

Nullus ex consilio, non fraudulento obligatur.

LEge, *Consilij 48. de Regul. & l. 2. in fin. 3. D. mandati.* De consilio actionis malæ vel quacunque ratione illicitæ, siue adiuncta illi sit censura, siue non, diximus *in opere de censuris, & de iurisdictione in illis ferendis, disquisit. 5. quæst. 3. tota*: & quod sit discrimen inter consilium & factum ipsum. Non est verò quod attinet ad vocem fraudulenti consilij lis: debet enim requiri fraus in consulente, quia scit actum, quem consulit, esse malum, aut illicitum: non tamen obligatur ita consulens vice illius cui consulit, cùm in arbitrio alterius esset facere aut omittere. Excipiuntur tamen qui ex officio tenentur dare consilium, vt Accessores, Aduocati, Iudices, & alij, qui obligantur ex iniquo consilio etiam per ignorantiam præstito, *l. 1. in fine D. quod quisque iuris.* Vide Nauarr. *in Enchirid. cap. 25. n. 15.*

REGVLA LXIII.

Obiiciens exceptionem non videtur fateri de intentione aduersarij.

LEge, *Non vtique 9. D. de exception.* & *capite 6. titulo de exceptionibus.* Vide Couarr. *libro primo variar. cap. 1. num. 2. & 3.* Tusch. *littera E; concl. 427.* Exceptor igitur non fatetur neque fundat intentionem actoris: v.g. aliquis qui rei vindicatione agens petit domum quandam à Titio iure dominij, Titius excipit se illam ab ipso actore habuisse titulo venditionis, vel permutationis, non idcircò reus suâ illâ exceptione fatetur, actorem esse dominum illius domus: quia tunc actor probare debet dominium; quod si probauerit, debebit reus permutationem, aut venditionem, quam allegauerat, & exceperat, probare. Ita Couarruu. Videtur tamen in pluribus aliis exemplis manere difficultas: quia si quis à te petit centum ludouiceos: tu verò excipis te vel soluisse iam pridem, vel pactum de non petendo inter te & illum initum fuisse: numquid videris fateri te debitorem, & te eos nummos accepisse? Cur enim aut te soluisse aut pactum esse de non petendo reponis. Quare Bald. *in l. cum Papinianus, C. de sententiis interlocutoriis*, ait illum, qui compensationem excepit, fateri se debitum accepisse. Felinus verò in *cap. venerabilis, de exceptionibus*, ait in pluribus Regulam hanc nostram fallere. Dynus verò distinguit: vel enim simpliciter negat, vel excipiendo quidquam ponit. Si primum, non videtur confiteri de intentione Actoris; immò illam negat. Si quid autem ponit aut non numeratam fuisse dotem, aut pecuniam, aut pactum initum fuisse de non petendo ipsam intentionem Actoris fateri videtur: & de sola exceptione agendum erit. Quæ distinctio variis in casibus occurrit, prudentis iudicis erit iudicare quid potissimum in illis casibus quærendum & probandum erit, ad quod non deerunt variæ ex factis & vtriusque allegationibus validæ coniecturæ.

REGVLA LXIV.

Quæ contra ius fiunt, pro infectis haberi debent.

DIcuntur fieri contra ius quæ seruantur contra formam à lege iure præscriptam, & non tantùm quæ geruntur contra prohibitionem legis: quorum aliqua sunt quidem illicita, non tamen irrita. Nam professio religiosa ante annum 16. ætatis emissa irrita est ex Tridentino: matrimonium cum voto simplici castitatis initum, est quidem illicitum; non tamen irritum. Quæ aliáque diximus agentes de lege irritante & prohibente: quare vidèndum erit qualis sit lex & ius, contra quod fit, an irritans, tunc enim actus nullus erit omissa forma substantiali, & pro infecto habebitur: an verò prohibens dumtaxat; & tunc tantùm illicitè fiet actus & nihilominùs subsistet.

REGVLA LXV.

In pari delicto, vel causa potior erit conditio possidentis.

LEge, *Cùm delictum, & in pari causa D. de Regul. iuris.* Itaque in dubio valet hæc Regula, & in materia etiam iustitiæ valere, aliàs fusè ostendimus. Neque quid addendum *ibid.* dictis, ostendimus cum communissima Theologorum sententia.

REGVLA LXVI.

Conditio habetur pro impleta, cùm non stat per eum, qui illam implere debet, quominus impleatur.

LEge 24. *DD. de Regul. iur.* Valet in testamentis, contractibus, & statutis. Caius legauit libertatem Sticho seruo, si decem sestertia penderet hæredi, Stichus obtulit eam pecuniam hæredi; qui illam noluit acceptare, impleuit conditionem: quia per eum non stetit, *c. vlt. C. de condit. inser.* Quidam Dominicanis legauit centum aureos pro sepultura: sed is in excommunicatione decedens, priuatus est sepulturâ, debetur illa summa tali Monasterio: quia non stat per illos Fratres, quominùs implerent conditiones. Iudex citauit absentem; ad quem ea de causa misit executores: sed Reus impediuit per familiares suos executores, habetur pro citato: quia per illum stetit quominùs audiret voluntatem iudicis, *C. quoniam frequenter, §. porrò vt lite non contestata.* Ita definit Innocentius III.

Dices: Cornelius legauit Bertæ mille aureos si Caio nubit: moritur verò Caius ante contractum matrimonium, & conditio non impletur absque Bertæ culpa; cui tamen negatur legatum, *l. legatum*. & *l. si sub diuersis. D. de condit. & demonst.* ergo ea falsa est Regula.

V 2 Respon

Respondeo, eam conditionem non pendere ex arbitrio Bertæ, & fuisse merè casualem: & Testatoris mentem fuisse vt Berta potiretur legato, quando nupsisset Caio: vndecumque impediantur nuptiæ, defecisse conditionem, quæ erat casualis, & non potestatiua.

Regvla LXVII.

Quod alicui suo nomine, non licebit alieno.

DVplex est huius Regulæ sensus. Primò quod alicui non licet proprio nomine facere, id est, per seipsum præstare, neque id per alium facere licebit. Verbi gratia, non licèt Decurioni per seipsum prædia publica conducere, neque id illi aliorum nomine supposito, siue per alios id facere, vt ait Vlpian. *l. 5. D. de administratione tutorum.* Secundò, sensus est: vt quod non licet alicui suo nomine, siue pro seipso facere, neque etiam pro alio, siue alieno nomine facere. Quare, vt ait Glossa *in hanc Regulam*, non licet mihi pro me, & mea opera exercere: neque igitur per alium idem facere, *cap. sicut non suo, dist. 46.* vbi additur ratio: quia indecens est crimen suum alienis commodis impendere. Si mihi non licet pro me litteras papales facere: ita nec alieno, *cap. ad falsariorum. de crimine falsi.* Non licet proprio nomine prætoris album corrumpere, ergo nec alieno, *l. si quis id. D. de iurisd. omnium iudic.* Non licet vinum aut frumentum vendere extraneo, igitur non licebit ipsi per extraneos facere. Maritus sua bona donare vxori nequit, igitur neque per alium. Nequit Prælatus per se alienare bona Ecclesiæ, neque etiam per alium id potest. Religiosus professus nequit mutuare, vendere, aut alia ratione de rebus Monasterij propria auctoritate disponere, non licebit etiam illi alium quempiam substituere, aut rogare, qui suo nomine mutuum aut commodatum faciat: *cap. secund. ne Cleric. vel Monachi.* Episcopo non licet alterius Diœcesis subditos soluere, vel ligare, neque id etiam per suum Vicarium, vt habet Trident. *sess. 6. capite 5. & sess. 14. cap. 8.* Quæ tamen intelligenda sunt quando mea & alterius eadem est dispositio: nam si diuersa sit, fallit Regula: sicut & quando boni, quod intenditur, vnus solus est capax. Mihi non licet ducere consanguineam: possum tamen tamquam procurator alieno nomine matrimonium illud contrahere siue is sit consanguineus, siue non. Filiusfamilias nomine proprio in iudiciis agere non potest, *capite tertio de iudiciis*: poterit tamen vt procurator, cùm neque sibi, neque patri præiudicet: Iudex enim non in ipsum, sed in principalem, quem repræsentat, sententiam fert. Potero pro eo qui ius seruitutis habet per alienum fundum ire & iumentum agere, *l. si stipulatus fuerit. D. de verb. obligat.* Denique in pluribus etiam, ratione muneris sibi impositi, licebit agere quod per seipsum præstare nefas esset: vt Prælatus mittere ad bellum: iudicare in causa sanguinis.

Regvla LXVIII.

Quid potest quis per alium quod per seipsum potest.

HAnc Regulam ex variis aliis iuribus sumptam esse monet Glossa, ac proinde vides valdè communem esse, vel plurima per procuratorem validè & licitè fieri, quia quod aliquis facere potest, alteri mandare potest, & quæ per alium fiunt nostro mandato, aut consensu, iure nobis tribuuntur, nisi id prohibitum aliundè sit & tenearis propriam manum adhibere, actióque illa ita personalis sit, vt ab alio nequeat suppleri siue ratione muneris & propter dignitatem personæ, siue propter eius insufficientiam, siue propter delictum & periculum aliáve de causa. E contrario verò per alios licet id agere quod per seipsum exercere indecens esset: eáque de causa huic personæ prohibitum est, vt negotiari Clericis aut Nobilibus.

Regvla LXIX.

In malis promissis non expedit fidem seruare.

SApienter distinguit Dynus inter mala promissa, & malè promissa: priora illa talia dicuntur ratione obiecti: sunt enim de re mala & turpi; atque adeò sunt mala ex naturâ suâ & intrinsecè, & illa nullâ ratione seruari debent. In iis enim promittendis peccatum est, & in iis etiam seruandis committitur culpa. Neque liberum est, & in arbitrio ea seruare, aut non seruare. Malè promissa non sunt de re mala quidem, sed quorum promissio non fit siue ex solemnibus iuris, siue quo alio modo non æquo, vel rationabili, siue ex parte promittentis, siue promissarij: quia dolo & fraude, vi, ac metu, aliáve incongrua ratione fit. Itaque ea promissio mala non est ratione obiecti, in quod cadit: sed ratione modi quo fit: & vbi promittens malitiam suæ promissionis agnoscit, sæpe non tenetur promissionem præstare. Neque id illi expedit, quia damnum sæpè patitur, & promissarius ad illicita inducitur, maláque in rempublicam inuehuntur. Mala portò promissa intrinsecè & ratione sui obiecti frangenda omninò sunt, etiam iurata: quod aliàs diximus, & iterum docebimus *tomo secundo huius operis.* Interim vide Caietan. *2. 2. quæst. 8. art. 1.* Nauarr. *in Enchir. cap. 12. num. 25.* Sayr. *in Clau. lib. 5. cap. 6. n. 22. & cap. 7. num. 2.* Couarr. *in c. quamuis pactum, p. 1. §. 6. num. 6.* Less. *lib. 2. cap. 18. dubit. 3. & cap. 17. dubit. 6.* Suar. *lib. de iuramento, cap. 14.* & alios.

Regvla LXX.

In alternatiuis debitoris est electio: & sufficit alterum adimpleri.

EX *l. plerumque in fin. D. de iure dot. l. si in emption. 34. l. si ita 25. D. de contrahenda emptione. l. si quis pen. c. de condictione indebiti.* Faciunt aliqui duplicem hanc Regulam. Prima est de debito alternatiuo: altera de iure electionis, verùm ad debitorem, an ad creditorem pertineat. Cùm tamen vtraque pars Regulæ sit de debito alternatiuo, de quo solo difficultas est, quomodo sit soluendum: & ita tota difficultas est, quando censeatur solutum, & quid soluendum sit: affirmátque regola ex debitoris arbitrio quidnam ex duobus alternatiuè debitis soluere velit, quodcunque enim soluat, implet suam obligationem, nisi vna pars alternationis perierit, aut perempta fuerit. Quæ enim superest, soluenda erit, vel æstimatio illius, quæ periit. Si tamen partes alternationis ita se habeant vt vna non dependeat necessariò ab alia, vel vna sit primariò, aut principaliter promissa. Promisi tibi Stichum, aut Pamphilum, mei arbitrij est soluere quem velim. *l. plerumque D. de iure dotium, sub fin.* & alibi: & si soluo Stichum, non teneor dare Pamphilum: quia adimpleui conditiones promissionis. Promisi Bertæ matrimonium aut certam pecuniæ summam,

facie-

faciet alterutrum vti libuerit. Hæc verò facultas transit etiam ad hæredem siue testatoris, siue legatarij, nisi altera pars legati alternatiui conditionalis fuerit. Si enim pendente conditione legatarius decedat neque legatum, neque eius eligendi facultas transibit ad hæredem legatarij. Adde factâ electione à debitore, integrum illi erit variare, *l. eum qui.* 138. §. 1. *D. de verbor. obligat.* & *l. qui ex pluribus, D. eodem*, ita vt nequidem litis contestatio impediat eam voluntatis mutationem. Quod disertè affirmat Venuleius citatus, *l. eum qui certarum* 138. §. 1. *de verbor. obligat. Cum purè stipulatus es* (inquit) *illud aut illud dare licebit tibi, quoties volueris mutare voluntatem, in eo quod præstiturus sis. Si verò vtrumque promissum soluerit debitor, fas illi erit quod placuerit repetere. l. pen. c. de condi. indebit.* Est enim eiusmodi condictio veluti in priorem statum restitutio. Si ergo ante eum errorem habebat liberam electionem: ita & post illum habebit.

Fallit tamen Regula, primò in alternatiuis actionum, in illis electio est creditoris, vt qua voluerit actione agat, *l. si seruus* 108. *§. cum homo. D. de legatis* 1. alioquin si debitoris esset electio actionis, nunquam ea finiretur. Secundò in pœnarum alternatiuis electio est penes Iudicem, non penes Reum, qui perpetuò sibi minorem eligeret: quare nisi lea eum fauorem permittat Reo, iudicis erit eam assignare ea æquitate; qui & aliquandò dabit optionem Reo. Centum, v. g. pendat aureos, aut: aliquanto tempore exulet.

Fallit etiam in alternatiuis, inter quas est prærogatiua ordinis euiusdam, aut affectionis. Sic inter liberos, mares præferuntur filiabus. Fallit quartò, si vel lex, vel mens Legislatoris, vel disponentis aliud suadet. *l. generaliter. C. de instit. & substit. l. Lucius* 2. *D. de hered. instit.* & ibi Doctores: quod maximè verum erit vbi ea opposito timebitur iniquitas aliqua.

Attendendæ etiam diligenter erunt coniunctiones in dispositione: an disiunctiuè, an copulatiuè sumantur, siue: an habeant eo loco vim disiunctionis, an coniunctionis: sicut & particula *seu*, quæ magis distinguendi, quàm copulandi causâ ponitur. Quare ex subiecta materia, & variis adjonctis tota res plerumque definienda erit. Sunt enim variæ alternatiuæ propositiones, personarum, rerum, locorum, temporum, aliæve, in quibus occurrent diuersæ quoque difficultates.

REGVLA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, multò magis ad excipiendum admittendus est.

L*Ege. Inuitus nemo. §. cui domus. D. de Regul. iuris*, v. g. qui à possessione deiectus est, actionem habet: & dum possidet, potiori ratione habet exceptionē, *C. placuit. § potest* 16. q. 3. Conductor soli ad superficiem habet vtilem rei vindicationem, etiam contra dominum, & multò magis exceptionem, *l. 1. §. quod ait. D. de superfic.* Qui habet dominium vtile, potest agere contra dominum actione vtili in rem, atque adeò si ab eo conueniatur, habet exceptionem. Ratio est: quia fauorabilior est exceptio, quàm actio, & defensio, quàm impugnatio: indéque magis necessaria, *l. sciemiam. D. ad l. Aquiliam.* & cui licet plus, licet quod est minus, nimirùm defendere. Hinc fit vt idem liceat procuratori, qui videtur omnindò habere mandatum ad excipiendum & defendendum sicut ad agendum. Nam ille admittitur ad defendendũ & respondendum quando conuentus fuerit, *l. vn. C. de satisdando.* Neque obstat quòd exceptio sit odiosa:

nam id etiam conuenit condictioni indebiti: & tamen exceptio potius quàm ea condictio conceditur, *l. si non sortem. §. indebitum. D. de condictione indebiti*: etiamsi ex dolo malo nascatur exceptio, cuius doli allegatio omnindò est odiosa. Vide Sanch. *l. 10. de matrim. disp. 9. n. 23.* Cui porrò datur exceptio, conceditur repetitio, quæ fauorabilior est exceptione. Nam si repeto quod meum, fructus à die moræ commissæ computantur: *l. videamus. D. de vsuris.* quod non concederetur petenti tantùm quod sibi deberetur *l. cùm fundus, D. si certum petatur.* & licet aliud videatur accidere in deposito, vt bona fides inter contrahentes seruetur: manet tamen ius depositario, vt reddito deposito, *conueniat deponentem, quod sua interest.* Aliquando tamen in pœnam, negatur receptio: quâ ratione socius, gener, & fideiussor amittunt beneficium, ne conueniantur in plusquam facere possunt, si societatem contraxisse, aut fide dedisse, aut dotem promisisse negent, *l. sed hoc ita. D. de re iudic.*

REGVLA LXXII.

Qui facit per alium, per seipsum facere videtur.

L*Ege. Quod iussu alterius. de Regul. iuris.* Vide Tusch. *lit. F. concl. 7. num. 3.* illi consentimus per procuratores. Vide Tiraquell. *ad ll. connub. Glossa 6. vers. consulentem n. 27.* Tutor tenetur directâ actione tutelæ, quando administrari mandat: quia eodem modo facit ac si faceret per seipsum, *l. ita quod si quis, D. de administr. tut.* Tenetur interdicto vnde vi, non tantùm qui deiecit per se; sed etiamsi deiecit per alium, *l. 1. § deiecisse. D. de vi & vi armata.* Qui occidit per alium tenetur *lege Cornelia. de siccariis. C. de accusat. l. non ideo. D. ad Sillanian. & l. si certus percussor. & l. 2. D. ad Trebellian. § penult.* punitur tanquam calumniator, siue per se, siue per alium detulit, & non probauit. *l. 2. § Diuus Pius, D. de iure fisci.* Similia plura habentur in iure, in quibus factum vnius dicitur factum alterius, non quantum ad veritatem: sed quâdam fictione & interpretatione iuris: & quia vnus est causa saltem moralis respectu facti, cuius alter est causa physica. Verùm de causis moralibus comparatis cum causis physicis abundè diximus *in opere de censuris.*

REGVLA LXXIII.

Legitimè factum retractari non debet, licet casus eueniat, à quo non potuit inchoari.

L*Ege. In ambiguis. §. 1. de Regul. iuris.* Vide Tiraquel. *tractatu cessante causa. limitat. 12. n. 23.* Couar. *in c. quamvis pactum. p. 2. §. 1. n. 7.* Infamia coniugis adueniens matrimonio, illud non dissoluit, sicut neque accedens affinitas, aut cognatio spiritualis, *c. pen. & vlt. de eo qui cognouit consanguineam.* Si quis condito testamento incidat in amentiam, non inualidatur testamentum. Qui à legitimo patrono non remouetur, quamvis post præsentationem excidat patronatu, *c. à consultationibus. de iure patron.* Canonicus, cui commissa fuit causa, si desinat esse deinde Canonicus, valet tamen commissio. Iudex legitimè institutus factus deinde mentis impos perseuerat in officio. Plurima obiiciuntur ex iure ciuili, quæ illius studiosi explicare debent. Nos modò soli iuri Canonico insistimus.

Respondeo, eam conditionem non pendere ex arbitrio Bertæ, & fuisse merè casualem: & Testatoris mentem fuisse vt Berta potiretur legato, quando nupsisset Caio: vndecumque impediantur nuptiæ, defecisse conditionem, quæ erat casualis, & non potestatiua.

Regvla LXVII.

Quod alicui suo nomine, non licebit alieno.

DVplex est huius Regulæ sensus. Primò quod alicui non licet proprio nomine facere, id est, per seipsum præstare, neque id per alium facere licebit. Verbi gratia, non licet Decurioni per seipsum prædia publica conducere, neque id illi aliorum nomine supposito, siue per alios id facere, vt ait Vlpian. *l. 5. D. de administratione tutorum.* Secundò, sensus est: vt quod non licet alicui suo nomine, siue pro seipso facere, neque etiam pro alio, siue alieno nomine facere. Quare, vt ait Glossa *in hanc Regulam*, non licet mihi pro me, & mea opera exercere: neque igitur per alium idem facere, *cap. sicut non suo, dist. 46.* vbi additur ratio: quia indecens est crimen suum alienis commodis impendere. Si mihi non licet pro me litteras papales facere: ita nec alieno, *cap. ad falsariorum. de crimine falsi.* Non licet proprio nomine prætoris album corrumpere, ergo nec alieno, *l. si quis id. D. de iurisd. omnium iudic.* Non licet vinum aut frumentum vendere extraneo, igitur non licebit ipsi per extraneos facere. Maritus sua bona donare vxori nequit, igitur neque per alium. Nequit Prælatus per se alienare bona Ecclesiæ, neque etiam per alium id potest. Religiosus professus nequit mutuare, vendere, aut alia ratione de rebus Monasterij propria auctoritate disponere, non licebit etiam illi alium quempiam substituere, aut rogare, qui suo nomine mutuum aut commodatum faciat: *cap. secund. ne Cleric. vel Monachi.* Episcopo non licet alterius Diœcesis subditos soluere, vel ligare, neque id etiam per suum Vicarium, vt habet Trident. *sess. 6. capite 5. & sess. 14. cap. 8.* Quæ tamen intelligenda sunt quando mea & alterius eadem est dispositio: nam si diuersa sit, fallit Regula: sicut & quando boni, quod intenditur, vnus solus est capax. Mihi non licet ducere consanguineam: possum tamen tamquam procurator alieno nomine matrimonium illud contrahere siue is sit consanguineus, siue non. Filiusfamilias nomine proprio in iudiciis agere non potest, *capite tertio de iudiciis*: poterit tamen vt procurator, cùm neque sibi, neque patri præiudicet: Iudex enim non in ipsum, sed in principalem, quem repræsentat, sententiam fert. Potero pro eo qui ius seruitutis habet per alienum fundum ire & iumentum agere, *l. si stipulatus fuerit. D. de verb. obligat.* Denique in pluribus etiam, ratione muneris sibi impositi, licebit agere quod per seipsum præstare nefas esset: vt Prælatus mittere ad bellum: iudicare in causa sanguinis.

Regvla LXVIII.

Quid potest quis per alium quod per seipsum potest.

HAnc Regulam ex variis aliis iuribus sumptam esse monet Glossa, ac proinde vides valdè communem esse, vel plurima per procuratorem validè & licitè fieri, quia quod aliquis facere potest, alteri mandare potest, & quæ per alium fiunt nostro mandato, aut consensu, iure nobis tribuuntur, nisi id prohibitum aliundè sit & tenearis propriam manum adhibere, actióque illa ita personalis sit, vt ab alio nequeat suppleri siue ratione muneris & propter dignitatem personæ, siue propter eius insufficientiam, siue propter delictum & periculum aliáve de causa. E contrario verò per alios licet id agere quod per seipsum exercere indecens esset: eáque de causa huic personæ prohibitum est, vt negotiari Clericis aut Nobilibus.

Regvla LXIX.

In malis promissis non expedit fidem seruare.

SApienter distinguit Dynus inter mala promissa, & malè promissa: priora illa talia dicuntur ratione obiecti: sunt enim de re mala & turpi; atque adeò sunt mala ex naturâ suâ & intrinsecè, & illa nullâ ratione seruari debent. In iis enim promittendis peccatum est, & in iis etiam seruandis committitur culpa. Neque liberum est, & in arbitrio ea seruare, aut non seruare. Malè promissa non sunt de re mala quidem, sed quorum promissio non fit siue ex solemnibus iuris, siue quo alio modo non æquo, vel rationabili, siue ex parte promittentis, siue promissarij: quia dolo & fraude, vi, ac metu, aliáve incongrua ratione fit. Itaque ea promissio mala non est ratione obiecti, in quod cadit: sed ratione modi quo fit: & vbi promittens malitiam suæ promissionis agnoscit, sæpè non tenetur promissionem præstare. Neque id illi expedit, quia damnum sæpè patitur, & promissarius ad illicita inducitur, maláque in rempublicam inuehuntur. Mala porrò promissa intrinsecè & ratione sui obiecti frangenda omninò sont, etiam iurata: quod aliàs diximus, & iterum docebimus *tomo secundo huius operis.* Interim vide Caietan. 2. 2. *quæst.* 8. *art.* 1. Nauarr. *in Enchir. cap.* 12. *num.* 55. Sayr. *in Clau. lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 22. & *cap.* 7. *num.* 5. Couarr. *in c. quamuis pactum, p.* 1 1. §. 6. *num.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 18. *dubit.* 3. & *cap.* 17. *dubit.* 6. Suar. *lib. de iuramento. cap.* 14. & alios.

Regvla LXX.

In alternatiuis debitoris est electio: & sufficit alterum adimpleri.

EX *l. plerumque in fin. D. de iure dot. l. si in emption.* 34. *l. si ita* 25. *D. de contrahenda emptione. l. si quis pen. c. de condictione indebiti.* Faciunt aliqui duplicem hanc Regulam. Prima est de debito alternatiuo: altera de iure electionis, vtrùm ad debitorem, an ad creditorem pertineat. Cùm tamen vtraque pars Regulæ sit de debito alternatiuo, de quo solo difficultas est, quomodo sit soluendum: & ita tota difficultas est, quando censeatur solutum, & quid soluendum sit: affirmátque regula ex debitoris ... quidnam ex duobus alternatiuè debitis solu... quodcunque enim soluat, implet suam ob... nisi vna pars alternationis perierit, aut ... fuerit. Quæ enim perierit, soluenda er... atio illius, quæ riit. Si tamen part... ionis ita se habe... vna non dependeat ... ab alia, vel vn... matiò, aut princip... issa. Pr... chum, aut Pamph... velim, *l. plerum...* & si soluo Sti... quia ... p...

faciat alterutrum vti libuerit. Hæc verò facultas transit etiam ad hæredem siue testatoris, siue legatarij, nisi altera pars legati alternatiui conditionalis fuerit. Si enim pendente conditione legatarius decedat neque legatum, neque eius eligendi facultas transibit ad hæredem legatarij. [illegible]

[illegible]

...ne quis ... qui non ... cipaliter ... m aut mo- ... secundùm ... one locati, ... Ius patro- ... : poterit ta- ... inetur. cap. de ... bonis Ecclesiæ ... os donare ex le- [illegible]

[illegible] XXV.

[illegible] gem accipiunt.

[illegible] ... Nomine legis in- ... substantialem, cùm ex ... s formetur & varie- ... ontrahentium det esse ... fert. D. de legibus: qui- ... r & arbiter est: & id- ... potest conditionem, ... possibilis, neque con- ... ntractibus, atque con- ... ahentibus, & pacis- ... nostro de vniuersa nego- [illegible]

Quintò valet etiam separatio, & vbi militat diuersa ratio. Vt si in principali tractatur de damno, & in accessorio de lucro, Tusch. *citat. concl.* 76. *num.* 34. Si tamen accessorium difficile, & ita arduum, vt non sit verosimile de eo fuisse cogitatum, non censetur accessorium concessum cum principali. Vt verò quæ contra hanc obiici possunt facilè diluantur, obserua in tota ista materia & Regulæ expositione illud dici principale, quod per se stat, & propria virtute subsistit: accessorium verò quod per se non subsistit, & pendet à principali cui inest, & accedit, sicut accidens à substantia apud Philosophos. Illud autem hoc loco potest variis modis contingere, primò cùm ita rei prodest vt sine eo res vel nulla, vel inutilis redditur, vt fundus sine quibusdam accessoriis: tunc enim accedunt v. g. fundo legato, aut donato, *c. si super gratia. de officio delegati.* & *l. cùm fundus* 21. *D. de fundo inst.* Secundò accedit, quod ita alicui rei inest, vt sit quædam eius portio, aut pars, *l. etsi non sunt.* 21. *§. praueniamus, l. de auro & argento leg. l. vt rem* 24. *§.* 1. & 2. *D. de rei vindicat.* & *citata l. cum fundus.* Tertiò quod vel ex natura rei, vel ex legis dispositione, vel ex mente partium ita quidpiam comitatur, vt illud semper sequatur, illi dicitur esse accessorium. *l. Heres meus* 98. *§. pen. l. liberorum* 50. *§. chartas D. de legatis* 34. Quartò quod ex aliqua re immediatè pendet tanquam effectus, videtur inesse suæ causæ: non verò si non pendeat immediatè; atque ita intellige *l. verum* 40. *D. de furtis.* Deinde accessorium intelligitur, vel propriè aliquo ex modis enumeratis, vel impropriè & quasi accessorium, quia secundùm propriam naturam per se subsistit, & verè principale est; ex quadam tamen ratione illi alteri videtur accedere, v. g. *in cap. debitores de iureiurando*, promissioni de soluendis vsuris. Iuramentum de illis soluendis accedens, principale iudicatur, vbi Alexander III. vult debitores qui se iuramento ad soluendas vsuras obligauerint, cogendos esse. Itaque non habetur iuramentum illud nisi tanquam principale, cùm stipulatio simplex vsurarum non cogat ad solutionem ipsarū. Discrimen porrò est inter istud duplex accessorij genus, quod vnum cum per se subsistere nequeat, principalis sui naturam sequi debeat: alterum, non ita, quia tanquam principale consideretur, & propriâ virtute subsistat. Quintò hinc fit vt hæc Regula non conuertatur, & licitè accessorium sequatur Regulam principalis, non tamen è contrario principale ex natura & conditione accessorij reguletur. Quare ex accessorio legitimo principale vitiosum non sustinetur, nec vitiatur: vnde remisso pignore, debitum principale non remittitur, *l.* 3. *D. de pactis. l. seruo* 25. *C. de pignoribus*, nec liberato fideiussore, liberatur debitor, *l. fid. iusserit* 34. *D. eod.* Reddito verò instrumento obligationis debiti censetur liberatus debitor, *l.* 2. *D. de pactis.* quia in eo instrumento continetur ipsum debitum, & ideò vtrumque simul tradi præsumitur, quod non contingit in pignore, & ideò pignus hoc casu, non est verum accessorium: euidensque discrimen est inter pignus & chirographum. Verum de pignoribus & debitis nuper, quantum satis est, diximus *in nostro opere de vniuersa negotiatione tomo* 2.

REGVLA LXIII.

Qui tacet, consentire videtur.

LEge 2. *§. voluntatem D. soluto matrimonio. l. qui tacet. D. de Regul. iuris l.* 2. *C. de acquirenda possess.* & *alibi*: quæ Regula vera est in fauorabilibus, non in præiudicialibus. Mascard. *conc.* 1218. & *concl.* 1138. *num.* 25. Sanch. *libro primo de matrimonio disp.* 5. *num.* 5. Tusch. *littera T, con.* 2. Couarr. *practic. qq. capite* 15. In iudicialibus quoque tacens consentire videtur, quamvis sibi præiudicet, vt si non contradicat protestationi quæ illi fit, quæ in iudicio non contradicit negationi positæ, quod quis non impleuerit id ad quod obligabatur.

Neque excipiendus est fauor reipublicæ, Ecclesiæ, pupilli, & piæ causæ. Nam etiam tunc tacens consentire videtur in ipsis quoque damnosis.

Si tamen ius resistat illi consensui, nihil oberit ista taciturnitas, quia eo casu ipse quoque consensus foret iniustus. Idem dicunt quando quis contradicendo non potuisset actum impedire: cur enim plus operabitur taciturnitas, quàm contradictio, & cur ad vnam potiùs, quàm ad alteram obligabitur?

Plurima solent obiici contra hanc Regulam maximè an in præiudicialibus valeat, quæ Dynus Barbosa, & alij afferunt, & iura atque Doctores inter se pugnantes conciliare conantur, & Regulam allatam modò restringunt, modò extendunt. Mihi satis fuerit monere, ignorantem aliquem actum fieri suâ taciturnitate, non consentire: cùm consensus & volitio neque ferri neque præsumi in prorsus incognitum valeat: ad hoc enim aliquo modo sciri debet. Et vt teneamur illud scire non tunc negligentia illa sciendi quod scire tenebamur generat coniecturam, & præsumptionem, ignorantiam illam fuisse affectatam, vel voluntariam: quod ex variis etiam iuribus probant *DD.* Vide Tusch. *littera V, concl.* 152.

In dubio quoque modo non detur legitima in contrarium coniectura: is qui tacet consentire præsumitur, quia cùm possit dissentire, & non faciat, ipsa taciturnitate ostendit se simul sentire. Debet itaque tunc illa præsumptio nutu, vel alio aliquo facili signo quo ostendat contradictionem, & contraria voluntas sese prodat, in quibus omnibus suppono tacentem posse aliquo signo suam contradictionem, aut saltem dissensum quapiam ratione significare maximè in præiudicialibus, & quando de suo damno agitur: tunc enim maximè dissentire deberet, cùm id facillimè possit, aut nisi sint fortes, & vehementes coniecturæ in contrarium. De muliere tacente, cuius bona pignori dantur à marito, & de taciturnitate filij, an illi præiudicet contra paternam dispositionem longa lis est. Vide Barbosam *in hanc Regulam à num.* 16.

REGVLA XLIV.

Tacens neque consentit, neque negat.

LEge, *Qui tacet* 185. *D. de Regul. iuris*, Itaque taciturnitas medium quoddam est inter negationem & affirmationem. Explicat Dynus in contractibus serui, quibus dominus consentit, nec contradicit: tunc enim non tenetur contractibus serui in solidum; si contradicit, tenetur de peculio: & deducit quod sibi debetur. Si verò tacet, tenetur tributaria, & concurrit vnà cum aliis creditoribus, *l.* 1. *§. scientia. D. de tribut.* videndum tamen superest, ne aliquando medium istud ad aliquod extremum trahatur in variis casibus, & coniecturis.

REGVLA

Regvla XLV.

In obscuris inspiciendum est quod verosimilius, & magis solitum est.

Lege. *In obscuris de Regul. iuris* Tuschus *littera C. concl.* 55. *num.* 4. & Mascard. *concl.* 1402 *n.* 256. non enim potest esse certior iudicandi Regula, vbi nihil certum est, sed omnia obscura, quàm verisimilitudo, vt sequamur quod magis accedit ad verum aut quod magis, & frequentius est. Itaque tunc accedunt vsui communi & consuetudini quotidianæ, quæ consuetudo tunc, vti diximus aliàs, habet vim legis

Regvla XLVI.

Qui alteri succedit, eius iure vtitur.

Lege. *Is qui.* & *l. aliud.* & *l. non debeo. D. de Reg. iuris.* Vide Rebuffum *de nominat.* q. 8. *num.* 12. Monetam *de decimis. capite* 8. *quæst.* 4. *num.* 50. Regula porrò intelligitur tam de iure agendi, quàm excipiendi, & in vniuersali successione procedit per omnia tam actiuè, quàm passiuè: v. g. ius agendi, quod competebat defuncto, siue erat reale siue personale, siue mixtum, siue immixtum, siue in rem, siue in personam, competit hæredi: ius agendi quod competebat contra defunctum, manet contra eius hæredem, & ius excipiendi quod habuit defunctus, competit hæredi.

Obserua igitur aliquos esse successores vniuersales, vt hæredes, bonorum possessores, & ex Trebelliana successores: qui omnes propriè nominantur successores iuris, quia succedunt in ius vniuersum, quod ius habuit alter, *l. quoties, §. hæredes D. de hæred. institut.* Alij dicuntur successores singulares, v. g. singularum rerum emptores, donatarij & legatarij, dicuntúrque successores in rem: quia non in ius vniuersum, sed in ius aliquod singulare succedunt, *l. quidam. §. his autem. D. de edendo l. etiamsi in rem. D. de iureiurando.* Ex hac successoris vniuersalis & singularis distinctione soluit Dynus quæ contra hanc Regulam solent obiici, & plurimùm faciunt ad materiam de successionibus *alibi* tractandam.

Regvla XLVII.

Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur.

Dynus & alij communiter restringunt hanc Regulam ad ignorantiam facti, vt in tutore, qui præsumitur ignorasse se Tutorem datum esse: defunctus etiam præsumitur ignorasse rem quam legauit fuisse alienam, aut alteri obligatam: dominus etiam militiam à seruo susceptam præsumitur ignorasse. Censetur itaque ignorantia probata, eo ipso quòd non probatur contraria scientia: in his autem quæ quis scire & indagare tenetur, non valet ista præsumptio. Rationem reddunt DD. quia tunc est ignorantia crassa, & supina, & tunc ignorans habetur pro sciente, éstque etiam ignorantia iuris naturalis, quæ neque minorem, neque militem, neque mulierem neque rusticum excusat. Vide Tiraquell. *de pœnis temperand. causa* 51. *num.* 7. Hanc Regulam ita explicatam & singulas quas exposuimus conditiones probat innumeris adductis auctoribus Barbosa.

Regvla XLVIII.

Nullus per alienam iniuriam, & iacturam debet locupletari.

Lege. *Iure naturæ* 206. *D. de Regul. iuris.* & *alibi.* Vide Tusch. *littera L. conc.* 438. Exempla dabit Dynus. Tull. *l.* 3. *Officior.* dixit hominis incommodo tuum augere commodum magis esse contra naturam quàm mortem, paupertatem & dolorem. Quare illam in iudicio allegare non debes, cùm Iudex ex officio illi debeat inuigilare. Valet porrò in pupillo, minore, Republicâ, & Ecclesiâ.

Regvla XLIX.

In pœnis benignior est interpretatio adhibenda.

Lege. *Factum cuique. §. in pœnalibus, de Regul. iuris, capite ex litteris de constitution.* Hinc vulgare illud, *pœnæ sunt restringendæ non extendendæ.* Itaque ex multiplici pœna minor & mitior eligenda est. *l. eos. dist.* 50. *cap. si quis dederit. capite* 2. *q.* 1. Secundò si verba videantur importare pœnam perpetuam, eligimus temporalem, *cap. non oportet* 33. *q.* 4. & *cap.* 1. *dist.* 50. Tertiò non licet à pœnis argumentari ad similia, si non appareat esse de mente legislatoris, nec habent eundem effectum, ne pœnæ excedant proprium casum, *§. pœna, dist.* 1. *de pœn.* Quartò hæc verba, *puniantur, priuentur,* non intelligimus ipso iure, sed per sententiam *cap. quia propter. de electione.* Quintò in dubio meliorem partem sequimur, *l. hoc enim. D. de suspect. tutoribus,* v. g. tutorem suspectum, & ideo amotum propter culpam & non dolum remotum dicimus, atque adeò non infamém manere, & in cæteris ex infirmitate potiùs quàm ex malitia peccatum suspicamur, & interpretamur, aut etiam aliquando non peccatum. Nihilominus hæc Regula non liberat legis ministrum, quin secundùm illam agat, & iudicet. Menoch. *lib.* 1. *de arbit.* q. 81. Hanc regulam in pœnis alternatiuis eligendi mitiorem ait esse consilij, non necessitatis.

Regvla L.

Actus legitimi non recipiunt conditionem, neque diem.

Lege. *Actus legitimi, D. de Regul. iuris.* Vide Sanchem *lib.* 3. *de matrim. disp.* 1. *num.* 5. Tusch. *lit. A. concl.* 129. & ibi citatos.

Actus legitimi dicuntur, qui à lege, aut natura, vel saltem fictione & interpretatione legis inuenti, constituti, introducti formam acceperunt, confirmati, vel approbati sunt. Hæc Regula intelligitur de conditione suspensiua, quæ suspendat obligationem & effectum actus: immò & validitatem in euentum dubium, itavt hîc & nunc non censeretur actus perfectus & absolutus, donec ponatur conditio, vel adueniat dies, veluti emancipatio, hæredis institutio, & alij, qui enumerantur à Papiniano *Regula* 1. *cap.* 77. Omnes autem illi actus, qui à nostra voluntate, & arbitrio pendent, conditionem & diem recipiunt, nisi ipsius natura, vel aliqua specialis iuris prohibitio repugnet: quia eiusmodi actus ita proueniunt à nostro consensu vero & interpretatiuo, vt ille sit pro eorum substantia. Et sanè naturalis libertas postulat, vt quilibet possit hoc, aut illo modo contrahere, &

quam

quam libuerit conditionem dispositioni suæ rei adiicere. Isti igitur actus per conditionis aut diei appositiones vitiantur, nisi aliter statuatur circa aliquos, vt *in cap. ad Apostolicam, de Regul. iuris, cap. biduum 2. quæst. 6.*

Hinc fit primò vt matrimonium recipiat conditionem, etiam suspensiuam: quia neque ex natura rei, neque vlla speciali lege, humana, vel diuina prohibetur eiusmodi conditionis appositio, cùm ex natura sua sit liber consensus, cui non repugnat ea conditio: neque diuina lex certam formam illi præscribat: neque eâ ratione contrahi prohibeat humana lex, vt patet *ex toto titulo de conditione apposit. Vbi cap. super eo, & cap. de illis*, in quibus eodem modo conditiones apponuntur, recipiuntur, & interpretantur, quæ in cæteris contractibus. Et sanè matrimonij contractus merus ad dignitatem Sacramenti à Christo euectus est. Itaque hæc communis est Theologorum & Canonistarum mens: sed hæc de re *alibi*, vbi de Sacramentis fusiùs agemus.

Secondò Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharisticæ conditionem suspensiuam minimè recipiunt, & quia sunt actus legitimi, & habent certam verborum formam ex diuina institutione, quâ positâ ponitur Sacramentum, & suspendi non potest, vt deinde post aliquod tempus positâ conditione fiat Sacramentum, quod nondum erat substantialiter positum. Quod idem de cæteris Sacramentis, excepto matrimonio, dicendum est, vt de baptismo: horum enim omnium certa forma instituta est à Christo: quod habemus saltem ex traditione Ecclesiæ, & auctoritate nobis comprobata.

Tertiò excommunicationis, & aliarum censurarum sententia non est propriè actus legitimus, cùm neque habeat certam & essentialem verborum formam præscriptam, neque lex vlla prohibeat in iis conditionem, aut diem apponi: immò in illis sæpiùs apponantur, & probentur. Vide *cap. Romana. vers. caueant. de sentent. excommunic. & ibi* Glossam, ac Doctores.

Quartò ex eo quòd actus legitimi neque conditionem, neque diem recipiant, non sequitur non recipere modum: quia modus neque dispositionem cui apponitur, suspendit, neque illius effectum: quia si nihilominus fiat actus, perfectus erit, & reuocari, & inualidari non poterit, vt contingit in conditione resolutiua, & suspensiua, vti vides in Sacramento Pœnitentiæ, & Baptismi, quæ sub aliquo modo vel onere conferuntur. Semel enim valida, etiam nondum impleto modo valent, nisi intentio conferentis fuerit; non valere, nisi impleto illo onere: tunc enim vel nunquam fuere valida, vel si non fuere valida, non valebunt impleto modo: tunc enim perfici & absolui deberent. Quod esse absurdum demonstrabimus, vbi de Sacramentis.

Hinc vides, totam istam Regulam non valere in conditione de præsenti, & præterito: sed de futuro eáque potestatiua, vti iam monuimus: quia illa sola pendet ex dubio euentu, vt diximus *in opere de negotiatione cap. de pactis conditionalibus*, vbi fusiùs de natura diuersarum conditionum disputauimus. Vide etiam Barbosam in hanc Regulam.

REGVLA LI.

Semel Deo dicatum humanis vsibus denuò applicandum non est.

INtelligenda est Regula hæc de rebus inanimatis: nam fallit sæpiùs in animatis hæc materia: tum de rebus inanimis Deo & Ecclesiæ dicatis, quomodo alienari, & à dominio Ecclesiæ transferri possint: tum de personis, an è sacro statu transferri possint, vt an Monachus possit ex Papæ licentia matrimonium inire, graues habet difficultates, quæ hoc loco explicari non debent. De alienatione bonorum, & rerum ecclesiasticarum fusiùs diximus *opere de vniuersa negotiatione*: de mutatione sacri status in profanum, dicemus latissimè *alibi*, vbi de voto solemni.

REGVLA LII.

Non præstat impedimentum quod de iure non sortitur effectum.

EVidens est huius Regulæ ratio: quia quod nullum est, non producit effectum: quia nullum esse, & esse sine effectu idem sunt: & non fieri, atque non sortiri effectum, idem valent. Nescio quis contraxerat sponsalia cum puella nondùm septemni, & multò pòst cum eius puellæ matre: quod matrimonium probauit Alexander III. non obstantibus illis prioribus sponsalibus. Cuius ratio alia esse non potest, quàm quia eiusmodi sponsalia nulla erant, ac proindè non poterant producere impedimentum publicæ honestatis. Ita *cap. 5. de desponsatione impuberum.* Canonici scienter eligentes indignum, ea electio nulla est, & effectu caret, non tamen priuantur iure eligendi, *c. perpetuo de electione. in 6.* quia cùm prima electio careat vi, non potest afferre impedimenta; vbi tamen *cap. quamquam eligentes indignum 18. eodem titulo*; quod capitulum cum superiori pugnare videtur. Ita tamen illa conciliat Dynus *in hanc Regulam*, vt si canonici electores perstiterint in electione indigni scienter facta, ita vt ex illo sequatur effectus, priuentur iure eligendi, in pœnam. Si verò non persistunt, & non sequatur effectus, non priuentur eo iure propter hanc Regulam, quamquam & ipse textus significet priuari iure, quia deuoluitur ad Pontificem in Ecclesia Cathedrali, in aliis verò inferioribus ad superiorem dumtaxat siue recursu ad Pontificem. Valet eadem nostra Regula in contractibus: si enim prima stipulatio non subsistat, secunda subsistit, *l. si dari. D. de verbor. obligat.* Si quis iurauerit, cui iuramentum non est delatum, potest denuò propter eamdem causam solemniter iurare, *l. qui per salutem. D. de iureiurando.* Mandatum citationis non finitur per citationem inualidè factam, *l. in serui electione. D. de legat. 7.* Baptisatus cum defectu essentiali, iterum baptisandus est: susceptio inualida ordinum non impedit sequentem. Quarta funeralis non procedit, nisi fuerit electa sepultura, & completa. Sunt & alia similia.

REGVLA LIII.

Cui licet plus, licet & minus.

LEge. *Non debet. D. de Regul. iuris.* Explicat id Sanch. *libro 8. de matrimon. disp. 2. numero 15.* quando minus continetur in maiori, vt pars in toto, vel species in genere. Vide Tusch. *litt. A, conc. 501.*

&

& addunt alij quando maius & minus sunt eiusdem & non diuersæ qualitatis. Vide Barbosam, *de locis argumentorum iuris, loco* 67. & 68. Inde valet argumentum à maiori ad minus, siue negatiuè, siue affirmatiuè. Vide & Tusch. *littera A, conclusione* 501, *numero* 8. Hæc Regula vera est in iis, quæ à iure communi conceduntur: non verò in aliis, quæ eo ipso odiosa sunt: quare in priuilegiis & dispensationibus non valet. Et sanè cui conferre mandatur præbenda in aliqua Ecclesia, non idcirco debet illi conferri media præbenda, etiamsi in illa Ecclesia mediæ præbendæ sint. Cui licet testari, licet etiam donare causâ mortis: vt filiofamilias de peculio castrensi, *l. tamen*, & *l. filiusfamilias, de donatione causâ mortis.* Iudex, licet inuitus, dari potest, *l. munerum.* §. *iudicandi. D. de muneribus*: ergò & cùm ignorat se designati, quia id minus est. Iudex, qui potest deferre iuramentum in litem Actori, ergò & à iuratione iuramento adiicere, *l. videamus.* §. *pen. D. de iureiurando*: quia id minus est. Patri, cui licet adulterum cum filia deprehensum occidere, multò magis eundem verberare & contumeliis onerare licebit, *l. nec in ea.* §. *ius occidendi. D. de adulter.*

Ex hac Regula valet argumentum à contrario, cui non licet quod minus est, multò magis non licet quod maius est: & ita valet argumentum à minori ad maius. Quare prohibitus à minoribus honoribus repellitur à maioribus, *cap. pænul.* 24. & cui non licet pomaria attingere, nequit vrbem intrare, *l. Relegatorum.* §. *potest D. de interdictis & relegatis.* Si non licet vulnerare, ergo nec occidere. Pro vili furto ablata non datur actio, multò minus mortis supplicium, *l. eleum. D. de dolo.* Si filia dotata non succedat patri ab intestato, multò minùs succedet nepos. Liberto non licet lacessere famam patroni sui: eundem deprehensum in adulterio cum vxore sua licebit occidere, *l. adulterium cum incestu* §. *liberto D. de adulter.* Exules, bannitos cuilibet permittitur occidere, ergo & iniuriis afficere. Vide Gaillard. *de pactis publicis, capite primo.* Abbati sine periculo irregularitatis licet Monachos sibi subditos, & plagis & verberibus castigare, *capite vltim.* 10. *quæstion.* 4. ergo & verbis acriùs, aliòve modo corrigere. Vide Syluest. *verſ. Abbas. num.* 5. quod idem de Magistris & parentibus in Clericos iuniores dices.

Plurimas tamen fallentias & exceptiones patitur hæc Regula, de quibus in casibus singularibus agendum est. Interim adi Dynum, Steinium, & Barbosam in hanc ipsam Regulam. Videndum porrò est an illud maius & minus sint in eodem genere, eiusdémque qualitatis, vt cui conceditur maius, conceditur, & minus: & vtrum illud conceditur iure communi, an verò peculiari quodam rescripto: nam tunc quoque mens concedentis rescriptum diligenter attendenda erit: & vtrum fauorabilis an odiosa sit concessio. Quare vix ea Regula valet in priuilegiis & dispensationibus: in illis enim non admittitur facilè extensio: quod enim *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi*, dicitur, *quod in maiori conceditur, licitum esse videtur & in minori*; non sunt verba Pontificis, sed petentis iam legitimationem, & à temporalibus ad spiritualia arguentis.

REGVLA LIV.

Qui prior est tempore, potior est iure.

De hac Regula plurimi fusiùs tractant, Tuschus *littera P, conc.* 460. Barbosa *in hanc Regulam*, & *axiomate iuris* 1884. aliique passim commentatores Regularum. Id verum est, etiamsi prioritas sit in hora & momento: & procedit, tam in agendo, quàm in replicando, & excipiendo, in omni concursu, non autem in separabilibus, & diuersis. Quare qui primus impetrauit beneficium, potior secundo erit. Deinde in Ecclesiis, collegiis, congregationibus qui præcedit quoad receptionem, professionem, institutionem, potior est iure, in considendo, procedendo, consulendo, suffragando, participando, & cæteris. Senior præfertur iuniori, antiquior familia, nobilior censetur: prius graduatus præfertur. Vide Chass. *in catalogo gloriæ mundi, parte secundâ.* Idem dic in pignore, & hypotheca.

Sunt tamen plures huius Regulæ exceptiones. Nam primò res obligata secundo creditori illi ceder, non primo. Secundò si pupilli pecunia sit empta ;illi, non priori creditori debetur. Tertiò si mutuator pactus sit in rem per suam pecuniam comparata ipsi maneat obligatio. Vide alia apud Steinium.

REGVLA LV.

Qui sentit onus, sentiat, & commodum: & contrà.

Lege, *Secundùm naturam. D. de Reg. iur.* Tusch. *litt. C. concl.* 144. Hinc fit vt à quo tollitur officium oneris, priuari debeat officij præmiis. Episcopus qui non sustinet onera iurisdictionis, eius emolumenta percipere non debet. Alia exempla passim obuia sunt. & aduersatiua Regulæ: qui non sentit onus, sentire non debet commodum: qui non exercet artem quam profitetur, licet in matriculam relatus sit, non gaudet priuilegiis illius, *l. scriniarios. C. de numerariis.* Vide Gaillard. *libro secundo obseruat.* 118. Qui sentit commodum, sentire debet & onus. Neque ab hac Regula excipiuntur Ecclesiæ & pia loca. Quare Laiman. *libro primo, tract.* 4. *capite* 13. infert Clericis, parendum esse legibus ciuilibus, quia ciuium priuilegiis fruuntur: & Tamen *libro secundo de libert. Eccles. capite* 13. Gaillard. *libro secundo obser.* 52. *num.* 12. inductum vsu notant, vt in pedagiis vectigalibus, nulla sit facti, & profani ordinis differentia. Quare ne ipse quidem Princeps facere potest, vt aliqui ex mero fauore, & sine grauissima causa non sentiant onus, quod cæteri omnes communiter impositum ferunt. Non valet contra hanc Regulam præscriptio; quare Canonici & alij Præbendarij non residentiam nunquam præscribunt. Vide Rebuff. *in concord. tit. de collat.* §. 1. *verſ. ad onus.* Denique qui non sentit commodum, non sentit onus. Quare si Parocho negentur decimæ, aut quod illarū loco promissum, vel assignatum est, ad prædicationem, Sacramentorum administrationē, & cætera similia cogi nequit, vt Glossa & *DD.* notant *in C. omnis Christianus, de consecratione, dist.* 1. Hinc etiam iniquissima societas est, in qua vnus dammum, & alter totum lucrum sortitur, *l. si non fuerint.* § *finali D. pro socio.* In paucis tamen fallit: nam pupilli & mulieres capere possunt hæreditatem agnatorum; ad eorum tamen tutelam cogi non possunt. Requiritur quoque eadem sit ratio in damno, lucro percipiendo & non sit aut culpa, aut priuilegium causa damni, vel lucri.

REGVLA LVI.

In re communi potior est conditio prohibentis.

Lege, *Sabinus D. de communi diuid. l. concedendo D. de aqua pluuia arcen. Regul. quod omnes tangit* 18. *ad hoc* 20. Ratio est; quia in negotiis tangentibus plures

plures, concors consensus requiritur, & sensus omnium: ideóque si vnus se opponit, impedit consensum, & deliberationem in negotiis tangentibus plures vt vniuersos, sufficit maior pars; quia illa repræsentat vniuersitatem, quæ tunc consentire dicitur. Quare cùm negotij commodum, aut incommodum respicit plures, primò & principaliter omnium consensus est necessarius, nisi lex aliter disponat. Ex hac distinctione plures casus & difficultates soluendæ sunt. Sensus verò nostræ Regulæ est, cùm vnaquæque res ad duos vel plures pertinet, æquum non esse vnius tantùm arbitrio illam disponi, mutari, verbi gratia, grauari, laxari cum aliorum præiudicio, aut vno aliquo inuito, qui proinde si eam dispositionem aut mutationem prohibeat, eius melior erit conditio, quia eius oppositioni & prohibitioni deferendum erit.

Verbi gratia, duo fratres in communi castrum possideot, non potest vnus etiam maior illud non consulto, & non consentiente altero etiam minore, illud vendere, aut tradere etiam Principi. Gaillard. *libro secundo obseruat. 69. num. 22.* Si murus pluribus communis est, non potest absque aliorum consensu illum diruere, restaurare aut quapiam aliâ ratione mutare, ex hac Regula, *& Regula 29. eodem tit.* Itaque melior dicatur conditio prohibentis, quia non permittitur fieri illud cui ipse contradicit, & non datur etiam actio repetendi quod proprio arbitrio ipsa impendit: quod totum etiam in causa pia valet. Naque enim permittitur vni ex coniugatis castitatem vouere, aut Religionem amplecti, altero inuito. Neque ex ære communi Oratorij, vel hospitalis, sociis contradicentibus quidpiam donare vel impendere: & quamvis ad aliquid gerendum non sit semper necessarius omnium consensus, aut suffragium: ad impediendum tamen totum actum & negotium, vnius dissensio sufficit. Quod notat Felinus *in c. cùm omnes de constit.* Quæ omnia intelligentur, quamvis vnus aliquid melius intendat, & in commune commodum, vt in communi pariete restaurando. Vide *l. parietem D. de seruit. vrban. prædior.* Vide Gaillard. *lib. 2. obs. 69.* Dixi denique in hoc negotio meliorem esse conditionem prohibentis, nisi aliter disponat lex; quod interdum facit in commodum commone cui illa irrationabilis prohibitio, seu potiùs contradictio plurimùm obest. Quare prudentis est iudicis de controuersia iudicare, & an Regula tunc in eo casu valeat, indéque facilè solues quæ contra Regulam allatam opponuntur cum Streinio.

Regvla LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit, apertiùs est interpretatio facienda.

Lege, *In contrahenda venditione. D. de Regulis iuris.* Quia cùm legem, vel pactum imponens exprimere potuisset, quod non es pressit, queri non potest, si non fuerit adhibita interpretatio quam valebat: & & verba ambigua contra proferentem sunt interpretanda, *l. veteribus* 40. *D. de pactis l. quidquid astringenda. D. de verbor. obligat.* Vide Tusch. *littera V, conc. 107.* Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. libro secondo, titulo nono, numero 95.* Verbum quoque ambiguum testis contra producentem interpretari ait Glossa *in hanc Regulam*, Titaquell. *de retractu gentilitio §. 1. Glossa ibid. num. 4.*

Regvla LVIII.

Iuramentum contra bonos mores præstitum, non est obligatorium.

Sequuntur passim omnes tum Canonistæ, tum Theologi. Gutierr. *de iuramento confirm. part. 1. capite 40. num. 4.* Tusch. *littera I, conc. 511. num. 29.* Molina *tract. 2. de iustit. disp. 151. & disp. 271. §. Ad id vnde.* Azor. *part. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 6.* Suar. *de iuramento, libro secundo, capite 20.* Rebell. *de oblig. iust. libro primo, quæst. 9. num. 1.* Lessius *libro secundo, capite 17. dub. 7. numero 50.* Intelligimus autem contra bonos mores, atque etiam ciuiles, quando ciuiles non possunt violari sine culpa. Ratio manifesta est, quia eiusmodi iuramentum seruari non potest sine salutis dispendio aliquo, aut sine eius impedimento & retardatione: ergo non potest ad sui obseruationem obligare.

Regvla LIX.

Dolo facit qui petit quod restituere ipsum oportet.

Lege, *In condemnatione. §. dolo. D. de Regulis iuris.* Quia cùm in illo petente non possit esse iusta causa; immò statim appareat mala fides, statim fallere & circumuenire videtur. Ita manifestus vsurarius vsuras non petere, neque illas soluere cogitur. Hæres grauatus à testatore ne debitum exigat, si debitorem ad solutionem interpellet, temouebitur doli mali exceptione, *l. Dolo. D. de doli mali, & metûs exceptione.* Obseruat verò Glossa hanc Regulam valere, primò cùm eidem personæ, quæ reddere interpellatur, reddi oportet. Nam alij non dicuntur dolo petere, vt cùm commodatarius res petit à fure vt vero domino reddat. Deinde quando causa petitionis & retentionis diuersa est, verbi gratia, si possessio rei petatur à proprietario, *l. 1. §. 1. D. quorum legator.* cum Ecclesia de causa possessionis & proprietatis, verbi gratia, legatarius suâ auctoritate accipit legatum, quod ab illo deinde hæres repetit; qui tamen scit, illud à se reddendum fuisse, is hæres non dicitur dolo malo petere. Neque etiam idem dicetur in aliis qui petunt, quæ non debito modo occupata, aut à se ablata fuot.

Regvla LX.

Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.

Lege, *Nulla intelligitur. D. de Regul. iuris:* éstque aperta Regulæ ratio: quia mora inculpata, cuiusmodi est quæ habet legitimam exceptionem, mora dici non debet, *l. pecuniæ febris 9. §. fin. D. de vsur.* In mora non constituitur debitor, qui causam iustam habuit ignorandi se debere, *l. qui sine dolo malo. de Regul. iuris.* De mora porrò, & iis omnibus, quæ ad illam pertinent, fusè diximus *libro secundo de vsuris & commercio:* neque aliquid adiiciendum videtur.

REGVLA LXI.

Quod alicui in gratiam conceditur, non est in eius dispendium vertendum.

LEge, *nulla iuris ratio* 24. *D. de legibus*, & *l. quod fauore C. eod.* & passim DD. cum Barbosa *axiom.* 96. *num.* 2. Vide Gratian. *disceptat. forens. c.* 651. *num.* 21. & 665 *num.* 20. Scacci. *de commer.* §. 5. *Glossa* 5 *n.* 308. Valet hæc Regula in priuilegiis beneficij loco concessis variis ex causis, & quæ aliqui in eorumdem priuilegiatorum dispendium, vbi retorquere solent, & eorundem prætextu aliis in rebus vexant priuilegiatos, qui ex hac communissima Regula iustissimè se tueri possunt diligentérque considerandum est, qualis sit hic fauor, quæ fuerit mens concedentis, quale nouum onus impositum, & alia eiusmodi.

REGVLA LXII.

Nullus ex consilio, non fraudulento obligatur.

LEge, *Consilij* 48. *de Regul.* & *l.* 2. *in fin.* 3. *D. mandati.* De consilio actionis malæ vel quacunque ratione illicitæ, siue adiuncta illi sit censura, siue non, diximus *in opere de censuris, & de iurisdictione in illis ferendis, disquisit.* 5. *quæst.* 3. *tota*: & quod sit discrimen inter consilium & factum ipsum. Non est verò quod attinet ad vocem fraudulenti consilij lis: debet enim requiri fraus in consulente, quia scit actum, quem consulit, esse malum, aut illicitum: non tamen obligatur ita consulens vice illius cui consulit, cùm in arbitrio alterius esset facere aut omittere. Excipiuntur tamen qui ex officio tenentur dare consilium, vt Accessores, Aduocati, Iudices, & alij, qui obligantur ex iniquo consilio etiam per ignorantiam præstito, *l.* 1. *in fine D. quod quisque iuris.* Vide Nauarr. *in Enchirid. cap.* 25. *n.* 15.

REGVLA LXIII.

Obiiciens exceptionem non videtur fateri de intentione aduersarij.

LEge, *Non vtique* 9. *D. de exception.* & *capite* 6. *titulo de exceptionibus.* Vide Couarr. *libro primo variar. cap.* 1. *num.* 2. & 3. Tusch. *littera E. concl.* 427. Exceptor igitur non fatetur neque fundat intentionem actoris: v.g. aliquis qui rei vindicatione agens petit domum quandam à Titio iure dominij, Titius excipit se illam ab ipso actore habuisse titulo venditionis, vel permutationis, non ideircò reus suâ illâ exceptione fatetur, actorem esse dominum illius domus: quia tunc actor probare debet dominium; quod si probauerit, debebit reus permutationem, aut venditionem, quam allegauerat, & exceperat, probare. Ita Couarruu. Videtur tamen in pluribus aliis exemplis manere difficultas: quia si quis à te petit centum ludouiceos: tu verò excipis te vel soluisse iam pridem, vel pactum de non petendo inter te & illum initum fuisse: nunquid videris fateri te debitorem, & te eius nummos accepisse? Cur enim aut te soluisse aut pactum esse de non petando reponis. Quare Bald. *in l. cum Papinianus, C. de sententiis interlocutoriis*, ait illum, qui compensationem excepit, fateri se debitum accepisse. Felinus verò in *cap. venerabilis, de exceptionibus*, ait in pluribus Regulam hanc nostram fallere. Dynus verò distinguit: vel enim simpliciter negat, vel excipiendo quidquam ponit. Si primum, non videtur confiteri de intentione Actoria: immò illam negat. Si quid autem ponit aut non numeratam fuisse dotem, aut pecuniam, aut pactum initum fuisse de non petendo ipsam intentionem Actoria fateri videtur: & de sola exceptione agendum erit. Quæ distinctio variis in casibus occurrit, prudentis iudicis erit iudicare quid potissimum in illis casibus quærendum & probandum erit, ad quod non deerunt variæ ex factis & vtriusque allegationibus validæ coniecturæ.

REGVLA LXIV.

Quæ contra ius fiunt, pro infectis haberi debent.

DIcuntur fieri contra ius quæ seruantur contra formam à lege iure præscriptam, & non tantùm quæ geruntur contra prohibitionem legis: quorum aliqua sunt quidem illicita, non tamen irrita: Nam professio religiosa ante annum 16. ætatis emissa irrita est ex Tridentino: matrimonium cum voto simplici castitatis initum, est quidem illicitum; non tamen irritum. Quæ aliáque diximus agentes de lege irritante & prohibente: quare videndum erit qualia sit lex & iura, contra quod fit, an irritans, tunc enim actus nullus erit omissa forma substantiali, & pro infecto habebitur: an verò prohibens dumtaxat; & tunc tantùm illicitè fiet actus & nihilominùs subsistet.

REGVLA LXV.

In pari delicto, vel causa potior erit conditio possidentis.

LEge, *Cùm delictum.* & *in pari causa D. de Regul. iuris.* Itaque in dubio valet hæc Regula, & in materia etiam iustitiæ valere, aliàs fusè ostendimus. Neque quid addendum *ibid.* dicta, ostendimus cum communissima Theologorum sententia.

REGVLA LXVI.

Conditio habetur pro impleta, cùm non stat per eum, qui illam implere debet, quominus impleatur.

LEge 24. *DD. de Regul. iur.* Valet in testamentis, contractibus, & statutis. Caius legauit libertatem Sticho seruo, si decem sestertia penderet hæredi, Stichus obtulit eam pecuniam hæredi; qui illam noluit acceptare, impleuit conditionem: quia per eum non stetit, *c. vlt. C. de condit. inser.* Quidam Dominicanis legauit centum aureos pro sepultura: sed is in excommunicatione decedens, priuatus est sepulturâ, debetur illa summa tali Monasterio: quia non stat per illos Fratres, quominùs implerent conditiones. Iudex citauit absentem, ad quem ea de causa misit executorea: sed Reus impediuit per familiares suos executores, habetur pro citato: quia per illum stetit quominùs audiret voluntatem iudicis, *C. quoniam frequenter*, §. *porrò vt lite non contestata.* Ita desiuit Innocentius III.

Dices: Cornelius legauit Bertæ mille aureos si Caio nubit: moritur verò Caius ante contractum matrimonium, & conditio non impletur absque Bertæ culpa; cui tamen negatur legatum, *l. legatum.* & *l. si sub. diuersis. D. de condit. & demonst.* ergo ea falsa est Regula.

Respondeo, eam conditionem non pendere ex arbitrio Bertæ, & fuisse merè casualem: & Testatoris mentem fuisse vt Berta potiretur legato, quando nupsisset Caio: vndecumqoe impediantur nuptiæ, defecisse conditionem, quæ erat casualis, & non potestatiua.

Regvla LXVII.

Quod alicui suo nomine, non licebit alieno.

Dvplex est huius Regulæ sensus. Primò quod alicui non licet proprio nomine facere, id est, per seipsum præstare, neque id per alium facere licebit. Verbi gratia, non licèt Decurioni per seipsum prædia publica conducere, neque id illi aliorum nomine supposito, siue per alios id facere, vt ait Vlpian. *l. 2. D. de administratione tutorum.* Secundò, sensus est: vt quod non licet alicui suo nomine, siue pro seipso facere, neque etiam pro alio, siue alieno nomine facere. Quare, vt ait Glossa *in hanc Regulam*, non licet mihi pro me, & mea opera exercere: neque igitur per alium idem facere, *cap. sicut non suo, dist.* 46. vbi additur ratio: quia indecens est crimen suum alienis commodis impendere. Si mihi non licet pro me litteras papales facere: ita nec alieno, *cap. ad falsariorum. de crimine falsi.* Non licet proprio nomine prætoris album corrumpere, ergo nec alieno, *l. si quis id. D. de iurisd. omnium iudic.* Non licet vinum aut frumentum vendere extraneo, igitur non licebit ipsi per extraneos facere. Maritus sua bona donare vxori nequit, igitur neque per alium. Nequit Prælatus per se alienare bona Ecclesiæ, neque etiam per alium id potest. Religiosus professus nequit mutuare, vendere, aut alia ratione de rebus Monasterij propria auctoritate disponere, non licebit etiam illi alium quempiam substituere, aut rogare, qui suo nomine mutuum aut commodatum faciat: *cap. secund. ne Cleric. vel Monachi.* Episcopo non licet alterius Diœcesis subditos soluere, vel ligare, neque id etiam per suum Vicarium, vt habet Trident. *sess. 6. capite 5. & sess. 14. cap.* 8. Quæ tamen intelligenda sunt quando mea & alterius eadem est dispositio: nam si diuersa sit, fallit Regula: sicut & quando boni, quod intenditur, vous solus est capax. Mihi non licet ducere consanguineam: possum tamen tamquam procurator alieno nomine matrimonium illud contrahere siue is sit consanguineus, siue non. Filiusfamilias nomine proprio in iudiciis agere non potest, *capite tertio de iudiciis*; poterit tamen vt procurator, cùm neque sibi, neque patri præiudicet: Iudex enim non in ipsum, sed in principalem, quem repræsentat, sententiam fert. Potero pro eo qui ius seruitutis habet per alienum fundum ire & iumentum agere, *l. si stipulatus fuerit. D. de verb. obligat.* Denique in pluribus etiam, ratione muneris sibi impositi, licebit agere quod per seipsum præstare nefas esset: vt Prælatus mittere ad bellum: iudicare in causa sanguinis.

Regvla LXVIII.

Quid potest quis per alium quod per seipsum potest.

Hanc Regulam ex variis aliis iuribus sumptam esse monet Glossa, ac proinde vides valdè communem esse, val plurima per procuratorem validè & licitè fieri, quia quod aliquis facere potest, alteri mandare potest, & quæ per alium fiunt nostro mandato, aut consensu, iure nobis tribuuntur, nisi id prohibitum aliundè sit & tenearis propriam manum adhibere, actióque illa ita personalis sit, vt ab alio nequeat suppleri siue ratione muneris & propter dignitatem personæ, siue propter eius insufficientiam, siue propter delictum & periculum aliáve de causa. E contrario verò per alios licet id agere quod per seipsum exercere indecens esset: eáqoe de causa huic personæ prohibitum est, vt negotiari Clericis, aut Nobilibus.

Regvla LXIX.

In malis promissis non expedit fidem seruare.

Sapienter distinguit Dynus inter mala promissa, & malè promissa: priora illa talia dicuntur ratione obiecti: sunt enim de re mala & turpi; atque adeò sunt mala ex naturâ suâ & intrinsecè, & illa nullâ ratione seruari debent. In iis enim promittendis peccatum est, & in iis etiam seruandis committitur culpa. Neque liberum est, & in arbitrio ea seruare, aut non seruare. Malè promissa non sunt de re mala quidem, sed quorum promissio non fit siue ex solemnibus iuris, siue quo alio modo non æquo, vel rationabili, siue ex parte promittentis, siue promissarij: quia dolo & fraude, vi, ac metu, aliáve incongrua ratione fit. Itaque ea promissio mala non est ratione obiecti, in quod cadit: sed ratione modi quo fit: & vbi promittens malitiam suæ promissionis agnoscit, sæpe non tenetur promissionem præstare. Neque id illi expedit, quia damnum sæpè patitur, & promissarius ad illicita inducitur, maláque in rempublicam inuehuntur. Mala porrò promissa intrinsecè & ratione sui obiecti frangenda omninò sunt, etiam iurata: quod aliâs diximus, & iterum docebimus *tomo secundo huius operis.* Interim vide Caietan. 2. 2. *quæst.* 8. *art.* 1. Nauarr. *in Enchir. cap.* 12. *num.* 25. Sayr. *in Clau. lib. 5. cap. 6. n.* 22. *& cap. 7. num.* 2. Couarr. *in c. quamuis pactum, p.* 11. §. 6. *num.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 18. *dubit.* 3. & *cap.* 17. *dubit.* 6. Suar. *lib. de iuramento. cap.* 14. & alios.

Regvla LXX.

In alternatiuis debitoris est electio: & sufficit alterum adimpleri.

Ex *l. plerumque in fin. D. de iure dot. l. si in emption.* 34. *l. si ita* 25. *D. de contrahenda emptione. l. si quis pen. c. de condictione indebiti.* Faciunt aliqui duplicem hanc Regulam. Prima est de debito alternatiuo: altera de iure electionis, vtrùm ad debitorem, an ad creditorem pertineat. Cùm tamen vtraque pars Regulæ sit de debito alternatiuo, de quo solo difficultas est, quomodo sit soluendum: & ita tota difficultas est, quando censeatur solutum, & quid soluendum sit: affirmátque regula ex debitoris arbitrio quidnam ex duobus alternatiuè debitis soluere velit, quodcunque enim soluat, implet suam obligationem, nisi vna pars alternationis perierit, aut perempta fuerit. Quæ enim superierit, soluenda erit, vel æstimatio illius, quæ periit. Si tamen partes alternationis ita se habeant vt vna non dependeat necessariò ab alia, vel vna sit primariò, aut principaliter promissa. Promisi tibi Stichum, aut Pamphilum, mei arbitrij est soluere quem velim. *l. plerumque D. de iure dotium, sub fin.* & *alibi*: & si soluo Stichum, non teneor dare Pamphilum: quia adimpleui conditiones promissionis. Promisi Bertæ matrimonium aut certam pecuniæ summam, faciet

faciat alterutrum vti libuerit. Hæc verò facultas transit etiam ad hæredem siue testatoris, siue legatarij, nisi altera pars legati alternatiui conditionalis fuerit. Si enim pendente conditione legatarius decedat neque legatum, neque eius eligendi facultas transibit ad hæredem legatarij. Adde factâ electione à debitore, integrum illi erit variare, *l. cum qui.* 138. §.1. *D. de verbor. obligat.* & *l. qui ex pluribus. D. eodem.* ita vt nequidem litis contestatio impediat eam voluntatis mutationem. Quod disertè affirmat Venuleius citatus, *l. cum qui certarum* 138. §.1. *de verbor. obligat. Cum purè stipulatus es* (inquit) *illud aut illud dare licebit tibi, quoties volueris mutare voluntatem, in eo quod præstiturus sis. Si verò vtrumque promissum soluerit debitor, fas illi erit quod placuerit repetere. l. pen. c. de condi. indebit.* Est enim eiusmodi condictio veluti in priorem statum restitutio. Si ergo ante eum errorem habebat liberam electionem: ita & post illum habebit.

Fallit tamen Regula, primò in alternatiuis actionum, in illis electio est creditoris, vt qua voluerit actione agat, *l. si seruus* 108. §. *cum homo. D. de legatis* 1. alioquin si debitoris esset electio actionis, nunquam ex finiretur. Secundò in pœnarum alternatiuis electio est penes Iudicem, non penes Reum, qui perpetuò sibi minorem eligeret: quare nisi lex eum fauorem permittat Reo, iudicis erit eam assignare ex æquitate; qui & aliquandò dabit optionem Reo. Centum, v.g. pendat aureos, aut aliquanto tempore exulet.

Fallit etiam in alternatiuis, inter quas est prærogatiua ordinis cuiusdam, aut affectionis. Sic inter liberos, mares præferuntur filiabus. Fallit quartò, si vel lex, vel mens Legislatoris, vel disponentis aliud suadet. *l. generaliter. C. de instit. & substit. l. Lucius* 2. *D. de hered. instit.* & ibi Doctores: quod maximè verum erit vbi ex opposito timebitur iniquitas aliqua.

Attendendæ etiam diligenter erunt coniunctiones in dispositione: an disiunctiuè, an copulatiuè sumantur, siue: an habeant eo loco vim disiunctionis, an coniunctionis: sicut & particula *seu*, quæ magis distinguendi, quàm copulandi causâ ponitur. Quare ex subiecta materia, & variis adjunctis tota res plerumque definienda erit. Sunt enim variæ alternatiuæ propositiones, personarum, rerum, locorum, temporum, aliæve, in quibus occurrent diuersæ quoque difficultates.

REGVLA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, multò magis ad excipiendum admittendus est.

LEge. *Inuitus nemo.* §. *cui donum. D. de Regul. iuris.* v.g. qui à possessione deiectus est, actionem habet: & dum possidet, potiori ratione habet exceptionē, *C. placuit.* § *potest* 16. q. 3. Conductor soli ad superficiem habet vtilem rei vindicationem, etiam contra dominum, & multò magis exceptionem, *l.* 1. §. *quod ait. D. de superfic.* Qui habet dominium vtile, potest agere contra dominum actione vtili in rem, atque adeò si ab eo conueniatur, habet exceptionem. Ratio est: quia fauorabilior est exceptio, quàm actio, & defensio, quàm impugnatio: indéque magis necessaria, *l. scientiam. D. ad l. Aquiliam.* & cui licet plus, licet quod est minus, nimirùm defendere. Hinc fit vt idem liceat procuratori, qui videtur omninò habere mandatum ad excipiendum & defendendum sicut ad agendum. Nam ille admittitur ad defendendū & respondendum quando conuentus fuerit, *l. vn. C. de satisdando.* Neque obstat quòd exceptio sit odiosa: nam id etiam conuenit condictioni indebiti: & tamen exceptio potius quàm ea condictio conceditur, *l. si non sortem.* §. *indebitum. D. de condictione indebiti:* etiamsi ex dolo malo nascatur exceptio, cuius doli allegatio omninò est odiosa. Vide Sanch. *l.* 10. *de matrim. disp.* 9. *n.* 23. Cui porrò datur exceptio, conceditur repetitio, quæ fauorabilior est exceptione. Nam si repeto quod meum, fructus à die moræ commissæ computantur: *l. videamus. D. de vsuris.* quod non concedetur petēti tantùm quod sibi debetur *l. cùm fundus, D. si certum petatur,* & licet aliud videatur accidere in deposito, vt bona fides inter contrahentes seruetur: manet tamen ius depositario, vt reddito deposito, *conueniat deponentem, quod sua interest.* Aliquando tamen in pœnam, negatur receptio: quâ ratione socius, gener, & fideiussor amittunt beneficium, ne conueniantur in plusquam facere possunt, si societatem contraxisse, aut fide dedisse, aut dotem promisisse negent, *l. sed hoc ita. D. de re iudic.*

REGVLA LXXII.

Qui facit per alium, per seipsum facere videtur.

LEge. *Quod iussu alterius. de Regul. iuris.* Vide Tusch. *lit. F. concl.* 7. *num.* 3. illi consentimus per procuratores. Vide Tiraquell. *ad ll. connub. Glossa* 6. *vers. consulenteme n.* 17. Tutor tenetur directâ actione tutelæ, quando administrari mandat: quia eodem modo facit ac si faceret per seipsum, *l. ita quod si quis, D. de administr. tut.* Tenetur interdicto vnde vi, non tantùm qui deiecit per se; sed etiamsi deiecerit per alium, *l.* 1. §. *deiecisse. D. de vi & vi armata.* Qui occidit per alium tenetur *lege Cornelia. de sicariis. C. de accusat. l. non ideo. D. ad Sillanian. & l. si ceruus percussor, & l.* 5. *D. ad Trebellian.* §. *penult.* punitur tanquam calumniator, siue per se, siue per alium detulit, & non probauit. *l.* 2. §. *Diuus Pius, D. de iure fisci.* Similia plura habentur in iure, in quibus factum vnius dicitur factum alterius, non quantum ad veritatem: sed quâdam fictione & interpretatione iuris: & quia vnus est causa saltem moralis respectu facti, cuius alter est causa physica. Verùm de causis moralibus comparatis cum causis physicis abundè diximus *in opere de censuris.*

REGVLA LXXIII.

Legitimè factum retractari non debet, licet casus eueniat, à quo non potuit inchoari.

LEge. *In ambiguis.* §. 1. *de Regul. iuris.* Vide Tiraquel. *tractatu cessante causa. limitat.* 12. *n.* 15. Couar. *in c. quamvis pactum. p.* 2. §. 1. *n.* 7. Infamia coniugis adueniens matrimonio, illud non dissoluit, sicut neque accedens affinitas, aut cognatio spiritualis, *c. pen. & vlt. de eo qui cognouit consanguineam.* Si quis condito testamento incidat in amentiam, non inualidatur testamentum. Qui à legitimo patrono non remouetur, quamvis post præsentationem excidat patronatu, *c. à consultationibus de iure patron.* Canonicus, cui commissa fuit causa, si desinat esse deinde Canonicus, valet tamen commissio. Iudex legitimè institutus factus deinde mentis impos perseuerat in officio. Plurima obiiciuntur ex iure ciuili, quæ illius studiosi explicare debent. Nos modò soli iuri Canonico insistimus.

Regvla LXXIV.

Quod alicui gratiosè conceditur, non debet ab aliis trahi in exemplum.

SEnsus Regulæ manifestus est: priuilegia & dispensationem, quibus ius commune vel ex parte tollitur, vel emendatur, non debent in exemplum trahi. Quare non licet à casu ad eafum fimilem, à persona in personam in quandam consequentiam duci argumentum. Vide Rebuffum *in praxi, tit. de differentia inter rescriptum, & priuilegium*: quia pee priuilegia, & dispensationes superior non sine causæ cognitione voluit illi ius singulare constituere: ideò non debet aliis communicari contra voluntatem & intentionem superioris: neque licet inuiti, aut saltem non volentis extendere voluntatem.

Regvla LXXV.

Frustrà fidem sibi seruari postulat, qui eam non seruat: & qui fidem frangit, queri nequit, sibi eam non seruari.

QVod in omnibus contractibus, pactis & negotiis valet: in omnibus enim subintelligitur hæc conditio, modò altera pars non fefellerit. Neque exempla aceruanda sunt hoc loco. Vide Tusch. *littera D. concl.* 337. Tiraquell. *de retractu convent.* §. 3. *glossa vnica. num.* 19. Menoch. *cons.* 1. *num.* 364. Hæcque Regula vera est, etiamsi fides vel in minimo deficiat: & qui pacta violant vel in vno, non possunt petere sibi obseruari, vt refert Tusch. quod adde esse verum, etiamsi pactum munitum fuerit iuramento, & quamvis addatur clausula, *rato manente pacto*. Illa enim non obstante non tenetur fidem & promissa seruare ille, cui per aduersarium non seruatur, ex eodem Tuscho *loc. cit.*

Regvla LXXVI.

Delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare.

IDcirco vulgò dicitur non teneri monasterium de deposito culpâ monachi deperdito, laut deteriorato, nisi quatenùs ex illo factum fuerit locupletius. Vide Molin. *tract. de iust. disp.* 525. Less. *libro secundo de iust. capite* 27. *dub.* 3. *num.* 12. non tenetur etiam ex debito peculiari Abbatis, Sanch. *libro secundo in decalog. capite* 14. *numero* 49. Neque quisquam priuilegium, aut exemptionem ab hac Regula prætendere debet ratione suæ dignitatis: quare cùm Episcopus, qui rerum Ecclesiasticarum non dominus sed procurator est, potest quidem conditionem Ecclesiæ meliorem facere non deteriorem, vt ait Alexander III. *capite secundo, de donationibus*. Quare iubet Episcopum qui grauiores donationes de rebus sui Episcopatûs fecerit, eas reuocare tanquam de iure inualidas. Si Episcopus propter suum aliquod grauius delictum Episcopatu fuisset abdicatus, non idcircò Ecclesiæ suæ bona confiscari debent propter hanc Regulam: quia personæ delictum non debet Ecclesiæ obesse, *c. si Episcopum* 16. *quæst.* 6. vbi consule Glossam. Quare si teneat castrum in feudum à Rege Episcopus, incidátque in feloniam, non propterea redibit castrum ad Regem ex nostra Regula. Idem dico de Abbate, Monacho, Clerico. Si quid enim deliquerint, Ecclesia illud suo dispendio & damno non feret: immò & Prælatus rem à se malè alienatam repetere poterit, faciendo suum errorem & turpitudinem, etiamsi iurasset non repetiturum, vt censet Panorm. *in capite, si quis de rebus Ecclesiasticis alienandis*. Neque obstat quod prælato Capitulum consenserit: quia non agitur de bonis, quæ ipsorum dumtaxat vsibus fuerint applicata; sed fabricæ etiam, & pauperibus, quibus omnibus malâ suâ alienatione officiunt. Addit Less. *libro secundo de iust. capite* 4. *dub.* 5. nequidem propter delictum Prælati posse possessionem bonorum Ecclesiæ, in alium transferri, etiam appositâ clausulâ constituti, id est, si constituerit se nomine emptoris rem eam possidere: quia possessio rerum Ecclesiæ non est penes Prælatum sed ipsam Ecclesiam. Quare morte Prælati non vacabit ea possessio. Denique obserua, Regulam istam de damno positiuo, quod prælati delictum nequit Ecclesiæ afferre, non de lucri incremento sollicitiam esse. Certum est Prælati negligentiâ plurima deperdi, & non lucrari Ecclesiam, quod lucratura erat eius sollicitudine & diligentiâ.

Regvla LXXVII.

Succedit in onere, qui substituitur in honore.

ID rationi consentaneum esse ait Regula. Filius Patroni in honore iuris patronatûs succedens, tenetur quoque onere defendendi Ecclesiam, *c. filiis ac nepotibus* 16. *quæstion.* 7. Prælatus successor grauatur quoque onere soluendi debita pro Ecclesiæ vtilitate contracta: éstque iam allata Regula 55. *Qui sentit onus, debere sentire commodum*: & contra. Denique sapienter rescribit Iustinian. Senatui Constantinopolitano, & refertur. *l. vnic.* §. 4. *C. de caducis tollendis*: & vult, *omnes personas, quibus lucrum per hunc ordinem* (nouum) *defertur, eas etiam grauamen quod ab initio fuerat complexum, omni modo sentire, siue in dando constitutum, siue in quibusdam faciendis, vel in modo, vel conditionis implendæ gratia, vel aliâ quâcumque viâ excogitatum. Neque enim ferendus est hic qui lucrum quidem amplectitur & onus autem ei annexum contemnit.*

Regvla LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt quæ propter necessitatem sunt aliquando concessa.

ET *l.* 162. *D. de Regul. Iuris.* Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. Distinguenda verò sunt quæ ex naturâ suâ mala sont, & quæ tantùm talia sunt, quia prohibentur, quia priora illa nunquam licent, neque necessitate vrgente permitti possunt, quamvis possint propter grauea causas non puniri. Alia verò permittuntur vrgente graui quadam necessitate siue publica, siue priuata: & hæc quia aliquando permissa sunt laxata eo tempore legis disciplinæ. Ea tamen in argumentum & consequentiam trahi neque possunt, neque debent: sed vbi necessitas illa cessauit, redit tota legis obligatio. Alioquin facile perirent omnes leges, & vniuersa disciplina facilè solueretur.

REGVLA LXXIX.

Nemo potest plus iuris, quàm ipsi competat in alium transferre.

LEge 162. D. de Regul.iur. Nemo plùs commodi hæredi suo relinquat, quàm ipse habeat. Vide Tusch. littera D. Concl. 17. Vasallus, & Feudatarius non potest habere maiorem iurisdictionem in feudo quàm habeat dominus, qui ipsum inuestiuit.

REGVLA LXXX.

Non est dubium in toto partem contineri.

SI possessor sum totius domus, tectum, & parietes ad me pertinent. In specie continentur indiuidua in potentia. Qui habet ius in agrum, habet quoque in partes & sic de cæteris totis tum in naturalibus, tum in moralibus. Prohibitus à toto, à qualibet eius parte excluditur, vt à tota hæreditate reiectus, partem eius sibi petere nequit; partem, inquam: nam si totum persistere posset absque aliqua, ab illo vi exclusionis reiici nequit. V.g. qui in iudicio insulam, vel domum amisit, remoueri non potest exceptione rei iudicatæ si quædam cœmenta, & ligna petierit: quia illa non sunt pars domus, & absque detrimento totius possunt separari.

Vide Tuschum littera T, conclus. 336. qui sapienter aduertit agi in Regula de toto, cuius partes sunt indiuisæ, & non per se distinctæ, & per se stantes.

REGVLA LXXXI.

In generali concessione qua quis non esset verosimiliter concessurus.

VIde Tusch litt. G. concl. 51. n. 1. Barb. axiomate iuris 106. Neque interest an concessio iurata ane non iurata fuerit. Quis habet ab Episc. facultatem eligendi Confessarium, non idcirco haber vt ab illo à reseruatis absoluatur, & ita de aliis. Ratio euidens: quia cùm concessio voluntaria, & libera esse debeat, nemo liberè concedit quod neque vult, neque potest concedere. Quare in concessionibus generalibus à Principe, vel à Prælatis factis videndum diligenter est qualia sint quæ eiusmodi vniuersalibus concessionibus, facultatibus, indultis, priuilegiis, dispensationibus, exemptionibus comprehendi volumus, & qualia sint: si impossibilia, vel dura, necessaria, si contra ius commune, receptam consuetudinem, libertatem, ius alteri acquisitum, cum graui incommodo vel damno irreparabili, si ab illis natura abhorreat, &c. Horum omnium ratio est: quia actus concedentis aliquam facultatem non valent contra eius intentionem, quam non habere in ipsis extraordinariis verosimile est. Quare ad eam nobis persuadendam, grauibus & vrgentibus coniecturis opus omninò erit.

REGVLA LXXXII.

Qui mercatur contra iura, præsumitur bonam fidem non habere.

QVare errans inte præsumitur vulgò esse in dolo, & cui ius repugnat, eius etiam actui resistit. Vide Mascard. de probat. concl. 640. n. 1. Et sanè tenentur singoli actiones suas ad leges publicas & iura exigere: quod maximè verum est in contractibus & commerciis, in quibus reipublicæ quies & communis societas consistit. Vnde verò malæ aut bonæ fidei præsumptio coniiciatur, habet pluribus notis, & indiciis allatis Strelnius in hanc Regulam.

REGVLA LXXXIII.

Bona fides non patitur semel exactum iterùm exigi.

LEge, Bona fides. D. de Regul. iuris. Vide Tiraquell. de retractu gentilitio. §. 29. Glossa. 4. n. 13. Ratio Regulæ euidens est: facta enim debiti solutione, extinguitur obligatio; ideóque dolo malo agit qui sciens solutum denuò illud exigit: si eius prima solutione non fuerit satisfactum creditori poterit denuò exigere. Estque ita amplianda Regula, vt si fuerit solutum siue ab ipsomet debitore, siue ab alio, vel Correo, vel quouis alio, non liceat bona fide iterum exigere, & solutionem acceptam dissimulare, l. 3. D. de duobus reis. §. vbi duo: quia vna tunc est obligatio, & vna summa, quæ vna sola solutione extinguitur, & omnes simul liberantur. Quare quamvis aliquando non liceat excipere contra exactionem creditori, licet tamen contra crediti iteratam exactionem: & Reo ante litis contestationem conceditur tempus excipiendi solutionem fuisse factam. l. cùm quærebatur. D. de solutione.

REGVLA LXXXIV.

Cui quidpiam vna via prohibetur, ad id alia via non debet admitti.

SEnsus est, vt quod sibi prohibetur à lege, ne quis sibi licere existimet per aliquem modum, qui non est expressus. Deinde intelligendum est principaliter prohiberi, non verò secundùm aliquam viam aut modum. Cùm enim sint diuersi, poterit agere secundùm alium, verbi gratia, cui non licet agere actione locati, vel depositi: poterit tamen actione empti. Ius patronatus, emi seorsim, & per se non potest: poterit tamen vnà cum vniuersitate, in qua continetur. cap. de iure patronat. Clerico cui non licet de bonis Ecclesiæ testari; permittitur tamen inter viuos donare ex legitima quadam interpretatione.

REGVLA LXXXV.

Contractus ex conuentione legem accipiunt.

LEge, Contractus D. de Regul. iuris. Nomine legis intelligimus formam, eamq; substantialem, cùm ex partium conuentione contractus formetur & varietur: quando quidem voluntas contrahentium dat esse contractui, l. iuris gentium. §. quod fere. D. de legibus: quilibet siquidem suæ rei moderator & arbiter est: & idcircò quam libuerit apponere potest conditionem, quæ neque sit turpis, neque impossibilis, neque contra ius. Verùm de pactis & contractibus, atque conditionibus illis appositis à contrahentibus, & paciscentibus, fusè diximus in opere nostro de vniuersa negotiatione sæpius citato.

REGVLA LXXXVI.

Damnum quod quis sua culpa patitur, sibi non aliis imputare debet.

LEge, *Quod quis ex sua culpa. D. de Reg. iu.* sapienter, que pronuntiat Vlpian. *l. fideiussor §. 1. D. qui satisdare coguntur.* indignum esse legis auxilio, qui vltrò se coniecit in necessitatem. Immò & ipse Iustinianus *§. fin. inst. de societate.* Qui parùm diligentem socium sibi assumit, de se queri, & sibi imputare debet. Sic qui pueros & puellas tabernis præponunt, tenentur institoria, sibique imputare debent, qui aliis rem suam non commiserunt. Domini qui sine delectu seruos admiserunt, illorum damnum præstare tenentur, *l. videamus 2. D. locati.* Qui damnosam hæreditatem sine inuentario adierunt, suæ stultitiæ tribuere damnum debent. Qui arbitros elegit, eorum sententiæ stare debet, quamvis sibi iniquæ, *l. diem §. stare. D. de recept. arbitris.*

Quæ omnis intelligenda sunt, quamvis nullum dolum, aut delictum admiserit, qui damnum patitur. Ædificia publicis operibus, v.g. mœnibus, secundùm portas ciuitatis, cohærentia magistratus deiici iubet, neque damnum compensat, *l. ædificia. C. de operibus public. l. Maniana. C. de ædific. priuat.* & non modò sibi ille damnum imputare debet: sed etiam aliquando de crimine suspectus est: hæres. v. g. qui non confecto inuentario adit hæreditatem, incidit in suspicionem rerum subtractarum & tenetur creditoribus vltra vires hæreditatis, *authent. de hered. & falcid. §. Si verò.* Vide *l. 2. C. de furtis,* Seueri Imperatoris rescriptum de criminis suspicione non tantùm de damno in simili casu nostræ Regulæ.

REGVLA LXXXVII.

Infamibus non pateant portæ dignitatum.

NOn distinguit Regula inter infamiam iuris, & facti: & ideò vtramque comprehendit; quæ infamia etiam eluto delicto manet & vbique adhæret, & infigitur personæ, remouet à dignitate maximè Ecclesiastica, siue de facto, siue ex sententia propter decorum: tales enim inhonorant dignitates. Denique infamia constituit irregularem, vti fusè disputauimus *in libro singulari de irregularitate & impedimentis canonicis, cap. 5. q. 3. per plura consectaria. & c. 6. q. 5. con. 3.* quomodò tollatur: neque iis quidquam placet adiicere. Vide Barbosam *in hanc Regulam,* & *de potestate Episcopi part. 2. alleg. 41.*

REGVLA LXXXVIII.

Committit in legem qui contra eius voluntatem nititur.

ILlud ipsum & iisdem verbis dicitur *l. non dubium C. de legibus:* quia mens potius debet attendi, quàm verba: hæc enim se habent vt corpus & superficies, ratio verò ac mens vt spiritus & anima. Duos enumerat quatuor modos, quibus in hanc Regulam peccator & fraus legibus fit, licet seruari videantur. Primò, declinando à re in rem: vetat S.C. Macedonian. dari filiofamilias mutuo pecuniam, datur illi res alia quæpiam ex qua diuendita pecuniam colligit, frumentum, vinum. Secundò, declinando à persona in personam. Marito prohibetur donare vxori, sed ille ei vendit nullo exacto pretio. Tertiò, declinatur de contractu in contractum: cui non licet testari simulat se inter viuos alienare accepta, sed mox reddita pretij pecunia. Quartò, cùm de contractu ad eundem contractum reditur, v.g. mulier ex S.C. Velleiano iuuatur aduersus fideiussorem; & fingitur directè ac propriè non accessoria, sed principali obligatione sese obligasse, *l. quamuis. §. cùm esset. D. ad S.C. Velleian.*

Atque hactenùs Regulæ ex libris Decretalium relatæ, & paucissimis explicatæ sunt: plerasque enim materias illis contentas fusiùs *alibi* explicabimus, vti etiam indicauimus.

ALIA

ALIA PRINCIPIA IVRIS CANONICI,

PRÆTER REGVLAS IN IPSO Iure Canonico *ſub finem VI. Decretalium,* & *ſub finem lib.* 5. relatas.

PRINCIPIVM PRIMVM.

Cauſa, & ratio conſtitutionis potiùs, quàm verba attendenda eſt.

VNIVERSALIA principia, quæ hactenùs explicuimus ad omne ius ſiue naturale, ſiue poſitiuum pertinent: quibus ſubiicio illa quæ in interpretando iure ſcripto conſideranda ſunt.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit cauſa, & ratio Legis?

1 DIuerſæ eæque multiplices vocum iſtarum acceptiones fecerunt, vt alij cauſam cum ratione legis, (quo nomine ius omne ſcriptum intelligo) confunderent, alij diſtinguerent. Ego, ne de ſolis vocibus diſputare videar, obſeruo in omni lege aſſignandum eſſe finem aliquem, quem legiſlator intendit, & à quo mouetur ad ferendam legem: qui finis non eſt occaſio, ſiue, vt aliqui appellant, origo legis. Nam alia eſt occaſio quæ nos impellit ad intendendum finem aliquem, alia eſt finis ipſe intentus. Legiſlator itaque motus aliqua occaſione finem aliquem intendit, eiúſque adipiſcendi gratia legem ſancit: quia habeat legem aliquam quæ ſibi perſuadeat legem à ſe conditam conuenientem, & idoneam eſſe ad finem illum acquirendum. Exemplum illuſtre habemus in edicto prætoris de poſtulando, in quo prohibuit fœminis pro aliis poſtulare. Origo enim, ſiue potius occaſio quæ cauſam dedit edicto, fuit Calphurnia improbiſſima fœmina inuerecundè poſtulans, & magiſtratū inquietans. Alciat. *lib.* 1. *par. cap.* 37. legi vult Caiam Affraniam, quæ ex Valerio Maximo *lib.* 8. *cap.* 3. cùm Licinij Brutionis vxor eſſet & impudentia abundaret apud Prætorem ſemper pro ſe egit, & ad notiſſimum muliebris impudentiæ exemplum euaſit. In pandectis tamen Florentinis legitur, *Calphurnia talem Non ſumet damnata togam.* Huius igitur procacis fœminæ impudentia occaſio, ſiue origo fuit huius edicti prætorij. Finis verò ſtudium ſtatuendæ etiā inter priuatos dignitatis Prætoriæ, quæ eiuſmodi poſtulationibus violari videbatur. Ita annotauit Vlpianus *l. ff. de poſtulando, ipſo initio. Hunc titulum,* inquit, *Prætor propoſuit habendæ rationis cauſa, ſuæque dignitatis, & decoris ſui cauſa, ne ſine delectu paſſim apud ſe poſtuletur. Eapropter tres fecit ordines: nam quoſdam in totum prohibuit poſtulare, quibuſdam pro ſe permiſit, quibuſdam & pro certis dumtaxat perſonis, & pro ſe permiſit.* Ratio verò, propter quam quoſdam vult pro ſe, & pro aliis poſtulare, aliis verò id prohibet, aut non niſi pro ſe permittit, redditur *ibid.* ab Vlpiano. Minorem v. g. decem & ſeptem annis, in totum prohibet poſtulare: quia immaturam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum, qua ætate, aut paulò maiore fertur Nerua filios publicè de iure reſponſitaſſe. Præterea ratio prohibendi ne fœminæ pro aliis poſtularent, fuit, ne contra pudicitiam ſexui congruentem, alienis cauſis ſe immiſceant, & ne virilibus officiis fungantur mulieres. Habes itaque quid ſit occaſio, ſiue origo legis, cauſa finalis & ratio ipſius: quibus adde mentem, & intentionem Legiſlatoris, ex qua vis & poteſtas legis menſuranda eſt, vt dicemus *capite ſequenti*: & hanc diſtinctam eſſe à cauſa, & ratione legis obſeruauit quoque ſanctus Thomas 1. 2. q. 100. *art.* 9. *ad* 2. *Aliud eſt* (inquit) *quod Legiſlator intendit præcipere: aliud ad quod intendit præcipere.* Sententia verò menſque Legiſlatoris nihil aliud eſt, quàm id ipſum quod ſuis verbis legiſlator voluit exprimere. Hæc autem ſententia ménſque legiſlatoris ea propoſito fine & ratione ſubiecta deprehendi poteſt, vti docebimus *inferiùs.*

Cauſa igitur legis impropriè ſumpta eſt occaſio 2
condendæ legis, ſiue (vti appellabat Vlpian.) origo legis & edicti. Si propriè verò ſumatur, eſt finis quem intendit Legiſlator: ab illo enim mouetur ad ferendam legem. Hic finis (vti obſeruat Nauarr. *in cap. inter verba. conc.* 5. *corollar.* 14. *num.* 34. Couarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *n.* 2. aliique) duplex eſt: vnus principalis alter minùs principalis. Priorem illum definit Nauarr. cuius ſolius gratiâ fit, vel fieret opus, etiamſi alius non concurreret actu, neque virtute; vel ſaltem tantum, aut æquè gratiâ eius, propter quem ſolum, vel tantùm propter illum, ac propter alium fit opus. Cuius definitionis ſatis intricatæ, ſenſus eſt: finem principalem eſſe illum, cuius gratiâ primò & per ſe fit actio, vel totaliter, vel partialiter, quia hic finis aliquam

aliquando est vnus aliquis simplex qui adæquatè & totaliter mouet agens, eiúsque intentionem terminat: aliquando constat ex pluribus partialibus, quorum singuli partialiter influunt in actionem, & mouent agens. Ita in causis efficientibus partialibus eiusdem ordinis contingit: ab illis enim omnibus vna & indiuisibilis actio prodit: à singulis tamen non nisi partialiter: & quamvis effectus sit quoque indiuisibilis, pendeátque per vnam actionem indiuisibilem à pluribus istis causis; singulæ tamen causæ sunt partiales, non partialitate effectûs: sed partialitate causæ. Aliud itaque est causam siue finalem, siue efficientem esse totalem, aliud esse principalem: quia omnis causa principalis non est necessariò totalis; sed sæpius partialis est, quamvis omnis causa totalis, & adæquata, principalis sit. Neque enim nomen totalis causæ datur instrumentali, licet ipsa sit vna instrumentalis in illa actione & effectu: quia cùm non agat nisi in virtute illius, cuius est instrumentum, & sæpius, saltem in physicis, postulet consortium causæ principalis, malè omninò diceretur causa totalis, cuius munus est conferre sufficientem & adæquatum influxum in effectum: præterquamquod causæ instrumentalis ratio non reperitur in causis finalibus; sed solum in efficientibus. Finis minùs principalis est (inquit Nauarr.) incitatio siue impulsio ad faciendum aliquid, quod neque tam libenter, neque tam facile, aut promptè, aut alacriter, aut omninò non factum fuisset: quamvis enim hic finis intendatur primò ab agente; quia tamen illud ad agendum impellit, idcircò finis impulsiuus, siue minùs principalis, atque etiam causa actionis dicitur. Vnde monet Couarr. malè colligi illud quo sublato non fieret actio, esse causam finalem, & principalem actionis. Nam etiam causa impulsiua præcursionem quandam habet ad efficiendum (vti loquitur Tull. *in Topicis*:) & sæpè sine ea non fuisset suscepta actio. Hic finis impulsiuus & minùs principalis confundi debet cum occasione, propter quam quis cogitat de aliquo fine, illúmque intendit: atque (vt perstemus in exemplo *superius* allato) Calphurniæ siue Caffraniæ impudentia in postulando apud Prætorem, impulit eumdem Prætorem, vt ediceret ne fœminæ postularent: quia nunquam ita edixisset Prætor, nisi procacis mulieris inuerecundia motus fuisset. Causa tamen finalis edicti fuit (vti iam monuimus) maiestas dignitatis Prætoriæ.

3 Ratio legis significat motiuum nonnunquam condendi legem: tuncque confunditur cum fine, & passim dicitur ratio motiua legis. Aliàs verò significat argumentum, quo persuasus est legislator vt ad finem, quem intendebat, hanc legem conderet: & tunc omninò distinguitur à causa finali, siue à ratione motiua condendæ legis; & ab hac lex dicitur rationabilis, & iusta. Ea enim ostendit talem finem esse obtinendum: & legem, per quam sequiritur, honestam & iustam, atque prudentem fuisse. Quo sensu Tullius *lib. secundo ad Herenn.* definit rationem, causam, quæ demonstrat verum esse id quod intendimus breui subiectione. Et sanè quis non videt, ista inter se plurimùm differre, nimirùm principem certo quopiam fine moueri ad sanciendam legem, & iustè, atque ex rationis præscripto eam sancire? Quare ratio legis non semper coïncidit cum eius causa finali: & discrimen est inter rationem, per quam lex est rationabilis, & illam, quæ mouet Legislatorem ad ferendam legem; quæ dicitur ratio motiua, estque ipsamet causa finalis.

CONSECTARIVM PRIMVM.

Conciliantur DD. sententiæ circa causam, & rationem legis.

EX breui ista causæ & rationis descriptione, atque vocum istarum diuersis acceptionibus, facile fuerit DD. sententias, quas Anton. Massa *lib. 1. de exercitatione Iurisperitor. num. 40.* collegit, inter se conciliare. Et quidem plurimi distinguunt causam à ratione, propter verba *Clem. dudum. §. nos autem. de sepulturis. Ex adæquatatione & causa vrgente.* Ita *ibi.* Paul. Eleaz. Card. *in 3. appositione.* Imol. Ioan. Andr. *in cap. cùm dilecti. de accusationibus.* Ioann. Monach. *in cap. final. de iuramento calumniæ. in 6.* Hostiens. *in cap. Cùm dilecti. citatum.* Barthol. *in l. demonstratio falsa. §. quod autem. ff. de condit. & demonstrationibus.* Luc. Peñ. *in l. 1. C. de his qui non implent stipend.* Henric. Boïch. *in cap. forus. §. causa. de verbor. significat.* Qui omnes rationem sumunt pro motiuo, & fine condendæ legis; causam autem, pro occasione, aut causâ impellente ad ferendam legem: & vtuntur exemplo edicti, quo Prætor vetuit fœminis pro aliis postulare. Ideoque Ioannes Monach. ait, causam esse animi impulsum ad aliquid agendum: rationem verò esse ordinem gerendorum ex causa venientium: & causam absque ratione posse reperiri: non è contrario rationem sine causa. Quæ omnia ex disputatis à nobis, vera esse constat. 4

Alij confundunt causam cum ratione legis. Anchar. *consil. 234. quod incipit, Statuto cauetur. num. 2.* Lapus *allegat. 102. cuius est exordium, In ciuitate Florentina, num. 15.* Frideric. de Senis *consil. 4. num. 5.* Tusch. *litt. R. conc. 30. num. 4.* & *concl. 32. num. 3:* alios allegans Couarr. *lib. 2. variar. cap. 20. num. 1.* Nauarr. *cap. Inter verba, conc. 5. corollar. 14. n. 34.* Gutierrez *lib. 3. practicar. qq. q. 57. num. 115.* Qui omnes aliique vsurpant causam pro causa finali, rationem autem pro ratione motiua, quas inter se minimè differre nos quoque diximus. Neque hic loquendi modus insolens est: sed S. Thomæ eiúsque interpretibus familiaris, *1. 2. quæst. 1. art. 1. ad 1. & art. 4.* dum dicit, causam finalem esse principium mouens appetitum: ideoque 5
esse primum in intentione, quamvis in executione sit vltimum. Ratio igitur obiectiua & motiua voluntatis principis ad ferendam legem, est reuera causa finalis legis conditæ: idcircò duo ista vocabula passim & indiscriminatim vsurpari posse monent Decius *in cap. causâ cessante, de appellation.* Imol. *in cap. Translationem de renuntia. num. 6.* vbi allegat Barthol. *in l. 5. §. final. ff. de donatio.* Bald. *in cap. Monasteria. de vita & honestate Clericor.* Ang. *consil. 161. quod incipit, Verum est.* Paul. Paris. *consil. 32. num. 53.* Alexand. *lib. 1. consil. 75.*

Ex his præterea capies, quàm veræ sint variæ rationis, & causæ descriptiones à DD. allatæ. Zasius *in l. scire leges. & in l. non omnium, ff. de legibus* ait, rationem esse illud, per quod causa demonstrari potest: quæ definitio vera est, sumendo rationem pro argumento, vel discursu, quo quidpiam demonstratur, non verò pro ratione motiua appetitûs, vti sumitur quando coïncidit cum causa finali. Eodem modo rationem accipit Bald. *in l. omnes populi. ff. de iustit. & iure. num. 63.* vbi dicit illam esse vrgentem disputationem, vel euidentem demonstrationem: & *num. 64.* esse quendam animi motum, visum, ac mentem, veráque à falsis distinguentem, vel mentis motum in his quæ dicuntur decernere vel conuertere valentem: quod de facultate ratiocinandi, aut ipsamet

ratio

ratiocinatione verum est. Inepte tamen quædam iura ad eas definitiones probandas adducit Bald.

Nonnulli dicunt, causam esse de præterito: ratio-nem de futuro. Ita Bart. Bellameta, & Salicet. apud Tiraquell. *cessante causa n.* 6. quibus assentimur, si causam pro occasione vsurpent: quia factum aliquod præteritum occasionem & causam dedit condendæ legis. Finalis autem causa & motiuum est aliquid futurum, & per eiusmodi legem obtinendum. An vero possit aliquando lex esse de præterito dixi *alibi*. Reiiciendus porrò est Bald. *in l. 1. c. de falsa causa adiecta legato*, & eum sequutus Mantic. *lib. 3. de tacit. & ambiguis conuent. tit. 12. n. 16.* qui causam finalem volunt esse obiectum intellectus: quomodò coïncideret eum ratione demonstratiua, & directiua voluntatis, cùm finis sit bonum motiuum appetitus ex Philosophis omnibus? Idque indicat ipsa natura actus intentionis, quam terminat finis: intendere enim non est intellectus, sed voluntatis.

Consectarium II.

An detur aliqua lex sine causa, & ratione tacita & expressa?

5 HÆc quæstio, in qua dissident iuris Doctores, ex distinctionibus allatis explicari facilè poterit. Nam, si causam sumas pro occasione præuia, certum est, plures leges absque illa latas esse, alias verò variis ex causis & occasionibus: si vero eo nomine causam finalem accipias, illa omninò necessaria est, cùm lex necessariò obiectum aliquod & bonum, in quod tendat tanquam in finem, respiciat. Isque finis perpetuò duplex est, vnus est bonum commune in vniuersum: alter certum aliquod bonum determinatum, vti diremus alibi. Ex quibus etiam fit, vt æquè necessaria sit in lege ratio motiua, siue obiectiua: quandoquidem ea coïncidit prorsùs cum fine. Quare quando petiti iuris disputant an lex possit absque ratione subsistere, non ita insaniunt vt quærant, an fingi queat aliqua lex quæ ad nullum finem tendat: cùm omne agens, maximè morale, qualis est legislator, agat propter finem, & omnis effectus æquè pendeat à fine atque ab efficiente: quod non agit, præsertim moraliter, nisi motum à fine, & à ratione aliqua obiectiua. Quæstio itaque est de ratione ostensiua & demonstratiua: an nempè ad legis æquitatem sufficiat, principem quidpiam velle & statuere, quamvis illius statuti nulla appareat, neque reipsà existat ratio, quæ ostendat prudenter atque ex commodo Reipublicæ id præcipi: aut quia æquum est Principi imperanti parere. Et quidem, si agamus de ratione in lege expressa, aut subditis cognita, concedimus vltrò, illam non semper aut reddi a principe, aut cognosci à subditis, *l. non omnium ff. de legibus*: quo casu nihilominùs legem æquam, & iustam esse præsumimus, vbi de eius iniquitate non constat. Sed si certum esset nullam aliam rationem constitutionis reddi posse, quàm quia ita placuit, disputant DD. an tunc solum arbitrium iustam legem efficeret.

6 In qua controversia negantem sententiam certam omninò existimo: atque adeò necessariam prorsùs esse rationem ad legem aliquam siue cognitam siue incognitam, siue expressam siue tacitam: neque solam voluntatem principis pro animi libidine imperantis sufficere. Ita S. Thomas 1. 2. q. 90. *art.* 1. *ad* 3. & q. 92. *art.* 1. *ad* 4. Sot. *libro* 1. *de iust. q.* 1. *art.* 1. § *ad* 4. & *ad* 3. & *quæst.* 3. *art.* 2. *sub fin.* atque iuris periti Ferdinand. Monach. *lib.* 1. *controu. illustr. cap.* 30. Menoch. *lib.* 2. *de iudic. arbitr. casu* 82. *n.* 4. Anginat. *de legib. lib.* 1. *controuers.* 6. *n.* 3. & consentit Glossa *in cap. si quando. de rescriptis. vers. Rationem reddendam*. Id autem satis probat ipsa natura legis, quam esse Regulam præscriptam subditis à principe, siue rectam agendorum rationem, vti illam definit S. Thomas 1. 2. q. 90. *art.* 4. & legis æternæ participationem diximus *libro superiore*. Recta autem ipsa esse non potest Regula, nisi sit rationi conformis; quæ conformitas innotescere debet legislatori: alioquin temerarius est, & exponit se periculo errandi, totámque communitatem cui legem sancit, quam non videns eam esse rationi conformem in eundem errorem præcipitem trahit, abutitúrque potestate quâ pollet. Quod si vidat legem à se præscriptam consentaneam esse rationi eo ipso ducitur ratione: & lex dicitur rationabilis, neque sola voluntate principis subsistere, quod vnum hoc loco contendimus. In lege enim duo sunt distinguenda: primum est quòd sit Regula directiua actionum quas præscribit: alterum quòd obliget ad sui obseruationem eos, quibus lata fuit. Primum habet ex conformitate cum ratione; & non à Principis arbitrio, quod efficere nequit, vt quod obliquum est, fit rectum, quod rectum est, sit obliquum: sed supponit conformitatem, aut difformitatem in actione quam præcipit, aut prohibet: aut saltem indifferentiam quandam, vt prohiberi, aut præcipi possit, eò quòd ex sua natura, & obiecto neque conformis sit cum ratione, neque difformis. Cùm verò neque omnia bona præcipiantur à lege, neque singula mala prohibeantur: sed quædam dumtaxat; eáque alia in aliis Rebuspublicis & variis ætatibus, prout diuersi hominum mores postulabant, debet omninò existere aliqua ratio, propter quam hæc prohibentur in hac Republica, hoc statu rerum, in hisque circumstantiis: cúrque hæ leges ferantur, aut latæ fuerint, aut antiquatæ: & cur aliæ quæ ferri possent, nondùm sancitæ sunt. Sola autem indifferentia præcipi possunt, & prohiberi, & ex illa prohibitione, aut præcepto malitiam, aut bonitatem sortientur. Non debent verò potiùs præcipi quàm non præcipi, aut etiam prohiberi: nisi id ita postulet aliqua ratio boni communis aut priuati, quod lex & præceptum essentialiter respiciunt. Vel enim illa prohibitio & præceptio est conformis rectæ rationi, vel difformis, vel indifferens ad rectam rationem? Si primum, ea conformitas demonstrabilis est, atque adeò non existit lex sine ratione. Si secundum, est iniqua & irrationabilis lex. Si tertium, non est recta ratio agendorum: quandoquidem indifferens est ad rectitudinem: sicut si per impossibile daretur linea quæ neque recta, neque obliqua foret, ipsa non posset esse Regula recti & obliqui: qui enim dirigeret aliam lineam ad illam, non idcircò ipsam rectam duceret: sicut neque obliquam, eò quòd ab alia non recta aberret. Lex igitur, quæ nullam habebit conformitatem cum ratione, etiamsi ab illa non dissentiat & quæ non erit recta in se, non poterit esse Regula agendorum, quamvis obliqua non sit: & actio, quæ ad eam legem exigetur, non fiet ex eo recta, cùm aliam rectitudinem à sua Regula accipere nequeat, quàm illam ipsam, quam habet Regula, quæ, vt supponitur, nullam habet: sed tantùm non est obliqua. Aliud itaque est rem præceptam, aut prohibitam à lege, esse quidpiam ex natura sua, atque obiecto indifferens, & neque consentaneum rectæ rationi, neque dissentaneum: aliud verò legem præcipientem, aut prohibentem aliquid eiusmodi esse indifferentem ad rectam rationem, & illi neque conformem, neque difformem. Si enim conformis non sit, non recta, atque proinde Regula est: atque adeò neque lex, quam Aristoteles definit sermonem à prudentia & mente pro-

fectum,

fectum; Senec. *libro 4. de Benef. c.11.* iusti iniustique Regulam. Quòd ita lea sit Regula agendorum, non habet à voluntate Principis: sed à ratione, quæ (vt ait S.Thomas 1.2. *q.90. art.1.*) est Regula & mensura actuum humanorum. Vnde colligit S. D. legem necessariò ad rationem pertinere, cùm sit Regula & mensura actionum: ideóque existimarim in scripturis iudicia appellari leges diuinas, quas aliæ omnes sine dubio imitari debent, & nihil definire nisi quod ius, & ratio postulauerit.

7 Verùm præter vim directiuam agnoscenda est in lege potestas obligatiua, sine qua vltima & essentialia ratio legis intelligi nequit, vti ostendimus *libro superiori.* Illa porrò non nisi à Principis imperantis voluntate pendet: quidquid enim Princeps iudicauerit sanciendum esse Reipublicæ & ciuibus ad bonum commune, nullam affert obligationem, nisi id à ciuibus seruari velit, eisque suam illam voluntatem significet. Vbi verò accedit ea voluntas principis & legislatoris, iam nascitur obligatio: quæ omnia fusius suo loco fuerunt exposita. Idque vnum voluere DD. qui diaerunt, sola principis voluntate legem constitui. Innoc. *in cap. irrefragabili, de officio Ordinar. & in Rubric. de consuetudine.* Abbas *in cap. si quando de rescriptis n. 4.* Felin. *in idem cap. n.12.* allegans Cardinal. Imol. Bal. Angelum, Archidiaconum, Bald. & alij passim *in l. non omnium, 20. ff. de legib.* & *ad l. prospexit 12. ff. qui, & à quibus.* & Ancharan. *in Clem. primam. de electione, in princ.* Tiraq. *in præfat. retract. n.76.* Decius *in rubrica de constit. lect. 1. num. 11.* Qui omnes rectè sentiunt, si de vi obligatiua legis loquuntur: illam enim à sola principis voluntate proficisci fatemur. Neque aliud quidpiam probant quæ & ipsi afferunt, quàm non esse quærendam rationem omnium quæ à maioribus statuta sunt: sufficere enim nobis esse voluntatem principis imperantis vt parere teneamur.

Quare quod obiiciunt ex *l. non omnium 20. ff. de legibus. & l. prospexit. ff. qui, & à quibus*, inane est: ibi enim tantùm dicitur non apparere rationem omnium quæ præscripta sunt; cur v.g. hoc potiùs quàm aliud tempus assignatum fuerit restitutioni in integrum, appellationi, vsucapioni, præscriptioni quare 7. vel 8. testes, & non plures aut pauciores ad solemne testamentum requirantur, aliáque similia: quorum quidem aliqua ratio est; sed minimè obuia, & in qua inquirenda, minimè decet nos esse sollicitos; quod etiã dicitur *l. si ita 31. §. fin. ff. ad l. Aquiliam* & *l. 2. C. de crimine falsi.* Moueor quoque Bald. *in l. Gallus §. si Eius ff. de liberis & posthumis* Iason. *libro 2. consil. 188. quod incipit, Spectabilis circa fin.* Decius *cons. 563.* duo dubia Tiraq. *in citata præfat. de retract. n.76.* Menoch *de iudic. arbit. casu 82. n.4.* Lancellor. *in l. filium. C. familiæ ercisc. n. 90.* Anton. Gammara *in tract. extensionum, num. 84.* Coras. *in l. non omnium. citata* & in commum *de iure ciuili in artem redigendo. part. 4. cap. 4.*

8 Afferunt secundò vulgatum illud *ex l. 1. ff. de constitut. princ. Quod principi placuit, legis habet vigorem*: cui concinit *§. sed & quod. instit. de iure naturali, gent.* &c. ipséque Aristoteles *libro 5. Ethic. cap. 7.* cum ait, ius ciuile esse quod à principio nihil refert, si vel aliter fiat: nam agitur ibi de placito rationali: significatúrque dumtaxat, antequàm voluntas principis accederet, nullam fuisse legem, & potuisse absque culpa aliter fieri. Estque latum discrimen inter ius naturale, & positiuum, quòd licet vtrumque ducatur ratione iuris: tamen naturalis ratio vrgens est, (vt loquuntur:) quia semper obligat & necessariò. At verò ratio iuris positiui præcisè sumpti non obligat nisi ex imperio & voluntate ius illud condentis: eóque tandem recidunt, quæ à iuris DD. disputantur, vt expendenti facilè constabit.

CONSECTARIVM III.

An ratio sit anima, siue forma legis?

HVc iterùm pertinet distinctio rationis obiectiuæ & directiuæ: prima est causa finalis propter quam fertur lex. Secunda est ratio, quæ dirigit principem in ferenda lege, ne exerret ab æquitate. Prior illa dici potest forma extrinseca legis, & per modum obiecti: qua tamen posita potest Princeps nondum aliquid decernere: immò expendere debet vtrum ea ea ratione, & fine moueri debeat & legem ferre. Quare finis legis non est nisi forma illius extrinseca. Ratio autem manifestatiua æquitatis in condenda lege, siue directiua voluntatis principis, non est causa formalis legis, sed potiùs effectiua: quatenus videlicet regit causam efficientem. Quare neque forma, aut anima legis dicitur, nisi admodùm impropriè, quatenùs lex ab ea ratione dicitur rationabilis & iusta: & quia, vti diximus *Consectario superiori*, sine ratione lea subsistere nequit, sicut neque viuens sine anima. Ex qua similitudine DD. aliqui rationem animam legis esse diaerunt apud Tusch. *littera R, conc. 21. n. 15.* maximè quia S.Thom. *q.2. de malo art. 2. ad 5. & 11.* dixit, illud quod est ratio alterius, se habere ad illud vt formale ad materiale: & omne quod comparatur ad alterum, sicut ratio eius, se habet ad illud sicut forma ad materiam: vnde ex duobus fit vnum, sicut ex materia & forma. Prætereà quia forma dat esse rei, & in moralibus habet connexionem ferè inseparabilem cum fine. Ideircò fit sæpiùs vt finis in moralibus confundatur cum forma: quæ tamen est tantùm extrinseca: quæ omnia subtiliter aduertit Antonius Massa *lib. 1. de exercitat. Iurisperit. à n. 48.*

CONSECTARIVM IV.

An possit esse eiusdem legis multiplex finis, & ratio?

OBserua quoties plura motiua cõcurrunt vel singula esse totalia, vel tantùm partialia: vel alterum esse motiuum, alterum impulsiuum dumtaxat. 10
Totalia dicuntur quæ singula per se se sufficienter mouent voluntatem ad agendum, ita vt omnibus aliis cessantibus idem omninò & eodem motu, ac pondere volitura sit voluntas. Motiua partialia sunt quæ singula non sufficienter mouent voluntatem: sed vnum totalem finem integrant, inter quæ potest esse aliqua prioritas originis, dignitatis, & efficaciæ. Quamvis enim vnum aliquando priùs excitarit voluntatẽ, si tamen aliud seu æquè efficax, seu nobilius, aut magis proportionatum accesserit, & iam voluntas non propter prius motiuum dumtaxat, sed propter vtrumque simul agat, prius motiuum præcedit quidem viâ generationis, non autem dignitatis aut efficaciæ. Quandò autem simul concurrunt, etiamsi vnum sit potentius, efficacius, & prius nobilitate altero: quia tamen non mouet voluntatem, nisi cum alio, non est nisi partiale, & conflat vnum totale cum illo, cum quo mouet. Aliquando vnum tantùm motiuum excitat voluntatem, & est per se sufficiens: quia cæteris omnibus sublatis ageret nihilominùs voluntas: aliud tamen occurrit adiuuans & vrgens iam satis inclinatam voluntatem, quod impulsiuum potiùs quàm motiuum, & finis dicitur.

Quæstio

11 Quæstio igitur non est, an possint plures fines, pleraque motiua partialia eiusdem legis dari: neque etiam, an simul duo motiua, quorum vnum sit propriè finis, alterum tantùm occasio, aut impulsus quidam: nemo enim negat id quotidiè contingere, cùm experiamur nostram voluntatem simul pluribus rationibus motiuis ad actum aliquem motiuari. Quare tota difficultas est de motiuis totalibus, eò quòd non possit duplex causa formalis immediata eandem rem constituere. Diximus autem *proximo Consectario*, finem legis esse eius veluti causam formalem: ergo non poterit esse multiplex respectu eiusdem legis. Ita Anton. Massa *libro primo de exercitat. Iurisp. numero* 47. Idem affirmabunt qui negant concursum plurium causarum totalium eiusdem ordinis, siue effectiuæ, siue finales sint cum Vasq. 5. *part. disput.* 10. *cap.* 5. Ragusa *ibid. disp.* 18. §. 5. & aliis.

12 Mihi certum est, voluntatem creatam duobus finibus atque motiuis totalibus ferri posse in effectum, cum Suar. *disputat.* 5. *sect.* 4. *tom.* 1. *in* 3. *part.* Ioann. Perlin. *distinct.* 4. *Apologia, cap.* 12. *à numero* 5. Salas. *cap.* 11. *defension.* Quia quamvis daremus Vasqui, duas causas totales non posse simul eundem effectum producere, (quod vltrò omnes fatentur de potentia naturali) idem concluditur in finalibus. Causæ enim effectiuæ influunt secundùm exigentiam dependentiæ effectus à suis causis: quare cùm tota exigentia effectûs terminatur & completur ab vna causa, non est quod ab alia iterùm suppleatur. Neque potest effectus eleuari, vt aliquid supra suam capacitatem naturalem recipiat: sic enim supponeretur iam esse, & non produci. At verò causæ finales, cùm per sui amorem & electionem causent, non tam ex effectûs exigentiâ, quàm ex liberâ amantis & eligentis voluntate mereri suam causalitatem debent. Deinde, cùm eadem res possit esse vtilis ad plures fines, quamvis sit vna eadémque entitas, quæ tamen ad diuersos fines ordinatur, sub ea habitudine & veluti formalitate extrinseca vtilitatis est quodammodò multiplex: atque ita nihil prohibet multiplicem finem in eandem quidem entitatem physicam; diuersam tamen in ratione medij, & vtilis influere. Ex quibus vlterius sequitur, posse quoque eandem legem propter duos fines totales, ad quos vtilis est, ferri, ita vt altero deficiente, lata tamen fuisset propter alterum finem, ad quem obtinendam vtilis æquè fuerit: eúmque esse communiorem sensum DD. & Interpretum iuris docebimus *inferiùs quæst.* 4. vbi ostendemus cessante vno eiusmodi fine; legem nihilominus integram perstare, eò quòd alter finis adhuc perseueret. Quare reiiciendus omninò est Raphaël Comensis *in l. legatus, ff. de legatis* 2. *in priori lectura*, vbi dicit illam esse causam alicuius rei quæ sola causa est: & *in posteriori lectura*, causam finalem non rectè nominari eam, quæ sola non est: adducitque *leg. ita vulneratus* 51. *ad l. Aquiliam.* Sed malè omninò: nam Vlpian. eo loco definit *leg. Aquilia* teneri tum eum qui seruo inflixit vulnus, ex quo post aliquot dies erat periturus, tum eum qui nouo addito vulnere, eum citiùs interimet: quia vterque fuit causa huius cædis: quamvis neuter fuerit sola causa. Deinde *sub finem* adducit exemplum causarum partialium, quarum licet singulæ per se non sufficiant: tamen tenentur de damno in solidum. *Cùm plures*, inquit, *trabem alienam furandi causâ sustulerint, quam singuli ferre non possent: furti actione omnes teneri existimantur, quamvis subtili ratione dici possit neminem eorum teneri: quia neminem verum sit eam sustulisse, nempè solum.* Malè igitur ex hoc textu concludebat Raphaël, illam non esse causam, quæ sola non est: & fines partiales reiiciebat, cum etiam totales & independentes inuicem circa eundem effectum, atque legem dari iam docuerimus. Quod autem afferebatur *initio* de multiplicitate formæ rem constituentis, nihil vrget in formis extrinsecis, iisque moralibus: eas enim facilè multiplicari constat ex diuersis malitiis, atque bonitatibus, quæ tum à circumstantiis, tum à fine in eadem operatione physica multiplicantur. Præterquam quod finis iste & ratio motiua ferendæ legis est finis dumtaxat operantis, qui longè alius esse solet à fine intrinseco ipsius operis, & pro voluntate operantis assumitur, mutatur, atque multiplicatur, modò ad illud opus quod fit aliquid conferre possit. Maneat itaque plures fines totales, & rationes motiuas eiusdem legis aliquando assignari posse.

Quòd si agamus de ratione directiua, siue manifestatiua æquitatis legis, nihil omninò prohibet plures afferri: quandoquidem plures demonstrationes eiusdem veritatis dantur, nimirùm per singula causarum genera. Poterit itaque legis cum ratione conformitas demonstrari pluribus mediis cum à priori, tum à posteriori. Rationes autem probabiles, quas congruentias nominant, magno interdum numero afferri quis non videt? eæ tamen nunquam possunt dici totales, cùm non sufficiant ad probandam æquitatem legis, de qua agimus, & intellectum penitùs conuincendum, & semper relinquant locum formidini, ne pars opposita quæ probabilis etiam apparet, vera fortassis existat: quanquam si rationem illam comparemus cum probabilitate quam parit, poterit dici totalis, quando ea semotis omnibus aliis sufficit ad probandam intellectui probabilitatem rei alicuius. Distinguenda igitur est probabilitas à veritate: nam respectu ipsius ratio probabilis numquam est totalis, & se solâ sufficiens; quod tamen est respectu probabilitatis, quam ipsa sola probat. 13

Obseruandum tamen est cum Anton. Massa *libro primo cit. numero quadragesimoseptimo*, aliquando videri esse plures rationes tum motiuas, tum directiuas eiusdem legis: cùm tamen non sit nisi vna. Nam quando lex plura complectitur capita quorum singula habent suæ rationem probabilitatis vnumquodque caput est instar separatæ legis; atque ita non est nisi vna ratio vnius legis, & plurium legum vnus quandoque finis existit, siue eæ leges prorsùs dissitæ & separatæ sint, siue vnius distinctæ partes. 14

QVÆSTIO II.

Quomodò ratio finalis & motiua legis distinguitur ab impulsiua tantùm?

DIximus *q. superiori* aliam esse causam finalem propriam, à qua mouetur Princeps ad condendam legem: aliam verò esse causam impulsiuam, quæ vel est occasio condendæ legis, vel excitatio quædam, vt Princeps faciliùs aut citiùs quidpiam statuat; quam aliqui cum fine confundunt. Quia verò sæpiùs hæ causæ simul concurrunt, ideircò videndum est quibus indiciis internosci poterunt; quod difficile om- 1

ninò est, quando Princeps non declarat in sua lege finem prioeipalem, quem intendit, aut pluresalios minùs principales & impulsiuos affert: neque satis distinguit, à quo moueatur tanquam à fine, aot impellatur cantùm tanquam ab occasione, siue motiuo intendendi talem finem. Quod idem quæritur de quacumque actione & dispositione: in omni enim dispositione distingui potest, ac debet causa finalia ab impulsiua. Quare accuratè ista distinctio explicanda est, & varia indicia à DD. hactenùs allata expendenda.

2 Primò quidem causam finalem distinguunt ab impulsiua, quòd ex finali nascatur obligatio legis aut efficacia dispositionis alterius tanquam ex radice quadam. Bald. *in l. 5. C. de falsa causa adiecta legat.* & io *l. 1. C. quando non petentibus partibus.* Menoch. *lib. 4. de præsumption. præsumpt. 24. n. 11.* dum ait, causam finalem in testamento censeri illam, quæ est obligatoris: & idcircò cohætere dicitur dispositioni. Instituo v.g. Caium hæredem, aut illi lego mille, quia mutuo quondam mihi dedit centum. Idem dicit *consil. 346. n. 10. & 11. lib. 4.* vbi plures allegat cum Tiraq. *tract. cessante causa, limit. 5. n. 82.* Hæc quidem omnia vera sunt; non tamen assignatur indicium, quo in dubio dignoscam causam finalem. Quæro enim quomodò cognoscam oriri obligationem, aut eandem cessare ex positione vel cessatione causæ finalis? quare non bene respondetur, committitúrque vitiosus circulus, quandò dicitur, causam finalem esse, qua posita oritur obligatio.

3 Secundò, Ioannes Monach. *in cap. cupientes. de rescript. in 6.* optimè definit causam finalem, *sine qua disponens non erat facturus*: impulsiuam autem, *qua remota idem omninò facturus erat*: eáque definitio colligitur ex tota *quæst. super.* Verùm quærimus, quomodò sciemus an disponens esset facturus, nec-ne seiuncta hac aut alia causa, quandò id minimè declarat. Quare totum istud indicium discernendi causam finalem ab impulsiua inutile dixit esse Tiraq. *tract. cessante causa. limit. 1. n. 37.* quamvis (vt mooui) verum discrimen istarum causarum contineat.

4 Tertiò eadem ratione reiicitur iodicium quod datur à Cyn. & Salicet. *in l. Generaliter. de Episcop. & Cleric.* nimirùm, caosam finalem esse causam proximam & immediatam effectus: causam autem impulsiuam esse remotam dumtaxat, & veluti occasionem: quia quamvis id totum concesserimus *q. superiori*, & doceant magno consensu Auctores relati à Tiraq. *tract. cessante causa. limit. 3. n. 8.* quærimus tamen quomodo cognoscemus in dubiis verbis dispositionis alicuius, quænam ex pluribus causis relatis sit vera & immediata, quænam remota tantùm & occasio: quare alia nobis indicia quærenda sunt.

5 Primum indicium causæ finalis & non impulsiuæ ex procemio constitutionis desumitur.

Itaque causa quæ in procemio constitutionis & dispositionis ponitur, finalis esse præsumitur, nisi in ipsamet deindè constitutione aut dispositione contrarium manifestè exprimatur. Ita seotit Rota *1. part. decision. 457. n. 1.* Cardinal. *in cap. ex parte. De Clericis coniugatis*, Sotdus *libro secundo Decret. 339. n. 4.* Barth. Bald. Angel. Imol. Decius Socin. Iunior. aliique quos diligenter enumerant Tiraq. *tract. cit. limit. 1. n. 64. & 65.* Menoch. *lib. 4 de præsump. præsump. 24. numero 5.* Gutierr. *libro 3. pract. qq. quæst. 17 numero 115.* & Ludouic. Molin. *libro primo de iure primogen. capite tertio, numero 4.* Probant primò *ex l. vlt. ff. de heredib. instituend.* vbi testator ita in fine testamenti præfatus fuerat, *quia heredes, quos volui habere, mihi continere non potui, Nonius Rufus heres esto.* Quibus verbis indicat seidcircò mutasse testamentum, quo Pactumeiam hæredem fecerat, & Nonium Rufum instituisse, quia Pactumeiam decessisse vulgabatur. Quare cùm rumor ille falsus fuisset, Imperator Pactumeiam hæredem dixit, & nullam esse institutionem Nonij Rufi. Vnde Glossa, Barth. Bald. Angel. Imol. & alij passim colligunt, præfationes probare causam finalem dispositionis, *l. 134. Titia. ff. de verbor. obligationibus, §. 1 Paulus respondet plerumque ea qua præfationibus conuenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur.* Concinit *l. item quia 4. §. idem Iulian. ff. de pactis.* Quæ verba vrget Roman. *consil. 16. numero quarto*, & *consil. 180. numero sexto*: quamvis enim his locis agatur dumtaxat de stipulationibus, iodè tamen ad reliquas dispositiones non malè argumentantur, vt in omni dispositione ex præfatione causam indicante colligatur vera intentio disponentis. Atque secundum causam eam tum ipsa dispositio, tum obligatio ex illa proueniens arctetur, aut extendatur. Quare hanc Regulam valere in decretis, vltimis voluntatibus, donationibus, sententiis, rescriptis tum Pontificiis, tum Principalibus, statutis, gratiis, contractibus, regulis Cancellariæ, & generaliter in omni prorsùs dispositione tradunt DD. qui de his singulis disputant: quorum bene multos singillatim recenset Barbosa. *Axiom. 192. numero primo*, & Menoch. *libro sexto præsump. præs. 2.* Ratio mihi perspicua videtur: quia cùm obiectum intentionis sit finis, qui idcircò primus esse dicitur in intentione, quamvis in executione postremus sit: mouet enim primò agēs; quod non nisi ad eius acquisitionem eligit, & vsurpat media, tandémque eo obtento quiescit: & procemium atque præfatio dispositionis soleat explicare animum & intentionem disponentis, necessariò, si quam causam contineat, finalem cootinebit. Estque solemne in iure vt ex procemio mens, & animus scribentis colligatur, nisi in consequentibus illum alium esse quàm in præfatione prodiderit, manifestò explicet. Quod annotarunt Mascard. *de probat. concl. 1284. numero sexto.* Gutierr. *libro primo pract. qq. q. 89. numero tertio*, Tusch. *litt. P. concl. 892.* Menoch. *libro sexto præsump. præs. 2. numero secundo.* Fauétque *l. 1. ff. ad S. C. Macedonia.* causa enim decreti, in eius præfatione manifestò continetur. Et *in l. Regula. ff. de iuris, & facti ignorant.* refertur Seueri & Antonini rescriptum, in quo ex fideicommissi, de quo disceptabatur, generali procemio difficultatem excitatam definiunt. Idcircò *in eam l.* sic scribit Bat. *Si præfatio legis est generalis.* Sic etiam intelligi debet ipsa lex, & Bald. *ibid.* præfationem præbere intellectum toti legi, non alia certè de causa, quàm quia præfatio ostendit finem, quo motus est conficiens dispositionem ad ita agendum.

6 Vnde fit, vt præfatio ex sua natura non habeat hanc vim declarandi dispositionem, sed tantùm ratione causæ finalis, quam continere solet, vti obseruauit Tiraq. *limit. 1. citata, numero 66.* Quare si causa allata in præfatione, manifestè esset impulsiua tantùm, & non finalis, non liceret ea præfatione interpretari, ampliare, aut restringere dispositionem: sicut neque, si aut ipsa deinde dispositio, aut conclusio præfationi derogaret, præfationi tunc standum minimè fuerit, vti monet Purpurat. *in l. cùm quid. ff. si certum petatur. n. 110.* Quandò tamen dubium est, an causa sit impulsiua, an verò finalis, præsumitur finalis, eò quòd in præfatione continetur: idque vnum modò contendimus.

7 Idque adeò verum est, vt non modò in præfatione actus dispositionis scriptæ, sed etiam in præfatione actus

actus non scripti, ita vt quæ in illo tractatu inter partes dicta sunt, deinde in ipso actu & dispositione, siue contractu repetita intelligantur. V. g. in præfatione contractus dictum fuit inter partes præsentibus testibus, præstationem frumenti; quæ promittebatur de certo quodam frumento intelligi: & Notarius deinde in conficiendo instrumento qualitatem illius frumenti non expressit; illa tamen repetita intelligitur, ad illámque tenetur qui promiserat. Ita Iason. *in l. Titia. §. idem respondit 1. ff. de verbor. obligat.* Hinc etiam qui mandatum ab alio accepit quidpiam faciendi, si deinde id faciat, quamvis non significet, se mandantis nomine facere; eo tamen nomine agere præsumitur: & si inter Caium & Titium conuentum sit, quòd Titius occiderit Seium; Titius deindè præsumitur occidisse Seium propter præcedentem tractatum, etiamsi testes dicant se finem pacti inter Titium & Caium initi ignorare. Ita Bart. *in l. qui aliena. §. si re? qua. ff. D. de acq. heredit.* & *in l. qui Seium ff. de interrogat. actio.* & Bald. *in l. multum interest. C. si quis alteri, vel sibi. n. 3.* Fœnerator qui cum aliquo pepigit quòd pro simplo daretur duplum, licet Notarius, & testes id nesciant, neque proindè in contractu id notatum fuerit, totus tamen contractus fœneratitius, & iniquus esse conuincetur, vbi probabitur ita tractatum fuisse: quia censetur deinde repetitus: eademratione conuincitur simulatus esse contractus ex dictis & tractatis ante ipsummet contractum inter partes: vt si dictum fuit quod esset pignus non venditio, etiamsi deindè fiat instrumentum venditionis, præsumitur pignus, & venditio tantùm simulata ex præordinatis, vt docent Bald. *in leg. 2. Cod. ad S. C. Velleian.* aliique à Menoch. relati *lib. 3. præsump. 122. num. 45.* Ratio horum omnium, est non modò quia actus sequens præsumitur factus in executionem præcedentis; qua de præsumptione latissimè disputat Menoch. *lib. 3. præsumpt. 49.* sed quia præcedens ille tractatus, qui est veluti prooemium, & inchoatio sequentis contractus, explicat animum & causam finalem qua moti sunt contrahentes. Ex ea autem intentione & causa finali tota deindè consequens dispositio, atque actus explicandus est, vti diximus. Et ideircò quandò longius interuallum inter tractatum, & conclusionem contractus fuit interiectum, non valet ista præsumptio: quia potuit facilè obliuio prioris tractatus accidere, vel mutari intentio & animus qui in tractatu fuerat expressus, nisi voluerint partes omnia quæ ab ipsis in tractatu acta sunt, censeri repetita in contractu. Ita Gloss. *in l. Titia. §. idem respondit. de verbor. obligat.* & Menoch. alios allegans *lib. 2. præsumpt. 84. num. 12. & lib. 6. præsump. 2. n. 19.*

Alterum Indicium

Causa finalis ex ratione naturali in constitutione expressa.

3 ALterum indicium, quo causam finalem ab impulsiua distinguamus, desumunt DD. à ratione naturali, quam pro causa exprimit Legislator: illam enim tunc finalem & non impulsiuam tantùm aut occasionem esse omninò volunt, apud Tiraquell. *tract. cessante causa. n. 44. & 67.* Quo postremo loco & sequentibus numeris plurima de ratione naturali, & æquitate disputat, ostenditque ius naturale præponendum esse humano & positiuo, cuius fons est. Quando itaque legislator affert honestatem, & rationem naturalem suæ legis, ostendit se illam intendere vti omninò debet.

Verùm non videtur vsque adeò certum hoc discrimen causæ finalis & impulsiuæ: quia sæpius quæ natura sua honesta sunt, legibus imperantur, & quæ mala sunt
4 prohibentur propter alios fines quàm honestatem, aut malitiam intrinsecam actuum imperatorum vel prohibitorum. Neque enim leges omnes, quæ
5 de eiusmodi actibus quidpiam statuunt, sunt tantùm declaratiuæ iuris naturalis, sed nouum omninò condunt, nouámque obligationem inducunt. Et sanè nullus actus nisi bonus & honestus præcipi potest: nam etiamsi fortassis indifferens sit ex suo obiecto consideratus, cùm tamen nunquam præcipi possit nisi propter aliquam rationem, quæ præcipiendum esse, persuadeat, vti ostendimus *q. proxima*: & quia conducit ad assequendum finem aliquem honestum; ex fine illo & motiuo quamvis extrinseco honestatur: eáque honestas naturalis est. Pendet quidem ab arbitrio principis, vt eiusmodi actum propter finem illum imperet: vbi autem imperatus est, independenter à voluntate imperantis honestatur à relatione & ordinatione ad talem finem. Et sanè, si idem ille ipse actus ex suo obiecto indifferens, non esset præceptus, fieret tamen ex eodem motiuo & fine, sub quo præcipitur, esset etiam eodem modo honestus in indiuiduo, & in exercitio, licet secundùm rationem specificam, quæ ab obiecto desumitur, maneret indifferens; quam indifferentiam obiectiuam non tollit lex & præceptum: immò neque illam spectat, neque quatenùs est indifferens illum imperat: sed quatenùs vtilis est fini honesto quem sibi proponit acquirendo, vti fusiùs disputauimus *libro superiori.* Vt autem vtilis est ad finem honestum, iam naturaliter bonus & honestus est, & non amplius indifferens. Deindè sicut actum ex natura sua indifferentem præcipit Legislator, quia vtilis est fini quem intendit: ita propter similem vtilitatem imperat aliquandò actum natura sua honestum. Quare non rectè dicitur honestatem intrinsecam & naturalem actus imperati esse causam finalem legis illum imperantis, cùm tota ea honestas intrinseca ad finem alium referatur à legislatore: & quia omnis actus imperatus, vti iam ostendi, est bonus, atque naturaliter honestus. Neque quidquam facit quòd inter causas suæ legis Princeps enumeret honestatem actus imperati: quia potuit esse tantùm impulsiua, aut ratio, propter quam ex pluribus actibus ad finem quem intendit conducentibus, hunc actum potius, quàm alium elegerit, & imperarit. Quare ea honestas pertinebit potius ad rationem directiuam, quàm ad motiuam & finalem. Neque vllus dicit in electione medij vnius relictis aliis quæ occurrebant, causam finalem fuisse eius medij maiorem proportionem cum fine, etiamsi illa proportio maior attendatur ab eligente: sed causa, non verè motiua: finis vltimus est id, ad quod tale medium refertur, & propter quod obtinendum eligitur. Finis igitur constitutionis non est actus intrinsecè honestus qui imperatur: sed id bonum, propter quod obtinendum imperatur; quod aliquando diuersum est ab ipsa honestate intrinseca actus imperati. Ne tamen discrimen à grauibus Doctoribus allatum reiicere videamur, distinguendus est duplex finis, vnus intrinsecus ipsius actus imperati, alter extrinsecus legislatoris: quando enim actus imperatus est honestus ex natura sua, constituitur proximè in illa specie virtutis, ad quam per se ex natura sua pertinet. Vnde fit vt intrinseca illa honestas habeat rationem finis proximi & intrinseci. Quia tamen totam illam honestatem ordinat Princeps ad aliquem alium finem extrinsecum, ad quem vtilis est, finis adæquatus legis aliquando conflatur ex fine intrinseco ho-

nestatis præceptæ, & extrinseco, ad quem obtinendum eiusmodi actua honesti vlterios conducuot, ita tamen vt sublato fine extrinseco, plerumqoe maneat sufficiens ratio motiua, & finis, propter qoem condita fuit lex: quod oon contiogit quaodo actus imperatus indifferens est ex naturâ suâ, & obiector tunc enim tota ratio propter quam imperatur, est vtilitas ad finem extrinsecum, quem suâ lege Princeps intendit. Quia igitur sæpissimè qoando aliqoid per se & intrinsecè honestum lege præcipitur, aut aliquid essentialiter malum prohibetur, tota ratio præcipiendi & probibendi non est finis extrinsecos; sed ipsa quoque essentialis booitas, aut malitia actûs imperati vel prohibiti, idcircò quoties Princeps affert causam suæ constitutionis booitatem naturalem, vel malitiam actûs, iure merito eam causam finalem & non solùm impulsiuam esse interpretamur, quamvis simul concurrat quoqoe alius finis extrinsecus, sed qui adæquatus oon sit; sed vel partialis tantùm, vel totalis, noo excludens alium intrinsecum. Atque ita explicatum indicium causæ finalis *initio* allatum, verum est.

Tertium Indicium

Causæ finalis sumitur ex communi bono, & fauore piæ causæ, ad qam refertur constitutio.

10 TErtiò quoties causa expressa in constitutione pertinet ad commune bonum, aot fauorem piæ causæ, toties finalis, & oon impulsiua tantùm esse præsumitur. Ita Alberic. *in leg. generaliter. Cod. de Episcopis & Cleric.* Bellam. *in cap. etsi Christus. de iureiurando.* Imola *in l. 2. §. vltimo. ff. de donationibus.* Speculat. *libro secundo partic. 2. tit. de disputat. & allegat. aduoc. num.* 12. Ratio mihi esse videtur: quia cùm finis legis sit bonum commune, vt *libro superiori* diximus, quoties aliquid ad bonum commooe pertioens affertor in coostitutione, toties ea iure merito de caosa finali explicabitur. Quia verò causæ fauorabiles, & piæ ad bonum commune perutiles esse existimaotur, eadem ratione finales quoque præsumuntur in iure: & idcircò ab Imola, & Bellam. citatis, *Causa pia & fauorabilis æquiparatur causæ ad commodum reipubl. pertinenti.* Quod confirmatur ex eo, quòd in priuatis dispositionibus, testamentis, v. gr. & donationibus quoties caosa apposita tendit in commodum disponentis & donantis, vel alicuius tertij, finalis præsumitur: impulsiua autem quando confert tantùm ad vtilitatem accipientis, & alioquin necessaria est; quod *in l. si mulier. Cod. de iure dotium* docet Glossa, Bartol, Bald. Aogel. & Salicet. éstqoe receptissima doctrina. Cùm autem Princeps in lege ferenda neque suum, neque vllius alterius priuati commodum, sed bonum dumtaxat commune tanquam finem generaliter totius iuris positiui respiciat; causæ quæ ex suâ naturâ ad illud commune bonum reducuntur, quales sunt fauorabiles & piæ, iure merito finales existimabuntur. Quæ eadem ratio est, propter quam eæ causæ in priuilegiis & gratiis impulsiuæ, & non finales præsumuntur qooties de illis suboritur dubitatio, vt DD. passim cum Glossa monent *in l. si eum. §. Titio. finali. Digest. de donat.* & Bald, ac Franc. *in cap. Decet. de Regularibus, in 6.* quia priuilegia particulare accipientis commodum respiciunt, non bonum commune.

Quartum Indicium

Causæ finalis est eius cum dispositione adæquatio & cohærentia.

QVartò qooties causa cum aliqua dispositione 11 comparata æquè latè patet atq; ipsa, & in omnē eius effectum iofluit: atque adeò adæquatè cohæret dispositioni, toties causa finalis, & oon impulsiua tantùm esse præsumitur. Ita Bart. *in l. demonstratio. §. quod autem. ff. de condit. & demonstrat. qu. 3.* & *in l. 1. de falsa causa adjecta legat.* Imola *in l. si eum. §. Titio. ff. de donat.* & *in leg. vlt. ff. de hered. instit.* Bald. *in l. 1. ff. soluto matrimonio. num. 15.* & *in l. 1. c. de Episcop. & Cleric.* Graueta *consil. 192. num. 21.* Mantica *de tacit. & ambiguis conuent. libr. 3. tit. 22. num. 15.* Menoch. *libr. 4. præsumpt. 24. num. 12.* Tiraq. *causâ cessante limit. 1. num. 46.* qui postremi plores alios allegant.

Probatur primò *ex l. 2. c. de falsa causa adjecta legat.* 12 ex qua Salicet. iofert quòd caosa falsa cohærens legato, illud vitiat oisi per errorem adiecta fuisset. Aliquis ita scripsit in suo testamento, Decem quæ mihi debebat Titius peti veto, quia soloit: si reuerà Titius non soluit, potest ab illo repeti ea summa. Rescribit Antonin. Imp. repeti oequaquam posse, nisi hæres docuerit ea verba adjecta fuisse à Testatore, quia existimabat reuera Titium soluisse: cùm enim ea verba significent vel pecuniam fuisse restitutam Testatori, vel voluntatem eius liberare volentis manifestò declarent, peti non poterit qood solutum est, aut ex causa fidei commissi agendum erit, vt debitor liberetur. Vides itaque noo repetitionem, quam imperat Testator, cohærere eius dispositiooi: Ideoque fioalem esse, hoc est Testatorem idcircò tantùm ea verba adjecisse testamento, quia nolebat à soo debitore Titio repeti summam debitam, *l. 72. cum tale. §. falsam. ff. de condit. & demonstrat.* apertissimè loquitur: *Falsam causam legato non obesse verius est: quia ratio legandi. legato non cohæret: sed plerumque doli exceptio locum habebit. si probetur aliàs legaturum non fuisse.*

Ex quibus duo colligis, idcirco oon obesse cau- 13 sam falsam legato, qoia illi oon cohæret nisi falsò, quod per exceptionem doli probatur: alioquin si cohæreret legato, illud vitiaret; qood facere non posset, oisi quia esset finalis.

Colligis deinde, eam causam non cohærere dis- 14 positioni, quando sine illa erat idem facturus. Cohæret autem quando sine ipsa oon erat facturus; quæ est præsomptio aliqua & cooiectura; non autem firma probatio. Ratio igitor apertissima est: quoties eoim causa æquè latè patet atque ipsa dispositio illisque protsùs cohæret, disponens suam intentionem ad illam restringit, eámqoe secundùm illam limitat, & extendit: atque adeò ipsam vt finem respicits valétque, aut vitiatur dispositio, prout ea causa subsistit, aot non subsistit, vt ex iuribus allatis aliisque Doctoribos colligunt. Certúmqoe est ex natura rei, causam finalem mensurare siue regulare dispositiones, ipsas ampliando aut restringendo: qood ostendemos *inferiùs.* Atqui hoc ipsum facit causa cohærens dispositiooi io Ipsámque omnem effectum influens, ideoque dicitur necessaria, quia sine illa non poneretor talis effectus. Hoc igitur iodicium causæ finalis à DD. passim allatum verissimum est: quamvis fateat manere semper dubium, an causa apposita cohæreat dispositioni, & in illam influat tanquam finis: an verò sit tantùm occasio aut conditio sine qua noo, aut, ad summum, causa quædam remota impel

impellátque tantùm disponentem iam à causa finali motum, sed fortassis languidiùs, tardiúsque agentem; quod ex variis circumstantiis & verbis ipsius dispositionis expendendum diligenter fuerit.

QVINTVM INDICIVM

Causa finalis, eius per modum conditionis expressio.

15 QVintò quoties causa in aliqua dispositione per modum conditionis necessariæ apponitur, finalis esse in dubio præsumitur. Ita Barthol. *ad leg... §. vltim. Digest. de donation.* Bolognetus *in leg. damnus. Digest. de condict. indebiti.* Bellamer. *in cap. translationem. de renunciation.* Menoch. *tom. 4. consil.* 331. *numero* 71. quia forma conditionis solemnitatem indicat ex Bald. *in authentic. matri, & auiæ.* quando mulier tutelæ officio fuogatur, & aliis DD. apud Tiraquell. *de retract. tit. 1. §. 1. gloss. 1. numero* 3. Declarat prætereà statuentis intentionem, & illum neque aliter, neque alio modo statuere voluisse, nihilque aliud intendisse. Non obligat autem siue lex, siue dispositio, nisi eâ ratione, & modo quo cadit sub legislatoris intentionem. Quia tamen hæc regula non valet in quibusdam casibus, qui *leg. 1. & sequent. Codic. de institut. & substitut.* referontur, vbi agitor de conditionibos testamento appositis. Idcircò DD. distinguont inter statuta & testamenta: in statutis enim volunt conditiones adiectas continere causam finalem, non verò in testamentis.

16 Mihi certum omninò est conditionem sine qua non, vbique distingui à causa finali: quamvis enim sublatâ causâ finali, & conditione necessariâ, desinat tum statutum, tum dispositio alia quælibet; non propterea tamen conditio sine qua non, cum vera caosa confundenda est, vti patet in physicis. Quæ eadem ratio valet in moralibus. Itaque si appareat conditionem aliquid esse, non idcirco dicetur causa finalis: neque id (opinor) voluerunt Doctores: sed quia defectu conditionis necessariæ æquè corrumpitur, aut vitiatur dispositio & lex, atque defectu causæ finalis, & altera ipsarum sublata desinit obligare, inanisque prorsus redditur. Idcirco quod ad effectum inducendæ aut tollendæ obligationis, compararunt côditionem necessariam cum causa finali. Quia tamen in testamentis ponuntur nonnunquam aliquæ conditiones quæ tolluntur à iure, vndè fit vt etiamsi non ponantur, valeant tamen testamenta; quod in aliis quoque priuatis dispositionibus verum est: idcircò negant in testamentis conditionem habere eandem vim, quam habet causa finalis: quandoquidem causâ finali cessante inualidatur testamentum, non autem cessante conditione, id semper contingit. In lege autem, deficiente conditione necessariâ appositâ, cessat prorsùs obligatio legis, & statuti: sicut cessaret cessante causâ finali. Ratio discriminis est: quia testamentum est dispositio facta à ciue & priuata persona, quæ legum præscripto subiacet, quare quoties videbitur ad bonum commune necessarium, possunt conditiones, & solemnia, sine quibus testamenta aliæque priuatæ dispositiones irritantur, præscribi: possunt quoque conditiones quædam appositæ tanquam inutiles reiici, aut pro non adiectis haberi, validarique dispositionem, quamvis non ponatur conditio requisita à disponente, aliáque circa modum & conditiones dispositionum præscribi, de quibus suo loco fusiùs agemus. At verò, cùm lex & statutum ferantur à suprema tantùm potestate, non potest à superiori aliqua côditio adiecta repudiari, aut inanis reddi, & côtra animũ atque intentionem principis legem, aut statutum condentis validari, vt aut obliget ipso nolente, aut aliter quàm ipse voluerit. Quare si quam conditionem tanquam necessariam requirat, neque nisi cum illa velit suam legem vigere (quamvis ea conditio naturâ suâ turpis sit) teueta non valebit ea lex: à quo enim vim obtineret? non à ferente, qui illam non fert nisi sub ea conditione, vti supponimus: neque à superiore qui nullus est: & si aliquis sit qui deroget conditioni appositæ, non ille superior sanciendo eam legem reiectâ conditione appositâ dicetur illam potiùs ferre quam ratam habere. Si autem conditio naturâ suâ iniqua sit, & poni proindè non possit à subditis, iam tota lex iniqua est, ac proindè nullam patit obligationem, vt dicemus *inferiùs*: quandoquidem non potest seruari absque culpa. Rectè igitur DD. conditiones necessarias cum causa finali legis compararunt quoad effectum pariendæ obligationis, quæ non minus desinit sublatâ conditione necessaria, quàm sublatâ causâ finali. Non idcircò tamen causam per modum conditionis necessariæ expressam in constitutione, causam finalem esse dicere debuerunt.

SEXTVM INDICIVM

Causa finalis, quando per gerundium, aut particulam, quia, *vel* pro, *causa exprimitur.*

HOc indicium passim affertur à Doctoribus: 17
de gerundio quidem affirmauit Barth. *in trac. ad extra. ad reprimendum numero* 12. Bald. *in leg. id quod pauperibus. capite de Episc. & Cleric.* Alexand. *in additio. Barth. l. 2. §. vlt. Digest. de donatio.* Salicet. *in leg. 1. Codic. de his qui latr. occult.* Angel. Aretin. *in rubric. instit. de actionibus.* Corn. *consil. 90. in causa vinente. libro 4. & consil. 143. licet in hac.* Decius *in cap. exceptionem. de exceptionibus.* Probant primò: quia plurimæ definitiones dantur per gerundia *vt leg. 1. Digest. de dolo malo. leg. 1. Digest. ad leg. Cornel. de siccariis. & l. 7. is qui cum telo. Cod. eodem tit. & leg. 1. § si pupillus. Digest. de tutelis & rationibus distrahendis.* In his autem, definitionibus & locis certum est exprimi causam finalem per gerundia; & semper in gerundiis exprimi conditionem causalem, vel causam conditionalem, quando coniungitur cum verbis futuri temporis, vti docent Doctores citati. Addunt præterea gerundia importare quandam necessitatem. Causa autem finalis necessaria est, non autem impulsiua. Igitur si gerundia exprimant causam aliquam, illa erit finalis. Verùm quia hæc omnia non satis solidè dicuntur, cùm non possint eiusmodi gerundiorum proprietates ex natura rei colligi, dicendum est hoc indicium causæ finalis eò quòd per gerundium exprimatur, non aliunde colligi, quam ex communiori sensu DD. quorum est verba iuris interpretari. Quare non est vsquequaque certum.

Quod attinet ad dictionem *quia*, illam esse redditiuam causæ & in lege positam reddere causam finalem obseruat Bald. *in cap. quia propter. de election. n. 16.* 18
Cardin. *ibid. & in cap. quia circa de consanguinitate & affinitate.* Tiraq. *tract. cessante causa. limit. 1. n. 85.* Verùm neque hæc coniectura est omninò certa: nam aliquando ea particula reddit causam impulsiuam, sicut & finalem. Vnde monet Card. *in c. quia circa. citat.* inspiciendam esse subiectam materiam, aliáque quæ eiusmodi particulæ significationem ad certum ge-

nus caosæ restringere possunt : ipséque Bald. ait, non reddere causam finalem, nisi quando pooitur à lege. Quando enim ponitur ab homine, aut est necessaria, & præsumitur finalis, aut est voluntaria, & præsumitur impulsiua : cuius discriminis nulla ratio afferri potest : & falsum est hanc particulam, *quia*, positam à lege semper causam finalem indicare. Nam *l. 17. demonstratio. §. quod autem. ff. de condition. & demonstration.* qnod malè uegauit Angel. Grat. *in Dictionario, vers. quia :* nam si id verum esset, lex illa legatum excluderet cessante illa causa finali, quæ ibi adducitur, eum tamen legatum admittat, vt patet legenti. Denique exprimi huiusmodi particulâ causam tum finalem, tum impulsiuam probat Mantica *de tacit. & ambiguis conuent. tomo primo. libro 3. tit. 22. n. 33.*

19 Eodem modo sentiendum est de præpositione, *pro* : etsi enim causam immediatam proximam, atque finalem significet, quod aiunt Tiraq. *cessante causa limit. 20. n. 28.* Benedic. *in cap. Raynutius de testam. vers. cætera bona. n. 29.* Tusch. *litt. D. conc. 342.* & alij, qui id ex variis locis probant. Aliquandò tamen causam quoque remotam & impulsiuam continet, vt *in l. 8. C. de sententia quæ pro eo quod &c.* obseruant Doctores, Tusch. *conclusione citata*, atque lexicographi vocum iuris.

Propositio Vnica.

Stante dubio de qualitate causæ constitutionis, impulsiua, & non finalis præsumenda erit.

20 INdicia hactenùs allata, vsque adeò certa non sunt, vt omnem dubitationem remouere possint, in iisque expendendis plurima concedenda sunt prudentis viri arbitrio, vti constat ex disputatis. Quare facile continget vt animus interpretis, ac iudicis anceps hæreat : neque certò pronuntiare queat an causa in constitutione expressa finalis, an impulsiua tantùm sit, vndè tamen plurimæ controuersiæ solui debent. Quæritur itaque quid in illo dubio faciendum sit : an præsumendum sit pro causa finali, an pro impulsiua tantùm. Prius illud vult Tiraquell. *cessante causa limit. 1. n. 21.* vbi allegat Accurs. Bald. Cyn. Cepolam, Cardin. Angel. Imol. Franc. Socin. iunior. Decium, & alios : eadémque repetit *29. & 30.* & *limit. 21. num. 9.* quibus accessere Guriet. *libro tertio practic. qq. quæst. 17. numero 115.* Menoch. *tomo tertio consil. 272. numero 37.* Molin. *disputat. 173. de iustitia*, qui veteres quoque dabunt.

21 Dixi tamen in nostrà propositione in eo dubio præsumendam esse causam impulsiuam; quod tradiderunt Glossa *in leg. 2. ff. de donatio. & in leg. si mulier. C. de iure dot.* & plurimi veteres, quos dabit Tiraquell. *limit. 1. cit. num. 48. & 49.* ex quibus sunt aliqui ex his ipsis qui priorem sententiam docuerant, qui sibi ipsis contrarij sunt : Menoch. *qui tomo secundo cons. 106. num. 92.* hanc opinionem amplectitur, contra quam *alibi*, vti retulimus, dixisset. Denique sequimur Euerard. *loco à cessatione actionis*, Bertachin. *in repertorio, littera C. vers. causa impulsiua*, & Sanch. *lib. 8. de matrimon. disputat. 21. num. 20.* qui id valere vult in legibus, donationibus, gratiis ac dispositionibus, vbi quamplurimos dabit, qui ex defectu, aut falsitate causæ expressæ in eiusmodi rescripto negant illud vitiari, quando dubium est, an causa tacita, vel falsò expressa fuerit finalis, an impulsiua; semper enim præsumitur impulsiua, & non finalis. Ita etiam docuit Rota *decis. 587. numero 5.* apud Farin. *part. 1.* Ratio est : quia in dubio præsumitur pro validitate actûs, *cap. Abbate de verborum significatione*, & *leg. quoties, ff. de rebus dubiis* : quod fusius ostendimus *alibi*. Ergo quando dubia est causa, ea intelligenda erit, cuius defectus, aut falsitas non reddat actum inualidum. Eiusmodi autem est impulsiua, & non finalis. Et sanè in eo casu certa est lex, certa quoque eius causa quam exponi in ipsa lege supponimus : dubiúmque dumtaxat de natura talis causæ : an ea nimirùm sit cuius defectus impediat validitatem & obligationem legis. Quare qui vult se ab ea obligatione eximere, probare debet, causam illam esse finalem; ac proindè ea cessante cessare legis obligationem, vt dicemus *inferius*. In hoc itaque dubio possessio stat pro lege, ac proindè illi fauendum est : imò & parendum tanquam obliganti. In hanc portò sententiam plura iura adducit Glossa citata *in leg. 2. si cùm Fabius. Digest. de donation.*

Consectarium Primum.

Ex distinctione causæ finalis, & impulsiuæ explicatur cap. Cùm essent. de simonia.

EX hac distinctione causæ finalis, & impulsiuæ, 22
plurimæ difficultates solui possunt; quarum aliquot perstringam : nam omnes persequi, infinitæ foret operæ.

Alexander III. *in cap. Cùm essent. de simonia.* dam- 23
nat simoniæ promissionem, quâ quidam Clericus cognomento de Pontreferrato pactus fuerat, se promoturum militis cuiusdam negotium apud Pontificem, & vicissim miles ille pactus fuerat se Clerico in obsequij mercedem daturum Ecclesiam. Ex qua Pontificis responsione Glossa, & DD. passim colligunt simoniam esse saltem mentalem, vt ait Felin. *ibid.* & Caietan. v. gr. simonia, seruire alicui Prælato principaliter spe consequendi beneficium Ecclesiasticum : at verò ministrare Prælato cùm spe minùs principali obtinendi beneficium, sed primò propter dignitatem personæ, aut stipendium, aliásve causas, non esse simoniam : quamvis nisi ea spes beneficij quondam obtinendi excitaret animum, non illi potiùs inseruiret quàm alteri à quo æquale, aut maius etiam stipendium speraret. Quam eandem doctrinam tradunt Glossa *in cap. cum ad nostram, de election.* Felin. *in cap. non dubium, de sentent. excommun. num. 2.* & alij. Huius distinctionis ratio est : quia in priori casu spes beneficij ecclesiastici, est causa finalis obsequij præstiti, quod proindè censetur compensari eiusmodi beneficio : ac proindè datur temporale pro spirituali. In secundo verò casu beneficium ecclesiasticum obtinendum, est solum occasio præstandi officij, & causa impulsiua : quare nulla fit commutatio rei spiritualis cum temporali, neque proindè simonia fingi ea in re potest, vti obseruauit Couarr. *lib. 1. variar. cap. 20. n. 3.* qui *n. 4.* aduertit Prælatum conferentem beneficium propter impensum sibi obsequium posse se habere duobus modis. Nam vel obligatus est obligatione legali ad remunerationem ministerij sibi impensi, vel est tantùm obligatus obligatione morali, quæ ex quadam decentia & gratitudine oritur. Si primum, & conferat beneficium ad tollendam eam legalem & præcisam obligationem, committit simoniam mentalem, atque etiam realem & actualem, si significet se conferre ea intentione beneficium. Si verò conferat tantùm, vt

satis

ſatisfaciat obligationi illi morali decentiæ, & gratitudini, nullam committit mentalem ſimoniam: imò neque externam, quamvis fateatur ſe eâ intentione conferre. *Quia* (inquit Couarr.) *in pactum deducere ſolam obligationem moralem, ita vt ab honeſtate proceſſerit, nullo ei addito robore. vel eam tantum, vti à bonis moribus, & grato animo oritur, remittere, nihil efficit ad ſimoniaci criminis culpam. Quæ diligenter aduertenda ſunt.*

Consectarium II.

Explicatur Gloſſa in cap. Conſuluit. de vſuris.

24 GLoſſa *in cap. Conſuluit. de vſuris*, negat committi vſuram ab eo, qui mutuatur pecuniam ab ipſo à quo ſperat ſe aliquid ſponte & vltrò acceptutum ſupra ſortem. Quæ doctrina paſſim quoque probatur. Ratio huius eſt: quia finis principalis illius mutuationis eſt vel amicitia, vel charitas, vel ſubuentio alienæ inopiæ: ſpes autem augmenti ſupra ſortem, non fuit niſi cauſa impulſiua, etiamſi ſine illa non fuiſſet datorus. Mutuò enim ſæpè, vt iam monui *ſuperiùs*, non fuiſſet factus actus, ſi defuiſſet vel occaſio, vel cauſa impulſiua. Atque in hac ipſa materia de vſuris idem tradunt Caiet. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. *ad* 4. & *quodlibet. de vſura. capite ſecundo.* & Medin. *tract. de reſtitution.* noſque *alibi* diximus: quod verius multò fuerit de ſpe ſimilis beneficij: immò obligationem antidotalem qua recipiens mutuum tenetur mutuanti, ſimile beneficium præſtare, deduci poſſe in pactum, modò vi illius pacti, neque ex paciſcentium mente, neque ex modo paciſcendi non plus obligetur mutuatarius, quàm obligaretur ante pactum, aut ceſſante tali pacto exiſtimauit Couarr. *cap.* 20. *cit. num.* 4. allegans Cardin. Anan. & Abb. *in cap. Conſuluit. de vſuris*, Cardin. *in Clem.* 1. *de vſuris. quæſt.* 10. Felin. *cap. Ad audientiam* 2. *de reſcriptis. num.* 10. Bald. *in rubric. C. de vſuris.* Iaſon. *in l. Ex hoc iure, num.* 65. *ff. de iuſt. & iure*, & Molin. qui alios quoque adducit *de contractibus. & vſuris, num.* 27. Fauet omninò Gloſſa pen. & finalis *in cap. Si fœneraberis* 14. *quæſt.* 3. S. Thomas 2. 2. q. 78. *art.* 2. *ad* 3. Gab. *in* 4. *dict.* 15. *quæſt.* 11. Mai. *ibid. ead. diſt. quæſt.* 29.

Consectarium III.

Explicatur Gloſſa in cap. vnic. de Clericis non reſident. in 6.

25 SIngularis, vt obſeruat Felin. *in cap. Suam. de ſimonia*, eſt Gloſſa *in cap. vnic. de Clericis non reſid. in* 6. ait enim Clericum præſentem diuinis officiis *pro denario*, eſſe ſimoniacum mentalem: pro qua doctrina allegat Hoſtienſem, quem etiam deinde alij ſequuti ſunt. Loquitur autem Gloſſa de motiuo, & fine principali: ſi enim talis ſit lucrum & denarium, reuerà incurritur ſimonia, quod etiam eruditè obſeruauit Nauarr. *in cap. vltim. de pœnitem. diſt.* 5. *num.* 36. & *in relectione de dicendis Horis canonic. ſiue de orat. notab.* 6. Sin lucrum iſtud, diſtributiones quotidianæ ſint cauſa tantùm impulſiua, quia intereſt diuinis officiis, vt ſuo fungatur officio, & impellitur ad id quoque ſpe ſtipendij, ſine quo reuerà iturus non eſſet, non propterea ſimoniæ culpam committit.

Quæstio III.

An verum ſit principium allatum, nimirum, cauſam & rationem legis potiùs, quàm verba, attendendam eſſe.

HVius principij ſenſus ex duabus *proximis qq.* perſpicuus manet: intelligendum enim eſt de cauſa finali & ratione motiua legis, non autem de cauſa impulſiua, aut ratione tantùm directiua ſiue perſuaſiua vtilitatis & æquitatis legis, niſi quatenùs ex eiuſmodi argumento & perſuaſione, atque etiam ea occaſione ſanciendæ legis licet veram cauſam finalem, & rationem motiuam ipſius inueſtigare. Sola igitur Principij iſtius veritas explicanda reſtat: quod paucis modò præſtabimus. 1

Propositio Vnica.

Veritas principij.

AIo igitur, verum eſſe allatum principium: quod affirmant magno conſenſu omnes, qui regulas quas ex eodem principio *conſequentibus qq.* deducemus, probant: qui idcircò molti ſunt in indaganda cauſa & ratione legis. Id ipſum docet natura finis, qui in omni actu, maximè morali potiſſimum attenditur. Deindè certum eſt, mentem & intentionem tum legiſlatoris, tum cuiuſcumque alterius diſponentis attendendam potiùs eſſe quàm verba: hæc enim non adhibentur, niſi ad interna mentis, & animi ſenſa prodenda; quod fuſiùs dicemus *alibi*. at verò ex fine, & ratione motiua mentem legiſlatoris maximè inueſtigamus, quandoquidem finis eſt id ipſum, in quod animus agentis collimat. Denique finis eſt menſura & regula mediorum, quæ ad eum obtinendum vſurpantur. Vndè fit vt electio menſuretur ab intentione ab eáque ſuam non modò malitiam & bonitatem hauriat, ſed ſuam exiſtentiam accipiat: ab ipſa enim cauſatur eodem modo, quo à fine. Et ſanè niſi media adæquentur & proportionentur fini, fruſtrà eliguntur: quandoquidem non eligantur niſi propter finem & conuenientiam, quam cum ipſo habent: ideoque aut plura, aut pauciora aſſumuntur prout finis poſtulat & quæ aptiora ſunt, & præferuntur cæteris. Immò, ſi vnicum ſit medium & finis intentio fuerit efficax, neceſſariò eligitur. Cùm igitur lex omnis ſanciatur ad obtinendum certum aliquem finem à legiſlatore, vti oſtendimus *q.* 1. fini illi proportionari, atque ab illo regulari & menſurari debebit: quare prout finis ille, quem rationem motiuam nominamus, poſtulauerit intelligenda erit lex, atque adeò amplianda, vel reſtringenda, vti ex ſubiectis *inferiùs* Regulis ampliùs colligetur. 2

Confirmatur: quia, vt notat Pan. *in cap. Nihil. de electione verſ. nihil obſtat*, ſic ſe habet ratio legis ad verba, ſicut anima ad corpus: vnde ſicut anima dominatur corpori: ita ratio verbis. Quod ipſum repetit *libro primo conſil.* 1. *facti contingentia talis eſt. Quidam. A. vltimo adduco pulchrum. & conſil.* 75. *quidam deceſſu. verſ. ex his coniecturis*: quod ipſum Bald. Roman. Felin. aliiſque adducti à Tiraquell. *ceſſante cauſâ. num.* 139. *& ſeq.* cuius rei plurima exempla extant in iure, & ſuis locis nonnulla ponentur. Nunc aliquot dumtaxat adduco. 3

L. Oratio. ff. de ſponſalibus. Vlpian. orationem Antonini & Commodi Imperatorum, quæ quaſdam nuptias in perſonam Senatorum inhibuit, etiamſi de ſponſalibus nihil locuta eſt, ad ea tamen extendit, & 4

voluit æquè sponsalia atque noptias inter eas personas nollius esse momenti, *vt suppleatur*, inquit, *quod orationi deest*: quia nempè ratio & finis prohibitionis nuptiarum istarum, studium nimitum tuendæ dignitatis Senatoriæ, æquè violatur per sponsalia, atque per nuptias, cùm sponsalia non fiant nisi ad contrahendas deinde nuptias. *l. §. 17. item sciendum est. ff. de separationibus*, dicitur *vulgò placere creditorem quidem hæredis, si quid superfuerit ex bonis testatoris, posse habere in suum debitum. Creditores verò testatoris ex bonis hæredis nihil.* Cuius legis ac vulgaris moris rationem petit Vlpian. *ibid.* ex fine separationis bonorum testatoris & hæredis; quam fieri postularunt creditores. *Cuius rei*, inquit, *illa ratio est, quòd qui impetrauit separationem, sibi debet imputare suam facilitatem, si cùm essent bona idonea hæredis, illi maluerunt bona potiùs defuncti sibi separari; hæredis autem creditoribus hoc imputari non possit.* Additque aodiendos non esse hos creditores defuncti, si petierint in bonis hæredis substitui. *Separatio enim quam ipsi petierunt, eos ab istis bonis separauit.* Vbi vides æquitatem huius legis ex fine separationis, quam indocit, mensurari. Simile quid habes *in l. Debitor. ff. eod. tit.* vbi creditor potest separationem petere, quoties debitor fideiussori succedit. *Neque enim ratio iuris, quæ causam fideiussionis propter principalem obligationem, quæ maior fuit, exclusit, damno debet afficere creditorem, qui sibi diligenter prospexerat. L. si postulauerit, §. iubet lex. Digest. ad l. Iuliam, de adulter.* Seruos de quibus habita fuit quæstio adulterij publicari iubet. *Ratio autem publicandorum seruorum ea est: vt sine vllo metu verum dicant, ne dum timeant se in eorum potestatem regressuros, obdurent in quæstione.* Ex hoc fine publicationis seruorum tormentum, qui est facilior & certior veritatis atque criminis expressio, colligit eadem lex, eos seruos siue in quæstione negauerint, siue affirmauerint crimen domini, siue fuerint serui Rei, siue Accusatores ipsius, publicandos omninò esse: quia in his omnibus casibus metus dominorum, in quorum potestatem redituri essent, os ipsis obstruere, & animum obfirmare in tacenda veritate facilè possit. Ad finem igitur, propter quem eiusmodi seruorum, de quibus habita fuit quæstio, instituta est publicatio, exigenda est tota illa lex circa personas, quæ publicari, aut non publicari debent. Verùm, ne diutiùs immorer in re euidentissima, satis supérque fuerit casus, qui habetur l. 82. *si ex plagis, §. in cliua, ff. ad l. Aquiliam. In Cliuo Capitolino duo plaustra onusta mulæ ducebant: prioris plaustri muliones conuersum plaustrum subleuabant, quò facilè mulæ ducerent. Interim superius plaustrum cessim ire cœpit: & cùm muliones, qui inter duo plaustra fuerant, è medio exissent, posterum plaustrum à priore percussum retrò redierat, & puerum cuiusdam obtriuerat. Dominus pueri consulebat cum quo se agere oporteret. Respondi in causa ius esse positum: nam si muliones qui superius plaustrum sustinuissent sua sponte se subduxissent, & ideò factum esset vt mulæ plaustrum retinere non possent, atque onere retraherentur, cum domino mularum nullam esse actionem, sed cum hominibus qui conuersum plaustrum sustinuissent, lege Aquilia agi posse: nam nihilominus eum damnum dare, qui quod sustineret, mitteret suà voluntate, vt id aliquem feriret: veluti si quis asellum cùm agitasset non retineret, æquè si quis ex manu telum, aut aliud quid immisisset, damnum iniuria daret. Sed si mulæ quia aliquid reformidassent, & muliones timore permoti ne opprimerentur, plaustrum reliquissent, cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. Quod si neque mulæ, neque homines in causa essent, sed mulæ retinere onus nequissent, aut cùm conniterentur, lapsæ concidissent, & ideò plaustrum cessim redisset, atque si quod conuersum fuisset, onus sustinere nequissent, neque cum domino mularum, neque cum hominibus esse actionem, illud certè quoquo modo res se haberet, cum domino posteriorum mularum agi non posse, quoniam non suà sponte, sed percussæ retrò redissent.* Huius sapientissimi responsi, qood Alphenus Iurisconsultus dedit, aliam rationem assignare non licet, quàm quia finis legis Aquiliæ alius non est quàm emendatio damni iniuriâ dati, vti colligitur ex *l. si seruus seruum, §. tertio autem capite, ff. eod. tit.* & *l. si uxor. §. si quis planè, ff. de adulter.* Ideirco prout quis fuerit, aut non fuerit causa damni iniuria dati, aduersùm ipsum lege Aquilia agere, aut non agere licebit, ac proinde ex eo fine fuit soluenda ista dubitatio in casu proposito, vti vides Alphenum fecisse. Maneat igitur, perpetuò finem & rationem constitutionis attendendam esse, atque ex ea ampliari vel restringi debere.

PRINCIPIVM II.

Quænam sit Regula Cancellariæ de non tollendo ius alteri quæsitum?

RESPONDEO solemnem esse Regulam Cancellariæ de non tollendo ius alteri quæsitum, & solemnem clausolam quoque in litteris Apostolicis apponi solitam, dummodò non fuerit ios alteri quæsitum; quæ clausula semper subintelligitur, etiamsi non exprimatur, vt obseruat Tusch. *l. e conc. 329. num. 27.* & Felin. *in cap. capitulum. de rescriptis, vers. de duobus.* Et fauet *cap. ex tuarum. de auctoritate, & vsu pallij.* & *cap. ex parte 3. de decimis.* atque *ibid.* obseruat Abbas *in 2. notabili.* Vnde dicunt DD. hanc clausulam dum exprimitur nihil noui operari: qoandoquidem semper subintelligitur; expressio enim eorum quæ tacitè insunt, nihil operatur. *l. conditiones. ff. de conditionibus, & demonstrat.* & per varias conclusiones *in cap. significasti. in Glossa 2. de electione:* & Legistæ *in l. hac verba, de legatis 1.* Tamen Gomes. *l. 1. in hanc regulam* ait aliquando expressionem illam minùs operari, qoàm si non fuisset expressa. Cùm enim in dubio non censeatur rescriptum præiudicium iori alterius afferre neque magnum, neque paruum, neque in re, neque ad rem: hæc tamen clausula in litteris expressa præseruat tantùm ius in re, non ad rem, quando Papa scribit expressè cum intentione præiudicij. Cùm enim non appareat de quantitate præiudicij, interpretari debemus verba de minori præiudicio, quale est ius ad rem comparatum cum iure in re. Verùm quando Princeps, aut Pontifex non exprimit se velle alterius ius tollere; ac proinde vel constat ipsum nolle præiudicare iuri alterius, aut saltem dubium est, tunc censendum est, nullâ ratione velle alterius iuri derogare. Atque amplissimè sumenda est eiusmodi clausula siue ponatur, siue subintelligatur tantùm. 1

Atque in beneficialibus habemus certam hanc Regulam de non tollendo ius alteri quæsitum; in qua edicit Pontifex suam intentionem non esse per quamcunque signaturæ concessionem, litteras Apostolicas, gratiam, commissionem, mandatum, ac delectionem etiam ex motu proprio & certâ scientiâ, quamvis ante motam litem conferantur hæc omnia, ius alteri quæsitum quomodolibet tollere. Hoc postremum de gratiis datis ante litem obseruandum est. Nam vsque ad Hadrian. fuit aliqua diuersitas vt notat Gomes. *in proœm. eius figura. & quæst. 2.* vbi pluribus 2

osten

ostendit quàm meritò Hadrian. & cæteri deinceps Pontifices voluerint omnia tempora comprehendere tam ante iudicium, quàm à iudicio.

3 Hæc Regula conformis est iuri naturali, & positiuo, canonico atque ciuili, cum nulli facienda sit iniuria vti reuera fieret illi cuius ius iam legitimè quæsitum tolleretur. Sapientérque Ambrosius monuit: *Si non potest subueniri vni, nisi alter lædatur, commodius esse neutrum iuuari quàm grauari alterum.* vt refertur *c. denique* 14. q. 5. nemini omninò inferendum esse præiudicium *cap. sup. eo. de officio delegat.* notatis à DD. vbi sexcenta alia obseruant. Et sane id nunquam intendere Ecclesiam declararunt sæpius Pontifices *c. Ad. & c. mandatum de rescriptis, & c. cum in illis de prebendis, in* 6. neque apud Pontificem debet esse acceptio personarum, *c. noui. de indic.* hancque cautelam adhibere perpetuò solitus est, vt ex suis concessionibus ita vnus accipiat commodum, vt alter damnum non incurrat, vt testatur Ioannes XXII. *in Extra. de concession. prebend.* alioquin vndè iura nascuntur, indè nasci viderentur iniuriæ. Quod cauendum monent Impp. Gratian. Valentin. & Theodos. *l. meminerint, c. vnde vi.* Denique æqualis defensio iuris omnibus subditis est debita: & idcircò Callistrat. *l. de cognitionibus,* ait prohibitum fuisse à Senatu ad statuas, vel imagines principum confugere in iniuriam alterius, cùm leges omnibus hominibus æqualiter securitatem tribuãt, vt refertur *l. Capitolium. §. ad statuas. ff. de pœnis.* Nulla igitur habenda erit concessio Pontificis, aut Principis facta contra ius alterius quod etiam de declaratione intelligendum est ex hac regula. Ratióque aperta est: qui enim declarat, nihil dat sed datum significat, *leg. heredes palam §. t. ff. de testam.* Si igitur concessio fuit nulla, quia tertio ius habenti erat iniuriosa declaratio quoque iniqua atque adeò nulla erit: si verò declaratio non sit circa contenta in Bulla aut gratia, est noua concessio, & nulla, quia contra ius tertij: & attribuenda est circumuentioni, vt Bella. *decis.* 734. & alij tradunt apud Gomes. *quæst.* 13. vbi hanc distinctionem declarationis, per quam aut Pontifex dubia tantùm prioris actus interpretatur aut eius defectus supplet, atque ita nouam gratiam concedit, latiùs explicat. Hæc porrò clausula non reddit gratiam conditionalem suspensiuam: sed solum præseruat iura ita vt de iure alterius constiterit, gratia reddatur nulla: excusatur tamen à vitio subreptionis. Non est autem iustificanda per impetrantem, sed qui suum ius præseruatum fuisse per illam contendit, probare debet se habere ius, vt ostendit Rebuff. *in hanc Regulam. Glossa* 7. n. 2. quia, vt quis obtineat beneficium, non satis est probare aduersarium non habere ius ad illud, nisi se habere quoque ius demonstret, vt dicemus statim.

QVÆSTIO I.

Quodnam ius præseruetur hac regula cancellaria & solemni clausula explicata.

1 RESpondeo valere hanc Regulam primò in iure valido & considerabili: quia si ius illud non erat validum, nullum omninò erat, ac proindè non tollitur, quod non erat validum, nullum omninò erat. Si sit quoque minimum ius, & non considerabile, non attenditur tam exiguum præiudicium: & idcircò non vitiabit concessionem & gratiam. Secundò præseruatur per hanc regulam ius ad rem & non tantùm in re, vt Gomes. q. 1. *in hanc Regulam.* Tusch. *l. c. con.* 329. n. 1. Garc. 4. *p. benefic. c.* 3. *n.* 19. & alij. Eiusmodi ius ad rem quoad beneficia est præseruatum per hanc regulam. Primò illud quod acquiritur ex electione & præsentatione modo *superius* explicato. Ita Felin. *l. in causam quæ* 25. *vers. sed Rota. de rescriptis.* Secundò quod acquiritur collatario ex collatione etiam ante acceptationem, Garc. *capite tertio cit. n.* 25. *&* 39. Tertiò ius quod acquiritur per receptionem in Canonicum cum expectatione præbendæ. Tusch. *con.* 329. *cit. n.* 8. Garc. *d. cap.* 3. *n.* 26. Quartò ius quæsitum per reseruationem pro aliquo de certo beneficio. Garc. *n.* 43. alios allegãs. Quintò, ius per priuilegium optandi acquisitum præseruatur hac regula, vt *ibid.* tradit Garc. *n.* 45. Sextò ius ex mãdato de prouidendo in forma dignum. Septimò ius ad regressum propter protectuiam pensionarij in non soluenda pensione. Octauò ius per oppositionem acquisitum, vi consuetudinis vel constitutionis, non est ordinariò considerabile quo ad hanc regulam, cùm sit ius in spe & acquirendum vi oppositionis. Quoties tamen ex fundatione, aut voluntate testatoris certæ alicui personæ conferendum esset beneficium, v.g. propinquiori ex familia, non modo ille propinquior posset se opponere aut extraneo, aut alteri cuipiam ex eadem familia, sed remotiori: sed etiam haberet ius considerabile, quod per hanc regulam de non tollendo ius quæsitum, præseruatur, vt tradit Gomes. q. t. *cit. n.* 15. Ferdinand. à Castro-Palao *tract.* 13. *disp.* 2. *p.* 1. *n.* 17. quamvis Garci. dicat *part.* 4. *cap.* 3. *n.* 65. ius hoc ex oppositione, vi statuti, aut etiam fundationis non esse considerabile ad effectum huius Regulæ, respectu Pontificis, sed tantùm Ordinarij, qui non potest illi derogare. Quare non debet fieri mentio de hoc iure in gratia, Sede vacante: quia oppositio assimilatur acceptioni, cum pendeat ex facto se opponentis, & sit in voluntate eius. Quare nisi iam opposuerit se, nullum adhuc habet ius ad beneficium, quare impetrans non tenetur meminisse in impetratione de tali oppositione, & iure ex illa proueniente, cum neque vlla sit adhuc oppositio, neque consequenter ius adhuc ex illa prouenerit. Qui igitur impetrauit beneficium ante oppositionem alterius, qui ius habebat se opponendi, validè impetrauit, quia non præiudicat iuri quod alius habet ad beneficium, cùm reuera nullum adhuc tale haberet, sed tantùm habiturus fuisset si se opposuisset. Atque ita sæpius iudicatum in Rota refert *ibid.* Garc. Verùm existimarim impetrationem talis beneficij esse nullam, quia impetrans non habet qualitates quas tanquam necessarias requirit fundatio, aut statutum, aut testamentum: neque derogare censendus est Pontifex, nisi exprimat. Non dispnto enim modò, an possit: nam Ecclesia acceptauit fundationem talis beneficij cum eo onere, & probauit illud statutum in commodum v.g. talis Ecclesiæ. Quo igitur iure derogat eiusmodi contractibus, aut statutis, cùm illa derogatio in manifestum aliorum præiudicium vergat? Quare nisi adsint eæ causæ, quibus teneatur quispiam cedere suo iuri, & subire aliquod incommodum in fauorem boni communis, non poterit Pontifex magis quàm Ordinarius contractui, fundationi, aut statutis præiudicare: neque id facere censendus est, nisi apertè id profiteatur. Quare tota ea impetratio nulla erit, quidquid sit de iure opponendi & excipiendi alterius, & siue se opposuerit, aut non. Quamquam donec ille qui habet ius se se opponendi se opponat tenerà qui beneficium impetrauit, validè illud retineat: quandiu enim non se opponit qui legitimè potest, cedit quodammodo suo iuri & non patitur iniuriam quæ nunquam infertur volenti illam subire, cum facilè posset amoliri.

Tertiò præseruat, hæc clausula ius etiam non per- 2
petuò

petuò duraturum, si tamen est ad certum & determinatum tempus. Verbi gratia si commendetur alicui Ecclesia ad biennium, aut ad vitam: & ante illud tempus elapsum conferatur alteri hæc collatio peccat in hanc Regulam. Si autem commendaretur Ecclesia ad tempus non definitum, ad beneplacitum, aut commoditatem Ecclesiæ, prouisio de illo beneficio facta non redderetur inualida per hanc Regulam: quia tunc nullum ius considerabile propter illam incertitudinem tollitur. Ita Tusch. *l. c con.* 529. *n.* 10. & 11. contra Rebuff. *in prax. in hanc Regulam. Glossa 6. num.* 28. vbi existimat tolli posse ius tantùm ad tempus: vt commendam sex mensium per Ordinarium factam cessare, & alteri Ecclesiam priùs commendatam conferre, propter *cap. nemo deinceps. de elect. in* 6. Verùm ibi tantùm prohibetur ne cui commendetur Ecclesia parocialis vltra sex menses: non autem ius, per quod illam commendam quæsitum est per collationem pontificiam extingui ante elapsum semestre, nisi fortassis dicas hanc commendam Ecclesiæ parocialis non fieri ab Ordinario nisi ex licentia Pontificis; & vt interea possit prouidere Pontifex de illa Ecclesia: ac proinde quando Pontifex prouidet & confert alteri, eo ipso commendam cessare; sed tunc ius quod erat quæsitum per commendam, erat ita temporaneum vt firmari non posset; sed necessariò per collationem extinguibile foret, siue fuerit ius pendens.

Quartò hæc Regula præseruat tantum ius principaliter quæsitum; non autem secundarium, & per consequentiam, sicut ex occasione: hoc enim ius tollitur non obstante hac Regula. Ita Panorm. *con.* 85. *sub fin.* vbi vniuersim pronuntiat, iura prohibentia auferre ius quæsitum, intelligenda esse, quando principaliter, & certitudinaliter tollitur: secus verò si occasionariè. Felin. *in c. Ecclesiarum, vers. secund. declaratio.* Rebuff. *in hanc Regulam. Glossa 6. num.* 29. & latè Gomes. *quæst.* 3. plures adducens, qui & distinguit. Nam aut tempore gratiæ concessæ imminebat illud præiudicium secundarium, & occasionarium: & tunc putat, locum esse Regulæ, nisi constet, Pontificem voluisse illi derogare: vel tempore datæ gratiæ nullum imminebat præiudicium, sed postea contingit occasionaliter: & valet gratia. Neque per hanc Regulam annullatur, cùm reuera tota illa connexio non fuerit facta principaliter in vllius præiudicium, cùm ex plurimis bonis sequantur sæpius plurima mala præter intentionem, vt ex Aug. refertur *cap. de occidendis cum homo 23. quæst.* 5. quare semper est attendendum præiudicium principale, & non secundarium, vt monet solemniùs Glossa *in c. quamvis pactum. de pactis. in* 6.

Quintò hæc Regula præseruat ius putum, non autem conditionale: quia est tantum ius quærendom posita conditione, & nondùm quæsitum est. Ita Rebuff. *Glossa 6 cit. num.* 36. Felin. *in c. super litteras. de rescriptis num.* 11. *in* 5. *Regula* & communiorem probabilioremque dicit Gomes. *quæst.* 4. *in eam Regulam*: quia quoties aliqua pendent ex euentu futuro, & contingenter se habent ad esse, & non esse, considerari non debent; cùm non habeant spem in aliquo vero de præsenti, vt ex plutibus textibus probat Felin. *in c. in nostra. de rescriptis in* 7. *correctione.* Eiusmodi autem est ius conditionale, vt iam monuit, idque fert natura conditionis. Vnde dixit Vlpian. & refertur *l.* 213. *ff. de verbor. significat.* vbi quia stipulatus fuerit, & cessit, & venit dies, vbi in diem cessit dies & nundum venit, vbi sub conditione neque cessit, neque venit dies, pendente adhuc conditione. Dixerat autem cedere diem significare incipere debe-ri pecuniam: venire verò diem, venisse quo pecunia peti possit. Secunda clausula apponi solita in rescriptis principum cum alterius præiudicio, intelligitur de præiudicio, quod in præsentiarum imminet, vti definit Rota apud Gomes. *quæst. cit.* Iura quæ loquuntur de filio putè instituto, non valent in conditionaliter instituto: & quæ iubent soluere tributum ex contractibus, non obligant in contractibus conditionatis, & *cap.* 1. *de rescriptis. in* 6. annullat ipso iure rescriptum ab excommunicato impetratum, quod non valere ait in excommunicato tantùm sub conditione: quod plutibus ostendit Petrus Ancharan. *in consi.* 158. quod incipit, *Ex narratis.* Denique ius conditionale adhuc dubium est: iura autem loquentia de iure quæsito loquuntur de iure claro, & liquido.

Dices: ius conditionale gigni ex spe probabili, ac proinde esse considerabile, & consequenter hac Regula de non tollendo iure quæsito comprehenditur, maximè cùm odiosum sit, tollere ius quæsitum, de omni iure & quomodocumque quæsito intelligendum erit. Præterquam quod certum est, beneficia ecclesiastica æquiparari vltimis voluntatibus *ex C. authoritate. de concessio. prebend. in* 6. & Glossa *in cap.* 1. *eod tit.* æqui si testator grauat hæredem soluere debita Titij, debet etiam soluere debita condicionalia.

Respondeo hanc comparationem beneficiorum cum vltimis voluntatibus, vt ex vno possit argui ad aliud, non esse quoad omnia, cùm etiam Glossa *in cap. gratia. de rescriptis. in* 6. *verf. ignorami* comparet contractibus. Ad rationem verò allatam, Respondeo, ius conditionale esse duplex: vnum, quod nudam spem continet, & dependet in totum à futuro euentu; neque habet subsistentiam aliquam in actu præterito, aut futuro: & hoc ius neque est ad rem propriè, neque in re, neque quæsitum est, sed planè quærendum, aut ita caducum est eò quòd non fuerit incorporatum, vt tale ius perdere, non sit damnum sentire, *ex capite penult. §. fin. de prebend. in* 6. & reuera tale ius conditionale in beneficiis non considerari manifestò colligitur *ex cap. si pro te. de rescript. in* 6. vbi qui apostolicum rescriptum obtinuerat pro canonicatu Bituricensi, modò Capitulum & Episcopus consentirent, postpositus est alteri qui eundem canonicatum obtinuit, antequam prior ille consensum Episcopi, & Capituli habuisset. Neque alterum est ius conditionale: quia fundatur in aliquo actu præterito, aut præsenti, firmam & probabilem spem habet & est considerabile, eóque priuari, præiudicium ac damnum existimatur, quale est ius, quod alicui quæritur ex testamento alterius adhuc viuentis: est enim tantùm conditionale, si nimirum testator non mutet voluntatem, vti potest: & tamen hoc ius plenum *C. de testam.* dùm dicit per testamentum dari plenum ius quoad acquisitionem dominij, plenius per mortem testatoris, plenissimum per aditionem hæreditatis. Si quod igitur eiusmodi ius conditionale adeptum esset in beneficium, præseruatur per hanc Regulam: quia non est omninò conditionale, & per totum à futuro euentu contingens: estque damnum, illo priuari. Ita quoque tradit Rebuff. *Glossa 6. cit. num.* 18. & *seq.* Idem posset derogare Regulæ de 20. diebus etiamsi veniat deinde in præiudicium eius, qui haberet per obitum collationem.

Hæc Regula non tollit possessionem acquisitam, sicut nec ius quæsitum. Ita Rebuff. *Glossa* 3. quia possessio est aliquid iuris: & Barthol. definit ius insistendi *in l.* 1. *ff. de acquir. possessio.* & quia princeps non intendit possessoribus præiudicare, *l. fin. c. si per vim. vel alio modo turbata sit possessio.* & *c. cum nostris de concess. prebend.*

Hinc-

4 Hinc fit primò, si Papa conferat Beneficium duobus, etiamsi declaret suam intentionem, vt collatio non facta primo valeat: iudicabitur tamen pro primo cui per priorem collationem ius quæsitum fuerat: atque ita iudicatum fuisse à magno Concilio pro prioratu S. Martini de Campis Parisiis refert Rebuff. *Tit. tu hanc Regulam, gloss.* 1.

Secundò, sequitur clausulam motûs proprij impedire subreptionem; non autem alterius iuri præiudicare, vt ex ipsa Regula hodierna patet: & tradit pluribus Gomes. *quæst.* 8. & Rebuff. *glossa 6.n.9.*

Tertiò, clausulâ, *non obstante collatione alteri facta*, intelligenda est de collatione inualida. Ita multi apud Gomes. *quæst.* 51. ne tollatur ius tertio.

Quartò, donatio principis intelligitur sine præiudicio. Quarè si donauerit terras alteri, tenebitur inde soluere collectas debitas ciuitati. Rebuff. *Glossa ... num.* 3.

Quintò, nunquam in commissione generali concessum censetur vt possit tollere ius tertij: quòd si id aggrediatur, illi resisti poterit; quia cùm ne ipse quidem princeps id possit, aut non nisi de plenitudine potestatis, certè eam facultatem non fecit legato, aut Vicario suas partes agenti.

Sextò, gratia facta à principe pro crimine admisso, nunquam remittit mulctam parti applicatam, aut eius interesse: idque expressis verbis cauetur in rescriptis regiis, quibus reis fit venia. Qua de re vide Rebuff. *in ordinat. regias, Rubrica de gratiis*, & *in interpretatione l. vnicæ C. de sententia. quæ pro eo quod interest. in præfat. num.* 33.

Septimò, legitimatus post mortem patris, illi non succedit, quia princeps à illâ legitimatione non intendit tollere ius quæsitum agnatis, & DD. tradunt *in l. Gallus. §. & quid si tantùm de liber. & posthum.*

Octauò, vasallus qui negauit dominum suum, *desaduoüant*, feudum suum perdidit, nisi in quibusdam casibus, de quibus Boër. *in consuetud. Bituric. tit. de consuetud. feud.* §. 13. Et perspicuum est §. *vasallus in* 2. Si de feudo defuncti contentio fuerit inter dominos, & agnatos, non iuuabitur litteris regiis obtentis, ne priuetur feodo: quia litteræ non interinabuntur, vtpote inciuiles, neque Rex intendit tollere ius quæsitum domino per inficiationem vasalli, *Par le desaduen qu'a fait de luy son Vassal.*

QVÆSTIO II.

An Pontifex possit huic Regulæ derogare?

1 RESpondeo ex communi Canonistarum, Papam habere plenariam potestatem in beneficialibus: quæ omnia sunt respectu eius manualia, vt tradunt *in capite secundo de præbend. in 6.* Verùm quidquid sit de ea plenitudine potestatis Pontificiæ in hac parte, cuius ambitum *alibi* perquiremus, rectè negat Rebuff. *glossa... cit. num.* 13 *& seq.* & *tract. de nominat. quæst.* 21. posse Pontificem, aut principem alium ius quæsitum alteri, si considerabile sit, tollere absque peccato; alioquin debet illum compensare: & *n.* 33. potestatatem illam absolutam tollendi aliena iura quam aliqui agnoscebant in principe, diabolicam vocat, & contra legem diuinam.

2 Vbi tamen graues causæ erunt, vt vtilitatis publicæ, aut aliæ iustæ, poterit aliquando princeps iuri alterius derogare, & Pontifex in beneficiis. Quæ causæ expendendæ erunt, atque si iniustæ sint, existimandum est Pontificem fuisse circumuentum. Si verò dubiæ nobis appareant, & constet nullam fuisse subreptionem, iudicandum erit pro Pontifice: sed id rariùs continget.

Censetur porrò Pontifex tollere ius quæsitum in iis, quæ sunt illi arbitraria. Primò quando id expressè fatetur in suis litteris. Secundò quando aliàs concessio Pontificia nihil operaretur, vt si mandaret duas Ecclesias vniri, intelligendum esset cum præiudicio tertij. Tertiò quando in litteris Apostolicis apponitur particula *anteferri*, de qua particula Felin. *in cap. causam*, & *cap. capitulum. de rescriptis.* Additio *ad Ioan. Monach. in c. ex cui. de præbend. in 6. Glossa in pragmat. de collationibus. in §. visum vers. retractiua.* Verùm ea clausula non reciperetur in Francia, vt monet Rebuff. *Glossa* 4. *& in conc. tit. de mandatis Apostolicis.* §. 1. *Glossa in forma*. quia habemus peculiarem nos formam in Gallia ibi traditam. 5



PRINCIPIVM III.

Quomodo sit vestiganda veritas, seu mens iuris, quando verba sunt ambigua.



PRINCIPIVM IV.

Neque canonum compilatoribus, neque translationibus ab vno idiomate in aliud hærendum est.



PRINCIPIVM V.

Ad intelligentiam, & eorum inter se concordiam consulendi sunt prisci mores, & tempora, in quibus conditi sunt.



PRINCIPIVM VI.

Lex amplianda quando fauet animabus, etiamsi pœnalis sit.

SANCH. *libro tertio de matrimonio, disputatione prima, numero nono.* Couarruuias *capite Alma, secunda parte*, §. 4. *num.* 7. Gutierr. *libro primo, qq. canon. capite* 10. *numero* 8. *Anima.*



PRINCIPIVM VII.

Quod legislator statuit de casu frequentiori, censetur statuisse de minùs frequenti, D. in l. VII. C. de raptu virginum. & *Glossa* ibid. vers. Sponsam.

PRINCI



PRINCIPIVM VIII.

Videndum quid toleratum sit, quid verò probatum ab Ecclesia, vt colligatur certum ius ex canonibus.



PRINCIPIVM IX.

Violatio legis ex contemptu semper grauis, Sanctius disp. 6. num. 12.



MNIA ista principia clara per se videntur: ideoque in illis probandis, & stabiliendis non videtur diutiùs immorandum, quamvis memoriæ infigenda sint propter frequentem eorum vsum. Deinde probata sunt ex iis quæ hactenus diximus: & quod ad primum attinet de verborum ambiguitate, quæ sensum legis dubium faciunt quæ *lib. seq.* trademus in titulos *de verborum significatione*, rem totam explicabunt. Alterum principium, neque Canonum Collectoribus, neque translationibus esse semper fidendum, colligitur ex iis quæ de Collectoribus *lib. 1.* diximus: vnusque Gratianus nominatissimus Collector id docet, cum tam sæpè errari, vt Anton. Iustin. *in dialog. de emendatione Gratiani* euincit, *& in notis ad antiquas collectiones* quam multa in variis versionibus menda commissa sint, obium.

Iam verò quod dicitur consulendos esse antiquos mores ad canonum intelligentiam quis neger, quod in omnibus antiquis Auctoribus obseruandum est, cum ex suis moribus loquantur?

Legem porrò in minimis seruandam, licèt de grauioribus agat, si maximè illa minima sint frequentia, & ipse non ea excipiat, obuium est.

Sicut & animabus atque piæ causæ fauendum esse religio suadet. Vnde Tiraquell. *de pia causa priuilegiis.*

Probationem & tolerantiam non esse idem, certum est, cum omnia quæ non puniuntur, tolerari dicantur, non tamen necessariò probentur. Et contentus violationem legis aggrauet.



LIBER



LIBER NONVS
DE LOCIS CANONICIS.



IC appello sedes argumentorum, quibus Scientia Canonica vtitur ad probandas suas propositiones, siue ea probabilia sint tantùm, siue demonstratiua, eâdem ratione, quâ Rhetores habent suos locos, sicut & aliæ Scientiæ. De quibus paucis hic agendum superest post explicata principia eiusdem scientiæ superiori libro, *ad quem etiam reduci poterat hæc tractatio: immò ipse Aristoteles* in Topicis, *& multis locis plura principia colligit, vti ostendam inferiùs. De locis igitur nostræ huius Scientiæ Canonicæ placet agere, ne quid desiderari possit à nobis.*



CAPVT PRIMVM.

De locis Canonicis in vniuersum.

QVÆSTIO I. *Locorum definitio & diuisio.*
QVÆSTIO II. *Quinam sint loci canonici?*

HÆc quæstiu facem præferet reliquæ tractationi; neque enim de locis Scientiæ Canonicæ licet agere nisi lucutum naturam nouerimus, & discrimen in hac parte inter hanc nostram scientiam, & cæteras. Neque animus est de singulis locis, quibus Scientia Canonica vti potest fusiùs agere, cùm plurima cum aliis scientiis habeat communia, iidem ferè in omnibus scientiis sunt loci, sicut & idem argumentandi modus, eadémque argumenta, & ferè in materia solùm dissideant, totúmque illud discrimen à diuersis illarum obiectis, materia, ac fine petendum sit: ex illis siquidem nascuntur variæ theses & propositiones probandæ, quæ varia etiam argumenta suppeditant, ex illísque sequuntur tandem variæ argumentationes, quarum omnium modus, si scientificus est, qualem nos consectamur, vnus omninò est. Itaque tota vel falsitas, vel veritas ex ipsa materia petenda erit: concludunt enim omnes in modo scientifico, totámque falsitatem in sola materia reperiri necesse est.

QVÆSTIO PRIMA.

Locorum definitio, & varia partitio.

1 DE locis accuratè, fuséque egerunt Aristoteles *libr. oct. Topicorum*, Cicero *tractatu eiusdem inscriptionis*, Fabius Quintilianus *in suis constitutionibus*, aliísque qui primos illos auctores sublegerunt ex quibus locos ducimus, domicilia & sedes, ex quibus argumenta ad rei cuiusque probationem desumuntur, atque, vt ait Cicero, locus est sedes argumenti, quod ratione propositionis quam probat aut improbat, varium esse debet, ac proindè ex vario loco erui oportet: ideoque singulæ scientiæ suos locos proprios, sicut & diuersas theses & propositiones habent; & tamen omnibus communes, cùm solùm materialiter differant. V. g. à coniunctis, ab appositis, ab auctoritate, à lege, à præiudicatis, & eiusmodi alij, ex quibus omnes scientiæ suas argumentiones conficiunt; quæ tamen, vt dixi, in singulis diuersæ sunt pro varietate propositionum probandarum. Ratio à priori est: quia cùm scientiæ differant penes obiecta, quæ in singulis diuersa sunt, cum illas & specificent, & essentialiter diuersificent siue distinguant, ex obiectis singulæ scientiæ suas propositiones probandas desumunt: immò & ex eiusdem obiecti visceribus principia probationum, quibus easdem proprias propositiones confirmant, necesse omninò est locos & sedes argumentorum eiusmodi esse quoque singulis scientiis proprias, & diuersas saltem materialiter, licet communi aliquo nomine ab omnibus donentur. Ideoque nonnulli vocant locos elementa cuiusque rei, ex quo eius principia sumimus. Ita enim Theophrastus apud Alexandrum *in 1. Topicorum.* ἀρχή τις ἢ στοιχεῖον ἀφ' οὗ λαμβανόμεθα τὰς περὶ ἕκαστον ἀρχὰς principium quoddam velut elementum, ex quo principia rei cuiusque sumimus, siue ex quibus argumenta ad rei cuiusque probationem, vti iam dixi, sumimus. Alij volunt nos eiusmodi locis siue signis & notis admoneri, quænam instituto nostro inseruiant; cùm fieri nequeat quin abundè argumenta suppetent illi qui in qualibet re probanda, & exornanda dignabitur animum per singulos locos, & ista signa circumferre, & attentius expendere quænam sint de natura rei, quænam illam antecedant, aut consequantur, quæ affinia, aut pugnantia, aliáque eiusmodi quæ ad εὐπορίαν inuentionem argumenti, & propositionum copiam pertinent.

Loci alij sunt dialectici, alij rhetorici, alij 2
theologici, alij canonici, alij aliarum Scientiarum

pro ipsarum diuersitate, alij sunt communes qui absolutè vocantur *τόποι*: quia sunt generalia propositionum domicilia: alij proprij cuique generi qui *εἴδη* dicuntur, quia sunt sedes propositionum in hac vel illa dicendi materia vel forma. Horum omnium naturam peruestigare necessarium est. *Nam* (inquit Quintilian. libro quinto, capite decimo,) *vt in terra non omni generantur omnia, nec auem aut feram reperias: vbi quæque nasci aut morari habeat ignarus, & piscium quoque genera alia planis gaudent alia saxosis regionibus etiam, litoribúsque discreta nec helopem nostro mari, aut scaurum ducas: ita non omne argumentum, vndique venit, ideoque non passim quærendum est; multus alioquin error est ex exhausto labore quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire nisi casu, at si scierimus vbi quicque, nascatur cum ad locum ventum erit, facile quod in eo est peruidebimus.*

3 Communes, & qui per omnia argumenta, & omnia genera vagantur, sunt primò possibile & impossibile. Secundò magnum, & paruum: ex his enim facilè probatur factum, aut non factum. Inde Tullius *Epist. 3 lib. 7. familiar.* dissuasit Pompeianis victis ne rursùs belli aleam tentarent, eo quòd non videretur fieri posse, vt qui integri fuerant Cæsarianis impares, fracti fierent superiores. Eodem ex loco suadebis Principi perfodere isthmum Corinthiacum tentanti conatum non successum, cùm qui id primus tentauit Demetrius Rex, vt scribit Plinius *libro quarto, capite* 4. & Pausanias *in Corinthiac.* deindè Iulius Cæsar ex Sueton. tum Claudius Caligula ex Plutarch. in eius vita & Suetonio *in illo capite* 22. & tandem Nero in Sueton. *capite* 19. & alij omnes infelici conatu tentarint, quia vt Pausanias in Corinthiacis *οὕτω χαλεπὸν ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάσασθαι* difficile est humana vi cogere quæ diuino consilio sunt ordinata. Simili argumento probabis Romulum non esse Martis filium, quòd mulier Deo misceri nequeat, vt ait Plato *in Symposiac. Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται*, quod & refert Apuleius *libro de Deo Socratis*, immò neque post mortem fieri potuit Deus animalis quales quosdam esse prodidit Apuleius *de Deo Socratis*, & Seruius *in 3. Æneid.* vbi scribit esse quædam Sacra, quibus animæ vertantur in deos, qui appellentur animales, quod de animis fiant. Idem argumentum sumit Clodius cum negat se incestu polluisse puluinaria Bonæ Deæ, cùm id temporis Interamnæ fuerit. Et Roscius se interemisse Patrem, cùm eo tempore visus fuerit Ameriæ. Tullius pro Roscio. Eadem parui & magni ratio est, ex quo videlicet emolumenta, & detrimenta magna, aut parua sumere potest.

4 Loci proprij variant pro varietate causarum, propositionum, scientiarum, & modi dicendi, ac forma probandi, quam vnaquæque scientia sibi assumit. Alij verò sunt loci intrinseci, tum extrinseci, cùm enim (vt ratiocinatur Cicero in Topicis,) *locus sit argumentorum sedes, & ex iis locis, in quibus argumenta inclusa sunt; alij in ipso, de quo agitur, hæreant, alij assumantur extrinsecùs, in ipso tum ex toto, tùm ex partibus eius, tùm ex nota, tùm ex his rebus quæ quodammodò affecta sunt ad id de quo quæritur. Extrinsecùs autem ea dicuntur quæ absunt, longéque distincta sunt.* Ad totum autem de quo disseritur reducit Tullius primò definitionem, quæ quasi inuolutum euoluit id de quo quæritur; partium enumerationem, notationem nominis, cùm ex vi verbi argumentum elicitur. Argumenta quæ ducuntur ex iis rebus quæ quodammodò affectæ sunt ad id, de quo quæritur, in plures partes distribuuntur: nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum: quorum omnia exempla suppeditant Tullius *in Topicis*, & Quintilian. *in Institutionibus, cap. 5.*

Loci extrinseci, siue qui extrinsecùs assumuntur, 5
& ex illis ducta argumenta maximè ex auctoritate ducuntur. Itaque Cicero ait ex Græcis tales argumentationes vocari *ἀτέχνους* artis expertes. Ita porrò dicuntur, non quia ea argumenta sint prorsùs inartificialia, & artis omninò expertia, sed quia ars oratoris ipsa non parit eliciendo ex natura causæ, sed ea foris ad se delata, tractat arte non mediocri. Sunt verò quinque hi loci *ἄτεχνοι* leges, testes, pacta, quæsita, iusiuranda. Auget hunc numerum Fabius, ipséque etiam Tullius *libro secundo ad Quintum Fratrem*; qui tamen si benè legantur non dissident ab Aristotele. Nam responsa, & oracula, testimonio comprehenduntur, sicut & re iudicata, rumor, & fama, pacta quoque conuenta, & tabulas *συνθήκας* nomine Aristoteles intellexit. Legibus senatusconsulta, & decreta comprehendi quis neget? Quamvis distinctè, & seorsim afferri possint. Mihi animus, neque otium singulos omnes istos locos singillatim percurrere, quilibet pro suo commodo, & prout postulabit probanda propositio quam tuetur, illis vtetur, maximè cùm vnam Scientiam Canonicam modò pertractemus, istaque dumtaxat præmiserimus maioris claritatis causâ.

Vnum dumtaxat obseruandum videtur hoc exor- 6
dio cum Aristotele *in Topicis libro secundo, capite* 2. Primò quod conuenit vt genus, vel proprium, vt definitio non est accidens. Quod nulli speciei inest, non inest generi. Secundò, quod non conuenit definitioni, non conuenit definito. Tertiò à proprio genere & definitione fit passim denominatio, non autem ab accidente: quia illud est quid externum, neque necessariò vel intimè rei coniunctum. Quartò vitiosa propositio est quæ vel falsa est, vel impropriè vsurpat vocabula: vnde è contrario. Quintò quod conuenit vt genus, vt proprium, vt definitio, non est accidens. Sextò quod nulli speciei inest, non inest generi: sed quod inest omnibus speciebus, inest generi. Septimò cui conuenit definitio, conuenit & definitum. Octauò vna instantia destruit propositionem generalem, & vniuersalem. Nonò quod affirmatur de specie, affirmatur de genere, saltem partialiter: & de quibus dicitur genus, dicitur & aliqua species. Decimò posito antecedente, ponitur & consequens necessarium, Est iustitia, ergo & virtus. Vndecimò, quod non semper alicui conuenit, id non simpliciter & necessariò inest. Duodecimò, vno contrariorum posito, alterum tollitur: & vno sublato, ponitur alterum: vt, si morbus est, abest sanitas. Decimotertiò, disparata simul cohærere nequeunt, vt planta & homo. Decimoquartò Polinomia vni, & eidem non nocet, vt gladio esse cultrum, & voluptati esse gaudium. Decimoquintò, ex contrariis sequuntur oppositorum contraria attributa, idem non conuenire contrariis, neque eidem contraria conuenire: contraria non posse esse simul, & contrariorum consequentia necessariò esse contraria, sicut, & coniugatorum consequentia per se esse coniugata: similium simile esse

iudicium

iudicium, nisi quid obstet, & si quid conuenit, & cui minùs videtur conuenire, conueniet etiam si cui magis videtur conuenire. Quod dicitur cum additione loci, temporis, alteriúsve circumstantiæ, dici potest simpliciter: Rex est Parisiis, ergo Rex est. Bonum quò diuturnius, eò constantius est, eò est optabilius, & cætera de bono.

7 Similia circa singulos locos *reliquis libris* prosequitur Philosophus, quos legisse non pœnitebit. Nam & singulos locos exponit, & ipsorum vsum propter vniuersalia eiusmodi axiomata, quæ & facilè deducuntur, & facilè intelliguntur. Hæc omnia verò distinctiùs persequi infinitæ foret operæ, & viris peritis, quibus scribimus, non difficulter, ex his paucis vel manifesta erunt, vel ab illis facillimè eruentur. Quare placet totam hanc quæstionem de locis in vniuersum Tullij verbis concludere, qui libro secundo de Oratore sic scribit: *Si sit is qui & doctrina mihi liberaliter institutus, & aliquo iam imbutus vsu, & satis acri ingenio esse videatur, illuc eum rapiam vbi non seclusa aliqua aquula teneatur; sed vnde vniuersum flumen irrumpat, qui illi, sedes & tanquam domicilia omnium argumentorum commonstret, & ea verbis illustret, breuitérque definiat. Quid enim est in quo hæreat, qui viderit omne quod sumatur in oratione, ad probandum, aut ad refellendum; aut ex sua vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, cùm aut res quæ sit tota quæritur, aut pars eius, aut vocabulum, quod habeat, aut quippiam rem illam quod attingat. Extrinsecus autem cum ea quæ sunt foris neque inhærent in rei natura, colliguntur. Si res tota quæritur, definitione vniuersa vis explicanda est. Sic si majestas est, amplitudo ac dignitas ciuitatis, is eam minuit qui exercitum hostibus populi Romani tradidit: non enim qui id fecisset, populi Romani potestati tradidit. Sin pars, partitione, hoc modo. Aut senatui parendum de salute Reipublicæ fuit, aut aliud consilium instituendum, aut suâ sponte faciendum: aliud consilium superbum, suum arrogans. Vtendum igitur fuit consilio senatus. Sin ex vocabulo, vt Carbo: si consul est qui consulit patriæ, quid aliud fecit Opimius. Sin ab eo quod rem attingat, plures sunt argumentorum sedes ac loci. Nam & coniuncta quæremus & genera, & partes generibus subiectas, & similitudines, & dissimilitudines, & contraria, & consequentia, & consentanea, & quasi præcurrentia, & repugnantia, & caussas rerum vestigabimus, & ea quæ ex caussis orta sunt, & majora, paria, & minora quæremus. Ex coniunctis sic argumenta ducuntur. Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moueri, cùm Quintum Metellum tam pie lugere videatis. Ex genere autem: si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid Norbanum accuses, cuius tribunatus voluntati paruit ciuitatis? Ex parte autem ea, quæ est subiecta generi: Si omnes qui Reipub. consulunt chari nobis esse debent, certè inprimis Imperatores, quorum consilijs, virtute, periculo retinemus & nostram salutem, & imperij dignitatem. Ex similitudine autem: Si feræ partus suos diligunt, quâ nos in liberos nostros indulgentiâ esse debemus. At ex dissimilitudine: Si barbarorum est in diem viuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Atque vtroque in genere similitudinis, & dissimilitudinis exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut euentitis, & ficta narrationes sapè ponenda. Iam ex contrario: Si Gracchus nefariè, præclarè Opimius. Ex consequentibus: Si & ferro interfectus ille; & tu inimicus eius cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, & nemo præter te ibi visus est, & caussa nemini, & tu semper audax. Quid est quod de facinore dubitare possimus? Ex consentaneis, & præcurrentibus, & repugnantibus, Vt olim Crassus adolescens non sic. Opimium defendisti Carbo. Idcirco isti te bonum ciuem putabunt. Simulasse te, & aliud quid quæsisse perspicuum est, quod Gracchi mortem sapè in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quòd eam legem in tribunatu tulisti, quòd semper à bonis dissensisti. Ex caussis autem rerum sic: Auaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda luxuries. Ex ijs autem quæ sunt orta de caussis: Si ærarij copiis, & ad belli adjumenta, & ad ornamenta pacis vtimur, vectigalibus seruiamus. Majora autem, & minora, & paria comparabimus sic. Ex majore: Si bona existimatio diuitiis præstet, & pecunia tantopere expetitur: quantò gloria magis expetenda? Ex minore sic:*

Quid si ipse amasset, quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: Est eiusdem & eripere contra Rempublicam, & largiri pecunias. 8 *Foris autem assumuntur ea quæ non suâ vi, sed extraneâ subleuantur, vt hæc. Hoc verum est: dixit enim Q. Lutatius, hoc falsum est: habita enim est quæstio, hoc sequi necesse est: recito enim tabulas. De quo genere toto paulò ante dixi. Hæc vt breuissimè dici potuerunt, ita à me dicta sunt. Vt enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa & notas ostenderem locorum quibus cognitis ille sibi ipse defoderet, & id quod vellet paruo labore, nullo errore inueniret. Sic ego has argumentorum notas noui, quæ illa mihi quærenti demonstrant vbi sunt. Reliqua cura, & cogitatione eruuntur.* Placuit hæc paulò longiora adducere ex Tullio, quibus & locos varios indicat, & describit & breuibus exemplis explicat, in vna quidem arte oratoria; sed facilè fuerit ad aliarum scientiarum materias hæc omnia transferre: neque poteram aut elegantiùs, aut breuiùs locorum omnium naturam explicare.

QVÆSTIO II.

Qui, & quales sint loci canonici?

SVppositis quæ hactenus disputauimus de locis in vniuersum: venio ad locos peculiares & proprios Scientiæ Canonicæ, quibus nimirùm vti solet ad confirmandas suas theses & propositiones, & ab aliis scientiis differt: cùm enim illæ longè diuersas quæstiones explicandas & probandas habeant, diuersis quoque argumentis, & probationibus vti debent, ac proinde diuersos habere locos, ex quibus similia argumenta eruant. 1

Videndum itaque est quænam sint theses & propositiones Scientiæ Canonicæ. 2 Duo porrò genera propositionum tractanda sunt Scientiæ Canonicæ; nempe fidei dogmata, & disciplinæ ecclesiasticæ leges: ad hæc enim duo vniuersa Scientiæ Canonicæ materia reuocatur, vti ostendimus *lib. 5. c. 1. q. 1. n. 2.* quidquid enim toto iure Canonico & Ecclesiastico tractatur quod in conciliis siue œcumenicis, siue aliis, siue constitutionibus Pontificũ vniuersalibus, aut particularibus, Ecclesiarúmq; statutis, & sanctionibus tractatur, vel dogmata fidei & doctrinæ Catholicæ, vel disciplinam, & politiam ecclesiasticam spectat. Neque theses, & propositiones canonicæ possunt aliò spectare, quàm ad materiam eiusdem scientiæ, quæ cum vniuersa dogmatis, & canonibus continetur, vti diximus *loco citato*, non potest illa alias propositiones stabiliendas, aut enucleandas habere, quàm quæ vel de fide, vel de disciplina ecclesiastica loquuntur. Hæc porrò duo propositionum genera, & quæstionum suppeditant: quod vtrumque probandum est Viro Canonico.

Primum est, an sit, & existat. Secundum an iure siue rationabiliter existat: verbi gratia, an de fide sit Christum habere vnam voluntatem, an geminam, diuinam, & humanam. Deindè quænam ratio, aut congruentia id euincat contra Monothelitas. Item an Eucharistia sit adoranda cultu latriæ, & Crux item: quo cultu sint colendæ imagines. Deinde quænam ratione eiusmodi cultum suadere potuerint. Quisnam sit ordo hierarchicus in Ecclesia: an Romanus Pontifex sit supremus hierarcha. Deinde quàm latè pateat ea iurisdictio, quænam rationes eam euincant: quis fuerit Ecclesiæ vniuersæ sensus, & vsus. Prima quæstio pertinet ad fidem, secunda ad varias probationes, & vsum Ecclesiæ. Ex quibus omnibus facile vides vniuersas quæstiones, & propositiones agitandas, & probandas à Scientia Canonica pertinere ad fidem, vel ad disciplinam Ecclesiasticam, in illísque omnibus quæri tum existentiam rei, & an illa sit, tum eius existentiæ causas, & congruentias, siue declarationem & manuductionem, vt fieri etiam in rebus fidei dicemus *in secunda parte huius operis* tractantes de fide. Et sanè multi sunt Patres in explicanda, & declaranda doctrina fidei, circa singula eius dogmata, vti ostendimus *secunda secundæ*.

3 Ex his omnibus, & natura propositionum Canonicarum statim vides loca Scientiæ Canonicæ contineri auctoritate siue testimonio, cùm aliter propositiones fidei probari non possint, neque etiam quæ in disciplina Ecclesiastica sunt stabilita, & sancita. Cùm enim aliter sæpiùs sanciri potuerint, ostendi nequit ita fuisse sancita nisi auctoritate eorum, qui ita sanciuerunt, aut grauium virorum testimonio, qui ita fuisse sancita, quamvis aliter sanciri potuerint, grauissimè testantur, & ipso etiam continuo vsu, qui ita seruauit. Accedit ista ratio, quæ suadet quàm congruenter fides quæ credimus proponat, vnde habemus euidentis credulitatis argumenta: & deinde quàm prudenter sacri legislatores quæ pertinent ad disciplinam ecclesiasticam, ediderint, siue in vniuersa Ecclesia seruanda, siue in diuersis Ecclesiis ita vt etiam in diuersis Ecclesiis nihil absonum, aut indecens statutum, aut seruatum sit. Itaque dicendum est quod de Rhetorica & Dialectica vulgò dicitur, omnem persuasionem auctoritate, vel ratione niti, & Augustin. libro secundo de Ordine: *Ad discendum auctoritate ducimur & ratione: auctoritas fidem flagitat: & ratio præparat hominem.* Ratio intellectum cognitionémque perducit. Quod asserit idem Augostinus libro de vera Religione, capite 24. *Ratio quidem antiquior & prior est: in ipsa siquidem rerum natura fundatur: auctoritas verò præcedit ordine naturæ, aperítque ianuam ad disciplinas acquirendas. Cùm enim illas homo auctoritate cœperit acquirere, tunc demùm discet quantâ ratione sint prædita ea ipsa, quæ didicit ante rationem illarum cognitam, & quid sit ipsa ratio, quam post auctoritatem sequitur, atque comprehendit.* Ratio verò huius ordinis manifesta fit ex debilitate nostri intellectûs, qui cùm sit ignorantiâ offusus, non potest primo statim intuitu in veritatis lucem, aciem intendere, nisi sub auctoritatis quâdam velut vmbrâ quæ illius fulgorem veluti restringat; quam idcircò nubi comparat Paul. ad Heb. 12. *Habentes autem impositam tantam nubem testium*, quibus nimirùm veritatis radij veluti refracti ad nos transmittantur. Et Augustin. libro de moribus Ecclesiæ capite 2. *Quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum, vitiorúmque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrimè comparatum est, vt in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducit auctoritas.* Quod sine dubio verius est in scientiis, quæ sunt supra lumen naturale intellectus, & quarum ianua non nisi credentibus aperitur. Eiusmodi autem esse magna ex parte Scientiam Canonicam, sicut & Theologiam constat *ex primo libro*. Itaque vtraque maximè vtitur auctoritate; non tamen abiecta, vel deserta ratione: cùm enim hæ scientiæ sint rationales, & discursiuæ, nunquam earum actus sine vera aliqua, aut saltem apparente ratione repetiuntur. Nam vel ratio confert ad rectitudinem discursus. Sic enim assensus discursiuus ratione gignitur, & discursus est maximè proprius actûs rationis: vel confert ad assentiendum principiis, ex quibus deinde elicitur conclusionis assensus. At illi assentiri absque vlla omninò ratione & motiuo, impossibile est: quod motiuum sæpè est auctoritas; quæ tunc est ratio assentiendi. Quare sapienter dixit Augustin. *libro de vera religione, capite 24. citat.* ipsam auctoritatem non deseri à ratione, cùm consideratur cui sit credendum: nam ratio tunc expendit, an auctoritas dicentis digna sit cui credatur.

4 Cùm tamen dicimus auctoritatem, & rationem esse duos locos Scientiæ Canonicæ, eósque inter se distinguimus, non sumimus rationem pro quolibet motiuo assentiendi aut probabilitatis; sic enim ipsa auctoritas est etiam ratio assentiendi: sed rationem appellamus principium aliquod & motiuum assentiendi sumptum ex natura rei, sublata quavis auctoritate, & testimonio dicentis: quod motiuum, quia inquiritur, & innotescit studio, & opera rationis, nominatur ratio: & cùm illi quis assentitur, non innititur testimonio alieno, sed proprio. Estque ille locus insitus, & non extrinsecùs assumptus: quare nomine rationis omnes locos insitos, siue internos intelligimus: nomine verò auctoritatis, locos omnes extrinsecùs assumptos.

5 Sapienter autem obseruat Albert. *tract. 5. summæ quæst. 5. membro 2. ad 4.* magnum esse discrimen inter modum quo variæ scientiæ vtuntur auctoritate, & ratione: nam apud scientias merè & omninò naturales auctoritas non gignit certitudinem, aut scientiam, sed solùm præparat rationi locum, vt monebat August. & qui solùm credit magistro dicenti, habet adhuc formidinem, exponitúrque periculo errandi. Vbi deindè accedit ratio, euanescit credulitas adueniente proprij intellectûs testimonio per resolutionem ad vsque rationis prima fundamenta, & principia. Quare auctoritas in merè humanis cognitionibus, & scientiis est infirmum argumentum, imperitiæ multitudini accommodatum, cùm ratio sit peritis argumentum conueniens. Itaque in tradendis his scientiis multa initio supponuntur, vel petuntur ab auditoribus, qui nondùm idonei sunt illis exactè percipiendis, quæ deinde in progressu, ratione penetratâ, euidenter demonstrantur. At verò scientiæ quæ feruntur in obiecta supernaturalia, quæque indigent alio lumine quàm naturali, cùm habeant pro primo principio & fundamento auctoritatem: ita ab illa incipiunt, & in illam resoluuntur: ratione verò non vtuntur, nisi auctoritatis adminiculo fulciantur. Itaque in scientiis prorsùs naturalibus ratio est fundamentum, auctoritas manuductio. In Theologia, & aliis scientiis, quæ innituntur superiori lumine, auctoritas est fundamentum, ratio manuductio, vt aliàs in structura syllogismi, & discursûs theologici demonstrauimus. Ideoque August. *libro 13. Confess. cap. 15.* diuinam auctoritatem in scriptura vocat, *fundamentum super nos*: quod ita explicat Gill. *l. 5 tr. 7. cap. 1.*

capite 1. num. 2. quia, inquit, principia ea quæ menti suapte vi, & lumine naturali percipit, sunt quidem firmamenta, quibus eius scientia nititur: verùm non super ipsam; quia captum eius non excedunt sed quodammodò infra ipsam, quia de ipsis iudicat seducens, atque expendens ea ad primam mensuram naturalem veritatis. At principia ex auctoritate diuinâ sumpta, quia superant captum intellectûs creati, nec veniunt in examen veritatis, sed captiuum redigunt intellectum in obsequium fidei, sunt quidem firmamenta assensuum subsequentium, qui ex illis per discursum gignuntur: sunt tamen supra mentem. Ex quibus videa cur Theologia, aliæque scientiæ, quæ lumine supernaturali ducuntur, dicantur vulgò non vti ratione: quia nempè licèt in illis sit tam vera & intrinseca ratio, quia tamen illa fugit, & superat aciem mentis nostræ, dicuntur illæ scientiæ non vti ratione tanquam fundamento primario suarum cognitionum, & demonstrationum. Quare S. Thomas *in Boetium de Trinitate, quæstione prima, articulo quarto ad septimum*, dum explicat verba Richardi à S. Victore dicentis omnia necessaria quæ fide creduntur, habere suas rationes non modò probabiles, sed etiam necessarias, quia nulla est veritas complexa, cui non sit aliqua ratio assentiendi. Nam vel est per se nota, & exigit assensum ex sola penetratione terminorum: vel talis non est, & tunc causam val rationem habet à priori, propter quam vera est. Quare ipsæ etiam veritates fidei, quas probamus discursu theologico, rationes habent; quas si mens nostra clarè & distinctè perciperet, non egeret testimonio, & auctoritate fidei: vel non egeret discursu ea principiis creditis. Huius enim indigentiæ tota ratio petitur vel ex proportione nostri intellectûs ad penetrandas rationes & principia scientiarum naturalium, vel ex improportione ad rerum supernaturalium causas, & principia perscrutanda. Quare Augustinus libro sexto, confess. capite 5. *Cùm essemus infirmi ad agnoscendam liquidâ ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate sacrarum litterarum iam credere cæperam.* Requirit igitur Augustinus sacrarum litterarum auctoritatem, quia ratio non illi sufficiebat: cùm vel illa ratio non appareret, vel illam, & eius cum supernaturalibus mysteriis connexionem non satis penetraret. Quare, cum idem contingat circa scientiam Canonicam, cuius pleraque principia sunt supernaturalia, sicut & Theologiæ, indiget quoque auctoritate, & ratione quoque argumentatur: auctoritate continentur argumenta, & deinde ratione, videlicet à definitione, à causis, ab effectis, & aliis locis, ex quibus promuntur argumenta infrà; quorum eiusmodi locorum vsum tam familiarem esse ipsi etiam Theologo, quàm scientiarum naturalium peritis & dialecticis fusè docet Iochimus Perionius *libro primo topicorum theologicorum.*

CAPVT II.

Locus ab auctoritate diuina, & angelica.

QVÆSTIO I. *Locus ab auctoritate verbi diuini scripti.*

QVÆSTIO II. *Locus ab auctoritate verbi diuini traditi, & non scripti.*

QVÆSTIO III. *Ab auctoritate Ecclesiæ verbum diuinum proponentis.*

QVÆSTIO IV. *Auctoritas angelica.*



AVCTORITAS omnis, quâ maximè vtitur Scientia Canonica, vel diuina, vel creata est, vti monet Augustinus *libro secundo de ordine, cap. 9.* Diuina vnica est, & immobilis, semper eadem, & infallibilis, quamvis variis modis applicetur, & pro ea diuersitate applicationis diuersos locos constituere videatur, quamvis communem aliquem modum quo se hominibus exhibet, habeat, nimirùm diuinam locutionem & dictionem ad extrà, ex solemni & vsitata prophetarum phrasi, *hæc dixit Dominus.* Id verò constat, vel verbo solùm, vel scripto: istud habemus in Scripturis Canonicis: primum illud per traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas. Vtrumque porrò nobis proponit Ecclesia, cuius testimonium ex assistentia Spiritûs sancti infallibile est. Testatur autem Ecclesia vel vnico totius Christiani populi consensu; vel ipsius Capitis ore de Cathedra (vti loquuntur) testantis, vel per Christianitatis repræsentationem in concilio generali legitimo. Vnde vides, Ecclesiam triplicem quasi locum ab auctoritate diuina suppeditare.

Auctoritas creata vel angelica est, vel humana; nempè ex rebus gestis, ab historia, vel ratione, quæ ex dogmatibus & principiis aliáve ratione, siue intrinsecâ, siue extrinsecâ deductâ: eáque principia sunt aut theologica, aut naturalia. Si naturalia, poterunt probari auctoritate philosophorum, & sapientium siue christianorum, siue externorum: si dogmata fidei, aut ex illis deductæ conclusiones probandæ, vtemur tum auctoritate veterum Patrum, tum Theologorum scholasticorum, tum iuris vtriusque peritorum testimoniis. Ex quibus omnibus vides, lex haberi locos ab auctoritate creata, nimirùm ab historia christiana, à philosophorum christianorum aliorúmve auctoritate, ab antiquis Patribus, Theologis scholasticis, & Scripturæ Interpretibus, iuris vtriusque peritis, Angelis tertio aut beatis: quibus adde locum à ratione: his adiice auctoritatem diuinam ex verbo diuino scripto, tradito, testimonio Ecclesiæ vniuersæ per communem consensum, aut repræsentatæ in conciliis legitimis œcumenicis, aut per Caput suum. Quæ omnia tradit Canus *libro primo de locis theologicis, cap. vltim.* Vides itaque locum ab auctoritate pro ratione ipsasmet auctoritatis quâ vtimur ad confirmandam nostram propositionem trifariàm diuidi posse: cùm enim auctoritatem, quam fides, vel testimonium dicentis sequitur, non possimus afferre nisi testimonium diuinum, vel angelicum, vel humanum, de duobus prioribus loquemur *hoc capite*, diuino nimirùm, & angelico: de auctoritate, & testimonio humano dicemus *capite sequenti.*

QVÆSTIO PRIMA.

Locus ab auctoritate diuini verbi, & testimonij scripti.

HÆc auctoritas certa & infallibilis est inter Christianos: quare eâ minimè aduersus gentiles, & infideles vtendum est, vt obseruat S. Thomas *1. part. q. 1. art. 8. & in caput secundum Dionysij de diuinis nominibus.* Deinde inter Christianos cauendum est ne eâ vtamur ad astruendam aliquam sententiam vel ridiculam, vel falsam. Quare ridet Augustinus *libro primo de Genesi ad litt. cap. 19. & lib. 2. cap. 1.* simplicitatem eorum, qui contra philosophum quemdam

acriter tuebantur terræ molem aquis inniti *ex Psalm. 135. Qui firmauit terram super aquas.* Vti igitur possumus Scripturis cum Christianis vel ad tuenda dogmata fidei, vel ad deducendas conclusiones theologicas. Ad dogmata fidei opus est certo, indubitato, & litterali sensu Scripturæ, de quo idcircò *superiori libro* pluribus egimus: alioquin tota conclusio, quam ex illo probare intendimus, dubia & incerta erit, cùm eius assentiendi motiuum tunc sit incertum, & dubium: & cùm dubitatur de sensu allatæ Scripturæ, dubitatur quoque de eius sententia, & an sit à Deo reuelata. Et nisi constet de ea reuelatione, & (vt ait Augustinus libro duodecimo Confess. capite 25.) *temeritas sit audacia, non scientia, quam nec visus, sed typhus peperit.* Quare ipsemet Augustinus dubitat de vero sensu, quem intendebat Moyses primis illis verbis: *In principio creauit Deus cælum, & terram: Quamuis ex multis vnum sibi eligeret. Non est igitur afferenda propositio de fide ex Scriptura, & afferendus tantùm sensus probabilis, sed omninò certus: alioquin periclitatur charitas; dissensio enim circa dogmata fidei, disiungit animos, maximè si alterius opinio tanquam improbabilis, falsa & heretica damnetur propter leue dubium, & inutile aliquod testimonium, cuius inanitatem damnatus non leuiter obtendit, & obiicit tanquam futile fundamentum, & omninò inane. Fides quoque periclitatur: quia aduersarius non discedit à sua sententia, cùm tueatur suum sensum, quem & sensum Scripturæ existimat, & qui eius proprius est: & ideò illi non obstante adhæret, & ideò aliquando alterum sine causa erroris insimulat, atque ita nonnunquam in veram heresim incurrit.* Quare sapiens Augustini consilium libro primo de Genesi ad litteram, capite 18. *Vt in rebus obscuris, atque ab oculis nostris remotissimis, si qua in Scriptura legimus quæ possunt salua fide, quâ imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos præcipiti affectatione ita proiiciamus, vt si fortè diligentiùs discussa veritas eam labefactauerit, corruamus non pro sententia diuinarum Scripturarum, sed pro nostra; ita dimicantes, vt eam velimus Scripturarum esse quæ nostra est: cùm potiùs eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Quibus consentaneè omninò monet Cassian. Collat. 8. capite quarto. *De his quæ apertâ explanatione probata sunt nos quoque constanter possumus definire, audenterque nostram proferre sententiam: ea verò, quæ meditationi & exercitio nostro reseruans Scripturis sanctis Spiritus diuinus inseruit, quibusdam ea volens indiciis, & opinionibus colligi, ita pedetentim debent, cautéque conferri, vt sit eorum assertio vel confirmatio in confirmantis vel disputantis arbitrio collocata. Nonnunquam enim cùm super vna re diuersa promatur sententia, potest vtraque rationabilis indicari, & sine detrimento fidei, vel fixè, vel mediè suscipi, id est, ne eis nec plena credulitas, nec absoluta refutatio deputetur, priorique nec sequens opinio derogare non debeat, cùm neutra earum fidei inueniatur obsistere.*

2 Verus verò & indubitatus Scripturæ sensus cognosci potest ex iis, quæ *libro proximo* diximus. Si nimirùm fuerit alibi in ipsa Scriptura traditus, si traditione Apostolicâ deriuatus, & ab vniuersa Ecclesia receptus, si ab vniuersali concilio in fidei definitionibus propositus, si ab ipso Pontifice ex cathedra allatus, si à Patribus communiter adductus. Cæteri sensus, modò non repugnent fidei regulæ, aut contextui, Dei & proximi charitatem non impugnent, probabiles haberi possunt, ea regula ab Aug. tradita *lib. 1. de doctr. Christ. c. 36.* non enim quidquid in mentẽ venerit alicui Auctori, pro sensu probabili haberi debet. Quare varios gradus probabilitatis istorum sensuum scripturæ distinguunt aliqui. Primò ij, qui à Patribus, & Conciliorum, & Pontificum decretis probantur, & ad fidei definitionem ex instituto afferuntur. Secundò, qui communiùs à majori sanctorum Patrum parte afferuntur. Tertiò, quos noui Interpretes, recentioresque Theologi admittunt. Quartò denique, qui ea graui aliqua, & cogente ratione ducuntur: eam enim hoc quoque loco valere vult Augustinus libro tertio de doctrina Christiana, capite 28. *Vbi autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat vt ratione reddita manifestus appareat, etiamsi ille, cuius verba intelligere quærimus, eum fortè non sensit.* In ea tamen afferenda & expendenda ratione, diligenter laborandum est, ne facilè erremus. Ad quam regulam confirmandam valebunt etiam scripturarum sensus aliqui probabiles, & mystici.

Atque hactenus de probatione dogmatum fidei, siue ostendendi aliquid esse dogma fidei. In defensione autem alicuius dogmatis facilius erit sensus probabiles scripturæ afferre, modò ostendamus non iis solùm, aut maximè, dogma fidei quod defendimus inniti, ne detur occasio hæreticis cauillandi, & irridendi apud imperitos fidem, veluti incertis fundamentis nixam. Defenditur porrò dogma fidei vel ostendendo doctrinam illam à Deo reuelatam esse: & tunc produci priùs debet testimonium secundùm sensum certum, & non tantùm probabilem. Quod si dumtaxat quis defendat sententiam non esse hæreticam, sufficiet sensus probabilis communi, aut aliquorum Patrũ expositione probabilitatis, aut congruenti ratione firmatus: tunc enim damnari non poterit tanquam dogma hæreticum. 3

Quod attinet ad conclusiones theologicas, quoties illæ nituntur aliquo scripturæ loco, debet ille afferri secundùm sensum certum, & non dubium, aut tantùm probabilem: alioquin tota conclusio dubia tantùm erit, aut ad summum probabilis, & non de fide; immò neque etiam theologica. Quod si locus ille præferat in cortice litteræ sensum vel falsum, vel regulis fidei parùm conformem, non modò non stabiliet dogma fidei: sed erit temerarius & perniciosus abusus scripturæ, vti monebamus ex August. *lib. 1. de Genesi ad litteram. cap. 18. & 19.* 4

Sensus etiam Scripturæ per accommodationem, à nobis *libro superiori* reiectus est quod ad confirmationem in scholis, licèt in homiliis ad populum, & sermonibus popularibus idoneus sit. Eiusmodi verò sensus non est dumtaxat ille, qui ducitur ab exemplo personæ commendatæ in Sacris litteris, & cuius actiones sequendæ proponuntur: nam eâ ratione Christus *Luc. 8.* probat fas esse discipulis suis fame laborantibus spicas ex agro alieno vellere, facto Dauidis, qui necessitate pressus panes propositionis comedit. Cur igitur non colligemus baptismum posse conferri à nõ Sacerdote: quandoquidem Philippus Diaconus illum Eunucho Candacis Reginæ contulit *Act. 8.* In Sanctorum factis adducendis, & in exemplum proponendis magnâ prudentiâ opus est, & regulæ fidei consulendæ, ne quid temerariè suscipiatur. 5

QVÆSTIO II.

Locus ab auctoritate diuini verbi, non scripti, sed traditi.

DAti traditiones Apostolicas, eásque non modò vtiles, sed & Ecclesiæ necessarias esse: in quibus videlicet contineatur verbum diuinum non scriptum, 1

demon

demonstrauimus *lib. 6. superiori*; in illis etiam ius Canonicum siue Ecclesiasticum, quod in scripto, & non scripto, Iustinianum, qui idem circa ius ciuile præstitit, æmulati, contineri, eodem loco euicimus; neque aliquid his addenda superesse mihi videntur. Ex quibus omnibus tam solidè stabilitis, illud certum colligitur ex eiusmodi traditionibus firmum omninò duci argumentum ad ius ecclesiasticum demonstrandum, siue illud dogmata & fidem respiciat, siue disciplinam ecclesiasticam tanquam ex certo, & diuino iure, & quæ ab hæterodoxis, qui vtrumque negant, singillatim affeeuntur, acerrimè reiecimus. Quia verò hoc loco plures imposturæ obrepere possunt, interdúmque falsò obtrudi traditiones Apostolicas, quæ tales non sunt, sed delitantium, aut malè feriatorum somnia, quânam ratione falsæ traditiones à veris dignosci possint docuimus, eiúsque discriminis veras regulas tradidimus; quas releges, ne turpiter decipiaris. Quare ad eum locum à traditionum auctoritate nihil ampliùs edisserendum videtur. Idcirco illo sæpiùs vsi sunt sapientissimè Patres aduersus hæreticos, & ad restituendam disciplinam ecclesiasticam prolapsam, si quidem ad vsum & praxin antiquam & continuatam Ecclesiæ, maximè vniuersalis, vt legentibus obuium est, recurrunt.

QVÆSTIO III.

Locus ab auctoritate Ecclesiæ, verbum diuinum proponentis.

1 Firmissimum quidem est argumentum à verbo diuino tum scripto, tum non scripto, sed per manum Apostolorum, aliorúmque fidei primorum principum, & ad nos vsque per manus tradito, vti euicimus *duabus superioribus quæstionibus*. Quia tamen diuini verbi scripti sensus sæpiùs vel ambiguus est, vel diuersimodè trahi, & explicari potest: verbum verò non scriptum, & traditum, non vsque adeò semper clarum est, vt de eo contendi non possit, vnde plerumque fit vt ex quo loco Catholicus fidei verum dogma eliciat, ex eodem hæreticus hæresin colligat. Nam etiam ipsa *simplicia scripturarum verba mos est hæreticis torquere* (vt ait Tertullian. cap. 19. aduersùs Hermogenem.) Quare illos Martinus Pontifex primus in Concilio Lateran. *consultat.* 5. componit sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, quasi paternis velata doctrinis: intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia, id est mortalibus, & fœtidis dogmatibus. Opus ideircò fuit noua aliqua regula, aut iudice, qui hæc omnia diiudicaret, & vera à falsis dogmata distingueret, doctrinam Dei à dæmoniorum nugis, & obscura, & ambigua interpretaretur, veramque Christi & Apostolorum scripturis interpretandis auctoritate sua, cui refragari non liceret, fidelibus proponeret. Illa auctoritas alia non est quàm Ecclesiæ, quæ columna, & firmamentum existit: atque hanc Ecclesiæ auctoritatem omninò necessariam esse agnouit Vincentius Lerinensis in commonitorio: *Hic forsitan, inquiens, requirat aliquis, cùm sit perfectus Scripturarum canon, quid opus est vt ei ecclesiastica intelligentia iungatur auctoritas: quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine, non vno modo eodémque sensu omnes accipiunt, sed eadem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt tot illic sententiæ erui posse videantur. Atque idcircò multum necesse est propter tantos, tamque varij erroris anfractus, vt prophetica, & Apostolicæ interpretationis linea secundùm ecclesiastici; & catholici sensus normam dirigatur.* Vides itaque duobus prioribus argumentis hactenùs explicatis addendum esse hoc tertium ab Ecclesiæ auctoritate desumptum: etsi enim priora illa vim ex se se habeant, firmitatem, & infallibilitatem: quia tamen dubitari potest, an illa talia commodatè afferantur, & verè adducantur, accedat necesse est Ecclesiæ auctoritas, quæ testatur illa verè afferri, ac proindè talia existere, & irrefragabiliter adducit, non facit quidem Ecclesia vt illa testimonia sint infallibilia, sed testatur esse verè verbum Dei, & non imponi falsò loquenti Deo.

Hæc porrò auctoritas à testimonio Ecclesiæ desumpta tribus modis, vti nuper monuimus, desumi potest. Imprimis enim sumimus Ecclesiam pro vniuerso Christi fidelium cœtu, sub vno capite Christi Vicario, vna fide, & Sacramentis colligato. Huius fidelis cœtus communis consensus, testimonium est infallibile, & irrefragabile, cui neque liceat reluctari, neque ad aliud quidpiam prouocare, & ex Christi promissione errare non valet in fide, alioquin aduersùs illam portæ inferi præualerent, contrà quam promiserit Christus *Matth.* 16. portas siquidem Inferi hæreses esse interpretantur Hieronym. Chrys. Theophylact. aliique Patres passim. Ecclesiæ igitur sufficit auctoritas: audi Augustinum lib. 1. contra Cresc. cap. 33. *Quamuis huius rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuersa placuit iam Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.* 2

3 Hac auctoritate Ecclesiæ tanquam ineluctabili vsi sunt Patres siue agant de capite & Pastore vniuersali Ecclesiæ, cui illa adhærere in sua doctrina tenetur, siue agant de vniuerso Ecclesiæ corpore, quod non potest aliquid falsum docere tanquam ad fidem pertinens, siue loquantur de Ecclesia in concilio œcumenico congregata, & repræsentata: quæ omnia fusissimè stabilita sunt *lib. 5. & 6. superioribus*, & ex Ecclesiæ contemptu, atque Pontificiæ sedis natas esse hæreses, & discissam fuisse fidei vnitatem, docet Cyprian. *libro de vnitate Ecclesiæ, & libro primo epist.* 3. Quæ omnia aliáque eiusmodi aduersùs heterodoxos afferunt, & confirmant Canus *lib. 5. de locis*, Castro *lib. 1. aduers. hæres. cap.* 6. Stapleton. *controu.* 3. *lib. 7. cap. 8. & seq.* Bellarm. *libro secundo de conciliis*, qui & alios affert *lib. 2. & cap. 2.* Gillius *libro primo. cap. 9.* aliique.

CAPVT III.

De auctoritate angelica.

1 ANGELORVM auctoritas, & testimonium fidem omnimodam facere nequit, neque fides in eo inniti, non modò quia creatum, & non diuinum est: sed etiam, quia licet summæ dignitatis sit, fallere tamen, & falli, decipere & decipi ex natura sua potest: tum quia neque Angeli scientes omnium rerum existunt, & propria inquisitione & discursu rerum singularum notitias inquirunt, ac vario modo ignorantiæ tenebris obcæcati, & à variis affectibus corrumpi possunt, ab aliis audire, & accipere plurima debent, ac proinde ab illis deludi queunt; quamvis acri, & subtili sint ingenio, pleraque inuestigare valeant: atque alia ex aliis colligere, longáque, & diu-

turna experientia plurima ellicere. Si quando itaque infallibiliter loquuntur, id habent non ex sua quidem vi, & natura, sed ex aliqua conditione illis aliunde accedente.

2 Omnes enim Angeli vel sunt probi, superna felicitate donati: vel sunt reprobi, & mali. Illi ratione beatitudinis, neq; fallere, neque falli nec malefici esse possunt: alij è contra nonnisi fallere & falli nisi ex mala aliqua volũtate hominibus non ita possunt. Quare eo vti testimonio nisi ad decipiendum, aut malè agendum, non licet. Itaque eorũ consortium periculosum duntaxat & malum esse potest. Hinc vana, & delusoria oracula, fraudes, & imposturæ, diuinationes fraudatoriæ, & alia eiusmodi. Quod si aliquando Patres & Christiani angelicis testimoniis fuerint vsi, & reuelationibus ab illis factis, de earum veritate, & virtute aliunde constitit. Tradendum quidem foret hoc loco, quis esset commodus eiusmodi testimoniorum vsus, maximè in rebus fidei: sed tractatum fusiorem ista postulant quem in sequentibus pollicemur, vbi de omnibus reuelationibus, de diuinationibus, auguriis, oraculis diuinationibus, magiis, eiusmodique aliis agemus, & quibus in rebus his vti liceat, & eiusmodi testimonia mendicare, & auctoritatem adducere: quibus omnibus idcircò supersedemus hoc loco.

CAPVT IV.

De locis ab auctoritate humana.

VENTO ad vltimam auctoritatem, quæ Canonicis assertionibus fidem aliquam facere potest, vbi vel diuina, vel angelica deerit, & qua interdum vti cogimur: non enim tam leue est pondus illius, vt contemni à nobis omninò debeat. Quia tamen illi omnia tribuenda non sunt, præmittenda videtur hæc prior

QVÆSTIO I.

Omnis humana auctoritas fallibilis est.

1 HÆc assertio & fide, & ratione constat: omnem enim hominem mendacem esse pronuntiat Dauid *Ps.* 115. de suo nimirùm, & nisi habeat assistentem Dei veracitatem: licèt fuerint aliqui, qui nunquam mentiti sint, vti narrat Petrus Simeon Iprensis Episcopus *opere de veritate*, licèt & alios enumeret insigniter mentientes, qui nunquam tota vita sua verum dixerint. Vnum tale in Claudio imperante qui eius cadauer canibus insepultum obiici iussit, bona fisco addici, ædes dirui, liberos & vxorẽ deportari. Hanc verò ad mentiendum procliuitatem manifesta demonstrat ratio. Cùm enim homo non sit ab errore immunis, expositus est necessariò periculo docendi falsum, vel ex ignorantia, vel ex malitia. Vnde consequitur nullius singularis hominis dictum, & testimonium infallibile esse posse, neque proindè fidem illi esse habendam sine examine, & delectu, & tantùm quia ipse ita dicit, & testatur, cùm quilibet etiam peritissimus, sapientissimúsque obnoxius sit errori, & decipi, atque decipere, quamvis inculpabiliter possit, nisi diuino lumine modo quodam extraordinario illustretur, vt tractantes de diuinis reuelationibus, demonstrabimus suo locô. Et ipsa quotidiana, & antiqua pridem experientia manifestum facit, fatentúrque omnium ætatum sapientes, qui perpetuò discrimen ingens inter eos quos selmus diuino spiritu afflatos, & reliquos, licèt sapientes, & pios adhibuerunt, quibus nunquam omnimodam auctoritatem tribuerunt, quamvis vt pios venerati sint, & illis tanquam sapientibus detulerint. Audi Hieronym. Epist. ad Theophylum aduersùs Ioannis Hierosolymitani Origenistæ errores scribentem: *Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores: illos semper vera dicere, istos in quibusdam vt homines aberrare.* Idem fuit ipsorummet sapientum sensus, licet tanquam doctrinæ siue sacræ siue profanæ principes habiti fuerint, qui sibi credi noluerunt nisi quantùm auctoritas, & ratio, quibus sua dicta confirmabant à prudenti lectore, aut auditore exigebant. Quod affirmat Augustinus *libro de Baptismo contra Donatistas, cap.* 3. & *Epist.* 19. & 103. *lib. verò de ordine cap.* 9. vbi dixit, humanam auctoritatem plerumque falli, subdit c. 10. nolle sibi credi nisi docenti, & rationem reddenti. Hinc humilis ille Patrum omnium de suis scriptis sensus, qui vel suam fatentur imperitiam, vt Hieronym. *in cap.* 1. *Ezech.* vel se in sententia pertinaces esse nolle testantur, vt idem Hieronym. in c. 26. *Ezechiel.* vel sua scripta denuò ad limam reuocant, & accuratiùs examinant, & expendunt, retractant, si opus sit, & emendant. Quod fecit Augustinus insigni opere suarum retractationum, vel aliis etiam examinanda mandant; quod præstitit egregiè Nazianzen. *opusculo contra Arian.* Vel denique se emendaturos, si quid occurrat pollicentur, vt Hieronymus *Epist. contra Pelagian. ad Ctesiphontem, sub finem.* Quare perpetuò existimarunt licere sine veritatis præiudicio, à quolibet humano auctore discedere cum eo ipso vel singularis est, vel humanæ auctoritatis maiorem sibi possit exposcere.

Addit Canus *lib.* 10. *de locis, cap.* 5. nullum esse siue inter magnos, & antiquos sapientes, ac Theologos siue later posteriores philosophos, qui in aliquos errores non inciderit, quod noua inductione confirmare non foret operosum, in ipsis etiam priscis, & celeberrimis Patribus. Quare nullum licet assignare, quem posteri omnes sequuti fuerint: immò plurimi discipuli magistrorum sententias emendarunt, & ex pulpitis ac scholis amandarunt. Vide Francisc. Hotom. *lib.* 5. *de locis catholicis, cap.* 3. qui idem ostendit in Doctoribus & Patribus, qui aliquandò vel cespitauerunt, vel dormitauerunt, ita permittente diuina prouidentia, vt appareat illos fuisse homines. Nam Victorinus, Lactantius, Irenæus Millenariorum errorea docuerunt: Cyprianus hæreticos rebaptizandos putauit, Augustin. initium fidei ex nobis existimauit, sed se emendauit *lib.* 1. *retract. cap.* 23. Vide alia apud Caiet. *libro proximè citato.* 2

Quæ omnia si vera sunt in antiquioribus Patribus, potiori ratione dicenda erunt in Theologis scholasticis, ex quibus nullus omninò est quem omnis schola sequatur: immò cum diuersæ sint scholæ, singulæ singulos suos habent diuersos, quibus etiam singulis sui obiiciuntur næui, errores, & lapsi, quos non difficile fuerit citra calumniam assignare. Idem de Canonistis & iuris vtriusque peritis dicere fas fuerit; sed non vacat ad ista modò digredi. 3

Ex quibus videas, vt nihil minùs dicam, insolentiam eorum, qui vnius alicuius sententiæ ita sunt addicti, vt eam veluti fidei definitionem, aut tanquam illi proximam sequantur: & contrarium opinantes tanquam malè, aut periculosè sentientes reiiciant & dãnent. Qua de re iure meritò queruntur Castro *lib.* 1. 4

aduersùs

aduersùs hæreses, cap.7. Canus *lib.8 de locis cap.4. conclus.*1. & *lib.*12. qui & Victoriam refert, Ban.1.*part. quæst.*1.*art.8.dub. vltimo*, & fusiùs Durand. *in prolog.* vbi ait fieri hoc modo injuriam Ecclesiæ, & Theologiæ. Itaque pro nullius sententia pugnandum esse acriter, atque ideò cuiusque Doctoris sententiam intra fidei normam & sequi, & impugnare fas esse. Quæ fuit insignis Augustini modestia *Epist.*7. scribentis ad Marcellianum, qui dolebat scripta Augustini à quibusdam argui. *Vos autem* (inquit Augustinus) *qui me multum diligitis si talem me appetitis aduersùs eos quorum malitiâ vel imperitiâ, vel intelligentiâ reprehendor, vt me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustrà laboratis: non bonam causam suscepistis: facilè in ipsa me ipso iudice superamini, quoniam non mihi placet, cùm à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum.* Deinde agens de Cicerone, qui dicebat se nullum verbum emisisse, quod reuocare vellet, ait: *Quæ quidem laus quamvis præclarissima videatur, credibilior est de nimium fatuo quàm de sapiente perfecto.* Non negamus tamen aliquos tantæ auctoritatis esse vt passim scientiarum principes habeantur, eorúmque sententiæ nullo ferè repugnante probentur, & qui illas oppugnant nisi euidenti ratione ducantur, temerarij passim audiunt; quod authoritatis pondus illis pari, tùm illius scientiæ eximia notitia, tum longus vsus & experientia quæ sententiarum illarum veritatem probauit, plurium ætatum consensus, & examen, quod futilia demonstrauit, quæ ipsis obiiciebantur, & principia ab illis pósita siue effecta tanquam verissima comprobauit. Ita Aristoteles in philosophicis & moralibus primas tenuit, & olim Plato apud SS.PP. inter hos verò Dionysius Nazianzenus & alij: inter Latinos Augustinus, Gregorius, aliíque: inter interpretes scripturæ Hieronym. & alij in aliis doctrinis; quorum tamen omnium auctoritas non suppeditat argumentum nisi probabile, non verò infallibile: eorum tamen opinionem absque nota erroris licebit sequi. Quare S.Thomas *quodlibeto* 3. *quæst.4. art.*10. concedit vnicuique licitum esse sequi opinionem sui Magistri licet singularis existat, modò ea ab Ecclesia reprobata non sit, neque tanquam erronea passim habeatur. Quare S. Augost. *libro tertio de doctrina Christiana.* quem etiam adducit S.Thomas *loc. cit.* monet semper consulendam esse regulam fidei, quam de scripturarum plenioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepimus.

5 Nihilominùs si aliquis è singularibus DD. singularem etiam approbationem haberet, ab Ecclesia doctrina illius tenenda esset non propter doctrinam ipsius humano studio partam, sed propter auctoritatem Ecclesiæ approbantis: sed ea approbatio debet vera esse, & non supposita: deinde particularis alicuius controuersiæ in causa fidei, & morum, & non solùm vniuersalis commendatio doctrinæ illius tanquam pij, & catholici Doctoris. Demùm ea approbatio deberet fieri per modum definitionis non tantum probabiliter iudicando.

6 Nam si Ecclesia definiat doctrinam alicuius Sancti in particulari, illa tunc præbebit argumentum infallibile: coïncidet enim cum doctrina Ecclesiæ; quæ proinde habebit infallibilem auctoritatem, vt est ab Ecclesia, & non ab illo particulari doctore tradita. Qua ratione dicta Patrum in conciliorum decretis fidei approbata, eorumdem decretorum habent auctoritatem. Si verò doctoris illius particularis sententia non definiatur ab Ecclesia, sed illa eligatur tanquam probabilis, aut etiam probabilior, non faciet nisi argumentum probabile, quia non est vnde infallibilitatem nanciscatur aut auctoritatem humana maiorem: & auctoritas Ecclesiæ tunc non accedit, nisi vt quid probabile eligentis: vnde non faciet nisi maximè probabile. Hinc fit, vt opinio Theologorum asserentium in Eucharistiæ consecratione aquam cum vino conuerti in Christi sanguinem, quam Innocent. III. approbauit *cap. cum Marthæ. de celebrat. Missar.* non esse de fide: quia vt talis non eligitur à Pontifice, sed tantùm tanquam probabilis. Nam variis opinionibus enumeratis, hanc tanquam probabiliorem eligit Pontifex. Denique quando per verba dumtaxat generalia doctoris alicuius doctrina approbatur, neque quidpiam particulariter decernitur, habent sine dubio doctoris illius sententiæ magnam probabilitatis prærogatiuam, non tamen aut certitudinem, aut infallibilitatem, & multò minùs faciunt argumentum de fide. Neque sanè mens est Ecclesiæ eo modo approbantia tribuere illi doctrinæ auctoritatem fidei, esto tribuat maiorem quandam auctoritatem supra alios doctores, vti nuper laudati Castro, Canus, & Horantius docent. Et sanè quis dicat Concilium Lateranense, dum ex V. Synodo Patres quosdam probat, & aliis præfert, quod & fecit sexta Synodus, & Gelasius *cap. sancta Romana. dist.* 15. vbi præ omnibus iure merito commendat Augustinum, damnare hæreseos, qui quidpiam contra Patres ibi enumeratos senserint, & omnia Patrum illorum dicta pronuntiasse de fide? Videmus enim quàm plures tum in scripturæ expositione, tum in aliis quædam contra aliquorum eiusmodi Patrum sensa fuisse opinatos: nec tamen erroris damnatos fuisse. His accedit aperta ratio: aliud siquidem est commendare, & approbare doctorem aliquem tanquam sacrum & canonicum: aliud tanquam doctorem pium, & catholicum. Prior enim illa approbatio testatur illius scriptis quoad omnia & singula inesse diuinam auctoritatem: posterior approbat eiusmodi doctrinam tantùm intra limites doctoris humani, quem interdum labi, aut cæcutire nihil repugnat: cuius tamen doctrinæ ibi commendatur integritas, vt qui eam sequatur non erret, neque cum fide pugnet.

7 Confirmatur ex reprobatione quorumdam aliorum Doctorum: nam Tertulliani, Origenis, Clementis Alexand. & aliorum quorumdam reiiciuntur quidem scripta, sed non tamen omnia & singula in illis contenta damnantur tanquam hæretica, sed aliqua dumtaxat: eorúmque idcircò lectio Christianis permittitur, sed eruditis, & cum delectu, à quibus etiam leguntur; quod se facere ait Hieronym. *Epist. ad Vigilant.* E contrario etiam dum alicuius scripta probantur etiam à Pontifice, & Ecclesia, non idcircò omnia & singula in illis contenta, ita certa, & infallibilia sunt, vt in nulla re liceat illis repugnare, nisi si quid tanquam de fide tenendum esse pronuntiarit Ecclesia: itáque varias sententias conciliat Gill. 1. *p. tract.* 7. *cap.* 11. Neque vllum ex priscis etiam Patribus esse aliter approbatum quàm vel commendatione generali eius doctrinæ tanquam piæ, & catholicæ, vel approbatione particulari cuiuspiam tractatus peculiaris, aut singularis sententiæ, quam etiam vel definit Ecclesia, vel Pontifex, vel tantùm vt probabilem, aut probabiliorem eligit. Quas enim approbationes Pontificias doctrinæ Sancti Thomæ referunt aliqui Thomistæ, quibus omnia, & singula quæ in septemdecim tomis continentur ita approbantur, vt illis post diuinas Canonicas assentiri debeamus, falsæ sunt, vitiatæ, suppositæ, vti eruditè ostendit omni genere testimoniorum in libro, qui inscribitur *Nodus indissolubilis*, Petrus de Alua, & Astorga Minorita, Lector Iubilatus, supremæ Inquisitionis. Qualificator,

cator,

cator, & Procurator generalis sui Ordinis, quem legisse minimè pœnitebit.

QVÆSTIO II.

Ab auctoritate Iuris Canonici, & Decretalium.

1 IVs Canonicum nomino hoc loco non ius contentum Canonibus & regulis à Conciliis siue œcumenicis, siue non œcumenicis constitutis, & à Gratiano in suo decreto collectis: de iis enim disputauimus *superiore libro* 5. & quam vim habeant ad probandam quæstionem Canonicam: sed constitutiones & leges quæ in corpus iuris, vt loquuntur, relatæ sunt in Decretalium libris, extrauagantibus & Clementinis: & quæro quódnam ex illis argumentum erui possit.

2 Decretales sunt Epistolæ, quibus consulti Pontifices respondent, eæque duplices sunt, speciales nimirùm quæ diriguntur ad vnam prouinciam vel personam: aliæ sunt generales quæ ad omnes diriguntur. Priores illæ non trahuntur ad consequentiam, ac proindè non faciunt legem vniuersalem. Vnde Gregor. c. quædam lex 35. q. 3. *quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alumno, videlicet vt recordaris tua de sanguinis coniunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter cæteris me scripsisse cognosces.* Et Zacharias, Pontifex concedens Bonifacio vt sibi successorem sedis Moguntinæ eligat, addit: *Hoc concedi nulli alij patimur, quod tibi charitate cogente largimur. c. petisti 7. quæst.* 1. Decretalis autem generalis quæ definit, ad consequentiam trahitur, & proinde legis vim habebit. Vnde Damasc. *Ep.* 4. vt habet Gratian. *c. omnia* 25. *q.* 1. mandat omnia decretalia Pontificum Romanorum constituta seruari; quod Leoni tribuit Nicola. 1. *in Ep. ad Episcopos Galliæ*, vbi & Gelasium affert: Felinus tamen *de rescriptis, num.* 17. Papam respondentem ad consecrationem alicuius, condere ius, docet cum aliis, quos allegat. Obstat tamen quod illæ non sunt promulgatæ.

3 Dicendum primò Decretales responsiuas esse ferè tantùm declaratiuas iuris communis, & antiqui, cùm consulatur Pontifex, an aliquid ex iure nouo, quod ipse conditurus sit, an ex veteri fuerit faciendum: & ea interpretatio omninò sequenda est, cùm non sit à Doctore tantùm priuato; sed ab eo, qui habet ius obligandi ad eam interpretationem, seu obligandi vt seruetur ius secundùm eam interpretationem: & si sit mera declaratio, non eget noua promulgatione, nisi, vt dicam inferiùs, contraria expositio illi, quam tenendam declarat Pontifex, esset probabilis, & aliquorùm Doctorum: opus tamen est, vt constet authenticè de ea declaratione, hoc est, certa & publica fide. Quando verò Decretales illæ sunt constitutiuæ noui iuris, vt sunt eæ quæ ad gubernationem Ecclesiæ spectant, obligant eos ad quos diriguntur. Quare, si sunt vniuersales, erunt leges & constitutiones propriè dictæ, sed tunc debent promulgari, vt cæteræ leges omnes. Atque de iis agit Nicolaüs I. *in Epistola ad Episcopos Galliæ*, qui eo quòd eiusmodi Decretales non haberentur in corpore Canonum, eas repudiabant, vt appatet ex ipsa lectione. Hæc est distinctio Suar. *libro* 4. *de legib cap.* 14. *n.* 5. An verò Decretales iam editæ in compilatione iuris obligent, patet ex dictis, & ex ipsa Epistola Gregorij XIII. nam per eam aliæ omnes ante eam compilationem reiectæ sunt, & non possunt allegari in iudiciis, aut scholis. Secundò, hæ Decretales sunt veræ Pontificum Romanorum & authenticè proponuntur. Tertiò, non accipiunt vllam vim ex ea compilatione maiorem: quare si alicubi non vigebant anteà, neque vi illius obseruari debent: neque enim intendit aliud Pontifex, quàm vt in scholis & iudiciis allegentur. Vnde Bononiensibus Scholis scribit, & vt aliæ reiiciantur.

Sextus Decretalium continet quoque nouas Decretales Pontificum iussu Bonifacij VIII. compilatas, 4
qui etiam reiicit omnes alias tanquam superfluas, aut inutiles, & in iudiciis, atque in scholis has seruari mandat Bononiensibus scholis: quæ non videtur promulgatio obligans vniuersam Ecclesiam. Quare si aliundè receptæ sunt, & non reiectæ nos obligant, (vt loquuntur) vi huius compilationis, aut constitutionis Bonifacij primi. Ex quibus intelliges illud Innoc. III. *cap. Pastoralis. de fide instrum.* vbi iubet cùm allegatur aliqua Decretalis, secundùm illam iudicari quando ea iuri communi consonat. Si enim dissentiat, superior consulendus fuerit: quod exponunt Doctores de Decretali, quæ neque *in libris quinque Decretalium*, neque *in* 6. continetur, & de qua dubitatur, vt ait ipse Innoc. Verùm nisi illa Decretalis habeat clausulam derogatoriam iuris communis, & nisi sit promulgata, cætetáque habeat necessaria ad validam eiusmodi derogationem, non existimarim derogare iuri communi, ex eo quòd sit in hos libros congesta, cùm nihil sit vnde colligamus eiusmodi derogationem: sed potiùs existimandum sit, eam Decretalem continere gratiam aliquam, & priuilegium concessum à Pontifice alicui priuatæ personæ, aut Ecclesiæ, & in peculiari aliquo casu & causa; cùm, vt iam monui, ex constitutionibus Gregorij IX. Bonifacij VIII. & Gregorij XIII. habeamus tantùm istas Decretales esse veras, & legitimas, illásque solas in iudiciis ac scholis allegari posse, non autem vllas alias ipsis contrarias. Non tamen eo ipso volunt Pontifices, vt si quid in illis contrarium iuri communi contineatur, illud abroget ius commune, nisi ea omnia, quæ ad eiusmodi derogationem requirit ipsummet ius, accedant: & nisi illæ etiam solito more sint promulgatæ, vt obtineant vim nouæ legis, & antiquam refigant. Et sanè Glossa *in cap. cit. Pastoral.* ait rescriptum, & Decretalem contrariam iuri communi, statim reiiciendam esse; quod ex multis aliis iuribus probat: immò & consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam eiusmodi decretali contrariam præualere ostendit: quod intelligo nisi ea Decretali Pontifex talem consuetudinem abroget: sed tunc quoque necessaria fuerit promulgatio, sicut ad cæteras omnes leges.

QVÆSTIO III.

De Regulis Cancellariæ.

REgulæ Cancellariæ diligenter consulendæ sunt. 1
Hæ verò Regulæ sunt ordinationes quædam, & constitutiones quas Pontifex præscribit Cancellariæ officialibus, vt certum ordinem & normam in rebus gerendis habeant. Ioann. XXII. primus eiusmodi Regulas scripto tradidit, cùm veteres Pontifices consuetudine quadam & stylo tantùm vterentur, vt tradit Gomes. *in proœmio eiusmodi Regul. quæstione prima.*

Nicolaus

Nicolaus deinde V. ad hunc statum & formam redegit.

2 Habere vim legis istas Regulas definit Capella Tolosan. *quaest.* 445. quem sequitur Aoffretius *in eam quaestionem*, & Rebuff. probat *in addition. ad has Regul.* & servandas omninò esse viuente saltem ipsarum conditore. Nam vnà cum eo expitant nisi confirmentur à successore: quod fieri solet statim post assumptionem in Apostolatus apicem; immò nonnulli existimant Pontifice ciuiliter mortuo, v.g. captiuo, cessare Regulas ab ipso conditas: quod tamen non caret difficultate: & in vtramque partem disputat Paris. *libro* 4. *consil.* 19. Et sanè cum Pontificia auctoritas sit ab ipso Christo, & non conferatur ab Ecclesia, non potest illa priuari ab vlla humana potestate, atque ita etiam captiuus, manet verus, & legitimus Pontifex, eiúsque mandata & leges obstringunt Ecclesiam, tanquam edicta à legitimo Principe, & Pontifice.

3 Non sunt porrò hæ Regulæ veræ, & propriæ leges; quod disputat latè Gomes. *in proœm. ad ipsas. quaest.* 2. Nam primò videntur tantùm constituere quoddam ius locale: idcircò enim dicuntur Regulæ Cancellariæ, quia respiciunt ea, quæ in dicto loco tractantur: quandò enim lex ad certum locum, & in eo tantum publicatur, alibi, & extra curiam non ligare, non malè fortassis colligunt Ancharanus *consil.* 297. Zabarell. *consil.* 99. Romanus *consil.* 260. Decius, & alij apud Gomes. *q.* 2. quando enim lex ad certum locum pertinet, illos qui sunt extra illum locum, non ligat, vt ex *cap.* 1. & 2. *de constit. in* 6. & *l. fin. de iurisd. omn. iudic.* colligere se dicunt DD. eò quòd definiatur illis locis, nos extra territorium iis diceuti impunè non parere. Verum Pontifex cùm vbique terrarum ius dicat, neque certo circumscribatur loco, nuoquam ius dicet extra territorium. Quare ratio cur hæ Regulæ non faciant ius commune, sed solùm locale, ex ipsa mente Pontificis desumenda est: præscribit enim illas, vt instruatur Cancellaria, & eius Magistratus in litteris expediendis, vt ex Regulis Ioann. XXII. qui primus eas, vti monebamus, scripto tradidit apertè colligitur. Quamvis vera esset communis sententia, quæ docet, has Regulas constituere ius generale, etiam extra curiam, vt latè *quaestione* 2. *cit.* tradit Gomes. *numero* 4. qui vtramque sententiam componere tentat, vt communis ista opinio vera sit circa Regulas, quæ sunt de dandis, cuiusmodi sunt omnes iudiciales, quæ continent ferè decretum irritans: quamquam etiam ipsarum aliquæ non valeant extra curiam: prior autem opinio, quæ negat obligare extra curiam has Regulas, loquitur de iis Regulis, quæ non sunt de dandis neque iudiciales. Non tamen dici poterunt leges neque vniversales, neque saltem locales: quia lex perpetua est, & stabilis *l. edita C. de edendo*, vbi edictum vocatur perpetuum: hæ verò leges vnà cum auctore suo deficiunt: Pontifex enim ait suo tempore duraturas: & ideò quærunt an reseruatio beneficij vi istarum Regularum valeat mortuo ipsarum auctore: vbi rectè distinguit Tusch. *conc.* 97. *lit. R.* Si viuente Pontifice vacauit beneficium, ipso deinde extincto reseruatio durat: quia beneficium semel reseruatum semper manet reseruatum donec Pontifex de nouo prouideat. Si autem beneficium vacet Pontifice mortuo, non valet eius reseruatio vi Regularum Cancellariæ à mortuo iam Pontifice editarum: ita enim cum suo conditore expirant vt neque effectum nouæ reseruationis, neque aliud quidpiam operentur. Deficiunt à ratione & natura legis hæ regulæ: quia sententia lata contra legem communem etiam in iudicio non adductam, neque allatam ipso iure nulla est, *l. cum prolatis ff. de re iudicata*: sententia tamen contra Regulas Cancellariæ valet, vt docet Felin. *in caput primum de re iudicata*: & tenet Rota teste Mascard. *conc.* 257. Inde quoque Tusch. *lit. R. conc.* 96. refert ex Anchar. neque extrauagantes dici posse has Regulas, quia non ligant vtique & non nisi allegentur & producantur, quod non conuenit extrauagantibus, quæ cùm sint vniuersales, vbique obligant etiamsi non allegentur. Immò Mascard. *conc. cit. n.* 14. ita debile esse istarum Regularum vinculum existimat vt neque statutis singularibus comparari possint. Nam vbi statuta particularia primum publicata sunt, & in vnum volumen redacta, ligant suos subditos, vt tradunt omnes *in l. populi. ff. de iust. & iure.* & *in caput primum de constitutionibus in* 6. Regulæ verò Cancellariæ ita sunt (inquit Mascard. ex Gomes.) cancellatæ & certis finibus circumscriptæ, vt licèt publicentur, & in vnum volumen redigantur, non tamen vinculum vllum iniiciunt, neque possunt allegari nisi prius impetrentur certâ quadam formula, & præcipua gratiâ, vt statim referam ex Gomes. *q.* 2. *cit. n.* 4. & traditur *Regul.* 26.

Hinc soluas vulgatem difficultatem, an incipiant obligare hæ Regulæ vbi primùm Romæ in Curia & Cancellaria publicatæ sunt, & quidem qui apud Gomes. contendunt non improbabiliter eas obligare tantùm in Curia, non laborant hac difficultate: immò inde maximè suam sententiam probare contendunt, quòd in sola Curia Romana publicentur hæ Regulæ: cùm tamen vniuersales constitutiones vbique promulgari debeant, neque vllus obstringi possit legibus quas ignorat. Verùm concedamus alteram sententiam, quam vt communiorem tradit Gomes. veram esse, nempè his Regulis quoddam constitui ius vniuersale, quod etiam extra Curiam obliget, satis-ne fuerit Romæ & in Curia publicari? Ita existimat Capella Tolosan. *quaest.* 445. & alij quos refert, & Paris. *libro* 11. *de resignat. benefic. q.* 9. *num.* 11. Papa enim habet pedes non plumeos sed plumbeos & quasi immobiles: *dat cuncta moueri* (inquit Immola *in proœm. Clementin.*) Itaque quamvis ex arce tantùm Romana loquatur, vbique audiri debet. Et sanè cùm aliæ omnes constitutiones vbi Romæ publicatæ sunt, ligent totum orbem, simúque in vsu: & leges etiam ciuiles post duos menses à publicatione facta in curia Principis, vt communis opinio tradit apud Nauarr. *consil.* 1. *de constitut. n.* 11. & 19. cur maior quædam publicatio ad harum regularum obligationem requiretur? Immò, vel dicendum est has Regulas non obligare extra Curiam, vel non esse necessariam aliam publicationem ipsarum, quàm quæ fit in Curia, quia tecum non fit vlla alia. 4

5 Dicendum nihilominus est, hanc publicationem in Curia non sufficere, vt Regulæ Cancellariæ vbique obligent, vt tradit Ioan. Auffrer. & alij, quos allegat *in eam quaest.* 445. *Capell. Tolosan.* quod idem sentiunt ij omnes qui idcircò negant obligare extra Curiam.

6 Primò quia Inan. Andr. *in Glossam d. at. sex.* communiter receptâ, existimat leges ciuiles non obligare donec in singulis prouinciis publicentur eo quod in *authent. vt factæ nouæ constitutiones* quæ est *nouell.* 66. Iustinianus id definiat, & iure canonico non sit expressum contrarium. Vbi autem nihil iure canonico dispositum est, secundum ciuile procedendum est, *cap.* 1. *de noui operis nuntiatione.* & *cap. si in adiutorium, dist.* 10. hoc verò non tantùm non aduersatur ius canonicum, sed etiam fauet: nam *cap. cum infirmitas, de pœnit. & remissio.* prohibentur medici ab ingressu Ecclesiæ, nisi monuerint ægrotos de euocando animæ medico, vbi per prælatos ea constitutio quamvis in gen-

geneeali concilio facta fuerit, in singulis prouinciis publicata; quæ publicatio necessaria non erat, si ad Pontificiæ legis obligationem sufficiebat publicatio in Curia Romana. Nam multò magis sufficiet peomulgatio in Concilio œcumenico, vti diximus *lib.6.* nuper. Neque vlla satis idonea differentia afferri potest inter legem ciuilem & Pontificiam in hac parte. Cum enim omnis lex non obliget, nisi innoeescat, neque nisi per promulgationem authenticam & solemnem sufficienter innotescere possit, non apparet quomodò publicatio Romæ tantùm edita cæteros Christianos obstringat, quos ipsorum prælati, alíque, ad quos ea cura pertinet, nihil de noua lege monuerint. Quare Caiet. 1.2. *q.90.art.*4. negat peccare qui violant legem in Curia Romana promulgatam, & à Prælatis suis Ecclesiis cathedralibus nondum insinuatam. Et hanc sententiam probabiliorem dicit Molin. *tract.*2. *disp.* 395. probabilem autem & in conscientia tutam Becan. 1.2. *tract.* 3 *cap.*6.*n.*5. & 6. Layman. *libro primo tract.*4. *cap.* 3.*n.*3. Homobon. 2.*par. Exam. tract.*12. *cap.*3.*q.*10. Lessi. *libro secundo cap.*21.*n.*98. Vasq. 1.2.*disp.*136. *capite secundo* Granad. *q.*1.*cont.* 7. *tract.*3.*p.*1 *disp.*11 *sect.*6. *n.* 17. & omninò tenent plurimi iuris Canonici doctores à nobis; nuper allati, vt Abbas, Zabarel. Felin. quos adducit Azor. 1.*p. libro* 3.*cap.*3.*q.*3. Armilla *vers.lex n.*11. dum dicit absurditatem esse quod lex liget ignotantes. Serat. *de legibus, n* 56. Sa. *vers.lex n.*9. Medina 1. 2. *q.* 90. *art.*4. *dub.*1.*post.*1 *con.& dub vlt.con.*5. Angelus *vers.lex.n.*13. Sotus *lib.* 1. *de iustitia quæst.* 1.*art.* 4. Ludou. Carbo. *libro tertio de legib.disp.*4. Contrad. 1.2. *q.*90.*art.*4.*ad* 2. Miranda *in manuali prælat. tom.* 2. *quæst.* 25. *art.* 4. *conc.*5. Victutell. *in cap.* 23. *Nauar. n.*40. & alij plures Recentiores: & quamvis communior sit contraria sententia, quam Suat. Tann. Filliuc. Valent. & alij tradunt, vt videbis apud Dian. *tract.*5. *de legibus, resolut.*8. vna tamen consuetudine & stylo curiæ ducuntur illius auctores, non autem ratione, aut iure, vt plerique ex ipsis fatentur cum Azorio c.8. Nauarr. qui *consil.*1. *de constit. n.* 19. ait attento ipso iure requiri publicationem legum Pontificiarū in prouinciis, deinde *cap.*23. *in manual. num.* 4. dixit absolutè legem non violari culpabiliter, nisi fuerit promulgata: & non distinguit inter Pontificias & alias humanas. Quæ omnia nos *loco cit.* adduximus.

7 Frustra verò nobis obiiciunt aduersarij consuetudinem Curiæ: nam primò respondeo cum Becan. 1.2. *tract.* 3. *cap.*6.*q.*7. Gran. *loc.cit.* & Fagundez *tract.*2.*de præl.Eccl. libro* 8. *cap.* 8. *n.*138. in his & similibus iudices Curiæ sequi opinionem, quam existimant probabilem: neque inde colligi meritò posse contrariam sententiam, aut falsam esse, aut omni probabilitate carere. Quod maximè verum est hoc casu, in quo ius & ratio fauet sententiæ contrariæ consuetudini, & stylo Curiæ, fatentibus etiam ipsis aduersariis.

8 Respondeo secundò etiamsi consuetudo Curiæ posset fortassis derogare iuri positiuo; vbi tamen illud connexum necessariò est cum iure naturali, quod essentialiter in aliquo casu connotat, non poterit consuetudo Curiæ, eiúsque stylus, sententiam conformem eiusmodi iuri positiuo damnare, aut falsam reddere derogando illi iuri: immò potiùs dubitabitur an ea consuetudo rationabilis & ferenda sit, quæ iuri positiuo ita aduersatur; vt simul cum iure naturali aliqua ex parte pugnare videatur. Atqui ius Cæsareum & Pontificiū, quod, vt Nauarr. & alij concedunt, vult promulgari legem in Metropoli singularum prouinciarum, & in Cathedralibus Ecclesiis, non est purè humanum, & positiuum, sed naturale quod ad obligationem politicam legis communis vult publicam aliquam promulgationem, eámque sufficientem, vt communitati innotescat, etiamsi deinde per accidens ad singulos non peruenerit; qui tamen si inculpabiliter ignorent, reuerà rei violatæ legis non erunt, etsi in foro externo illam seruare cogantur. Solemnitates deinde huius publicationis sunt iure humano variis in palatiis variè inductæ, iisque consuetudo Curiæ Principis fortassis poterit derogare: non tamen omnem publicationem ex naturâ rei necessariam, vt deueniat in notitiam communitatis collere, ita vt contenta sit sola illa quæ fit in ipsa Curia.

Respondeo tertiò, opponere nos consuetudinem consuetudini: sicut enim solent Curiæ iudices iudicare & contenti esse ea promulgatione curiali: ita qui extra Curiam sunt, solent non recipere leges illas sibi non promulgatas, & earum nullam rationem habere in iudiciis. Itaque iam quærendum fuerit quænam ex iis consuetudinibus rationabilior sit, atque vbi nos cæteræ coniecturæ deficient, illa fortè consuetudo, quæ conformior erit iuri scripto, magis probari debebit, cuiusmodi est ea, quæ requirit publicationem extra Curiam in prouinciis, vt fatetur Nauarr. 9

Respondeo quartò, consuetudinem Curiæ, quæ contenta sit sola publicatione Romana probari à Nauarr. Azorio, aliisque quibusdam singularibus exemplis, quæ nos falsa esse contendimus, nimirùm Bullam Cœnæ Romæ tantùm promulgatam obligare vbique: id enim pernegamus; quod idem de extrauagantibus quæ quotidè eduntur affirmamus, nisi in prouinciis authenticè prostent. Et sanè esset intolerandum onus, si omnes proprij motus, extrauagantes, bullæ, mandata, & alia eiusmodi generis quamplurima, quæ eduntur in lucem singulis diebus, prouincias, ad quas nequidem earum forma peruenit, obstringerent. Certè de Gallia nostra, certum est nisi à Prælatis & supremis Curiis, hæc omnia, quando politicum statum Ecclesiæ & forum externum respiciunt, promulgentur, non obligare, neque ex iis quicquam validè definiri, propter causas *alibi* expendendas. 10

Quod denique obiiciunt, fore vt neque liber 6. Decretalium, qui non publicatus est in omnibus Academiis: neque liber etiam ipse Decretalium, neque Clementinarum, neque Tridentini decreta ligarent omnes: quia vbique non fuerunt publicata. 11

Respondeo, hæc omnia non obligare nisi fuerint publicata, vel secundùm se tota, vel secundùm aliquam sui partem. Quare nisi aut ipsæ constitutiones quæ *his libris* continentur, aut ipsi libri fuerint promulgati, reuerà non obligant, & reipsà in Gallia non magni ponderis esse totum sextum Decretalium à Bonifacio VIII. collectum, vt neque etiam prius Decretalium opus, atque Clementinarum testatur Duaren. *in præfat.de benef.*

Ex his omnibus sic efficio: leges & constitutiones Pontificiæ non obligant extra Curiam existentes, nisi in singulis prouinciis publicentur: ergo neque Regulæ Pontificiæ, quæ à legis natura multùm desciscunt, vt ostendi, non obligabunt vi solius publicationis in Curia Romana factæ. Et signanter dixit Bonac. *disp.*1.*de legib.quæst.*1.*part.*4. *num.*14. Regulas istas, si iuxta morem in aliis legibus receptum non publicentur, non esse propriè leges: sed solùm præcepta imposita officialibus Cancellariæ. 12

Etiamsi non esset necessaria vniuersalior illa publicatio ad leges Pontificias, esset tamen ad Regulas, de quibus agimus: quia, vt obseruat Gomes, *in procem.* 13

quæst, 2.

quæst. 2. *num.* 16. & *in Regul. de annali possessio. quæst.* 4. *n.* 6. & Cassadorus *decisio.* 7. *n.* 5. *tit. de ann. possess.* vt hæ regolæ fidem faciant in iudicio extra Curiam, requiritur supplicatio porrecta Papæ, & ab illo impetrata, ac data sub plumbo. Vt autem in Curia valeant, sufficit quòd dentur per Vicecancellarium cum suscriptione duorum Abbreuiatorum. Cur ergo hæ Regulæ fidem non faciunt extra Curiam, etiamsi millies allegentur, & decretum irritans contineant, nisi impetrentur à Papa, & in actis seruata solemnitate producantur, itáque ferat stylus Rotæ; ideóque sententia contra ipsas Regulas lata non sit ipso iure nulla, vt monebam nuper ex Felin. *in cap.* 1. *de re iudicata* si publicatio in curia sufficiebat, vt vim omnem suam obtinerent? hæc enim impetratio, & solemnitas quædam promulgatio est.

14 Quoad tempus quo obligant hæ Regulæ, est etiã aliqua difficultas: nam cum extinguantur vnà cum suo conditore, non videntur deinde reuiuiscere, nisi post ipsarum publicationem, atque ita si valet beneficium etiam post assumptionem noui Pontificis, ante publicationem nouam Regularum, tale beneficium caderet sub expectationem prædecessoris, quia nondùm sunt reuocatæ per successorem: & quidem si consulamus rationẽ, hæc sententia videtur mihi probabilissima: aliter tamen decisum fuisse à Rota refert Gomes. *q.* 2. quia nouus Pontifex vult tunc Regulas in crastinum assumptionis suæ ligare. Quod autem deindè publicentur, non impedit quominùs ex mente Pontificis, priùs ligare cœperint: quod maximè verum erit circa eas, quæ continent decretum irritans, cuius effectus ex sola voluntate Pontificis pendet; quod etsi concedam, existimarem tamen, qui eiusmodi beneficium consequitur posse illud retinere, donec per sententiam illo priuetur.

15 Vbi verò obligant hæ Regulæ, ipsos etiam Cardinales vinciunt. Ita Felin. *in cap. ad aures. n.* 11. *de rescriptis* Paris. *l.* 12. *de resignat. q.* 4. *n.* 12. Gomes. *quæst.* 4. Ita *Regula de infirmis resignantibus* tradunt Rebuff. *in Glossa* 1. *n.* 4. aliique; atque ita sæpiùs iudicauit Rota, vt refert Paris. *q. cit.* quamquàm docti etiam Canonistæ eximiæ Cardinalium dignitati aliquid tribuendum existimarint: sed frustrà, cùm Rota aliter iudicet. Non derogat porrò his Regulis clausula generalis derogatoria *non obstantibus quibuscumque constitutionibus Apostolicis*: ita enim fert stylus Curiæ, quem esse conformem hac in parte iuri communi pluribus ostendit Gomes. *q.* 5. Flamin. Paris. *lib.* 5. *de resignat. q.* 7. *n.* 176. & alij. Vbi verò ponitur clausula, *non obstantibus regulis Cancellariæ*, verius est derogare omnibus tum iudicialibus, tum extraiudicialibus, vt latè docet Gomes. *q.* 6.

16 Ad extremum addo, has Regulas non obligare in foro interno. Ita Diana *tract.* 10. *de legib. resolut.* 43. sequutus Ioan. Valerum *in differentiis vtriusque iuris vers. donatio. different.* 6. vbi ait donationem inter viuos factam ab Episcopo intra 20. dies ante obitum, validam esse in foro conscientiæ, etiamsi per Regulam Cancellariæ de 20. diebus prohibeatur, & irritetur: Quod maximè verũ esse, si Episcopus sanus erat dùm donauit, existimat Henriq. *lib.* 7. *cap.* 30. *n.* 7. *dist.* vbi hanc donationẽ in vtroq; foro tunc validam esse, cùm nõ fiat causa mortis, videri doctis Salmantic. affirmat. Idem Valer. *vers. possessio. different.* 1. eum, qui sine vero titulo, sed solũ colorato per trienniũ possedit beneficiũ, negat esse securũ in conscientia, etiãsi Regula de triennali possessione ipsum tueatur. Quod id ipsum tradunt alij relati à Nauarro *consil.* 42. *de præbend.* per neruosa argumenta, vt ipse loquitur. Quorum omniũ ratio vnica est: quia Regulæ istæ sunt iudiciales

dumtaxat, & ad instruendos iudices, non leges, quæ singulos in conscientia ligent. Quidquid verò sentiendum sit de allatis exemplis & maximè de hoc postremo circa triennalem possessionem, an in foro interno sufficiat cum titulo colorato, quod *alibi* discutiendum est, in cuius decisione Nauarr. ait nunquam se animum ita firmasse, vt non fluctuaret, etsi in scholis perlegendo sæpiùs illam attigerit, & quæ in concordatis Gallicis perspicuè tradita est suo loco dicemus cum Rebuff. *tit. de pacific. possess. §. ampl.* 3. Satis instituto nostro est, has Regulas non obligare in conscientia, præcisè quatenus Regulæ sunt, nisi ex canonibus & legibus Ecclesiasticis, aliquæ desumptæ sint, aut aliundè vim, & auctoritatem obtineant: quod in singulis quæ in Gallia vsu receptæ sunt, inquiremus *instrius* commodis locis. In præsentiarum obseruo dũtaxat, aliud longè esse legem aliquam obligare in conscientia ad quidpiam faciendum: aliud verò vti quempiam posse absque culpa beneficio legis. V.g. lex quæ irritat contractus minoris absque tutoris consensu celebratos non extinguit obligationem naturalem, quam contrahit pupillus: neque impedit, ne pupillus transferat dominium in illum cui donat aliquid, & ne ille sibi à pupillo donatum validè possideat. Poterit tamẽ pupillus vti beneficio legis & restitui in integrum; atq; ita rescindere contractũ, qui proptereà claudicare dicitur, vt cum Molin. *tr.* 2. *d.* 24. & aliis docuimus disputantes de contractibus minorum. Quamuis igitur aliquis qui obtinuit beneficium, v.g. mortuo resignante, ante 20. dies à resignatione, illud validè & tutò retineat, etsi aliud velit Regula Cancellariæ; qui tamen vtetur fauore huius Regulæ, eiusmodi beneficium tanquam vacans per obitum, eò quòd nulla talis resignatio habeatur, obtinebit, in foro quoque interno tutus erit, quia post latam sententiam possidet rem sibi legitimè adjudicatam. Resignatarius quoque, si possit declinare hoc iudicium, & sententiam, beneficium iure retinebit, quia resignatio valida fuit in foro interno, etiamsi in externo propter violatam Regulam de infirmis resignantibus non habeatur valida, neque legitima.

QVÆSTIO IV.

De stylo & auctoritate Curiæ.

TErtio loco in hac materia de stylo & auctoritate Curiæ Romanæ, ex qua licet in Scientia Canonica argumentari attendi debet maxime in materia beneficiali. Omissis verò pluribus styli significationibus, quas dabit Rebuff. *in ordinat. reg. tract. de consuetud. & stylo glossa* 13. *n.* 1. *& seq.* Stylus significat morem & certam formam ac ordinem scribendi, vt obseruat Roch. de Curte *præfat. de consuetud. n.* 28. *ex cap. quam graui. de crimine falsi*, vbi Innoc. III. docet litteras Apostolicas dignosci tam ex bulla, filo, charta, quàm ex stylo. Cùm Sedes Apostolica, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos fratres; cæteros autem etiam Reges, & Principes filios soleat appellare: & cùm vni tantũ personæ scribit nunquam vtatur numero plurali; quod tamen intelligendum est de personis priuatis. Nam Reges numero multitudinis cõpellat, vt videbis *in c. venerab. de confir. vtili. vel inutili*, vbi Honor. III. scribit Regi Cypriorũ, & stylum curiæ Rom. eãdem significatione, quâ Innoc. vsurpat. & plurali num. loquitur. Restricta deinde est hæc vniuersalior styli significatio pro quocumq; vsu & forma scribendi ad modum, & ordinem tum scribẽdi, tum procedendi seruari solitum in ordine iudiciali: Vnde definit illum Cyn. *in l.* 2. *cap. quæ sit longa consuet.* practicam alicuius Curiæ: & passim omnes distinguunt à consuetudine tanquam speciem à genere,

qood consuetudo vniuersim sit ius ex actibus iudicialibus non scriptum (vt loquitur Azor. t. *p. lib. 5. cap. 18. q. 11. sub fin.*) seu quia consuetudo respicit decisionem absolutè; non autem stylus, sed ordinem scribendi, loquendi, & procedendi, vt habet Barthol. *in l. de quibus. ff. de legibus*, & latè Ioan. And. *in cap. quam graui de crimine falsi.* Vox autem illa *procedendi* in iudiciis ampliari debet, vt obseruauit Suar. *lib. 7. de legibus, capite quinto numero tertio*, ad omnes scripturas, bullas, & mandata, atque rescripta: quia licet non seruetur ordo iudicialis in illis expediendis: illa tamen & eorum stylus ac forma in iudiciis deinde & toto processu causæ definiendæ maximè attendi solet. Vndè vides quàm verè dixerit Angel. §. *ex non scripto 1. de iure naturali*, stylum nun magis attendi in iudiciis, quàm extra iudicia. Nam si primam vocis significationem, eámque generalissimam attendamus, pro qualibet forma scriptionis sumitur: deinde ad iudicia restringitur; quia vel in ipso actu, vel in scripturis, quarum maxima habetur ratio in iudiciis, attenditur: & denique in stricta quadam acceptione, sed admodùm vsitata pro solo ordine, & more procedendi, ac scribendi in iudiciis vsurpatur. Atque ita dicebatur à Cyno practica Curiæ, & sic consideratur à nobis modò disputantibus de stylo Curiæ in materia beneficiali, à Rebuff. *loco citato*, & aliis iurisperitis dum agunt de styli origine, eiúsque efficacitate. Ratio huius vltimæ acceptionis est; quia in aliis materiis, vsus, & forma sic scribendi, aut loquendi parùm referre videtur ad commune bonum Reipublicæ, vt possit legem inducere: vnde liberum cuique relinquitur: quo sensu loquitur Imp. l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. *Nihil est quod magis hominibus debeatur, quam vt supremæ voluntati liber sit stylus, & licitum quod iterùm non reddit arbitrium.* In iudiciis autem multùm refert vsus, & forma procedendi, atque adeò stylus: vnde quoties stylus ius aliquod facit, sumitur in ordine ad iudicialia modo explicato, ita vt tum ipsam sententiam iudicis, tum modum procedendi, tum rescripta & alia, quæ in iudiciis attendi solent, contineat: quæ erat secunda & tertia significatio styli *superiùs* assignata.

2 Stylus verò plures habet effectus, quos latè explicat Rebuff. *loco citato*: hi sunt præcipui. Primò æquiualet consuetudini, in Curia, in qua præscriptus est: immò, si contradicat consuetudini, standum potiùs erit stylo, quia generi per speciem derogatur, ex regulis iuris; & æquiualet legi. Quare eadem ratione seruandus est, maximè à iudice, cui alioquin pragmatici resistere possunt, vel ab eo appellare: quia sua iurisdictione abutitur Iudex contra stylum veniens. Hinc fit, vt lege deficiente seruandus sit stylus, & meritò allegetur, quando non adest ius contrarium, *c. ex litteris de iuramento calumniæ: & cap. ex litteris, de constitutionibus*, vbi Panorm. & communiter Interpretes: & *cap. secundo de præbend. in 6.* & Felin. *ad cap. x. numero decimosexto, de rescriptis.* Ex quibus apertè vides stylum facere ius, & idcircò transgressorem notoriæ consuetudinis ac styli eadem ratione puniri, quâ violatorem legis: atque adeò iudicem, qui non seruat stylum suæ Curiæ, facere litem suam, ac si non seruaret consuetudinem siue legem. Tertius effectus styli, qui maximè facit ad nostrum institutum, est quod litteræ præter, vel contra stylum obtentæ, præsumuntur subreptitiæ, aut falsæ, atque etiam erroneæ. Immò ex sola omissione styli redduntur suspectæ: itaque præsumptio sufficit ad condemnationem de falso, vt ex multis iuribus probat Rebuff. *loco citato numero trigesimosecundo & sequent.* Quare quoties aliquid, quod ex stylo curiæ exprimendum est in petenda dispensatione omittitur, tota dispensatio subreptitia est, vt docet multis allatis Sanch. *lib. 8. de matrimonio, disp. 21. numero 16.* & Salas *disp. 19. de legib. sect. 19.* Bonac. *disp. 1. de legib. quæst. 2. part. 5. numero 1.* quando tamen tacitè inest id quod exprimendum est, valent litteræ obtentæ *in capite ad hæc, de sententia excommunicationis*; sicut etiam quandò dicitur, quod non obstante stylo litteræ valeant: quia alioquin non intendit Princeps, aut Pontifex derogare stylo suæ Curiæ, & iuri per illum inducto, nisi id exprimat. Inde fit, vt quotidie impetrentur litteræ contra stylum: alioquin libellum contra stylum oblatum & formatum non modò reiicere, sed etiam dentibus lacerare potest iudex: & qui contra stylum citatus est, non tenetur comparere, neque propterea contumax erit. Et denique sententia contra stylum lata, nulla erit, vt docet Guido Papæ *decis. 192.*

Vt verò omnes hos effectus habeat stylus, debet induci à iudice, qui sit supra ius, vel debet confirmari à superiore: atque ita stylus Principis idem operatur, quod consuetudo vniuersalis, vt ait Alexand. 3
cons. 36. in fin. libro tertio: vel debet esse præscriptus sicut & consuetudo: ad quod decennium requirit Guido Papæ *in consil. 119. ex processu, in 4. dubio*; quod maximè verum est quando stylus est contra ius: tunc enim præscribi debet; ad quod requiritur idem tempus & pluralitas actuum, quod in consuetudine præscripta.

Sed manet grauis difficultas, an stylus Curiæ Romanæ obliget in conscientia, atque ita beneficium obtentum contra stylum Curiæ etiamsi aliunde nulla alia fraus aut defectus contigerit, inualidè sit obtentum: quamvis enim stylus sit tantùm in Curia, in qua viget, & stylus etiam Curiæ Romanæ non debeat necessariò seruari ab aliis Curiis, cùm id quod singulariter in Curia Romana obseruatur, non sic; neque faciat ius commune, vt Rebuff. *l. c. n. 56. & 57.* docet ex Bald. Nihilominus, cùm obtineatur beneficium per litteras in Romana curia expeditas, quæritur iure meritò, an si illæ litteræ, quæ contra stylum scriptæ sunt, aut quia in illis quidpiam omissum est, quod stylus Curiæ exprimendum volebat, etiamsi non vitiet aliundè prouisionem beneficij, falsæ, erroneæ, subreptitiæ, & nullæ præsumantur, tales etiam sint in foro interno, atque ita inualida sit tota obtentio beneficij? quod idem de dispensationibus, in quibus tacitum est quidpiam ex stylo Curiæ exprimi solitum: non autem ex iure; quia illud non eget nouâ dispensatione, cùm non sit quodpiam impedimentum, dispensatio in foro quoque interno inualida censeri debeat. 4

In vtroque foro nullas & inualidas esse litteras contra stylum curiæ obtentas, & in quibus omissum fuit quod exprimendum erat ex stylo existimat Sanch. *lib. 8. disp. 21. n. 16.* & ideo nullam in conscientia esse sic obtentam dispensationem. Ferdinand. *tract. 3. disp. 3. p. 2. §. 3. n. 8.* Bonac. *disp. 1. de legibus q. 1. p. 5. n. 1.* Kon. *disp. 33. n. 64.* Contrarium docent Henriq. *lib. 11. cap. 3. n. 7.* nam *lib. 4. de consanguinit. consil. 1. & lib. 5. de homicid. cons. 3. n. 3.* vbi ait taciturnitatem eius quod difficiliorem reddidisset Pontificem ad dispensandū, non reddere gratiā nullam, nisi illud iubeatur à iure exprimi, aut in ea taciturnitate includeretur falsum, eò quòd videatur affirmari contrarium eius quod tacetur: neque contrarium affirmat in *Ench. c. 22. n. 86.* vt malè aliqui allegant. Idem omninò pronuntiat, quos magno numero allegat Sanch. *disp. 21. cit. numero 12.* Et sanè certum est aliquando stylum curiæ non obligare in conscientia: nam etiamsi stylus damnet tanquam simoniacam redemptionem pensionis 5

pensionis ex solo consensu beneficiarij, & pensionarij factam non rogata Pontificis venia: omni tamen simoniæ labe caret & licitè fiet, vt dicemus *alibi.* Mihi tota ista lis sic componenda videtur. Primò rescripta iustitiæ, cuiusmodi sunt quæ ad lites forenses impetrantur, vt ad committendam causam iudici alicui decidendam, etiamsi præter, & contra stylum Curiæ propter omissionem alicuius, quod exprimendum foret, & non fuit, debita, & fraudulenta impetratio, valida manent quamdiu per exceptionem non eliduntur, *cap. super liberis de rescriptis, & cap. constitutas. in fine. eodem titulo.* rescripta verò gratiæ, quibus Princeps aliquid ex mera liberalitate concedit, cuiusmodi sunt ea rescripta, quibus Pontifex prouidet de beneficio, vel prouideri mandat, & quæ dicuntur gratiæ, *cap. gratia. de rescriptis. in 6.* & *Clementina, gratia, illo titulo,* dispensationes quoque dicuntur, *cap. si gratiosa. de rescriptis.* & obseruat Archidiac. *in c. gratia* 1. q. 1. hæc, inquam, rescripta gratiæ & maximè ad beneficia, si subreptitia sint, sunt ipso iure nulla, ex *cap. fin. de filiis presbyteror. in 6.* vbi de dispensatione quadam ad beneficia ita loquitur Pontifex: *Veluti per subreptionem obtenta nullius penitùs est momenti.* Atque hanc differentiam inter rescripta gratiæ, & iustitiæ concedunt Doctores passim cum Rebuff. *in praxi, tit. differentia inter rescripta iustitiæ, & gratiæ.*

6 Secundò, omnia rescripta quæ falsitate nituntur, subreptitia verè sunt; cùm desit consensus Pontificis, qui reuera non vult concedere tale rescriptum deficiente veritate causæ finalis, qua simpliciter motus est ad concedendum quod postulabatur: & Doctores tradunt passim *in totum titul. de rescriptis.*

7 Tertiò, rescripta, quæ fiunt ex motu proprio concedentis, & eam clausulam continent, non redduntur subreptitia ex tacita veritate: quia tunc non constat, an benè, aut malè informatus Pontifex gratiam concesserit, & an concessio sit contra intentionem concedentis: & aliundè cùm afferat se motu proprio illam facere, neque aliam causam afferat, non est cur præsumamus, illum inuitum concedere, nisi veritas tacita, esset qualitas aliqua intrinseca personæ, quæ illam ad gratiam inhabilitaret, vt irregularitas ad obtinendum beneficium. Estque communis Doctorum vox clausulam, *motu proprio,* impedire subreptionem, vt latè referunt Sanch. *libro 8. disp.* 21. *num.* 47. *& seq.* & Suar. *libro 8. de legib. cap.* 12. *num.* 11. in sequentibus autem ostendit falsitatem quando ita datur gratia ex motu proprio concedentis, vt nulla præcesserit supplicatio, aut informatio ex parte accipientis gratiam, impedire quidem subreptionem; non tamen reddere gratiam validam: est enim inuoluntaria, cùm procedat ex errore, & ignorantia concedentis. Quando autem ad præuiam petitionem, & informationem, quæ licet non sit causa, est tamen occasio concessionis, donatur aliqua gratia, si in illa informatione fuit aliqua falsitas, clausula motus proprij, non impedit subreptionem, neque inualiditatem. Quod idem quoque dicendum iure contendit Suar. quoties ita tacita, aut diminuta fuit veritas in ea petitione, & velut informatione, vt inde moueatur voluntas Principis, qui cognita integra veritate sua plenè (vt loquitur) informatus non concessisset, concessio nulla fit, non propter subreptionem propriè dictam; sed propter defectum consensus.

8 Quartò, vt propiùs ad rem nostram accedamus, quoties in rescripto beneficiali, non est seruatus stylus Curiæ, dumtaxat in quibusdam loquendi modis aut clausulis, aliisque eiusmodi, quæ ad formam, aut etiam solemnitatem pertinent, & aliundè nullus alius est defectus in concessione, valet in foro interno, quamvis in foro externo subreptitia, & nulla præsumatur. Quare donec per sententiam priuetur suo beneficio, qui ita illud obtinuit, validè retinebit. V. g. si non sit scripta gratia eadem manu: si aliqua litura reperiatur: si aliquid additum bullæ: si Pontifex vtatur numero multitudinis singularem personam compellans: si erretur contra grammaticam, & alia eiusmodi, quæ non versantur circa causam finalem, aut impulsiuam concessionis. Ratio est: quia valor concessionis non pendet ab scriptura, quæ necessaria non est, nisi ad faciendam fidem in foro externo, & ad vitandas omnes lites: graueque omninò esset liberam Pontificis, aut Principis concessionem irritam reddi Notarij vel incuria, vel improbitate. Atque hanc sententiam nemo negat, opinor, cùm tota subreptio & nullitas huius rescripti in foro externo nascatur ex falsa præsumptione subreptionis; forum autem internum non consentit externo, quoties illud falsa præsumptione nititur, veritate stante in contrarium.

Quintò, quoties in rescripto beneficiali peccatur contra stylum Curiæ, tollendo aliquid, quod exprimendum fuerat ex eodem stylo, ad indicandam causam finalem, vel impulsiuam: si tamen verè subsit eiusmodi causa, neque in ea exponenda, & in supplicatione porrecta Pontifici, fuerit vlla fraus aut dolus: aut etiam per errorem, ignorantiam, & simplicitatem tacita veritas, vel aliquid falsò probatum circa causam illam vtramque, finalem, inquam, & impulsiuam, erit validum eiusmodi rescriptum in foro interno, quamvis in externo præsumatur nullũ, & subreptitiũ. Ratio eadẽ est quæ superioris conclusionis: quia hîc reuerà nulla est subreptio, propter quam annulletur tale rescriptum: sed solùm præsumptio subreptionis, eáque falsa, vt supponitur. Neque dicas, errorem contra stylum Curiæ posse facere rescriptum nullum, etiamsi non faciat subreptitium, vt obseruat Suar. *lib. 8. cap.* 12. *num.* 13. cùm enim nullitas non sit hoc loco nisi ex defectu consensus, & intentionis, & reuerà cõsenserit Pontifex in hanc concessionẽ, ipsique omnia, quæ illum mouerunt impulerúntque ad eam gratiam donandam, sincerè exposita fuerint, verus & voluntarius fuit consensus eius: neque per errorem, aut subreptionem obtentus, quamvis contrarium præsumatur in foro externo, propter non seruatum solemnem curiæ stylum in rescripto, quo concessio facta continetur, quæ non sumit suam vim à rescripto, vt patet, sed per rescriptum significatur: & idcircò ex illo tantùm coniiciunt eam concessionem iudices. Neque dicit Pontifex se velle tantùm concedere sub ea formula rescripti, sed vult non constare certò & iudicialiter posse de sua concessione, & voluntate, nisi per tale rescriptum eo stylo, & forma exaratum, vt obuiam omnibus fraudibus eatur. 9

Sextò, quando in petitione Pontifici oblata peccatur contra stylum, omittendo aliquid quod poni debuerat, si illud consistat in quibusdam tantùm formulis, & modis loquendi, & non in causa finali & impulsiua emerendæ gratiæ à Principe, validum erit rescriptum, per quod illi petitioni annuet Pontifex, quia reuerà circumuentus non fuit, & petitioni sibi factæ consensit. Neque ea in re video difficultatem. 10

Septimò, quando in petitione beneficij, & alterius cuiuscunque gratiæ, omittitur quidpiam quod exprimendum fuerat ex solo stylo Curiæ, etiamsi eo expresso magis difficilem se præbuisset Pontifex, quamvis tandem fuisset concessurus, non vitiatur rescriptum, sed validum est in foro saltem animæ. Hæc omninò volunt Auctores secundæ sententiæ *superiùs* relatæ: quibus adde Couarr. *libro primo variar.* 11

*cap.20.num.*1. & eos omnes qui dicunt apud Sanch. *disput.*2 1.*cit.num.*12. omissionem eius quod pertinet tantùm ad causam impulsiuam, non vitiare gratiam, etiamsi de iure foret exprimendum: quod potiori ratione dicent quando ex stylo tantùm Curiæ fuerat explicandum.

12 Probatur verò conclusio primò: quia impetrans gratiam à Principe, non tenetur meminisse eius, quod licet expressum fuisset, non impediret impetrationem, vt *cap.super literis. de rescripto.* apertè significat; quod Innoc. & Abb. atque alij ad beneficia extendunt. Neque vllus negabit validè impetratum ab eo beneficium, qui texuerit crimen aliquod suum, modò per illud non redderetur inhabilis & irregularis, & quod iura non iubebant exprimi, etiamsi Pontifex non fuisset tam facilè, immò neque omninò beneficium illud criminoso concessurus. Licet etiam facer ordo eiusve defectus sit alicuius momenti in collatione beneficij maximè curati, etiamsi tamen eius non meminerit impetrans, validè illud obtinebit, vt definit Bonifac.VIII. *cap.si pro clericis, de prebendis, in 6.* qui etiam *cap.dudum, eodem titulo, vers. considerantes,* gratiam à se factam circa Canonicatum Lexoniensis Ecclesiæ valere vult: quia licet expositum fuisset, quod obiiciebatur circa potestatem factam alteri illum conferendi; nihilominùs eundem concessisset, cùm non propterea priuauerit potestate talis collationis. Denique communis Doctorum sensus est apud Couarruuiam, defectum tantùm causæ impulsiuæ, & non finalis nunquam reddere dispositionem inanem,& inualidam. Appellant causam finalem, quam primò, & per se in suæ concessione, aut rescripto intendit Princeps, impulsiuam autem, quæ mouet quidem Principem vt faciliùs quidpiam faciat, aut quæ suppeditat ipsi occasionem: quare etiamsi sublatâ eiusmodi occasione Princeps nihil esset constituturus, non tamen suâ constitutione intendit illam causam, & occasionem, pro fine: sed motus eâ causâ impulsiuâ & occasione quidpiam aliud pro scopo assequendum sibi destinat; quod ex *l.*1.§.*sexum. ff. de postulando prætor.* fœmina prohibetur pro aliis postulare. Et ratio quidem prohibendi,(inquit Vlpian.) *ne contra pudicitiam sexui congruentem, alienis causis se immisceant, ne virilibus officijs fungantur mulieres.* Origo verò inducta est à Carfatnia improbissima fœmina, quæ inuerecundè postulans, & Magistratum inquietans causam dedit edicto. Pro *Carfania.* legunt aliqui *Calphurniam.* Ale.autem *lib.*2.*parerg.c.*56. Caiam Affraniam, cuius nobilis impudentiæ meminit Valer.*lib.*8.*c.*3.Quæ omnia nuper notaui,& retuli.

13 Vides igitur edicti Prætorij finem, seu (vt loquitur Vlpian.) rationem fuisse, vt pudori fœminarum consuleretur, ne is forensibus clamoribus læderetur. Originem tamen fuisse causam Caiam Affraniam, quæ sua impudentia causam dedit edicto, quod nunquam fuisset promulgatum. Quare etiamsi sublata quapiam causa non fuisset futura concessio, non propterea sequitur illam esse causam finalem, cùm potuerit esse dumtaxat occasio, aut motiuum quodpiam. Quando igitur quidpiam, quod pertinet solùm ad causam impulsiuam, fuit omissum in supplicatione, & libello Pontifici oblato, non corrumpitur concessio ex communi sententia *in cap.post translationem* 1.*de renuntiationibus.in cap.etsi Christus.de iureiurando.* & *in cap.cum cessante. de appellationibus.* & *in l.si mulier.C.de iure dotium.* & *in l.prim. ff. de postulando citat.* ergo multò magis quod exprimendum tantùm fuerat ex solo stylo Curiæ, vitiabit rescriptum, maximè cùm Couarr. *cap.cit.* etiam falsitatem & subreptionem circa causam impulsiuâ, nisi ea fuisset, qua cognita Princeps non concessisset nisi sub arctis quibusdam limitationibus & restrictionibus, doceat non corrumpere gratiam: quia tunc gratia illa reuerà non esset eadem, quæ modò concessa est, quæ proindè inuoluntaria est, & à Principe ignorante, atque deluso facta.

Obiic. Omissio qualitatum, quæ iure essent exprimendæ, etiamsi illis cognitis esset gratiam concessurus Princeps, inualidam eius dispositionem facere, vt concedit ipse Couarr. Rebuff. *in forma mandati Apostolici, glossa pro expressis, ad finem.* & *in tractatu nominationis.q.*9.*n.*50.atque alij à Sanch. adducti *num.*12. & 13. quia iura exigunt pro formæ harum qualitatum expressionem; forma autem etiam in minimis ad vnguem obseruanda est, vt loquuntur Iuristæ. Et ratio est: quia non potest mutari essentiæ actus, quin totus actus varietur essentialiter, neque tolli vlla ex parte formæ rei, quin res ipsa pereat. At verò stylus facit ius, vt nuper dicebamus: ergo quod ex stylo curiæ exprimendum erit, pertinebit ad formam concessionis. Quare si omittatur, æquè irritabitur concessio, atque si quidpiam ex iure exprimendum, fuisset omissum. 14

Respondeo distinguendo inter ea quæ iure exprimi debent: nam aliquæ sunt quæ ideò tantùm explicandæ sunt, vt vitetur præsumptio omnis fraudis & subreptionis: alia verò quæ Pontifex non vult concedere gratiam nisi expressis, & cognitis eiusmodi qualitatibus, ita vt etiamsi illæ non contineant causam finalem suæ concessionis, velit illas nihilominùs ita adhiberi vt alioquin suam omnem dispositionem inanem esse non tantùm patiatur, sed omninò velit. Quando autem illa quæ ius exprimi vult, sunt huius posterioris generis, eorum omissio facit inualidam dispositionem: at verò dum requiruntur tantùm à iure ad cauendam subreptionem, & ex illarum omissione patitur quidem suam irritari dispositionem Pontifex; quam tamen vellet esse validam, & reuerà voluit talem esse, licèt propter varias causas non se opponat Cognitoribus eam ex defectu talium clausularum, aut solemnitatum irritantibus: ita enim fert bonum commune ad vitandas eiusmodi fraudes, validæ est in foro ea concessio, & donec per sententiam irritetur, tutus erit, qui vi illius, beneficium obtinebit. Neque existimo Doctores esse contrarios huic assertioni, cùm de solo foro externo loquantur. Quod autem exprimi vult solus stylus Curiæ, ferè pertinet ad vitandas subreptiones, non autem ad conditiones essentiales & substantiales, sine quibus velit Pontifex ipso facto & iure nullam esse suam concessionem: sed solùm patitur ex earum defectu in foro externo irritari, quam irritationem si euiret, qui obtinuit beneficium, validè illud retinebit, vt dici solet de iis quæ acquiruntur per contractum irritabilem, & non ipso iure irritum: ad nihil enim tenetur ante ipsam irritationem à iudice, quam etiam cauebit quoad poterit. Gra. *t.*2. *cont.*7. *tractat.*3. *disputat.*17. *sect.*6. *num.*46. docet stylum Curiæ tunc facere ius, quando constat eum esse talem, vt prudentis arbitrio inducat obligationem in foro conscientiæ; quod non semper constat. Quare non erit subreptitia dispensatio, in qua tacetur verum contra stylum Curiæ, nisi certè constiterit talem esse stylum, vt in foro animæ obliget. 15

Idem omninò censeant oportet quotquot existimant non esse subreptitiam dispensationem in impedimento consanguinitatis, & affinitatis, non expressa copula habita, quamvis stylus Curiæ velit illam conditionem exprimi. Quare negat Villalobos apud Dian. 16

Dian. 1. *part. tract.* 10. *Resol.* 44. stylum Curiæ obligare in foro animæ.

17 Hinc soluuntur plurima in tota hac materia beneficiali atque in aliis, maximè circa dispensationes, quæ commodius explicabuntur vbi agemus *inferiùs* de iis, quæ in petitione beneficij exprimenda sunt: ibi enim indicabimus, quorum defectu gratia erit subreptitia verè.

QVÆSTIO V.

De Rota decisionibus.

1 VEnio ad decisiones Rotæ, quæ sæpiùs à Doctoribus Canonicis adduci solent: & hæ sunt quidē magnæ auctoritatis, vt pluribus ostendit Gomes. *in Regul. Canc. q.* 2. vbi eius dicta præualere omnibus singulis doctoribus, ostendit, eiúsque sententiam dicit communem: & demùm ipsam esse vberrimum fontem Canonistarum *in cap. quoniam* §. *porrò vt lite non contestata*: non faciunt tamen ius sicut neque aliarum Curiarum decreta; nihilominùs illud declarant & explicant doctrinaliter. Quare dicuntur à Garcia *in præfat. de benefic.* decisiones magistrales: quod dixit etiam Cassador. *decis.* 17. *de præbend. n.* 17. benè tamen monet Nauar. *consil.* 25. *de sententia excommunication.* non omnes decisiones Rotæ quæ placent vrbi in omnibus Academiis recipiuntur, neque vllam iniiciunt necessitatem sequendi, vt latè tradit Ferret. *cons.* 52. *&* 60. immò ipsa Rota dicitur aliquando rotare, id est, à suis sententiis discedere, vti ex antiquis Glossariis in proœmium Regular. Cancellariæ retulit Menochius *cons.* 393. *n.* 5. *& consil.* 1050. *n.* 37. *&* 38. Denique imperiti habentur qui cum iuribus, & rationibus hoc vnum allegant: atque ita fuisse decisum refert Boërius *in addition. ad Ioann. de Montagne in tract. de Parlamentis* 1. *p. n.* 8. Et sanè huiusmodi decisiones in Gallia magni momenti non sunt, cùm illæ procedant ex iure communi, cui in multis derogatum est ex priuilegiis & concordatis Gallicanis. Quare neque nós in his decisionibus allegandis plurimùm operæ ponemus.

QVÆSTIO VI.

De declarationibus Cardinalium, an allegari possint à Doctore Canonica?

1 DEnique declarationes Cardinalium non habent vim legis, neque illis standum est necessariò, nisi authenticè promulgentur: tunc enim ius facient, non quia emanant à Cardinalibus, sed quia promulgantur à legislatore Pontifice, qui eas legum instar seruari vult. Ita Valerius *in different. vtriusque iuris, vers. absolutio diff.* 1. *n.* 10. *& vers. nullitas, different.* 5. *numero secundo.* Sanch. *lib.* 8. *de mat. disp.* 2. *n.* 10. Bonac. *disp.* 1. *de legib. quæst.* 1. *p.* 8. *n.* 4. Basilius Poncius *libro* 5. *de matrimonio cap.* 23. *n.* 7. Ferdin. à Castro *tract.* 3. *disp.* 3. *p.* 2. §. 3. *num.* 7. Vasq. 1. 2. *disp.* 177. *n.* 73. Serar. *in prolegom. cap.* 19. *q.* 11. Del-rio *lib.* 6. *disquisit. capite primo, sect.* 3. Dian. *tract.* 10. *de legibus, resolut.* 29. & apud ipsum Ledesma, Villalobos, & Vega contra Garciam *præfat. de benefic.* vbi dicit esse declarationes definitiuas & decisiuas, vim legis habentes, & vt leges recipiendas. Idem censent Homobon. *prima par. Exam. tract.* 1. *capite primo, quæst.* 9. Rodrig. *tomo primo qq. regular,* *q.* 11. *art.* 1. *&* 2. Mirand. *tomo secundo man. Prælat. quæst.* 26. *art.* 11. Salas *disp.* 21. *de legibus sect.* 12. Gambarupta *de casibus reseruat. capite* 3. *numero sexto*, & alij.

Ratio nostræ conclusionis gemina est. Prima, quia si Cardinales neque habent à sua dignitate auctoritatem sanciendi leges Ecclesiæ, neque illam à Pontifice acceperunt: quod enim Sixt. V. dederit huic Congregationi facultatem interpretandi & respondendi ea quæ circa Tridentini decreta proponuntur, non propterea fecit illis potestatem condendi nouas leges: alioquin Academiæ, & supremæ Curiæ, siue Parlamenta quæ ius declarant, leges facerent, & nouum ius, tótque leges conderent, quot sententias, & conclusiones pronuntiarent. Quod autem ipsa Congregatio, in quadam epistola ius hoc sibi assumat, vt refert Garcias, non multùm moramur, nisi aliunde constet. Secunda ratio est, quia non promulgantur hæ leges, ac proinde non possunt obligare ex communi sententia in materia de legibus: & debent non tantùm in vniuersum promulgari, sed etiam singulæ. Quod enim Rodrig. & Sal. respondent, nouas quidem leges indigere publicatione, non autem leges declaratorias, quia declarationes nihil addunt legi, & totum quod continent, iam inerat legi: quare vna cum ipsa declaratum est, valet tantùm in rebus claris & manifestis, non in dubiis, circa quæ possunt oriri diuersæ opiniones. Vt enim obliget non modò seruare legem, sed etiam certam aliquam declarationem, ipsam mihi promulgari distincta promulgatione à promulgatione legis oportet. Quod ex diuersis obligationibus, quas inducunt, fit manifestum: possem enim totam legem seruare, atque ita illius obligationi satisfacere, etiamsi non sequerer talem declarationem, sed alteri opinioni probabili adhærerem. Quæ congerit Garc. & alij circa has declarationes, vt quod allegentur à Rota, & secundùm eas iudicetur, ostendunt dumtaxat illas esse magnæ omninò auctoritatis, quod non negamus: sed solùm contendimus non esse leges: ac proinde vbi erit firma aliqua ratio, posse nos ab ipsis discedere. Quod veriùs multò est vbi viget aliquis vsus ipsis contrarius qui propterea damnari non debebit, idem enim quod de decisionibus Rotæ de istis declarationibus dixit Nauar. *loco citato*, etsi placeant vrbi, non facere tamen ius toti orbi. 2

QVÆSTIO VII.

De iure Gallico, maximè circa beneficia.

VEnio ad ius Gallicum quod in pluribus à iure communi dissentit. Nam imprimis Regulæ Cancellariæ non seruantur in Gallia: quamvis enim Cassan. *consil.* 10. *num.* 25. dicat non reprobari per pragmaticam sanctionem, neque modò per concordata, ac proindè vbi non dissentiunt à iure communi, recipiendas esse. Vsus tamen contrarius est, vt obseruat Rebuff. *in additionibus ad Regulas Cancellar.* quare ex omnibus illis admittuntur dumtaxat hæ quinque, Prima est de triennali possessione. Secunda de publicandis resignationibus. Tertia de viginti diebus, siue de infirmis resignantibus. Quarta de verosimili notitia obitus. Quinta de non tollendo iure alteri quæsito. Neque hæ Regulæ desinunt extincto Pontifice, qui illas tulit, sed manent perpetuæ tanquam ius quoddam Gallicanum potiùs quàm Pontificium, quamvis ex Pontificio deriuatum. 1

2 Secundò plurimas Decretales, maximè quæ *in 6.* cõtinentur, non recipit, vt monebamus nuper ex Duaren. *in præfat.* adhæret enim antiquæ Canonum collectioni, quam habuisse iam olim Ecclesiam Gallicanam colligimus ex Hormisd. dum Canonum Gallicanorum meminit *cap. si quis, dist.* 50. Et sanè, cùm tam frequentes habitæ sint Synodi Gallicanæ, quæ ferè de politia Ecclesiastica disceptabant, nihil mirùm si suis moribus vixerit Ecclesia Gallicana, eósque etiam nunc aliqua ex parte retineat; quod nemo æquus rerum æstimator in contemptum Romanæ Ecclesiæ, quam Gallicana semper obseruauit vt parentem, interpretabitur.

3 Tertiò, vim habuit per aliquot annos pragmatica sanctio, quam ex variis concilij Constantiensis, & Basiliensis constitutionibus edidit in conuentu Bituricensi Carol. VII. an. 1438. 7. Iulij, quæ magno omnium plausu excepta fuit, & diu constantissimè retenta, cùm supremi ferè Regni ordines eam Palladium Franciæ, nominarent. Quia tamen pluribus in rebus incommoda videbatur Curiæ Romanæ iuribus, diu & acriter in ea conuellenda sanctione laborarunt summi Pontifices, Pius II. Sixtus IV. Innoc. VIII. Alexand. VI. Iulius II. & Leo X. è quibus Pius à Ludouico XI. edictum tandem expresserat de huius constitutionis abrogatione, Ioanne Balua Gallo homine, qui ad purpuram tunc aspirabat, sequestro & interprete vsus, sed cùm Balua mandata Regis ad Curiam detulisset vt ea suo iudicio de more comprobaret, regius Cognitor qui à sano Roman. cognominabatur, illi postulationi, quanquam sub Principe imperiosissimo, adeò viriliter obstitit, intercessitque vt negotium confici non potuerit, ipsáque Curia, ne regium imperium detrectare videretur, libellum scripsit, quo Regi persuadere nitebatur nihil exitialius Reipublicæ Gallicæ contingere posse, quàm si Pontificis Romani ea in re desiderio, atque, vt loquebatur, cupiditati satisfaceret. Itaque res tota disiecta est id temporis, & sæpè deinceps infeliciter tentata; quam tandem Leo X. perfecit, & cum Francisco I. ita conuenit vt ex parte saltem constitutioni Carolinæ derogaretur. Itaque edidit sanctionem, quam Concordatum nominamus, in qua aliqua capita pragmaticæ retinentur, alia reiiciuntur, totáque ipsa constitutio penitus aboletur, diuturnum illud bellum, quod pro hac Helena cum Romanis Pontificibus toties gesserant Christianissimi Reges, extinctum est, frustrà Scholastico Conuentu Parisiensi à Pontificis decreto ad futurum Concilium prouocante.

4 Quartò igitur concordatis tanquam certo iure in iudicandis causis, beneficiariis præsertim, hodie vtimur in Gallia: éstque irreuocabile illud ius inuito Rege vel Pontifice, cùm sit contractus inter Pontificem, sedémque Apostolicam, ac Regem & Regnum initus, sacro Concilio Lateranensi, eóq; œcumenico approbante: quare ius quæsitum est tum Regi, tum Pontifici, à quo neuter inuito altero discedere potest: & ideò quoties constitutiones transeunt, in concordata reuocari non possunt ex Barth. *in l. Hi qui. C. de excusationibus munerum*; ipséque Leo vim illis & robur constitutionum Pontificiarum, & Apostolicarum addidit, vultque non posse in illis derogari in aliqua sui parte, & sic nec in toto nec in minimo: hoc enim significat verbum *aliquo*, per Glossam *in Clem. VII. de foro competenti. Per quascumque*, inquit, *litteras & gratias per nos & successores nostros desuper concedendas.* Vnde infert Rebuff. *tit. de firm. & irreuocab. concordat. stabilit.* neque per litteras vllas siue iustitiæ, siue gratiæ, neque per indulta derogari posse his concordatis, siue vt nominati excludantur, siue vt alij impetrantes præferantur ipsis, nisi sint mandatarij, de quibus agitur *in rubrica de mandatis*, quia annullantur omnes litteræ contra eiusmodi statuta impetratæ aut impetrandæ. Quare, si concedantur tales litteræ, siue indulta, non debent verificari siue interinari, quia non valent. Quare litteræ quæ dantur, vt causæ aliquorum in magno Concilio decidantur, periclitantur, per istum textum (inquit Rebuff.) quia contra hæc concordata, & maximè contra rubricam de causis sunt. Obligat prætereà Pontifex omnes iudices etiam auditores Rotæ, commissarios, & E. R. Cardinales in quibuscumque causis iudicare, & definire secundùm hæc concordata, sublata ipsis facultate aliter definiendi & iudicandi. Quare sententia contraria his conuentis nulla est, vtpotè sine iurisdictione pronuntiata: & ideò eiusmodi iudices puniendi sunt tanquam falsarij, aliísque pœnis, quas congerunt DD. *in cap. 1. de re iudicata, in 6. & in l. si filiusfamilias, ff. de iudiciis & in Rubric. C. de pœna iudic. qui malè iudicauit.*

5 Denique diligenter notanda est clausula irritans, *Quidquid in contrarium à quocumque gestum fuerit. Nec non irritum, & inane, quidquid fecus super his, vel eorum aliquo, à quopiam, quauis auctoritate, etiam per nos, & successores nostros præfatos scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Quæ clausula afficit omnes articulos prius positos, vt patet, & ligat etiam manus Papæ: quia etiamsi successor æquali polleat auctoritate, possitque legem prioris refigere; non tamen contractum, per quem quæsitum est ius tertio, illo inuito discindere, ac tandem hæc clausula ita sit irritatoria, vt actus contra ipsam factus ipso iure irritus, & non tantùm irritandus. Obligat igitur in conscientia, & qui obtineret beneficium per collationem, aut alium modum contrarium illi quem præscribunt ista conuenta, reuerà non obtineret validè, etiam in foro interno, quia tota illa actio fuit nulla, inanis, & irrita: neque dare potest vllum ius aut titulum, vt patet.

6 Quintò præter ius concordatorum habemus decisiones, seu sententias, & arresta supremarum Curiarum, & magni Concilij: quia cùm causæ beneficiales sunt mixti fori, cùm aliquid temporale, & aliquid spirituale contineant, ad vtrumque forum pro aliqua sui parte pertinere possunt. Quare in Gallia Cognitor Regius cognoscit primò de possessorio, vel quasi possessorio beneficij, non autem de petitorio, & proprietate beneficij: atque ita sæpiùs iudicatum testatur Papon *libro primo tit. S. Arr.* 21. 23. 24. 25. *& seq.* Ioan. Gall. *de stylo Parlam. q.* 306. & Guido Papæ *Decis. prima.* vbi & refert diploma Martini V. quo concedit Carolo VII. facultatem vtendi iure quod ab omni retrò memoria sibi vendicarant Reges Christianissimi cognoscendi de possessorio beneficiorum: neque vnquam voluisse se huic regio iuri derogare litteris prioribus, quibus grauibus pœnis mulctabat Clericos qui ad sæculares iudices prouocabant. Plurimas verò ordinationes regias circa possessorium beneficij collegit Rebuff. *in ordinat. regias, tractat. de causis beneficiorum possessorij.* vbi etiam ex iisdem ordinationibus colligit nullum alium iudicem quàm regium posse cognoscere de possessorio; nunquam autem iudex laïcus cognoscit de petitorio beneficij, etiamsi in aliis causis idem iudex qui cognoscit de possessorio, possit etiam de petitorio, & proprietate rei iudicare, ex *l. nulli, & l. quoties. C. de iudiciis*, quia, vt statim dicam, petitorium in beneficio est aliquid spirituale, quod necessariò subducitur cognitioni laïci iudicis. Neque vera est illa

Regula,

Regula, quam *paulò antè* adducebamus, iudiciom de causa petitionis, & possessionis ad eundem pertinere, nisi quando ille sit iodex vtriusque causæ; quod non contingit hoc loco. Atque id ipsum videmus io rebus profanis: exedræ enim Ioquisitionum, si de possessione rei alicuius cognouerint, de petitione deinde cognoscere non possuot, vt refert Papon. *lib.4. tit.9. arrest.9.* Vbi igitur de possessorio beneficij apud Cognitorem regium actum fuit, de petitione deinde, & proprietate apud Ecclesiasticum disceptandum erit, modò sententia lata quoad possessionem à iudice regio executioni non fuerit demandata, tam ratione rei, quam ratione fructuum, & expensatum; alioquin à sententia iudicis ecclesiastici super petitorio iudicantis appellabitur tanquam ab abusu, vt tradit Rebuff. *tract. cit. de causis benefic. possess.* Quod etiam seruatur in omnibus causis, in quibus alius est iudex petitorij, alius possessorij. Non cogitur tamen iudex Ecclesiasticus sequi latam sententiam à iudice laïco super possessorio: quare Curia Tolosana pronuntiauit malè prouocatum fuisse à iudice Ecclesiastico, qui adiodicarât proprietatem beneficij illi, cui Curia ipsa possessionem negarât, vt refert Ferrerius *in decisionem primam Guidonis Papæ*, quia quamvis acta in possessorio producta fidem faciant in petitorio, vt existimat Guido Papæ *decis.* 136. & vix possit definiri possessorium, quin simul iodirectè & in obliquo petitorium dicidatur, eò quòd possessorium probari non possit sine aliquo titulo, & canonica institutione, *capit. primo de Regulis iuris, in 6. & cap. ex frequentibus, de institutionibus, & cap.7 de eo qui mittitur in possessio. in 6.* Qoare dixit etiam Vlpian. *interdicta de rebus sacris proprietatis causam annexam habere.* Tamen quia in causis beneficiariis aliter iudicatur caosa proprietaris, aliter possessionis, non cogitur iudex ecclesiasticus sententiam laici de possessione iudicantis sequi in definienda proprietate. Nam causa possessoria in beneficiis de plano, & summatim iudicanda est, vti iubent ordinationes Regiæ; immò causa omnis possessionis momentanea est, siue momentaria, vt alij loquuntur, qua de re adi Cujac. *libro primo obseruat. cap.* 20. quia est momenti beneficium: statim enim vbi postulatur, spoliato sine vlla cunctatione restituenda est, dilata dominij quæstione: & ideò appellatur celeris reformario, *l. si coloni. C. de agricolis censitis*; ita vt neque vlla appellatione retardari possit, *l. vnica C. si de moment. possessio.* appellatum fuerit, si verò sententia absolutoria in causa possessionis non parit exceptionem rei iudicatæ contra proprietatis causam, vt tradunt Glossa & Interp. *ad l. incerti. C. de interdictis. & ad l. & an. §. vlt. D. de exceptionibus rei iudicata.* Non cogitur igitur qui iudicat de proprietate, sequi iudicium de possessione latum: immò idcircò sententiæ de possessione momentariæ sunt, quia deinde facilè possunt reformari per iudicem qui diligenti examine & disquisitione, de proprietate iudicabit.

7 Ratio porrò propter quam distrahuntur apud diuersos iudices causæ possessorij & proprietatis eiusdem beneficij, est, quia possessorium est aliquid temporale, & petitorium, seu proprietas, atque ioa ipsius beneficij, est aliquid spirituale, vt latè ostendit Guido Papæ *consil.* 78. *num.* 3. Rebuff. & alij. Possessoriom & petitorium nihil habent commune, *l. naturaliter. ff. de acqui. possessio.* Nihil. (inquit Vlpian.) *commune habet proprietas cum possessione; & ideò non denegatur ei interdictum* vti possidetis *qui cœpit rem vindicare. Non enim videtur possessionem renuntiasse qui rem vindicauit.* Nihil itaque mirari oportet, si petitorium & possessorium sint diuersæ naturæ, & ordinis: quandoquidem nihil commune sortiuntur; atque ita, si in beneficiis possessorium est, idque satis apparet: interdicta possessoria introducta sunt, vt vis & cædes vitarentur. Cùm enim possessio multùm commoda sit, litigantes nihil non tentabant vt illam sibi vindicarent, & interdùm ad arma non sine magna Reipublicæ perturbatione concurrebant; cui malo vt occurreretur, pretores per interdicta possessionis causam expediebant, vt ait Theophyl. *tit. de interdictis.* Deinde decisâ possessionis causâ dabant iudices qui do controuersiæ totius iure cognoscerent: qua de re vide *Inst. de interdictis*, sed sublatis illis formulis Principes sibi suisque iudicibus, vt de possessoriis controuersiis soli iudicarent, sumpserunt, quia hæc contentio armata plerumque est, vt dixi. Ad Principem autem eiusque curiam spectat tueri pacem, & prohibere ne ciues ad arma concurrant, *l. 1. c. vt armorum vsus: & nouella* 85. quæ cura fuerat olim apud Romanos maiorom Magistratuum. Itaque in hoc regno soli iudices regij, non inferiorum dominorum de possessoriis iudicant. Benedict. *in cap. Raynutius, vers. & vxorem.* Boër. *quæst.*69. & alij. Iure igitur vbi de contentione armata agitur, cognitio ad iodicem laïcum spectabit: qoare negant Galli Doctores, cognitionem in possessoriis beneficiorum pertinere ad Regem ex beneficio Pontificio, cùm & Martin. V. non concedat nouum ius, sed profiteatur tantùm se nolle præiodicium afferre iuri, quod ab omni auorum memoria Regi quæsitum fuisse dicebatur: & sanè multò ante Martinum esset ille vsus, vt testatur Aufre. *in tractatu, de potestate sæculari super Ecclesiam*: & denique ipsi Pontifices causas possessorias ad Reges pertinere fatentur: nam Alexander III. *cap. causam. qui filij sint legitimi.* causam possessionis remittit ad Regem Angliæ, & retractat mandatum, quo illam iudici ecclesiastico commiserat. *Non attendentes,* inquit, *quod ad Reges pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare*: atque ita DD. *superiùs* relati à Garcia. laïcum cognoscere posse de possessorio beneficij, magno consensu fatentur. Quare malè dixit Garc. *num.* 51. hanc sententiam, & consuetudinem reprobandam esse cum paucis aliis, quibus, adhæsit Azor. 1. *part. libro quinto, cap.* 24. *q.* 2. propter decisiones Rotæ, quarum etiam aliquas refert Garc. sed hæ tanti non sunt, vt à rationabili consuetudine dimouere nos debeant, illisque Curiarum Gallicarum effata licebit opponere. Quod verò dicit idem Garc. possessionem in beneficiis esse aliquid spirituale, quia debetur vi muneris spiritualis, ineptum est, cùm ne ipsom quidem ius percipiendi fructus beneficij sit formaliter spirituale, sed solùm radicaliter, vt Less. *cap.* 34. *num.* 2. ait, eo quod sit annexum inseparabiliter alicui spirituali, scilicet ministerio sacro. Dum verò addit Garc. Clericum non posse conueniri nisi coram iudice ecclesiastico, petit principium: quæstio enim est vtrum in re merè temporali à laïco iudicari queat: quod merito est, & à nobis relati contendunt, maximè vbi viget ea consuetudo, quam suspicantur non nisi ex beneficio pontificio deriuatam fuisse vlterius vt in Gallia iudices ecclesiastici, etiamsi de petitorio beneficij cognoscant, non aotem de possessorio: atque ita derogatum est iuri communi, quod vtramque cognitionem permittit iuri ecclesiastico, vt ostendit Rebuff. *tract. cit. de causis beneficio. possess. art.* 7. *in Glossa. a.* Immò neque iudicare potest de vlla actione reali iudex ecclesiasticus, vt sæpiùs definitum fuisse in Curia prodit Ioann. Gallus *parte* 5. *styli Parlam. quæst.* 45. in quem proximum locum Molin. annotat id verum esse etiam de vili mobili, etiam inter Clericos, & in

personali dependente à reali, & in qua concluditur per medium reale. Vide Aufrer. *repetitione in Clem.* 1. *quæst.* 3. *in princ. num.* 17. *de offic. ordin.* Bald. *authentica Clericus. C. de Episc. & Cleric.* Faber *inst. de satisdatio.* §. *si vero.*

8 Hinc sequitur secundò, vt Curiæ regiæ iudicent de re spirituali per viam, vt loquuntur, simplicis saisinæ, v. g. cathedræ theologicæ, aut canonicatûs, eámque in rem duo arresta refert Ioan. Gallus *part.* 5. *styli veteris, quæst.* 389. Ratio est: quia possessio rei spiritualis est merè quid facti, vt notat Innoc. *in cap. cùm dilectus. de electione,* & Archidiac. *in cap. frequens. de restit. spoliatorum, in* 6. & alij DD. *in cap. fin. de foro competenti.*

Tertiò Curia cognoscit de quæstione iuris patronatûs, dum ius ipsius patronatûs est contentiosum, vel dum prætendit exponens non fuisse solemnitates patriæ seruatas, vel non fuisse præsentationem debitè factam, vel modo debito intra tempora sex mensium, aut prætendit Prælatus collationem ab eo factam ante præsentationem. Ita loquitur, & arrestis Parisiensibus probat Ioan. Gall. *part.* 5. *styli Parl. quæst.* 327.

9 Quartò si quis optimo iure sacerdotium cum altero permutauit, & illud prositationi, aut aliter esse obnoxium, apud profanos conueniri potest, vt aut laborem præstet, aut petitori sacerdotij à se eiurati possessionem recipiendi potestas fiat: quæ res sæpiùs iudicata est. Atque imprimis à prætotiano Consilio Cardinali Borbonio & Corbeiensi Hæresiarcho disceptantibus.

10 Quintò, iudicat Curia quoad ædificiorum restaurationes & sacra tecta templorum.

11 Sextò de stipendiis quoque & alimentis sacerdotio debitis sæpiùs fuit à Curia pronuntiatum: immò & quoad visitationem beneficiorum: quorum omnium plura congessit arresta Bouch. *in summam benefici. vers. iurisdictio. temporal.* quæ suis locis commodius afferentur.

12 Septimò habemus ordinationes siue constitutiones regias, quæ multa de beneficiis sanciunt, quæ *in suorum commentariorum libro primo* collegit Theueneau, quia plurima tum ex concordato, tum ex aliis priuilegiis pertinent ad Regem Christianissimum circa beneficiorum collationes, nominationes, & cætera eiusmodi. Quare hæc omnia iura nobis attendenda erunt, & ex omnibus allatis in nostra Scientia Canonica argumentandum quoties ea auctoritate fuerit agendum.

QVÆSTIO VIII.

Ab auctoritate Doctorum.

1 EX ea sumi plerumque solet probatio, & argumentum probationis à Doctore theologo, & canonico: hos enim perpetuò coniungo; quandoquidem enim materia scientiæ canonicæ sunt dogmata & canones, vti sæpiùs monuimus, propositiones probandæ in Scientia Canonica pertinent ad dogmata, fidem & Theologiam, vel ad disciplinam ecclesiasticam, & praxin Ecclesiæ seruandam, eiusque leges quas accuratiùs agnoscere debet Doctor canonicus. In iis verò probationibus maximum pondus habet auctoritas Doctorum, vt & in cæteris materiis moralibus iam pridem constat.

2 Hæc verò auctoritas vel est vnius Doctoris singularis, vel multorum. Si auctor singularis sit, vel ipse vnus tractat eam materiam, vel cum aliis; deinde vel suam mentem dumtaxat aperit casu quodam fortuito, & velut aliud agens, vel ex proposito eam tractat, & quantùm potest eam persuadet, aduersariorum rationes confutat, & obiecta diluit. Deinde aut ipse solùm se nouit, & dicit auctorem propositionis, & opinionis, quam rationibus, quibus potest, firmat, aut aliorum arbitrio sibi diffidens, relinquit. Præterea vel habuit suæ sententiæ sectatores siue ob robur rationum, quibus eam fulcit, aut ob nominis sui celebritatem, aliisve de causis, propter quas eius sententiæ in scholas inductæ sunt, vel ea opinio passim ab omnibus reiicitur, aut notatur propter singularitatem, aut infirmitatem rationum. Denique considerandum quoque hoc loco erit, an iste auctor habeat adiunctam aliquam auctoritatem externam, nimirum an referatur in ipso corpore iuris: v. g. Gratianus si in suo decreto illum, siue aliunde retulit.

Quando auctor, quem allegamus vnus & singularis est, attendenda sunt illa omnia quæ anteà obseruabamus, vt ex illo argumentum probabile (nam certum habere non possumus) dedocamus. De illo an faciat opinionem saltem probabilem, fusius diximus nuper *superiori libro tertio, cap.* 7. *quæst.* 4. §. 2. *num.* 4. quibus nihil addere visum est. Distinctionis tamen causâ distinguendi sunt varij auctores, & variis materiis, de quibus agitur, aptandi: neque enim æqualem in quilibet materia tractanda obtinent auctoritatem: cùm alij sint philosophi, alij rabini, alij Patres, dogmata fidei pertractantes, alij interpretes sacrorum Voluminum, alij Theologi, alij Legistæ, alij Canonici, alij historici, alij alia pertractent quandoq; valdè dissonantia, atque ita variis in rebus fidem, & auctoritatem iure merito obtinuerint. In vniuersum autem dici potest, in auctoribus spectandam esse summam eruditionem, & morum probitatem; quod monet Augustinus *libro secundo de ordine, cap.* 9. vbi de fallibilitate humanæ auctoritatis ait: *In eis tamen videmur excellere, qui quantum imperitorum sensus capit, multa dant indicia doctrinarum suarum, & non aliter viuunt, quàm viuendum esse præcipiunt.* Sapientia itaque spectanda, quæ consideranda est & bonitas vitæ: quare in iis, quæ ad propriam facultatem, & artem spectant potius quàm circa alienam credendum est, ij qui videlicet ex professo tractant rem aliquam, aut qui per transennam de ea agunt distinguendi sunt, in iis, quæ ad mores & religionem spectant, ipsius auctoris mores considerandi sunt: nam sæpiùs agunt in transuersum iudicium: & licet benè iudicent, non tamen quæ sentiunt, loquuntur: &, (vt ait Paul.) licèt Deum cognouissent, non tamen Deum glorificauerunt. Quod in plurimis Philosophis vidimus, qui ne populos offenderent, veritatem in occulto detinuerunt. Ex omnibus auctorum argumentis & auctoritatibus desumi potest argumentum à Theologo & Canonista pro diuersitate materiæ, quam tractat, & eiusmodi argumenta maiorem, aut minorem probationem patiunt; quod expendenti varia auctorum genera facilè constabit. 3

Nam imprimis Philosophorum sententias prudenter vsurpamus exemplo Patrum: quod ostendit Canus *lib.* 10. *de locis c.* 3. sufficiat vnus Basil. tractatu de fide, initio: *Quousque contra insurgentes quidem pro tempore hæreses pugnandum fuit, sequutus maiores nostros, consentaneum putaui & congruum veritati, superseminata à diabolo impietatis contrariis vocibus coercere aut etiam subuertere subinductas blasphemias aliis atque aliis, iuxta quod laborandum necessitas exigebat, aliisque sæpenumero agraphis quidem, verum non alienis à pia secundum scripturam sententia. Quemadmodum igitur &* 4

Apostolus

Apostolus plerumque facit gentilibus, vti non detrectant ad proprium scopum.

5 Rabinorum maximè recentiorum auctoritas, quoties fidei dogmata & diuinarum scripturarum expositionem docent, nullius momenti Christianis esse debet, cum non modò sint alieni à fide & potiùs inanes fabulas, quàm veritatem consectentur, qui & Christum & Apostolos occiderunt, &, vt ait Paul. *ad 2. Cor. c. 3. Velamen sit positum super cor eorum vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses.* quod ipsum fusius ostendunt Michaël Medina *lib. 7. de recta in Deum fide c. 4.* Driedo *libro secundo de script. cap. 3.* Salmeron *prol. 9. can. 17.* adhiberi nihilominus possunt quoad linguarum peritiam, & quædam moralia & demum grammaticalem expositionem: quod à S. Thoma aliisque vsurpatum videmus, atque ipso sancto Hieronymo, qui ipsorum opera atque magisterio fuit vsus ad sacrarum literarum versionem.

6 Sanctis Patribus ad dogmata fidei, theologicas quæstiones, sacrarum literarum intelligentiam, traditiones Apostolicas, & vsum siue praxin disciplinæ ecclesiasticæ, vtiliter omninò vtimur: quod egregiè præstitit sanctus Augustinus *in libris contra Iulianum Pelagianum*, in quibus plurima testimonia tum veterum Patrum, tum sui temporis profert; & Hieronymus antiquorum placita adducit, sicut & Fulgent. Prosper, aliique, immò & ipsa Concilia generalis.

7 Theologis quoque scholasticis consulti Pontifices vsi sunt, sicut & sacrarum litterarum interpretibus, maximè dum quæstio de sensu litterali incidit, ex quo dogma fidei vel conclusio theologica elicienda est. Illustre exemplum habemus in Innocentio III. *cap. maiores. de baptismo & eius effectu.* vbi vtrum in baptismo infundatur gratia & virtutes, remittit ad varias Theologorum opiniones; quod deindè definitum est à Tridentino. Idem *cap. cum Martha. de celebratione missarum.* vtrum aqua cum vino transsubstantietur in sanguinem Christi, affert varias Theologorum sententias. Deinde inter opiniones prædictas illam eligit tanquam probabiliorem, *quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expressius eluceat proprietas sacramenti.* Mystici Theologi, cum ferè symbolicè loquantur, vix locus est ipsorum authoritas ad probandas & decidendas quæstiones, & cum Dionys. *Epist. ad Titum* dicat eiusmodi Theologiam argumentum, & probationem non esse. Si tamen ex communi aliqua illorum sententia dependeret propositio aliqua theologica possent afferri in confirmationem, non tamen infallibilem, sed prudenter & magno cum pondere.

8 Restant Iurisperiti, quos quidem ad Theologiam produci debere existimat S. Thomas *opusc. 17. cap. 13.* ait enim: *Quamuis inconsonum, & derisibile videatur, quod sacræ doctrinæ professores iuristarum glossulas in auctoritatem inducant, vel de iis disceptent*: rationem optimam reddit *quodlibeto 2. ad 2.* quia Iurisperiti frequenter errant, cum ius humanum vulgò sequantur quod erroribus obnoxium est, & non diuinum cui perpetuo adhærent Theologi & Canonistæ, aut saltem ius ecclesiasticum sequantur, quod non est merè humanum, vti diximus alias: & quidem de Theologis constat: habent enim pro principio veritatem fidei & lumen rationis supernaturalis; quę duo excedũt omne ius humanum, quod consulunt dumtaxat Iurisperiti. Non existimamus tamē esse prorsus à Theologo alienum iurisperitorum auctoritate aliquando vti; quod ostendit Canus *lib. 10. de locis c. 8.* quod tamen intelligendum est in iis, quæ pendent ex solo iure diuino aut ex puro iure naturali: vel denique ex iure positiuo constituto ab Ecclesia, cuius constituta decreta ex solis iuristis conuellenda, aut ad solam regulam iuris ciuilis expendenda aut emendanda non sunt, cùm ius ciuile & ecclesiasticum variis rationibus ducantur, habeántque varios fines, vt fusè demonstrauimus contra Fortunium Garsiam *lib. 2. & 3.*

Ex his omnibus facilè colligitur in iis quæ ad fidem & mores pertinent, primæ omninò auctoritatis esse antiquos Patres: quia & sanctissimi fuerunt, & eorum propria scientia in iis occupatur. Accedunt Theologi scholastici, aliique, qui in eo studio diligentem & non vulgarem operam nauarunt, & pietate floruerunt. Postremò loco sunt Philosophi aliique sapientes etiam à vera religione alieni: nam interdum aliqua bona habent falsis & irreligionibus permixta. Quare Augustinus lib. 13. contra Faustum Manich. c. 15. *Si quid de filio Dei, aut Deo Patre vera dixisse perhibentur, valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad istorum vanitatem amplectendam, cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt qui suos congentiles populos ad idola & dæmonia partim colenda docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt.* quos tamen vtiliter interdum adhiberi, vti ex Hieronymo & Chrysostomo probat Henricus *in summa A. 7. q. 9.* 9

Philosophos tamen in merè philosophicis, ipsis etiā Patribus æquat S. Thomas *in 2. dist. 14. quæst. 7. ad 1.* ideò enim eiusmodi dicta philosophorum vsurpant Theologi, & supponunt ex philosophia, quæ ad naturam spectant, & Aristotelem vix reiiciunt, sed interpretantur: & cùm controuertitur de aliqua quæstione philosophica illorum placita aliorum dictis præferre solent. Rationem reddit Canus *lib. 7. de locis cap. 5.* & Bann. *1. p. q. 1. A. 8. dub. 5. concl. 1.* quia Patres vacabant studio sapientiæ, & parum philosophiæ, neque rerum naturis perscrutandis ita vacabant, vt potuerint assequi quod philosophi longa commentatione obtinuerunt. Si tamen res illa naturalis vel fidem ipsam attingat, vel non nisi ex fidei principiis primùm innotuerit vt animæ immortalitas, differentia suppositi, & subsistentiæ à natura, præhabendi erunt Patres, & Theologi philosophis omnibus, etiam nominatissimis. Vnde fit, vt si conclusio theologica pendeat ex altera de fide, & altera naturali siue philosophica, in qua Theologi cum philosophis differant, conclusionem illam neque esse certam, neque theologicam. Cum enim conclusio sequatur partem debiliorem præmissarum, & altera sit dubia aut saltem non certa propter differentes opiniones, non poterit gignere assensum certum & infallibilem: v.g. asserunt passim plures Theologi aquam immediatè conuerti in vinum ante consecrationem, & inde in Christi sanguinem, oppositum sentiunt plures philosophi vti Innocentius refert *cap. cum Martha. de missarum celebrat.* qui cùm physicis censuerit, vt potest, non tenetur de fide credere aquam immediatè & statim conuerti in Christi sanguinem, licèt Innocentius eam opinionem tanquam probabiliorem elegerit *eo capite.* Vbi verò conclusio non pendet ab vna naturali & physica; sed ab aliqua fidei propositione, philosophorum auctoritatem nullius esse in illo discursu ponderis & præualere auctoritatem Theologorum, cùm in regula fidei (de qua non iudicant Philosophi) fundetur, v.g. vinum ex vite esse propriam materiam Calicis, vti definiuit Concilium Florentinum: neque quidquid dicant philosophi, an vina ex aliis materiis quàm ex vite confecta aut expressa eiusdem sint speciei, an non, erunt assumendæ, neque iudicandæ tanquam veræ materiæ Christi sanguinis. 10

Quoties propositiones sunt purè theologicæ vel 11

ex

ea solo iure humano pendent, aut iure dumtaxat humano diriguntur, auctoritas vel Theologorum vel peritorum iuris præhabenda erit, cùm cuique in sua arte credendum omninò sit ex veteri prouerbio, nisi manifesta ratio contrarium suadeat. Nomino porrò quæstiones & controuersias theologicas, quæ suppositis fidei principiis discursu aliquo, quem nominamus theologicum, colliguntur, siue illi immisceatur aliqua propositio naturalis, siue non. Ratio est: quia in eiusmodi discursibus & quæstionibus maximè elaborant Theologi, & in eruendis ex eiusmodi principiis variis, controuersiis, & conclusionibus, atque ita Patrum doctrinam amplificarunt, illustrarunt & tuiti sunt: quod neque cogitarunt, neque perfecerunt philosophi, qui principia fidei nequidem norûnt nisi quatenùs ratio naturalis non dissentit, aut etiam aliqua ex parte consentit lumini fidei, quatenùs vnum lumen non opponitur alteri, & vna veritas alteri minimè resistit.

12 Iuris denique periti nullius quoad res theologicas, auctoritatis esse possunt, quoniam vt Can. *libro octauo*, & Ban. *in 1. part. quæst.* 1. *art.* 8. asserunt, toti occupantur in explicando iure humano, & licet ad christiana officia quandoque diuertant, id non faciunt, nisi quatenùs ex iure positiuo & humano pendent, neque sua scita ex theologicis resolutionibus aut principiis mutuantur, nisi quatenùs ad Christianitatem, vt ita dicam, assurgunt. Quâ ratione ius diuinum, ipsáque Theologia plurimum conferunt intelligendo, & interpretando iuri humano.

13 Hactenùs Doctorum diuersorum auctoritatem considerauimus in singulari: nunc vt communi consensu aliquid sentiunt, & an ab illis liceat quandoque discedere ne vel temerarij, vel præfracti audiamus.

Communis autem consensus vel est omnium omninò qui quæstionem tractarûnt, vel plurium dumtaxat, qui in varias siue factiones, siue sectas diuisi sunt: quâ ratione iurisperiti communem sententiam vocant, licet plures in aliam quandam abeant: cùm Theologi non nominent communem, nisi omnes, paucis exceptis, idem sentiant. Quare apud iurisperitos plures aliquando sententiæ dicuntur communes circa idem, licet diuersæ atque etiam contrariæ existant, modo singulas, graues sequantur auctores; quod apud Ceuallos *in speculo aureo communium opinionum* aduertes: neque hic loquendi modus apud Theologos infrequens aliquando est, cùm in Theologia, & in iurisprudentia atque etiam philosophia diuersæ sint veluti familiæ, scholæ, & veluti factiones. Diuersa quoque sortiuntur nomina, Thomistarum v. g. Scotistarum, Nominalium, &c. opiniones quæ alicui eiusmodi familiæ sunt communes, non debent dici simpliciter & absolutè communes, sed inter Scotistas, Nominales, Thomistas esse. Neque aliquis contrariam opinionem, singularem dicere potest, cùm ea grauibus auctoribus nixa sit, & aliquando alij neutrum opinentur. Quare nec ab opinione communi recedere, neque ad illam accedere dici possunt: sed dumtaxat non contradicere. His obseruatis, sic statuendum est.

14 Primò vbi inter Doctores de re quapiam diuersæ sunt opiniones, diuersis diuersa opinantibus, ex illis non sumitur nisi probabile, non verò certum theologicum, aliúdve argumentum: quia vbi periti alicuius artis, & facultatis dissident, non sequitur ex illorum principiis euidens consequentia: quia illa certa & euidens esse non potest, nisi vel ratione, vel auctoritate humana, ac proindè fallibili: nisi sit vel aliqua definitio ecclesiæ, vel communis fidelium sensus oppositus, aut denique aliquod, post Doctorum controuersiam, Ecclesiæ decretum. Neque enim solo numero res ea pendenda est: nam fieri potest vt pauciores numero, grauioris auctoritatis contrariam opinionem probabiliorem reddant, nisi aliqua definitio Ecclesiæ accesserit. Nam aduersùs illam communis etiam DD. sententia defendenda non est, vt pluribus exemplis demonstrari poterit.

Secundò vbi iurisperitorum communis sententia est, facit illa argumentum moraliter certum in iis, quæ sunt de iure merè humano, & non pendens à fide, eiusque dogmatis. Ita Can. *libro octauo de loc. cit. vlt.* & Bann. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 8. Communem verò opinionem nomino, quam ferè omnes sequuntur nullo examine, sed cæco quodam impetu propter eius solam auctoritatem, vti obseruat Nauarr. *cap.* 27. *Enchirid. num.* 189. Vbi verò sunt fidei dogmata, illa sunt altioris subsellij, & aliter quàm sola philosophorum aut iurisperitorum auctoritate probari aut confirmari oportet. 15

Tertiò quando vel Patres, vel Theologi asserunt aliquid, negationem affirmant, & iudicant esse de fide, vel esse dogma, non faciunt argumentum fidei, vel omninò infallibile: quod verius multò erit si Theologi & Patres inter se dissentiunt: quia illa dissensio inter graues Doctores ostendit eiusmodi assertionem non esse omninò certam; immò neque vndequaque probabilem, quod simpliciter aliquid dicant asserendo: quia tunc neque habent infallibilem assistentiam Spiritûs sancti, neque simpliciter testificantur de veritate fidei, ac proinde non præbent infallibile argumentum fidei, cùm ea, si quidem omnia superent captum nostrum, & euidenter cognosci nequeunt, certitudinem nisi à sola diuina auctoritate accipiant. Et sanè Patres cùm non asserunt iudicando esse dogma fidei, non præbens testimonium quòd res sit reuelata, & certa fide tenenda: immò de illa interrogati vel dubitarent, vel non omninò affirmasent. His adde summum Pontificem cum simpliciter quid asseuerat, non definiendo, non simpliciter affirmat rem esse de fide, aut simpliciter simplex eius assertio non præbet infallibile argumentum, neque similis Patrum, vel Theologorum communis assertio, qui eodem planè modo loquuntur, & non aliud affirmant, plura facient. 16

Quartò quando Theologi communi quodammodo consilio simul consentiunt, & vel iudicant vel asseuerant rem aliquam esse de fide, eiusmodi communis sententia suppeditat argumentum infallibile. Ita Canus *libro octauo de locis*, *cap.* 14. *conc.* 3. Bann. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 8. *dubia vltimo*, *conclusione* 3. Probant Luc. 10. *qui vos audit, me audit*. quod de futuris Doctoribus Ecclesiæ interpretantur. Et ad Ephes. 4. *alios quidem Apostolos, quosdam prophetas, alios verò Euangelistas, alios verò Doctores ac Pastores.* Vbi Doctorum nomine Theologos scholasticos intelligunt: & si omnes Theologi in fide & moribus errarent, tota etiam erraret Ecclesia: quod foret perabsurdum. Cùm enim Theologi sint populorum Doctores, qui illis credere tenentur, & saltem possunt, exposita sine dubio esset vniuersa Ecclesia errandi periculo. Deinde sæpiùs Ecclesia definiuit propositiones tanquam de fide, quæ in diuinis scripturis expressæ non sunt, sed ex aliis, vel ab altera de fide argumento theologico deductæ sunt, v. g. Christus habuit humanam voluntatem, quæ deducitur ex illa de fide, Christus est verus homo, & in aliis quibusdam similibus contingit. Hoc tamen intelligendum est, vt hic communis Theologorum consensus non faciat nisi argumentum theologicum, non verò argumentum infallibile, 17

libile, & in quo qui illi resistit, debeat censeri hæreticus: quia certitudo infallibilis ad fidem necessaria, niti debet aliqua reuelatione diuina, vel promissione diuina aliqua de assistentia præbenda aliquorum doctrinæ, ne aberrent, aut etiam aberrare possint, qualem factam Apostolis dicit Luc. 21. *Ponite in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Atqui nihil tale habemus erga omnes Theologos: neque vulgare illud, *tanquam columna, & firmamentum veritatis*, fauet Bann. & Can. quia errantibus omnibus Theologis, non idcircò vniuersa errabit Ecclesia cùm Theologi nec reipsa, nec repræsentatione sint tota Ecclesia, & illis errantibus possint Episcopi, aliique fideles, ipséque S. Pontifex rectè sentire. Deinde nemo negabit propositiones communi consensu receptas tanquam ad fidem pertinentes, si deinde definiantur ab Ecclesia, maiorem, & certiorem quandam infallibilitatem accipere saltem quoad nos, quàm priùs haberent: quæ maior certitudo non potest esse nisi fidei; ergo illam non habebant nisi ex sola Theologorum auctoritate, & communi consensu. Neque, si verè loquamur, repugnat omnes Theologos simul circa aliquam fidei quæstionem errare: vnde enim sumeretur eiusmodi repugnantia? Immò cùm omnis opinio fundata discursu reducatur ad principium & lumen naturale, quomodo ostendent aduersarij lumen naturale omnium Theologorum non decipi circa vnam, aut alteram consequentiam? Vnde patet, communem Theologorum consensionem non præbere argumentum infallibile. Nam principium theologicum non euidens, vel non facit infallibilem probationem, vel tale esse debet, vt illi non possit subesse falsitas; alioquin falsum esse non repugnabit: non poterit igitur esse infallibile.

18 Quamvis autem communis hic consensus Theologorum asserentium aliquid tanquam de fide, non faciat propositionem infallibilem, & tanquam de fide, vti euidenter euicimus: præbet tamen grauissimum argumentum illius veritatis, & fidei. Quare passim dicunt DD. nefas esse diffidere ab auctoritate communi Theologorum, vt Andreas Vega *lib. 9. in Conc. Trid.* & alij passim: & eum consensum facere moralem certitudinem. Cùm enim proprium sit Theologis ex reuelatis deducere conclusiones, vix fieri moraliter potest, vt omnes testificentur aliquid ex reuelatis deduci, & ad fidem pertinere, & tamen falsò inde deduci; diuinæque fuerit prouidentiæ, id non permittere, ne multitudini detur occasio errandi. Vnde tamen non sequitur hinc haberi certitudinem logicam, cùm ad id non habeant Theologi etiam simul infallibilem assistentiam in testificando, ut vel ex ignorantia, vel ex malitia non possint errare, vel falsum testificari.

19 Quæ verò *superiùs* afferebant aduersarij, nihil probant: nam illud *Luc.* 10. de singulis Doctoribus intelligi potest, cùm Christus eo loco tam de singulis seorsim sumptis, quàm de omnibus collectiuè loquatur, & si qua ex illis Christi verbis certitudo infallibilis deducatur, ad omnes tum singulos, tum omnes collectiuè desumetur. Quod verò ad Ephes. de Doctoribus in Ecclesia à Christo constitutis affirmat Paulus, vel illi qui cum pastoribus coniunguntur sunt ipsimet Episcopi, vel ab illis distincti: & quidquid affirmet non sunt illi infallibiles, neque præbent, si simul omnes testificentur, nisi moralem certitudinem, nisi in Concilio generali, vti ostendimus *lib.* 5. Potest quidem Ecclesia ex assertione communi Theologorum moueri ad examinandas & definiendas propositiones aliquas, vti factum est in sexta Synodo de duplici Christi voluntate: quamvis enim id temporis nondùm essēt Theologi scholastici, vti vocamus, & non eorum auctoritate, sed ex grauissimis scripturæ locis adducta fuerit synodus ad eam definitionem; modus tamen discurrendi Doctorum idem erat, qui hodie nostrorum scholasticorum, vt ex vnâ de fide aliam propositionem elicerent, & ex eo quòd Christus haberet naturam humanam, concluderent habere etiam humanam voluntatem. Ex quo simili discursu theologico poterit etiam ad aliquid definiendum persuaderi Ecclesia.

Concors Patrum veterum sententia magnæ perpetuò fuit in Ecclesia auctoritatis, vti demonstrant Vvaldens. *libro* 2. *doctrinalis cap.* 23. Driedo *lib.* 2. *de script. cap.* 3. Canus *lib.* 7. *de loc. cap.* 3. *conc.* 6. Castro *lib.* 7. *aduers. hæres. cap.* 5. Salm. *tract.* 2. *in* 6. *loco theolog.* Franc. Horant. *lib.* 5. *locorum Catholicor. cap.* 3. & alij. Quare ipsa Concilia œcumenica se eam sequi in suis definitionibus fatentur, siue in interpretandis scripturis, siue in dogmatibus asserendis: ideoque communis illorum loci alicuius interpretatio ad fundandum aliquod dogma fidei est irrefragabile argumentum à posteriori tanquam signum: sunt enim tanquam lingua Ecclesiæ, & testes fidei, quam ipsa tenet & docet. Et quidem non esse argumentum à priori patet: quia singuli labi & errare potuerunt, & simul omnes (physicè loquendo) non repugnat errare, cùm non habeant infallibilem Dei promissionem, ex qua sequatur infallibilis assistentia Spiritus sancti, cùm id ex nullo loco probetur. Ait quidem Deus Ezech. 34. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum qui pascant vos scientiâ, & doctrinâ*, intelligi imprimis potest de solis Apostolis: cæteri enim Doctores, qui Ecclesiam pauerunt, in quibusdam tamen vti homines lapsos esse constat, quamvis ad diuinam prouidentiā spectet prouidere, ne omnes simul errent. Indéque concluditur à posteriori non posse omnes simul errare, & decipere. Verùm à priori illa auctoritas non est infallibile argumentum: infallibilis siquidem illa assistentia non tribuitur nisi Ecclesiæ, & eius capiti, vti Trident. *sess.* 4. *in decreto de editione librorum Canonicorum*, definit. & *in Clem. VII. de summa Trinit.* Deinde, cùm Ecclesia præcipiat ne quis sacram Scripturam contra vnanimem consensum Patrum interpretetur, si ea interpretatio non esset irrefragabilis, communis ille sensus verus non esset: alioquin erraret tota Ecclesia in interpretandis scripturis. Trid. *sess.* 4. *in Bulla Pij V.* per *Pium Quintum* relata, Conc. Lateran. *Action.* 11. ita quoque præcipit concionatoribus, quod etiam damnat eos, qui nouas expositiones contra Patrum sensum inducunt, & Trullana Synod. Can. 19. *Si ad scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur præsides Ecclesiæ, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria & Doctores suis scriptis exposuerunt.* Præcipit igitur Ecclesia vt communem Patrum expositionem amplectamur, quæ si aliquid falsi contineat, errat omninò circa fidem & mores, cùm errorem, & falsitatem eam nos amplecti imperet. Sapienter igitur Vincentius Lirinensis in commonitorio Nestorium arguit & eius sceleratam præsumptionem quòd sacram Scripturam, se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret quicunque ante se magisterij munere præditi diuina eloquia tractauissent & totam Ecclesiam nunc errare, quæ vt ipsi videbatur, ignaros Doctores sequebatur.

Communis Patrum consensus de rebus fidei etiam 21 absque scripturæ vllo testimonio, suppeditat argumentum moraliter certum, & fidei proximum. Non considero verò hunc consensum quatenus Ecclesiæ

iudi

iudicio approbatum: sic enim manifestò spectat ad fidem, sed quatenùs communi dumtaxat illa auctoritate nititur. Et sanè, cùm maior sit Patrum auctoritas quod ad dogmata fidei, quàm Theologorum scholasticorum, cùm sanctitate, antiquitate, & doctrinâ Euangelicâ præcellant, si communis Theologorum consensus facit argumentum moraliter certum, ergo & consensus Patrum aliquid ampliùs adiicit, vt qui doctrinam fidei ab ipsis Apostolis acceperint, & quasi per manus traditam transmiserint. Vnde Athanas. libro de decretis Synodi: *Ecce nos demonstrauimus istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse.* Et August. *lib. 3. de peccator. meritis & remiss. cap. 7.* laudatis pluribus Patribus & Hieronym. addit: *Hæc ideò ex illo commemoraui, non quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica auctoritate nitamur, sed vt appareat ab initio vsque ad tempus præsens quo ista nouitas exorta est; hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem summa constantia custoditum esse.* Ex quibus vides credendum esse Patribus vt custodibus veræ fidei, & vt testibus & obsignatoribus. *Seruemus* (inquit Ambr. libro tertio de fide ad Grat. cap. 7.) *præcepta maiorum, nec hæreditaria signacula nisi rudi temeritate violemus: librum sacerdotalem qui nostrum resignare audeat signatum à confessoribus, & multorum martyrio consecratum.* Hæc igitur hæreditaria signacula, quæ Patrum auctoritas suppeditat reddunt eam sententiam fidei proximam: idque confirmat neotericorum sententiis, qui Patrum sententiis post Scripturas, Ecclesiæ definitiones, aduersùs hæreticos vtuntur: quod & Concilia œcumenica in suis definitionibus præstant. Quare Concil. Ephesin. *Sequentes itaque omnium sanctorum Patrum confessiones, & sententiam eorum æquis vestigiis insistentes profitemur, &c.* Conc. Chalced. *act. 4.* & alij plurimi etiam Patres hac in re præiuerunt, Augustin. *lib. 1. contra Iulian. cap. 2.* Irenæ. *lib. 1. cap. 43.* Basil. & Nazian. apud Ruffin. *lib. 2. cap. 9.* Vide & alios apud Stapleton. *contron. 3. lib. 7. cap. 13.* neque Eusebius alia tandem de causa damnauit Arium, & Nicæno Concilio consensit libro secundo hist. cap. 11. *Nos,* inquit, *Concilio consensimus: quoniam & priscorum Episcopos aliquos conscriptores, eloquentes, & nobiles nomine consubstantialis olim vsos fuisse cognouimus.* Ex suaui igitur diuina prouidentia ne omnes & singuli pastores & Doctores fallantur, & in errorem totam trahant Ecclesiam, ex tacita approbatione Ecclesiæ, quæ falsa dogmata crescere non sinit, ex sequentium quoque Doctorum consensione, qui priorum sententias accuratè examinarunt, validè confirmatur nostra sententia.

22 His omnibus adiicio quædam monita in adducendis Patribus, aliisve auctoribus. Primum est, vt nulli auctori & maximè, sanctis Patribus tribuatur falsa, vel absurda sententia, nisi ab illo expressè asserta fuerit, aut ex eius dictis apertè colligatur. Ita Scot. *in 1. dist. 8. quæst. 2. §. de inuentione, & quodlibet. 7. §. sed quia nulli.* Alterum monet S. Thom. & Augustinus *lib. tertio de doctrina christiana,* vt in rebus dubiis, si ad fidem pertineant, non facilè cuilibet assensum præbeamus: sed ad certas & constantes fidei regulas recurramus, & semper ad propriam auctorum mentem assequendam omnia inquiramus: ad quod iuuabit

23 Primò, vt distinguamus diligenter ea quæ ab auctoribus, & Patribus contentionis & disputationis studio dicta sunt, siue impugnando errores, siue respondendo contrariis argumentis, ab iis quæ ex instituto & propria auctoris sententia extra contentionem & disputationem affirmantur. Nàm in prioribus illis plura aut permittuntur, aut dissimulantur, quia in illis non consistit controuersia: & potiùs attendunt ad proprium institutum, quàm ad ea, quæ ab aduersariis dicuntur, aut extra rem miscentur, aut adiiciuntur, & si quis in ea vel dissimulatione, aut contentione lapsus irrepserit, vel dissimulandus quoque erit, vel in bonam partem interpretandum quod ab auctore obscurè dictum fuit: immò etiamsi quid aliquando peruersum fuisset positum, & multò minùs erit in patrocinium illius prauæ sententiæ adducendum, vt boni auctoris patrocinio confirmetur. Hac ratione Basil. *Epist. 64.* excusat Gregor. Thaumaturgum, qui in fidei expositione dixerat, Patrem & Filium iuxta mentis considerationem duos esse; hypostasi verò vnum: ait enim, hoc non dogmaticè, sed contentiosè in disputatione contra Ælianum gentilem dictum esse: tum addit: *Sanè qui gentilem ad credendum persuadere nititur, is non putat sibi circa verba exactius disputandum esse: sed alicubi consuetudinem eius quem ad fidem inducit, nonnihil condonat, dummodò principalibus, aut necessariis non reluctetur. Quare & multas illic inuenias voces, quæ iam hæreticis plurimùm addant roboris.* Et magnus Athanas. *lib. de decretis Nicænæ Synodi,* vbi de Origene. *Quæ disputandi, certandique gratiâ scripsit, & non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita senserit; sed eorum qui cum eo contentiosius disputarunt accipienda sunt. Post illa ergo quæ disputandi gratia quasi in palæstra aduersùs hæreticos adduxerat, statim ista quæ propria ipsius sunt subiunxit.* Quâ ratione si licuit Athanasio Origenem Doctorem in multis ab Ecclesia damnatum quoquomodo excusare, & in multum sensum adducere, potiori iure id licitum fuerit circa bonos & catholicos Doctores & in quibus nihil dum vita repertum aut accusatum fuerit. Quare propria & vera auctoris mens & intentio scriptoris ex variis coniecturis obseruanda erit, an ex proprio sensu loquatur, an ex eorum quibuscum agit sensu, permittens aliqua ad rem, de qua agitur parum vtilia, & quæ propriam controuersiam non vrgeant, & quæ non donantur, vt vera, sed permittuntur, vt non necessaria.

24 Secundò, nonnunquam Doctores in expugnandis hæresibus feruore disputationis ipsarum odio videntur in alterum extremum inclinare, non sententiis sed verbis obscurioribus, quæ quadam molli interpretatione indigeant. Sic Augustin. pro gratia Dei disputans, visus est quibusdam negare liberum arbitrium, vt constat ex eius *Epist. 46. ad Valent. & cap. 1. lib. de gratia, & lib. arbit.* quibus locis calumniam illam diluit. Similem reprehensionem incurrit Hieronym. scribens contra Iouinian. nuptias virginitati exæquantem: quare *in sua ad Pammach.* scribit: *Reprehendunt me quidam quod in libris quos aduersus Iouinianum scripsi nimius fuerim vel in laude virginum, vel in sugillatione nuptiarum, & annui condemnationem quodammodò esse matrimonij & vitium pudicitiam prædicare, vt nulla videatur inter vxorem ac virginem comparatio derelinqui* Videndum igitur, ne eiusmodi sententiæ ex mente eorum catholicorum Doctorum, & in aliorum auctorum errores trahantur vt aliquando fit. Quare tum ex iis eo loco, tum ex aliis, si in eius doctrina versati sumus facilè constare possit illum catholicè & sensisse, & scripsisse, & facile fuerit eius mentem & sensum catholicè interpretari, vti de seipso præstat Hieronym. *in allata Apologia ad Pammach.* quo sensu Marcionem, & Manichæos nuptias reiicientes confutauit. *Igitur,* inquit, *cùm toties & tam crebrò lectorem admonuerim, & per singulos penè tractatus cautus viator incesserim, me ita recipere nuptias, vt eis continentes viduas virginésque præferrem, debuerat prudens & benignus lector etiam ea quæ videntur dura, æstimare*

da

de cæteris, & non in vno atque eodem libro criminari me diuersas sententias potuisse. Et saoè damnandi sunt qui propter quædam obscurè dicta auctorem aliquem, & maximè Patres in suspicionem hæresis adducunt. Quem nuper adduximus Augustin. calumniam passus negari liberi arbitrij *tribus primis capitibus de gratia, & libero arbitrio*, ita eam calumniam diluit, vt omnia insumat in illo probando ex diuinis Scripturis. Deinde *cap. 4.* scribit: *Sed metuendum est ne ista omnia diuina testimonia, & quæcunque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima in defensione liberi arbitrij, sic intelligantur vt ad vitam piam, & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur adiutorio & gratiâ Dei, locus non relinquatur esse.* Deinde probat gratiæ necessitatem & eius cum libero arbitrio consensionem. Quare Nouatores, quàm malè mentem Augustini circa gratiæ necessitatem, & efficaciam interpretentur, apparet.

25 Tertiò, diligenter obseruandæ sunt ætates, quibus singuli Patres floruêrunt & scripserunt: & quibus ipsæmet hæreses sunt exortæ: ante earum enim exortum de earum materia scribentes nullum periculum metuebant, aut suspicabantur: ac proinde non illam cautionem adhibebant, quam deinde sequuti sunt, nullâque proinde subest ratio eorum dicta, quasi hæresi fauerent, afferendi. Sapienter Hieronym. apolog. secunda aduersùs Ruffin. *Antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum nasceretur, innocenter quædam, & minùs cautè locuti sunt. &c. quæ non possint peruersorum hominum calumniam declinare.* Qua ratione Ariani, teste Iustiniano *in confessione fidei* post Concil. II. Toletanum abutebantur dictis Dionysij antiqui Alexandriæ Episcopi, & Pelagius ex veteribus Patribus de libero arbitrio tractantibus, tribuit illi absolutam benè operandi potestatem, vt ait Augustin. *libro de natura & gratia*, & *libro primo retract. cap. 9.* cum Patres aduersùs Priscillianistas, Manichæos, & alios negantes liberum arbitrium disputarent. Eodem modo delusi quidam Theodori Mopsvestensis Episcopi deliria defendebant, vt ait Cyrill. Alexand. *Epist. ad Acacium Melitensem*, quasi Athanasij, Nazianzeni, & Basilij dogmata tuerentur, qui ante eam exortam hæresin Christi humanitatem, templum Verbi vocarânt, non quasi Christum in duas diuiderent personas, sed, vt vtriusque naturæ differentiam docerent.

26 Quartò, argumentum ex auctoritate merè negatiua Patrum, immò & alia omnis etiam diuina, non est efficax ad conuellendam sententiam theologicam. Ex auctoritate verò diuina in rebus fidei, omninò valet. Argumentum merè negatiuum appello, cùm auctores, quos allegabimus aut quorum auctoritate vtemur, nullum planè verbum ea de re & controuersia dixerunt, neque etiam contrarium quidpiam, siue quidpiam vnde aliquid in contrarium colligi possit. Deinde distinguo Patrum auctoritatem, quæ humana est licet grauissimi ponderis sit ad confirmanda dogmata theologica, & Ecclesiastica, & diuinam auctoritatem, quæ rem fidei facit, & continet diuinam reuelationem, eius obiectum formale; éstque vel diuina Scriptura, vel definitio Concilij generalis, aut Pontificis eius & Ecclesiæ. Sensus igitur nostræ propositionis est

Primò quoties PP. nihil prorsùs de aliqua propositione theologica dixerunt, non sequitur eam propositionem doceri non posse, si aliunde non colligatur, vel ex communi eorumdem Patrum sententia, vel ex aliis receptis in Ecclesiæ sensu sententiis, aut ex communibus Regulis: non enim non sequitur, Id Patres non dixerunt: ergo falsum est, non fieri potest, aut neque ea de re esset agendum, & recepta opinio contraria tenenda foret.

Secundò vbi tractatur an quidpiam sit de fide, 27 argumentum merè etiam negatiuum testimonij diuini efficax est, cùm exoritur, verbi gratiâ, noua quæpiam hæresis, & quæritur an quidpiam de fide existimandum sit, & nulla diuina auctoritas affertur positiua; sed omnes quæ producuntur, sunt omninò negatiuæ, inde non probantur esse de fide: sed potiùs concluditur non esse de fide. Huius propositionis contrarium tenent hæretici, Huius Scriptura diuina non meminit: ergo non est de fide: quale argumentum heterodoxis validum est, orthodoxis ridiculum: neque enim omnia quæ sunt de fide in scripturis expressè continentur. Quare ineptam argumenti rationem hac nostra propositione impugnamus. Dico tamen eam auctoritatem, vbi merè & prorsùs negatiua est, valere ad probandam rem, de qua quæritur, non esse de fide: ac proinde valeret hanc argumentandi rationem, Scriptura diuina nulla ratione, concilia, Pontifices, Ecclesia, nulla ætate, & tempore dixerunt tale quidpiam esse de fide, scriptores nullam eius mentionem etiam fecerunt; ergo non est de fide, neque vnquam talis habita est. Quia tunc caret obiecto formali, quæ est reuelatio diuina ex fide in conciliis definita, & ab Ecclesia, vel Sede Apostolica nunquam licet aut discedere, aut quidpiam, quod ab illa dissidere videatur, sentire, aut quidpiam contra eiusmodi definitiones afferre licet. Quare Nicæna Synodus post editum fidei symbolum, aliud cudere, aut proponere noluit. Vna enim fides est; alia verò fides esse nequit, vel per contrarietatem & oppositionem cum priori: per additionem tamen fieri nihil vetat, quæ quod in priori implicabatur, & inuoluebatur explicatiùs tradatur. Sic Nicæna addidit symbolo Apostolico vocem *consubstantialis*, & in Concilio Chalcedonens. PP. *Actio* 16. tuentur Epist. Leonis R. P. in qua accuratiorem incarnationis œconomiam exponit. *Sed quia multi*, inquit, *à recta linea per anfractus errores nouum quoddam sibimet iter mendacij construentes, necesse nobis est, veritatis eos inuentione conuertere, commenta quoque eorum denia salutaribus adiectionibus refutare, non vt nouum ad pietatem* (quasi fides desit) *semper aliquid exquirentes, sed vt contra ea quæ ab illo innouata sunt excogitantes quæ salubria indicantur. &c.* explicant deinde sigillatim adiectiones, siue explicationes quæ post Nicænam Synodum factæ sunt: non igitur carpendi sunt Theologi quasi noua dogmata inducant, quia vetera nouo more theologicè, enucleatiùs explicant.

Quintò, Patrum mens & non tantùm verba spe- 28 ctanda sunt in eo tractatu & disputatione, ex qua ipsorum testimonia proferuntur, vt de illorum sensu verè iudicetur. Sic dum Chrysostomus, aliique Patres disputantes contra Anomæos negant absolutè Deum videri ab vlla creatura etiam angelica, negabât dumtaxat diuinam naturam comprehendi, quod etiam in hac vita sibi arrogabant impij hæretici. Alij Patres dum contra Eutychetem affirmabant duas naturas, & vnam personam; dicebant tamen vnum operatorem in diuinis & humanis operationibus, & volitionibus, & vt vnitatem vnius naturæ, quam impius Eutyches inuehebat, tollerent, vnum eundémque esse Dominum Iesum Christum, perfectum simul Deum & hominem docerent. Quare 6. conducet perpetuò verba omnia auctorum integra, & non interscisa, aut decurtata, aut minuta proponere, vt solemne est hæreti-

cis, cuius illustre exemplum præbuerunt Monothelitæ in sexta Synodo.

29 Falluntur denique qui vt sensum suum confirment, ad illum detorquent quos allegant aut legunt. Audi Hilari. libro primo de Trinit. circa medium, *Optimus lector est qui Doctorum intelligentiam spectet potius ex dictis, quàm impugnet, & retulerit magis quàm attulerit, neque probat id videri dictis contineri quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.*



CAPVT V.

De locis intrinsecis.

QVÆSTIO I. *Numerantur per satyram loci intrinseci.*

QVÆSTIO II. *De locis ab exemplis & similibus.*

QVÆSTIO III. *De locis ab historia.*

QVÆSTIO IV. *A præiudicatis.*

QVÆSTIO V. *A notatione nominis.*

QVÆSTIO VI. *Ab humana, & naturali ratione.*

HACTENVS de locis intrinsecis, ex quibus sumuntur argumenta extra rem & propositionem quæ probanda est. Sequitur, vt assignemus locos, qui suppeditant argumenta quæ ex ipsa re deducuntur, quod omnibus propositionibus, & scientiis commune est. Vndique enim probationem conquirunt. Quare nihil ferè peculiare est hoc loco huic Scientiæ Canonicæ: paucis itaque hanc totam controuersiam expediemus, & si quid circa quosdam locos occurrat peculiare breuiter annotabimus.

QVÆSTIO PRIMA.

Numerantur per satyram loci intrinseci Scientiæ Canonicæ.

1 CVm eodem modo procedat Scientia Canonica, quo Theologia & Philosophia moralis, non alios habet locos ex quibus sua deducat argumenta, & probationes, quàm illæ aliæ scientiæ, & sola materia ab illis differat: quandoquidem (vti monuimus ex Quintiliano *lib. 5.* Cicerone *in Topicis* & Rodolpho Agricola *lib. 1. de inuentione dialectica.* & aliis passim) locus est veluti thesaurus quidam, in quo omnia faciendæ fidei instrumenta reponuntur: quæ instrumenta in variis scientiis tantùm materialiter differunt; & prout postulat necessitas à diuersis notitiis depromuntur, eos diuersimodè varij enumerant vt videbis apud Claudium Cantiunculam iurisconsultum *in topicis*; videntúrque isti præcipui.

2 Primus est à definitione quâ explicatur quid res sit, aut describitur per breuem eius genere, & differentiis circumscriptam explicationem. Sed de variis definitionibus, quarum aliæ propriæ, aliæ impropriæ sunt, vide Alciat. *lib paradox, cap. 9.* & eundem Cantiunculam *in loco à definitione.* vbi fusissimè. Neque alias hoc loco veræ definitionis regulas, quàm communes & logicas tradere, aut sectari oportet. Moneo tantùm cum Vlpiano omnem definitionem in iure ciuili esse periculosam, adde & in iure canonico, parùm est enim, vt non subuerti possit, *l. omnis 202. D. de Regul. iuris.* Itaque probè cognitam esse oportet vt quidpiam efficiat, alioqui cauillationibus erit obnoxia. Et ideò iurisperitorum definitiones tam crebrò ab Alciato & aliis reprehenduntur.

Alter locus est à coniugatis: ea sunt, inquit Cicero, quæ sunt eiusdem generis, & quæ ab vno quopiam orta variè cõmutantur, in iustitia, iustus, iusta, iustum; quæcunq; alia vnius generis possunt, vt explicat Boëtius, in diuersas vocabulorum species inflecti. Dicuntur porrò coniugata, sicut sub vnum iugum deuincta, vt sub sapientia sapiens, sapere: & sub iustitia, iustus. Quædam porrò sunt potius coniugata re, quàm nomine: sic Cicero in Pisonem, *Animo consulem esse oportet consilio, fide, grauitate, curâ, toto denique munere consulatus, omni officio. Ego consulem esse putem qui senatum esse in Republica non putauit.* Non tamen adeò crebrum esse putaui huius loci vsum: quia cùm inter se plurimum non distent coniugata, & arctissimè iungantur ex æquo ferè, vel nota sunt vtraque, vel ignota: aliquando tamen acuminis aliquid, & multum virium habebũt tum per affirmationem, tum per negationem: cui enim aliquid conuenit, aut non conuenit, siue coniugatum potest, aut non potest conuenire, sic Tullius: si compascuus est ager, ius est compascere: si aqua pluuia, quam collectam nociturámque videmus, arceri potest: ergo omnis aqua arceri potest, quæ pluendo creuerit, & nocuerit. Illud obuium, hæres succedit in vniuersum ius defuncti, *l. cùm heres. D. de diuers. & tempor. præscrip.* Ergo hæreditas est successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit, *l. hæreditas. D. de Regul. iur. 72.* Testator legauit cognationi; ergo legauit cognatis, *l. 18. si cognatis. D. de rebus dubiis.* Si est tutor: ergo habet ius tuendi: est enim tutor iuris vocabulum, & eo sunt coniugata, *l. 1. D. de tutelis.* Ex quibus & similibus potest quoque à contrario duci argumentum negatiuum. Si partus in vtero non fuit homo: ergo in eo non est commissum homicidium. 3

Tertius locus est a toto, qui non est idem locus qui à genere, etsi genus sit quoddam totum potentiale logicum, siue metaphysicum: plurima enim inter illa tota similia sunt, & aliqua dissimilia, vt notum est in logicis, ad quæ modò digredi ineptum foret. Obseruo dumtaxat aliud totum constare partibus homogeneis, quæ in substantia idem sunt quod totum: aliud heterogeneis, quæ sunt alterius rationis cum toto. Pars homogenea vbi separatur & desinit esse coniuncta, pars esse desinit, & fit quoddam totum. Sic fundus modò pars est, modò totum, *l. locus. l. quæstio. l. fundi. D. de verbor. signification.* Vbi autem partis & totius non est ratio diuersa, valet argumentatio. Quod iuris est totius ad totum, idem est partis ad partem. Textum perspicuum habes *leg. quæ tota D. de rei vendicat.* & Vlpianus *l. iuris gentium §. adeo. ff. de pactis, Si igitur*, inquit, *totum potest, cur non & pars eius pactione mutari potest.* Vbi Glossa, & DD. concordantes leges adducunt. Vide eosdem. *in c. pastoralis. §. item cum totum. de officio delegati.* Quatuor verò sunt apud iuris vtriusque Doctores genera totius. Primò vniuersale, secundò integrale, tertiò in quantitate, quartò in modo. Ex toto vniuersali valet argumentatio à parte subiectiua, sicut generis ad speciem: de quo argumentandi modo dicetur cùm de loco à genere ad speciem. Totum integrale est quoddam totum ex partibus inter se cohærentibus constans; quod duplex est, vnum artificiale quod arte componitur, quæ partes inter se coaptat, vt ædificium nauis fit rerum mixtura *Digestis de vsucapio.* Alterum naturale, vt appellat Pomponius *in citat. l.* quod scilicet vno 4

spiritu

spiritu continetur, vt homo, lapis lignum. Quam distinctionem refert Alciat. *libro prætermissorum*, desomptam esse ex libris Plutarchi *de precept. coniugalibus*, vbi ait alia corpora ex discretis constare io classem, exercitom: alia ex conionctis, vt domum & nauem: alia congeoita esse atque vnita, vt singula animalia. Deinde totius integralis aliæ sunt partes integrales, aliæ sunt minus principales: à toto ad partes minus principales non valet necessariò argumentum affirmatiuum, *Vt homo est; ergo & pes hominis: domus est; ergo sunt scala & columna*, & cætera, quæ in ædificiis solita, vt *l. s. fundi §. si D. de action. empti. de quibus in l. quæsitum §. si domus cum sequentibus §§. D. de fun. & instrum. legat.* immò oec claues aut specularia, affixáque alia eiusmodi, tametsi partes domus à Iurisconsulto vocentur. Ratio est: quia sunt partes minùs principales, sine qoibus domus esse, & totom integrale dici potest. Quare non licet dicere, est nauis, ergo & artemon, *leg. malum, initio D. de verbor. significat.* valebit tamen in his argumentum negatiuum, Non est domus; ergo nec specolare domui affixum. Videndum potiò est, an à qualitate earum partium, qoæ non distrahuntur possit valere argumentum, vt *in l. Iulianus 3. §. vlt. Digestis de actio. empti Ædibus distractis vel legatis ea esse ædium solemus dicere quæ quasi pars ædium vel propter ædes habentur, vt putà puteario.* Sic etiam, si ædes sunt, sequitur & parietes esse; quia totum esse non potest oisi singulæ quoque partes principales adsint: neque ædes esse possint, si partes, ex quibus illæ constaot, separentur. Per negationem autem non valet argumentom: non enim sequitur domos non est, ergo partes non est. Nam partes plerumque permanent, etiamsi totum ipsum ostendi aut subsistere oequeat: manet enim res, quæ totius interempti pars fuit, quamvis ampliùs pars dici nequeat. Noo valet vnum semper argumentum a toto ad partes etiam principales secundùm qualitatem, sed tantùm secundum essentiam, aut substantiam: non enim sequitur, Possedi vel vsu cœpi ædes; ergo singulas ædium partes vel vsu cœpi: imò si singulas partes possedisse intelligerer, ædes ipsas nequaquam possedissem. Iauolenus *l. eum qui 23. Digestis de vsucapion.* Eum qui ædes mercatus est non puto aliud quàm ipsas ædes possidere: nam si singulas res possidere intelligitur, ipsas ædes non possidebit; separatis enim corporibus, ex quibus ædes constant, vniuersitas ædium intelligi non poterit. Accedit eò quòd si singulas possideri dixerit, necesse erit dicat possessionem superficiei temporibus de mobilibus statutis locum esse, se capturum esse ampliori: quod absurdum & minimè iuri ciuili conueniens est, vt vna res diuersis temporibus capiatur; vt putà cùm ædes ex doabus rebus constant ex solo & superficie, & vniuersitas earum io possessionem immobilium rerum omnium mutet. Quare si ædificium ex aliena materia constructum cœperim vsu, diruto ædificio poterit sotiquus dominus materiam vindicare: singulæ enim res ex qoibus ædificium constabat vsu captæ non sunt *l. adeo. §. illud rectè, de acquir. rerum dominio, & l. qui vniuersas, initio D. de acquir. possessio.*

5 Aliud totum dicebamus esse in quantitate, quod dupliciter accipitur. Primò quando enuotiatio est vniuersalis, & per signi distributiui adiectionem, pater signum vniuersale enuntiatæ vocis ad singula indiuidua eiusdem significationis capacia pertinere: vt, Omnis homo est animal, Omnis seruitus est res incorporalis. Secundò totum quantitatis vel in quaotitate est quando amplior numerus refertur ad minorem: éstque ea discreta quaotitas, in qua vnâ parte motâ reliquæ non mouentur: nam ex decem demptis duobus, reliquæ partes octo manent. Quoad primum totum in quantitate; argumentum valet à toto ad suas partes constructiuè, & destructiuè, vt loquuntur, vt per vnam particulam falsam propositio voios destruatur. Quare quidquid verè dicitur, vel negatur de toto, etiam verè, vel falsò dicitur, vel negatur de partibus, quæ eiusmodi totius appellatione significantur. Qoare (ait Iulian. *l. si y qui ducenta 23. ff. de rebus dubiis §. vtrum.*) *cùm significatio non ex vniuerso, sed ex aliquo sumatur, si vere aliquid inde fit, veram efficit totam orationem: sicut è contrario duæ orationes pugnantiam continentes, simul falsæ sunt.* Vt verò tricæ omnes hac io re implicatissima præscindantur, dicendum est: totum in quantitate in dispositionibus humanis & moralibus nunquam venit vniuersaliter, nisi quatenùs natura rerum, de quibus agitur, permiserit. Ita censet Innocent. dum dicit dictionem *omnis* continere species quæ singulæ possiot enumerari de iure. Perpendendum itaque est etiam in sacris litteris quo tempore enuntietur propositio voiuersalis, qua occasione, quo animo, quid præcesserit, quid sequatur, quibus ex causis, in quem finem: & sæpè ad vulgarem, & popularem sensum exigenda ea est. Denique secundùm naturam rei subiectæ; atque ita à toto ad partes affirmatiua, & negatiua valebit argumentatio: verbi gratiâ, Mulier in actione hypothecari præfertur omnibus aliis creditoribus: ergo & Caio, Seio, Titio, Sempronio tacitas hypothecas habeotibus: noo tamen præfertur Nœuio expressam hypothecam habenti. Rationem reddidi: quia illud totum in quantitate, siue ea enontiatio vniuersalis intelligitur secundùm naturam rei subiectæ, quæ est vt mulier præferatur tacitam, non autem expressam hypothecam habentibus, *l. assiduus. C. qui potior. in pigno. hab.* Si testes dixerint, Omnes sciunt: propositionis huius veritas accipienda est de his, ad quos negotium peruenit, vel qui illi interfuerunt. Similiter dico de propositione oegatiua. Ex consilio non fraudulento, nemo obligatur, *l. consilij. D. Regul. iur.* Si tibi cierta dolum consuluero, vt potiùs ex pecuniis euis fundos emas quàm vt ex illis fœnereris, tibi ex malo consilio non obligabor, *l. 2. §. finali. D. mandati.* Est & alia iuris Regula, *nullus dolo facere videtur qui iure suo vtitur:* ergo qui filiom moderatè corrigit, dolo facere nõ videtur, *l. vna. C. de emend. propinq.* ergo socius dum iure suo vtens, rem communem contrectat, id non creditur dolo malo facere. Si statutum disponat contra instrumentum partis confessione vallatom nullum admitti, aut opponi exceptionem, Iason. tamen ait opponi posse exceptionem resultaotem ex inhabilitate personæ, in instrumento nominatæ: & in eam rem textus aliquot allegat.

Aliud totum quantitatiuum dicebamus esse in quaotitate discreta, cùm maior numerus refertur ad mioorem: ex eo enim valet argumentatio affirmatiua; non tamen negatiua. Quis enim neget quinque esse, quia decem non adsint? Et tamen verum est quinqoe adesse: vt enim ait Paul. in eo quod plus est, minus semper continetur. Hinc illud Vlpian. l. 1. si stipulanti. D. de verbor. obligat. *Si me viginti interrogante, tu decem respondeas; obligatio nisi in decem non erit contracta. Ex contrario, &c.* Inde etiam dicit Vlpian. *l. Diem proferre §. si plures D. de recept. arbitr.* Inde quæritur apud Iulianum si ex tribus arbitris vnus quindecim, alius decem, tertius quinque condẽnent, cui sententiæ stetur. & Iulian. scribit quinque debere præstari, quia in hanc summã omnes cõsenserunt. 6

7 Totum *in modo* nominant Logici: quia determinatio quædam adjecta dictioni, eam limitat, & facit velut partem, v.g. Homo albus, est totum in modo. Nam albus adiicitur homini, & facit quoddam totum, cuios homo noo est nisi pars, & albos pars determinans, & modos qui multiplex est, sicut & determinatio: distrahens, smplians, diminuens, & restringens, Distrahens à propria significatione ad alienam traosfert, vt homo pictus. Amplians facit vt significatum perducit, vt verum oon sit in solo tempore præsenti; sed es præterito in futuro verificetur: vt Titius est mortuus. Diminuens, qoia quid tollit ratione significati cui adjungitur, vt homo albus secundùm dentes. Restringens dictionem modificat, sed non minuit, vt Homo doctus. Ex his determioationibus siue modificationibus, priores non faciunt veram & seriam argumentationem, sed cauillationem potiùs, aut fallaciam: neque concludunt absolutè & simpliciter, sed secundùm quid: quod notat quoque Accurs. *in l. quæ de tota, §. incertum 2. de rei vindic.* & *in l. Cauill. D. de Regul. iur.* nõ enim seqoitur, Est homo pictus, vel mortuus: ergo est homo: Est albus secundùm dentes; ergo est albus: Heri non possedit; ergo non possedit: Soperiore anno non est vsus itinere; ergo non est vsus. Quare citca modom argumentandi à toto, hæ regulæ seruandæ sunt. A toto in modo ad suam partem non arguitur affirmatioè, v.g. Homo est: ergo homo albus. Secundò arguitor tamen negatiuè, Non est homo: ergo neque homo albus. Titius habuit animum possidendi: ergo & bona fide possidendi: vel, Bona fide possidet: ergo possidet credeos se esse verum dominum. Contrarius illi consequentiæ est textus *in l. quacunque. §. vltim. Dig. de public. in rem actio.* Libertus meus rem aliquam stipulatus est: ergo contra *l. si ista stipulatus fuero. §. Chrysogonus. D. de verborum obligatione.* Argumentatio tamen negatiua valet. v.g. aqua oon est: ergo neque aquæ ductus, *l. penult. D. si seruitus vendicetur.* Qui non habet animum possidendi, nec bona fide possidendi aoimum habet, *l. eius qui, D. si certum petat.*

8 Quartus locus est à partibus. Ex hoc loco diuersimodè licet argumentati pro varia ratione totius, cuius partes sont: si enim totum quoddam vniuersale est, & eius partes sobiectiuæ, quæ aliud nõ sunt quàm species, seruandæ erunt regulæ qoibus à specie ad genus inferimus. Si verò est totum integrale, partes principales & essentiales à minùs principalibus distinguendæ sunt. A partibus etiam minùs principalibus ad rei essentiam valet argumeotum affirmatiuum non negatiuum: Est pes homiois: ergo homo: Artemon nauis est: ergo nauis: Speculare domui affixum est: ergo domos est. A partibus maximè minùs principalibos ad rei totius qualitates non valet argumentatio affirmatiua, aut oegatiua: Quædam mihi domus instrumenta legata sunt: ergo & domus legata est. Vel, Instrumenta domus non sunt legata: ergo neque domos legata est. Ratio est: quia quod dicitur de parte, potest esse verum, etiamsi qood dicitur de toto, verum non sit. Quia quædam dicuntur de re & toto, vt ab illo sine eius essentiæ detrimento valeant abesse, cùm non sint de eius esseotia. Secundò à partibus integralibus, & principalibus & essentialibus licebit negatiuè ad totum argumentari; non autem affirmatiuè: Paries ooo est: ergo domus non est, spectatâ rei essentiâ non verò à qualitate: vt, Non possedi partes ædium; ergo neque possedi; nisi partes confusè in toto intelligat, non verò si separatim, & distinctè. Argumentum porrò affirmatiuum non prodest: Possedi partes ædium; ergo possedi ædes. Paries est, ergo domus; dirutis enim ædibus, potuit remanere paries. Quando autem formam rei pro parte accipimus, ab illa valet ad totum etiam integrale argumentatio affirmatiuè, & negatiuè: quia cum forma totius essentia ponitur aut cadit, & sine illa neque etiam materia esse potest. Valet à partium enumeratione, ad tutum argumentatio: illa enim totum efficiunt etiam integrale, vel totum dissoluunt: &, vt ait Boëtius, *Si totum destruere velis, satis est, vt vnam partem vel perimas, vel subiungas: si totum componere velis & perficere, omnes eius partes vnire debes.* Si neges domum esse, satis erit si ostendas domum aut parietem, aut tectum non esse. Si osteodis aduersarium non rectè ab interlocutoria non processisse, id facis, si ostendas nullam ipsi iustam causam prouocandi fuisse: ille autem ostendere debet, omnes partes in ea prouocatione requisitas adfuisse. Idem videmus in testamento, quod vnos solemne fuisse negat, alter affirmat. Idem dico de partibus ad alia tota pro ratione illorum tototum, de qoibus ouper dictum est: aliæ sunt homogeneæ, aliæ heterogeneæ in parte continua, aut discreta. Ex quibus omnibus diuersa pronunciant iurisprudentes.

9 Quintus locus est à genere, genus quidem quod de ploribus prædicatur, sed aliter apud Iurisconsultos, aliter apud Logicos accipitur, aut plura, de qoibos prædicitur sunt species logicis, iodiuidua verò iuristis. Sic *l. cùm res. D. de legat.* 1. Species illis cerni tangique potest, & sensu percipitur, genus non potest. Species sunt quæ res contrahunt, quæ abalieoantur, quæ præstantur, quod coouenire neqoit speciei logicæ, sed indiuiduis: ideò audacem dicunt esse illam Pauli locutiooem *l. 2. D. si certum petatur*, cùm dixit, res mutuò datas functiooem recipere, id est, solotionem *in genere potiùs quàm in specie*. cùm geous, quod sola iotelligentiâ constat, solui noo potest. Videndum igitur an cum Dialecticis, an eum Iurisconsultis argumentemur: aot in voiuersom videndum, an qoid de pluribus dici possit secundùm substantiam, vt valida sit argumeotatio. Tribonianoa *§. plebs inst. de iur. naturali. & gent.* appellat geous totum, & speciem partem, quod obseruauit Alciat: quod etiam frequens est apud Ciceron. *lib. 1. de orat.*

Species est Iuristis indiuidua subsistens, & dicitur certum corpus. Quare *in l. in talis 30. & l. cùm res 1.* 10 *§. 1. D. de leg. 1.* quod certum corpus vno loco appellatur, id ipsum species in altero dicitur *in l. stipulationibus 54. D. de verbor. obligat.* Generis nomine appellantur ea quæ qoaotitate constant, id est, pondere numero, & mensura: alibi hæc omnia specie communi contineri dicuntur. Habet alias significationes apud illos vox *species* seruandæ verò hæc regulæ. Primâ positâ specie ponatur genus oportet: non autem è contrariò, ablatâ specie non aufertur genus, oisi ad vnam speciem reciderit, vt si ius vniuersitatis in vno solo sopersit, *l. sicut §. fuit. D. quod cuius vniuersit. nom.* Secunda species præcedeos coarcteat generis subsequentis significatum, *l. si certa. C. de transact. l. emptor. §. Lucius D. de pactis, iuncta l. finali. §. cui dulcia. D. de tritico, vino & oleo legat.* id maximè verum vbi fuerint plures enumeratæ: secùs si vna tantùm. Vide Alciat *lib. 1. dispunct. 3. cap. 39.* Tertia; positâ etiam in stipulatiooe vnius speciei substantiâ, temoeotur omnes aliæ non expressæ, nisi species omissa, aliquando comprehendatur sub expressa, vt sæpius contingit in iure, & obseruant Doctores. Si probare velis obligationẽ personalem, propone v.g. obligationem ex contractu: at si destruere velis, ooo satis erit negare obligationem ex contractu, nisi negaueris

omnes

omnes alios modos, quibus contrahitur obligatio. Enumeratis igitur omnibus speciebus, & deinde sublatis, ad genus ipsum negatiuè licebit arguere. Huius exemplum suppeditat Tullius *in topicis*, dum quem seruum fuisse constat, ostendit non etiam esse liberum: quia neque censu, neque vindicta liber factus est. Quæ Tullij argumentatio non valeret apud Iurisconsultos: quia aliis modis, quàm illis duobus competunt libertates *§. multis. & §. vlt. instit. de libertis.*

21 Alij sunt obuij loci, qui nostra non videntur egere longiori explicatione, vt à contrariis, & adiunctis, à connexis, ab antecedentibus, à consequentibus, à correlatiuis, à causis, ab effectibus, vel ab euentis: ab his enim omnibus duci posse argumenta statim aperit ipsa ratio. Quare in explicanda controuersia, singula ista sunt expendenda: quod ipso iure probari facilè posset, & singulorum istorum loca attendenda, ipsorúmque species diuidendæ & separandæ: contrariorum, v.g. genera, vt ait Tullius *ad Trebatium*, priuantia, negantia opposita, mediatè & immediate, vt videre, non videre: dies nox: contrahere, distrahere; quæ aduersa alij disionctiua appellant cum Proculo *l. Hæc verba 3. in princ. D. de verbor. signific.* Aliquando ex contrariis vno posito alterum tollitur: nam si meum, non est tuum, non sequitur autem non esse cuiuspiam alterius. Valet tamen hoc argumentum in his quæ sunt valdè contraria, & quæ simul consistere nequeunt, vt viuus, mortuus: seruus, liber: obligatus, liberatus: vno enim ex istis affirmato, negatur alterum. Quare verè dicunt Dialectici, oppositum consequentis stare cum veritate antecedentis. Quod autem dicitur vulgò, contrariorum eandem esse disciplinam, ita explicat Zazius *In rubric. D. de acquirenda possessione.* Primò eandem contrariorum esse disciplinam, id est, cognitionem; éstque vera propositio: cognito enim vno ex contrariis, cognoscimus & alterum, *l. ex duobus, initio, & l. seq. in fine D. de vulgari substitut. l. 1. initio D. de iis qua sunt sui, vel alieni iuris.* Si autem vulgaris illa maximè significet eandem esse iuris dispositionem, vel decisionem, distinguendum erit: si par ratio materialiter, non autem si sit diuersa: quod ideò diligenter aduertendum fuerit. Sic quando contractus fuit bonæ fidei, eius etiam resolutio bonæ fidei erit; *leg. ab emptione. Digestis de pactis. l. nihil tam naturale. Digestis de Regulis iuris.* Non valet autem vniuersalis regula quando vni contrariorum inest ea qualitas quæ in altero non inuenitur: cuius rei plurima exempla proferre liceret ex iure. Denique quod vni conuenit, id eius contrario conuenire nequit. Quædam sunt, ex quibus rem ipsam indagamus & quædam contingentia, prodigia aut ostenta, vt apud Terentium in Phormio. *Prodigia quædam nuptias remorantia. Quot res, inquit, post illa monstra euenerunt mihi, introiit in ædes ater alienus canis; anguis per impluuium decidit de tegulis, gallina cecinit. Interdixit Ariolus, Aruspex vetuit ante brumam aliquid noui, negotij incipere.* Aliáque similia, quæ vulgò censentur aliquid portendere: quæ adiuncta sæpius ad probandum inutilia sunt, vt vides: aliqua tamen adiuncta & vtilia sunt & Ciceroni probata: *Si ea mulier, inquit, testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto prætoris secundùm eas tabulas possessio dari.* Agit Tullius non de omni bonorum possessione: sed de ea, quæ secundum tabulas dicitur. Secundùm eas autem nullius bonorum possessio datur nisi eius qui ius testandi habuit, *l. bona. §. dari. D. de bon. possess. l. 15. exigit Prætor. D. de bonor. possess. secund. Tabul.* Constat verò eos, qui in alterius sunt potestate ius condendi testamenti non habere, *l. qui in potestate, cum duabus seqq.* Huius porrò generis vult Cicero esse mulieres, seruos, exules pueros. Deinde Cicero non loquitur de capitis imminutione maxima, vel media, quarum vna ciuitas, altera etiam libertas amittitur, & qui alterum horum amisere, facti sunt intestabiles. Aliqui itaque verba Ciceronis interpretantur de muliere quæ nondum fuit emancipata: agit igitur Cicero de muliere, quæ sic in viri manum conuenisset, & erat materfamilias, auctore Boëtio: illa enim capite minuebatur sui status permutatione, & neque priùs ipsa testari, vel secundùm eius tabulas dari possessio poterat: quia mulier ante id genus coëmptionis ante matrisfamilias nomen ademptum, antiquo iure tutela perpetua continebatur: sed vt vxor, quæ maritum habet, sub eius tutela, & cura, vel alterius constituta sit & faciendi testamenti non habeat potestatem. Sed huius loci non est modò de hac re disputare. Sanè iure Gallico sunt in maritorum potestate, vt ait Ioannes Faber *in institut.* Redeo ad Ciceronem, qui sic argumentatur ex adiunctis interprete Boëtio, si secundùm mulieris nunquam capite minutæ tabulas, possessio detur, secundum seruorum quoque, & puerorum tabulas possessio deferatur oportet: si enim in tali muliere id accipitur, cur in pueris & seruis id non admittetur? Habes & aliud exemplum ex Tullio lib. 4. ad Heren. *Maiores nostri quam impudicam iudicarant, eam veneficij quoque ream existimabant. Quid ita? quia necesse est quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati timere permultos. Quos? istos: virum, parentes, cæterósque, ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? quos tantoperè timeat, eos necesse est, quomodò possit, veneficio petat. Quare necesse est? quia nulla potest honesta ratio eam retinere quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura mulieris inconsideratam. E diuerso quam veneficij damnabant, putabant impudicam quoque necessario. Quid in viris idémne obseruabant? Minimè. Quid ita? quia viros ad vnumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt; mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit.* Addit qui ista refert ex Tullio, mirú non videri si mulieres citiùs, quàm viri in suspicionem veneficij vocentur, cùm legamus apud Romanos fœminas veneficiis primum vsas, ancillæ quo indicio deprehensas, & damnatas duas patricias gentis Cornel. & Seruil. & cum illis cLxx. Comites. Vide Liuium *libro* 8. & Valerium *libro secundo.* Est itaque vtilis argumentatio ab adiunctis, qualia sunt impudicitia & veneficium in mulieribus ex veteri Romanorum sensu. Sic etiam si prædij minoris alienatio sine decreto facta, rata habeatur ex loco ab adiunctis aliarum rerum minoris sine decreto accipietur alienatio, cùm omnium æqualis sit prohibitio, *C. de præd. & aliis rebus per tot.* Alij hunc locum vocant à pari potiùs quàm ab adiunctis.

Affinis est locus à connexis, qui tamen longè differt à coniugatis. Nam coniugata dicuntur, quæ sunt eiusdem generis, & ab vno quopiam orta variè commutantur, & quadam vocis similitudine quasi sub vnum iugum vincta dicuntur, quod neque connexis, neque adiunctis conuenit. A connexis rectè argumentamur, primò si ex duorum aliquorum connexione vnus iuris effectus sequitur, qui ex neutro separatim sumpto sequeretur. V.g. probanda est præscriptio decemnalis; producens duos testes de primo quinquennio, & duos item de secundo; probasti decennium quod non probasses alioquin, sed vnum tantùm quinquennium. Probas emptionem fundi ex tua pecunia factam, non tamen eo ipso probas te esse dominum empti fundi: si tamen probas te esse militem, prioris probationis infirmitas per connexam alteram vires sumit, *l. si vt proponis. C. de rei vendic.* Et sanè si positio 22

per se impertinens adjungatur alteri adminiculum præstanti, ipsa pertinens ex ea connexione & coniunctione redditur. Vide & *l. Gallus, §. ille casus. D. de liber. & posth.* apud Alciat. *lib. 3. paradox. cap. vlt.* Secundò ex coniunctim requisitis non sufficit alterum esse vel probari. Vide Alciat. *paradox. lib. 4. cap. 4.* Tertiò in connexis vtile per inutile vitiatur *l. pedius, §. in seruum. D. de arbit.*

13 Antecedentia, consequentia, atque etiam repugnantia propriè loci non sunt, sed quædam argumentandi formæ, quas licet per omnes locos colligere. Antecedentia sunt, quibus positis aliud necessariò consequitur. Si homo est, animal est. Homo est, ergo animal. Hinc istæ regulæ: Vbi est antecedens, ibi est consequens: Si tenet antecedens, tenet consequens: Concesso antecedenti conceditur id quod est consequens. Secundò hinc collige: negatiua erit vera, quoties ex eisdem verbis affirmatiua constans falsa erit. Non si tu es homo, tu es equus. Tertiò affirmatiuá veram dices, si consequens oppositum antecedenti repugnat; falsam, si nõ repugnat. Si homo es, animal es. Si viri culpâ factum sit diuortium; & si mulier nuncium; tamen pro liberis manere nihil oportet. Quartò destructo antecedente destruitur consequens, antecedens non lucet, ergo nec consequens. Cui conceditur consequens consequitur consequens. Si eadem est ratio concedendi, tx *l. 1. §. 1. D. si vsusfpetat. l. 3. §. qui habet D. de seruit. rustic. præd. & alibi.*

14 De consequentibus, repugnantibus, & correlatiuis nihil addendum videtur: ea illis enim firma ducuntur argumenta verè consequentia sunt & repugnantia cum concesso antecedente, negari nequeat verum & naturale illius consequens, & duo repugnantia vera simul esse, & admitti non possint. Correlatiua verò sese mutuò & connaturaliter inferunt, éstque frequens ille iuris peritorum probandi vsus. Neque in te ram certa pluribus exemplorum farrago congerenda videtur, & quod iuris in vno correlatiuorum statuitur, vno correlatiuorum posito ponitur & alterum, ex vno destructo, perempto, vel sublato destructum intelligitur alterum.

QVÆSTIO .II.

Locus ab historia sacra & profana.

1 SCientiæ Canonicæ Doctorem in historia sacra, & profana ritum esse oportere docuimus *libro primo, cap. 4. quæst. 2.* In præsentiarum verò agimus de optimo cognitionis illius vsu, de quo multis quoque disputat Canus toto *libro 11. de locis,* vbi quàm graues errores ex eius ignorantia plures admiserint ostendit.

2 Triplex verò est historiæ genus, canonica, ecclesiastica & profana. Canonica sacris Scripturis continetur. Ecclesiastica gesta Ecclesiarum, & monumenta digerit. Profana denique ciuilia siue à Christianis, siue ab infidelibus gesta edisserit. Ex qua partitione vulgari, statim apparet illius cognitionis non vtilem modò, sed etiam eam necessariam esse canonicam quidem, sine qua proprius, & litteralis sensus scripturæ haberi nequit, & ea quæ in illis gesta narrantur intelligi sine historiæ illius intelligentia: tunc enim sensus historicus proprius, & litteralis est; quod docet Augustinus *lib. de Genesi ad litteram. cap. 2.* & S. Thomas *1. p. q. 107. art. 1.* & *q. 6. de potentia. art. 7.* alioquin in rerum ab Ecclesia gestarum cognitione cæcutiemus omninò, Synodorũ tum generalium, tum prouincialiũ cõuentione earum decretis hæresibus damnatis, Ecclesiarum dispositione, aliisque eiusmodi sine historiæ Ecclesiasticæ notitia, & deniq; in consensu historiæ & chronologiæ sacræ, & profanæ sæpiùs hærebimus; atque, quod pluribus accidit, eas incurremus difficultates, quæ in dubium sacram chronologiam reuocent, aut etiam de veritate eorum quæ narrantur periclitari nos faciunt. Itaque nemo sapiens aliquam triplicis illius historiæ notitiam necessariam esse scientiam canonicam profitenti negabit, opinor. Videndum dumtaxat qua ratione illâ notitiâ vti illum oporteat.

3 Statuendúmque imprimis est nullam historiam humanam, à quocumque tandem scripta sit, suppeditare Theologo, & Canonico Doctori irrefragabile argumentum, sed solùm probabile ac proinde infirmum ad faciendam fidem, & solam historiam canonicam, ab auctore Sacro, & Canonico scriptam id habere priuilegij; cùm omnis alia sola scriptoris humanâ auctoritate, qui falli & fallere potest, nitatur, quod obseruauit eleganter Aug. *lib. 18. de ciuit. cap. 38.* vbi optimè distinguit inter ea quæ canonici scriptores scripsère tanquam prophetæ, & Spiritûs sancti reuelatione, & quæ retulere historica diligentia. Vnde aliqua admittuntur tanquam canonica, alia verò non. *Cuius rei fateor causa me latet* (inquit Aug.) *nisi quod ego existimo etiam ipsos quibus ea quæ in auctoritate religionis esse deberent, sanctus vtique Spiritus reuelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione diuinâ scribere potuisse: atque hæc ita fuisse distincta, vt illa tanquam ipsis: ista verò tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis: hæc ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur Canon: præter quem si qua iam etiam sub nomine verorum prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiæ valent. Quoniam vtrùm eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est: & ob hoc eis non adhibetur fides, maximè his in quibus etiam contra fidem librorum canonicorum quædam leguntur, propter quod ea prorsùs illorum non esse apparet.* Quæ omnia placuit adducere, vt ex illis, quæ fuerit Augustini circa vsum historiæ, & circa sacras Scripturas, & & fidem mens eluceat.

4 Imprimis enim vult nullam Scripturam etiam à sanctissimis viris, atque adeò prophetis, propria industria conscriptam continere infallibilem, & canonicam auctoritatem ad fidei & religionis dogmata firmanda. Vnde etiam fit omnem propositionem quæ elicitur ex testimonio humano, ac proinde fallibili, etiam coniuncto cum testimonio fidei, & infallibili non facere rem de fide, nisi adiungatur assistentia Spiritûs sancti, dirigentis Ecclesiam, & Pontificem proponentem eiusmodi conclusionem, ne in re tam graui pertinente ad Religionem & cultum diuinum aberret: vt fit in canonizatione Sanctorum, quorũ sanctitas non constat nisi per humana testimonia quamvis diligenter expensa. Nam tandem resoluitur in fidem humanam quæ fallibilis est, & ex qua proinde nasci nequit argumentum infallibile: possétque aliquis ex falsis testimoniis prudenter induci ad ferendam sententiam, etiam iustam. Quod fatetur ipse Innocentius III. cap. nobis. 2. de sententia excommunicat. *Iudicium autem Ecclesiæ,* inquit, *nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit & falli.* Quod ipsum colligitur ex Alexand. IV. *in cap. later. de sententia, & re iudicata:* & ex Clem. III. *cap. consanguinei, eodem tit.* Vnde est vulgatum illud Theologorum, Ecclesiam & Pontificem in rebus facti, quales sunt iudiciales, & pleræque aliæ, quæ tandem resoluuntur in fidem humanam attestantium etiam sub iuramento, non habere infallibilem auctoritatem.

Secun

5 Secunda Regula. Vbi omnes graues & probati historici conueniunt, suppeditant argumentum moraliter certum: quia, licet moraliter loquendo, fieri nequeat vt omnes historici fallantur; id tamen non repugnat. Certum nihilominùs & infallible argumentum non suppeditant, contra quam videtur velle Canus, *quia & singuli, & omnes simul sumpti & falli & fallere possunt*, ipsorúmque testimonium humanum est, & nihil supra illud habet, v. gratia. Romanum Pontificem esse Petri successorem non ex eo probamus, quia id omnes & singuli historici affirmant, sed ea conciliis & aliis fidei certis argumentis.

6 Tertia Regula. Vnanimis consensus historicorum est quasi præuia manuductio, & propositio dogmatis ea alio principio infallibilem auctoritatem habenti.

7 Quarta Regula. Nulla historia humana, à quocunque scripta, & cuiuscunque auctoritatis sit eius conditor, potest res fidei euertere & impugnare. Cùm enim omnis incerta sit, & fallax, non plus habere potest virium ad destruendam fidem, quàm ad astruendam. Quod vltimum ostendimus facere non posse, cùm fides nitatur testimonio infallibili, & principio irrefragabili, quale non suppeditat historia humana.

a Quidquid igitur illa enarret, fides manebit semper suis fixa principiis. Vnde fit, vt quoties est aliqua repugnantia inter veritatem aliquam reuelatam, atque etiam historiam sacram & canonicam & historiam humanam, vel tollenda est repugnantia: quod viri eruditi egregiè præstiterunt, vel repudianda est historia humana, & inter fabulas reiicienda, & veritas fidei retinenda, exemplo Aug. *lib.* 18 *de ciuit.* c. 40. vbi affert ex ratione siderum apud Ægyptios annorum centum millia numerari. Id primo falsissimum esse ostendit, quia non multùm ante duo annorum millia litteras magistra Iside didicerant, teste etiam Varrone, & ab ipso Adamo nondum sex annorum millia fluxerint. Illi ridendi potiùs, quàm repellendi sunt, qui de spatio temporum tam diuersa, & huic exploratæ veritati tam contraria persuadere conantur. Et denique concludit: *Nos verò in nostra Religionis historia fulti auctoritate diuinâ, quidquid ei resistit non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet se habeant cætera in sæcularibus litteris, quæ siue vera, siue falsa sint, nihil momenti afferunt, quo rectè, beatè viuamus.* Cuius optimam rationem reddit: quia multiplex eius repugnantia, vt ex Varrone ostendit, fidem omnem illi derogat: consensio verò diuinæ & reuelatæ historiæ magnam omninò illi auctoritatem conciliat, etiam apud infideles qui diuinæ reuelationis auctoritatem nequaquã norant. Quare quæ dumtaxat in canonem referuntur, indubitata habentur, licet à sanctissimis viris & prophetis scripta, vt ait *ibidem* Augustinus lib. 18. de Ciuitate: *Præter quem, nempe canonem, si qua iam etiam nomine verorum prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientia vniuersalem, quoniam vtrum eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est, & ob hoc eis non adhibetur fides, maximè his in quibus etiam contra fidem librorum canonicorum quadam leguntur, propter quod ea prorsùs illorum non esse apparet.* Habet igitur Augustin. certum argumentum historias quasdam ex spiritu prophetico non scriptas fuisse, si pugnent cum veritate, ac fide Scripturæ diuinæ, & canonicæ. Quare si quæpiam scriptorum canonicorum nomine circumferantur, certa illorum esse oportet, & non tantùm ex vulgi sensu.

8 Quinta regula. Quia gentiles ingerunt, non esse adhibendam fidem nostris miraculis & historiis diuino spiritu scriptis, si nos eorum exemplis & historiis non credamus, vti obiicit Augustinus, magna adhibenda est prudentia Theologo, vt eas historias ostendat ex aliis principiis non esse fide dignas: quia vel sibi contrariæ sunt, vel apertè falsæ & contra lumen rationis, vel ita illas explicet vt fidei nihil officiant, vt de falsis miraculis scribit Augustinus, tribuens illa aut solertiæ humanæ, aut herbarum, aliorúmque naturaliter applicatorum virtuti, vel magiæ, & Dæmonum arti ac præstigiis: vel si fidem non impugnent, & priuatos auctores, eos non facilè, aut temerè reiiciat: sed intentionem, aut varios vsus exponat, v. g. consuetudinem olim in quibusdam Ecclesiis sub vtraque specie communicandi non reiiciet tanquam apocripham. Illam igitur concedet, non tamen agnoscet tanquam ad salutem necessariam, & à Christo imperatam. Vnde non sequitur qui in laïcis potuerit vterque ille vsus prohiberi.

Historia humana, quamvis non fuerit necessaria sacræ Scripturæ intelligendæ, & explicandæ doctrinæ fidei, cùm, vt dixi, infallibilis non sit; tamen multùm vtilis est, atque etiam ad sensum scripturæ percipiendum. Quod docuit Augustinus *libro secundo de doctrina Christiana, cap.* 28. & ostendit Pagnin. *In Isagoge cap.* 36. Episcopus Oxoniensis *de sensibus Scripturæ Regula* 7. Driedo *lib.* 3. *de scripturis, cap.* 2. ad historiam Danielis de septuaginta hebdomadis & earum per Christi natiuitatem complemento, quàm vtilis & penè necessaria est Assyriorum, & Persarum historia, vt contra Iudæos demonstremus eas hebdomadas in Christi aduentu completas fuisse. Quomodo Conciliorũ hæreses damnantium decreta interpretabimur, si eorum mentem & sensum ex illius aot scriptoribus & historiis nõ percipiamus? & quomodò quid voluerint Concilia in suis definitionibus, si rerum, quæ tunc agitabantur controuersias non nouerimus? Morali denique, & Scientiæ Canonicæ plurimùm rerum aliàs gestarum exempla valent: & quod semel fuit ab Ecclesia concessum, iterùm vbi sunt eædem rationes & causæ concedi poterit, vt docet Canus *lib.* 11. *cap.* 4. *concl.* 2. Sanè Patres antiqui falsorum numinum inanitatem ex ipsorum ortu, patria, natiuitate, rebus, gestis, sceleribus, interitu, sepulchris, & aliis eiusmodi, in quibus versatissimi erant, arguebant, vt vides apud Clementem Alexandrinum, Tertullian. Augustin. & alios, & eadem opera Christianorum piam, & innocuam vitam, ac mores probabant. Vide Michaël Medinam *libro secundo de recta in Deum fide, cap.* 9. Denique iuuabunt ad confutandas calumnias, quas aduersùs Christianos norant; quod *in libris de ciuitate Dei*, præstitit luculenter Augustin. Iustin. *in Apologetico*, Cyprian. *lib. quòd idola non sint dij.* Tertullian. *in Apolog.* 1. 9

QVÆSTIO III.

Locus à simili, comparatione, verosimili.

HOs locos simul pertractandos sumo: quia vel parùm habent inter se discriminis, vel ab vno ad alium facilè fit transitus. Ab hoc quidem loco frequens est argumentum: sed frequens & imbecille; multæ enim, vt obseruat Tullius, viæ sunt: aliæ euadendi, aliæ refutandi: si nempè demonstretur illud, quod confertur esse diuersum genere, naturâ, vi, magnitudine, loco, tempore, persona, opinione: si negabimus oportere quidpiam, nisi quod scriptum est, considerare, & omnia periclitari: si similitudines accipiantur: & denique nihil esse, quod non alteri videatur esse simile, aut dissimile. 1

Ex his maxime ratione dissimilium possunt duci 2

hæc argumenta quæ satis fuerit enumerare. Primò à iudice ad arbitrum. Secundò à feudo ad emphyteusin. Tertiò ab emphiteusi ad censum, & è contrario. Quartò à commodato ad precarium, & è diuerso. Quintò à legatis ad fideicommissa. Sextò à falcidia ad Trebellianicam. Septimò à contractibus ad vltimam voluntatem. Octauò à contractibus ad quasi contractus. Nonò à contractibus ad dilictus. Decimò ad delicta. Vndecimò ab vltima voluntate ad iudicia. Duodecimò à milite ciuilis militiæ ad militem Christianæ. Decimotertiò à libertate ad piam causam. Decimoquartò ab alimentis ad causam piam. Decimoquintò à dote ad piam causam. Decimosextò à fisco ad Ecclesiam, vel piam causam. Decimoseptimò à milite ad Ecclesiam, vel piam causam. Decimooctauò à pupillo ad rempublicam. Decimononò ab alimentis ad dotem. Vigesimò à minoribus ad furiosos aut mente captos. Vigesimoprimò à minoribus ad Ecclesiam, aut piam causam. Vigesimosecundò ab Ecclesia ad pia loca. Vigesimotertiò à matrimonio carnali ad spirituale. Vigesimoquartò à persona ad tempus. Vigesimoquintò à verbis legis ad verba testatoris. Vigesimosextò à seruo ad Monachum, & è diuerso. Vigesimoseptimò à libero ad vassallum. Vigesimooctauò à sententia ad testamentum. Vigesimononò à tributo ad decimam. Trigesimò ab vltimis voluntatibus ad rescriptum. Trigesimoprimò à ciuilibus ad criminalia. Trigesimosecundò ab acquisitione ad retentionem. Trigesimotertiò à dominio ad possessionem, & è contrario. Ad hæc aliaque omnia deflecti potest hic locus, in quibus habitudo conuenit: tunc enim parem habent rationem iudicandi. Est itaque similitudo rerum differentium eadem qualitas. Necessariò inquirendum est quænam qualitas in his duobus separatis vtrique conueniens reperiatur, quam nos dicimus rationem, alij comparationem, alij proportionem, alij proportionalitatem dicunt, siue inter se, siue in aliquo tertio, & communi confetantur. Similitudo aliquando ex pluribus colligitur, v.g. fidem præstata debet si locus.

3 Si cui mandaueris, si qui fiduciam accepit, debet esse procurator: aliàs res vna vni comparatur. Si ædes exustæ corruerunt, vitiúmve fecit, quarum vsufructus legatus est, hæres restituere non debet, nec reficere, non magis quàm seruum restituere quàm is qui legatus est perierat, quod & in pluribus aliis tradunt Iurisconsulti.

4 Iam nostrum non est eas omnes comparationes quas nuper enumeraui, ex quibus sumuntur comparationes & argumenta inter res similes, aut etiam quandoque dissimiles instituere. Totam enim ferè hoc loco scientiæ huius materiam explicaremus, & cuique perspectum erit in quibúsnam eiusmodi collationes fieri debeant & possint, vt dum de iudice ad arbitrum argumentamur.

Vt iudicis ad arbitrum: Paulus enim *l.1 de receptis arbit.* ait ad similitudinem iudiciorum redacta esse compromissa. Nam & iudex ex scripto debet sententiam pronuntiare, & alia eiusmodi, quæ similia inter *superius* enumerata facilè fuerit recensere. Neque in iis immorandum potrò videtur. Illa dabunt qui ista fusiùs pertractarunt, quos passim obuios habebis.

5 Proximus locus est à comparatione, nam, vt inquit, Cicero *libro primo de inuentione*, comparabile est, quod in diuersis rebus similem aliquam rationem habet. Eius sunt tres partes, Imago, collatio, exemplum: addit & *libro secundo de inuent.* comparationes esse, cùm aliquod factum quod per seipsum non sit probandum, ex eo, cuius id causa factum est, defenditur. V.g. quæritur, liceatne Imperatori ab hostibus circumsepto, dum fugæ nullum esse poterat consilium, hostibus arma, & impedimenta relinquere, vt eo pacto milites alioquin perituros reduceret. Eadem mente dixit Vlpian. l. quoties nihil. D. de regul. ior. *Quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est quod minimum habet iniquitatis, & l. absentem. D. de pœnis*, sanctius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.

Denique expendit Tullius *in topicis*, in comparationibus spectare oportet numerum speciem, vim, & quandam etiam ad res aliquas affectionem. Denique instituimus comparationem vnius rei ad alteram, secundùm maius, aut minus, aut secundùm æqualitatem, eáque iuris statuendi sumitur probatio. Quare Cicero, Boëtius, aliique triplicem faciunt comparationem, maiorum, minorum, & parium. V.g. si is quis patriam persequutus est, tandem veniam meruit à ciuibus, cur non is quoque mereatur qui ob seditionem motam actus est in exilium? Et Cicero *si in vrbe fines non reguntur, nec aqua in vrbe arceatur*. Quod sic interpretatur Boëtius, fit quæstio an in vrbe aquam liceat arceri. Sic autem factmus argumentum, quia plus est arceri fines, minus verò arceri aquam: si in ciuitate fines non reguntur, quod maius est, nec id quidem quod minus est, fiet, vt aqua in ciuitate arceatur. In hoc tamen Tullij dicto exponendo plurimam vident difficultatem nostri iuris DD. nostrum non est examinare: plurimáque eiusmodi *in Topicis* Ciceronis, & apud Boëtium expendenda sunt, & apud tantum interpretem obscura manent. Quia verò sæpiùs similitudines aut comparationes claudicant aut facilè confutantur, vti monuimus, & plurimæ inter ea quæ comparantur differentiæ excogitantur, idcircò solemus illi similitudini, aliquam imaginem, & colorem veri affingere, ita vt vel verum appareat, vel veri similitudine incrustatum, quod verosimile nominamus: túnque difficile omninò est discernere vnum ab altero, præsertim vbi animus vehementi aliquo conetatus est affectu. Quare locus iste à verosimili, qui totus pendet à coniecturis, periculis, & aleæ plenus est: ducit autem coniectura, vbi res certa non est à more, opinione, natura rei, vel personæ qualitate, tempore, loco, signis, & circumstantiis.

QVÆSTIO IV.

Locus à præiudicatis, siue præiudiciis.

Hic locus frequenter vsurpatur à iuris vtriusque 1 DD. Et sanè non potest æquum non videri, quod prudentibus & peritis, causæ momentis diligenter expensis, æquum esse visum est: maximè si non ex propria sententia, sed ex iure & ratione ita fuerit existimatum. Nam præiudicium est eadem ipsa de re, quade agitur, latâ sententiâ. Hoc argumenti genus facilè refelli, & eleuari potest, (vt ait Quintilian.) si dissimilitudinem aliquam inter causas reperimus: vix autem res vlla alteri est per omnia similis. Dicet v. g. aliquis hoc iudicium ad hunc hominem non pertinere, eos damnatos, & infames esse, damnationem sceleratorum hominũ integro viro nocere non oportere, atque ita de aliis: testes eorum iudiciorum corruptos fuisse, iudices corruptos, vel stultos fuisse. 2 Denique afferri possunt omnia quæ valent ad infringenda iudicata. Denique ait Iustinian. *l. nemo iudex. C. de sentent. & interloc.* non exemplis, sed legibus iudicandum est. Itaque, vt valeat hoc argumentum, debent

debent afferri iudicia ad ipsam causam pertinentia, aut de causa pronuntiatum esse.

2 Ait Quintilian. *lib.5.* præcedentia præcipuè debet confirmare auctoritate eorum, qui pronuntiauerunt, & rerum de quibus quæritur similitudine, aut identitate, saltem specifica, ita vt facilè nihil nisi in indiuiduo distet ab eo, super quo iuris affertur præiudicium. Atque adeò quoties iudicandi necessitas incumbit ab iis præiudiciis nec transuersum digitum oportet eum recedere, qui tribunali præest: nisi illa fortasè alia iuris scripti parte, vel non scripti obseruatione abrogata sint, aut illis aliquatenùs derogatum existat.

3 Iudicatum est duplex, assensione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata: id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, approbato. Religiosum est quod iurati legibus iudicarunt: commune est, quod omnes vulgò probarunt, & sequuti sunt: approbatum est, quod homines, cùm dubium esset quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate: veluti Gracchi Patris factum quem P. Romano ob id quod nesciente collega, in censura nihil gessit, post censuram consulem fecit.

4 Obseruandum porrò est aliquando de eadem re diuersa esse iudicia, vt aliud alij iudici, aut consuli, aut Tribuno plebis placitum sit, & ita fit, vt de eadem re sæpè alius aliud decreuerit, aut iudicarit. Quod genus Marcus Drusus prætor vrbi quod cum hærede mādati ageretur reddidit, Sextus Iulius non reddidit. Item Cœlius iudex absoluit iniuriarum eum qui Lucilium poëtam in scena nominatim læserat. Publius Mucius eum qui Lucium Accium poëtam nominauerat, condemnauit. Cùm possint igitur res simili de causa dissimiliter iudicatæ proferri, cum id vsu venerit, inquit auctor ad Herennium, iudicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum proferemus. Denique etiam in legibus quod postremo iudicatum est, inspici oportebit.

5 Aduertendum quoque est, ne cum aliter multa sint iudicata, solitarium aliquod aut rarum afferatur. Hoc enim modo auctoritas iudicati, maximè potest infirmari.

6 Quoquo modo autem iudicatum libera Republica fuerit, iudicium firmum stabit, & non dabitur denuo actio Athenis apud Athenienses & Romanos. De Athenis testatur Demosthenes aduersùs Timocratem: affertq; hanc contra legem. *Quibus de rebus iudicium factum erit, rationes relata & suffragia inita, siue in iudicio, siue priuatim seu publicè: aut qua de re publicum decretum intercesserit. de iis omnibus ne actio detur,* Circumferebatur & altera lex. *Iudicia & arbitria quacumque solemniter facta erunt libera republica, rata ac firma sunto.*

7 De Romanis testatur quoque Paulus ad Sabinum. *Prætor quoque ius reddere dicitur etiam cùm iniquè decernit, relatione scilicet facta, non ad id quod Prætor ita facit, sed ad illud quod prætorem facere conuenit, & hanc rerum iudicatarum auctoritatem esse publicè interest, cum vt aliquis sit litium finis, tum ob reuerentiam legum, quibus acquiescere siue iustè, siue iniustè quid imperent, oportet, vt præclarè est apud Platonem in Critone. Quare cùm Populus Romanus inter Aricinos & Ardeates de Ambiguo Agro iudicasset, apud Senatum, querentibus Ardeatibus de iudicij iniquitate censuit: Quod semel à populo Romano iure, aut iniuria scitum, iudicatum esset, id eius saluâ maiestate atque amplitudine retractari non valere.*

QVÆSTIO V.

Locus à notatione nominis, siue etymologia.

Hic locus Græcis & Latinis, sacris & profanis 1
auctoribus familiaris est, quamvis in eo non existimem magnum argumentum, & pondus collocandum esse, nisi quia nomina non fuere imposita, nisi propter aliquam idoneam rationem à primis auctoribus & conditoribus. Est enim etymon, vel vera nominis & appellationis ratio, vel saltem quæ pro vera habetur. Dicitur inquit Voss. in *Etymologico* ab ἐτὸς, vel ἐτεὸς, hoc est ἀληθὲς, vt exponit Esychius. Sunt verò ἐτὸς, vel ἐτεὸς ab ἔω, vel εἰμὶ, vt propriè significent quod est. Ens autem & verum conuertuntur. Hinc etymologia sermo de etymis: siue oratio. qua nominis ratio exponitur. Cicero *in Topycis ad Trebatium.* vertebat verbiloquium: quæ tamen vox non satis exprimit vim vocis Græcæ: nam ἔτυμον non significat verbum, sed rationem verbi. Quintilian. *libro primo cap. 6.* ait à nonnullis nuncupari originationem: quod quia durius, notationem maluit dicere Tullius: quia verba sunt rerum notæ, & Aristoteles σύμβολον appellat, & multa in disputando notatione eliciuntur ex verbo. Quod ostendit ibid. Tull. in verbo *postliminium*, vt cùm quæritur quid sit, & cùm postliminij vis quæritur, verbum ipsum notatur. In quo tamen Tullius ait, Publ. Servius nihil putat esse notandum nisi *post*, & *liminium*, Scæuola autem P. filius iunctum putat esse verbum, vt sit in eo, *post*, &, *limen*. Vt quæ à nobis alienata sunt cùm ad hostem peruenerint, & ex suo tanquam ex limine exierint, dein cùm redierint post ad idem limen postlimina videatur rediisse. Quo in genere etiam Mancini causa potest postliminio rediisse, deditum non esse, quoniam non sit receptus: nam neque deditionem, neque donationem sine acceptione intelligi non possunt.

Tullio consentit Fabius *lib. primo cit. cap. 6.* vbi & 2
obseruat originationem habere aliquando vsum necessarium quoties interpretatione res, de qua quæritur, eget, vt cum M. Cœlius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat) Sed quia vtilis multis, id est, fructuosus, vnde sit frugalitas; in definitionibus illi locum esse monet Fabius; nonnunquam etiam barbara ab emendatis discernit, vt cùm quæritur Triquetram Siciliam an Triquedram; meridiem an medidiem dici oporteat. Continet etiam in se multam eruditionem, siue illa ex Græcis orta tractemus, quæ sunt plurima, præcipuéque Æolica ratione (cui est sermo noster simillimus) declinata, siue ex historiarum veterum notitia, nomina hominum, locorum, gentium, vrbium, requiramus. Vnde Bruti, publicæi, pici, Latium, Beneuentum, Italia, quæ Capitolium, collem appellandi ratio: quæ subiungit latissimè ex Varrone, aliisque reliquo capite. Est autem ex Eusthatio *in Odyss. A.* ἐτυμολογία λόγος ἐπαληθεύων τοῦ ὀνόματος τὴν λέξιν τῇ φύσει τοῦ πράγματος. Nihilominus Scalig. *lib. 3. Poet cap. 9.* Est, inquit, vocis ratio siue vis, qua vox à voce generatur. Fit verò vel à recta vel à contraria, quatenùs scilicet inter voces est aliqua affinitas, & proportio, vel non est: aliquando est mera vocum allusio, & leuis aliqua similitudo.

Quod verò dixi *initio*, Græcis ac Latinis hominis 3
hanc notationem in vsu fuisse, obuiū est. Audi Cyrill. Hierosylimit. *cath. 10.* Ἰησοῦς ἐστὶ κατὰ μὲν ἑβραίους σωτὴρ, κατὰ τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν ἰώμενος: *IESVS secundum Hebræos*

Hebreis quidem est seruator; secundùm verò Græcam linguam satans. Anastas. Sinaïta, βάτισμα scripsit, dici quasi βατλισμα, quia in eo abjicitur, seu cadit peccatum ἐν ῷ βαλλέτω ἤγιν εἶναι τὸ πταῖσμα; abcessus, & lapsus, quia in eo abiicitur, siue cadit peccatum. Iustin. Martyr. *Dialogo cum Tryphone* ait agnũ, qui totus assabitur, fuisse symbolum passionis Crucis; in qua Christus erat passurus, τὸ πάθος τοῦ σταυροῦ δι᾽ οὗ πάσχειν ἔμελλεν ὁ χριστὸς, Philo crebra allusione satis significat πάσχα deduci à πάσχω; vt *libro de rerum diuinarum herede* πάσχα ἐστιν, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀπομαθεῖν μελετᾷ τὴν δὲ εὔλογον ἐυπάθειαν ἑκουσίως πάσχει, Pascha est quando anima irrationabilis passionis abiectionem meditatur; rationalis verò passionem lubens sustinet. Consentiunt in etymologiis vsurpandis PP. etiam Latini, Ambros. *libro de Abel, & Cain*, nominis leuites duplicem dedit originationem, *capite tertio. Vnde & de leuitis, scriptum est quod sint redemptiones eorum eò quod & sanctitate vitæ suæ, & oratione peccata plebis leuarent. In quibus figuralis agni præcessit mysterium verum venturum leuitem qui proprij corporis passione tolleret peccatum mundi. Leuites significatur pro me, vel ipse mihi leuis. Ipse enim perfectæ virtutis habet impertienda populo sanitatis iudicium &c. In quo omnium hominum suscepta est redemptio, assumpta est resurrectio. Ipse est verus leuites, vt nos leuitas faceret adhærere Deo.* Vide reliqua. Vide & *cap.* 4. quod sequitur, vbi plurimas nominis notationes, & egregiè morales obseruabis & non tantùm ad nomina, & ad officia leuitarum allusiones.

4 Quartò, frequentes porrò sunt istæ paronamasiæ, siue agnominationes & allusiones ad ambiguam, seu similem vocem, quam si tollas, & omnis elegantia non modò perit, sed & quid absonũ sequitur. Quare sacer interpres in sensum potiùs intentus, quàm in verba, aliud interdum verbum assumit, quàm quod legitur in fonte, vt Ierem. cap. 1. *saked*, quod nucem amygdalinam & vigiliam significat, Hieronym. maluit vigilantem quam nucem vertere, quia statim sequebatur verbum *saked*, id est *vigilare*: inepta siquidem videretur consequentia, si vertisset, *Virgam nuceam ego video.* & Deus respondet & *bene vidisti quia ego vigilabo.* In texto autem Hebraïco est elegans consecutio. Vidi virga *saked* & Deus respondet, & ego *saked* vidi virgam vigilantem, & ego *saked*, vigilabo. Ita etiam Hieronym. Isa. 1 r. seruauit vocum Hebraicarum agnominationes, vbi habetur *kabelah*. id est luxit, & cecidit. Hieronymus habet luxit & defluxit. Hinc fit vt aliqua videantur obscura, quia voces originales aliquid significant quod verba latina exprimere non possunt, vt in exemplo de virga nucea; & illud Pauli *Epist. ad Philemonem* agens de Onesimo. *Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis.* Onesimus autem significat vtilem. Onesimus autem seruus, qui fugit à Philemone domino, vbi non modò non fuit vtilis, sed fuit etiam inutilis; mutatus autem à Paulo & meliora cogitans erit vtilis. Ait ergo Apostolus, Quod tibi, Philemon, Onesimus non fuit, deinceps & mihi & tibi erit Onesimus, eleganti paronomasia. *Iudicum cap.* 7. nescio quis Madianita vidit in somnis panem subcineritiũ volui in castra Madianitarum, & illorum impetere, & inuertere tabernaculum & interpretatus est gladium Gedeonis. Quanam amabo coniectura? *Non est*, inquit, *hoc aliud nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israëlitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madiam.* Coniectura Madianitæ ducta fuit ex voce *lechem*, לחם, quæ & pacem & bellum significat, indéque coniecit cædem & gladium à Gedeone, & cum Interpres voce Latina careret, quæ adæquaret Hæbraïcam coactus fuit vertere panem. Ita Sanctius *prolegom.* 6. *in Daniel. num.* 33.

Serarius in illud *cap. quæst.* 11. subcinericium hunc panem non fuisse in furno per otium & lentè coctum, sed in calefacto foco sub cineribus calidis perceleriter: quod *subcinericij* vox significat, & voce Hebraica significari vel strepitum & tinnitum à *tsalal*, vel tostum, à *tsalih*, eámque notitionem maluisse LXX. qui reddiderint *cherar*, torta assa: *quæst.* 13. inquirit similitudinem huius somnij cum re significata, adducitque Ariam Montanum, qui ait, quod iam monui *lechem* panis, conuenire cum verbo *lacham* pugnare, & nomine *milchamah*, cùm etiam hic panis dicatur hordeaceus, & vox hordei *schorach*, tempestatem ac turbinem etiam significet, & cùm *sin* & *samech*, non rarò permutentur, & *sahar* quatuor locis per *samech* scriptum est, & *tsalh* non modò tostum, subcinericium; sed etiam strepitum commotionémque denotet, non malè pro gladio sumitur. Addit & aliam Serarius ex Guilelmo Alabastro ingeniosam quidem, non tamen solidam & firmam interpretationem. Vide Serarium. Accipe & aliam in historia Susannæ paronamasiã in Græca lingua apud Danielem in qua fit allusio ab arboribus ad diuisionem, & sectionem, Dic, inquit Daniel, *prudiose sem sub qua arbore videris eos colloquentes sibi, qui ait sub schino. Dixit autem Daniel rectè, mentitus es in caput tuum, Ecce enim Angelus Domini scindet te medium.* Vides allusionem in lingua Græca inter σχῖνον arborem, & σχίζω, quod valet scindere, seu diuidere, sicut & inter πρῖνον, quod statim additur, & πρίω, quod scindere, siue serrare. Quod ipsum Africanus obiecit Origeni, vt ostenderet eam historiam non fuisse scriptam à Daniele, atque idcò fabulam videri.

Respondet Origenes, Danielem vsum fuisse voce quadam Hebraïca vel Chaldaïca, in qua similis esset allusio: Græcum verò interpretem habuisse potiùs rationem sensus, quam verborum, & supposuisse alias arbores, in quibus reperiretur similis agnominatio. Vide plura apud Ioannem Sanctium, & Benedictum, Pererium, vtrumque *in Danielem*.

Non est animus sacros libros percurrere: ipso enim initio nobis *cap.* 2. nominatissima occurrit: ait enim Adamus de noua sua nupta Eua, *Hæc vocabitur virago quia de viro sumpta*, vbi Hieronym. notat etymologiam noua voce inuenta, & tribuit Symmacho qui ἐκ τοῦ ἀνδρὸς fecerit ἡ ἀνδρὶς, quam nondum receptam LXX. agnouerunt, vsique sunt voce communi γυνὴ. Festus dixit viras, Hebræâ voce, in qua volunt aliqui nomen Dei contractum contineri, qui auctor coniugij. Alia vide apud Delrio *in pharo, in illud caput*.

6 Quamvis igitur etiam apud sacros frequentes sint hæ paronomasiæ; diligenter tamen cauendum est ne sint duræ, & ineptæ, quæ non modò nihil elegantiæ, & lepôris habent, sed & inscitiam produnt, & ridendum exhibent auctorem viris eruditis; qua in re plurimùm inepierunt Stoïci, vti obseruauit Cuiacius, & alij. Illi magni studio vnde ducerentur vocum origines inquirebant, & ineptè plerumque deriuabant. Quare ineptissima etymologia συνωνύμα ducebatur Stoicos imitati sunt hac in parte Iurisconsulti. Eorum ineptias collegit Menagius *in opere*, quod inscripsit, *Iuris ciuilis amœnitates cap.* 34. illum adi: In his enim nugis mihi non videtur immorandum. Difficiliora sectantibus & ineptæ deriuationes iam obsoletæ sunt.

QVÆ

QVÆSTIO VI.

Notæ in titulos vtriusque Iuris,

De verborum significatione.

1 SApienter dixit Cicero *in Topicis*, vocabula rerum notas esse, quibus res significantur, ipsæ verò per se non significant nisi Dei aut hominum instituto. Dei quidem quando rerum, aut diuinarum, aut futurarum veritas certis rebus spectabilibus veluti signis aut notis adumbratur. Hominum verò instituto quando & ipsi quibusdam rebus sine verbis loquuntur. Quare per annulos, & claues nuptias, venditionem pérque alia instrumenta possessionem designarunt. Hieroglyphicæ litteræ apud Ægyptios erant in vsu. In militia sunt & quædam signa nota, per aquilas, dracones, vexilla flammulæ rufæ, semiuocalia per turbam, & cornu, aut buccinam, similiáque vocabula, & instrumenta, & vocalia, tesserariæ quædam voces, & signa quæ vigilibus custodibus, & excubiis, quæ à præfectis & Tribunis vigilum dari solent, súntque voces vel solitariæ, & singulares, vel breues quædam sententiæ, quas petentibus reddant, & excubias se agere testentur. Sunt & aliæ quædam notæ, & signa in equis, indumentis, armis, atque manuum motione. Ad hæc quoque signa referri possunt scuta gentilitia, quibus icounculæ & tessera solent appingi.

Communiora tamen signa sunt verba, instituta quippe vt per ipsa res declarentur: eáque ratione quisque suos sensus & cogitationes in alterius notitiam quodammodo mittat, & dicentis voluntatem demonstrent, quod Labeo explicat *D. de supplend. legat.* Sed meliùs Augustinus *cap. 22. Enchirid.* & refertur 22. *quæst. 2. cap. Is autem.* Vnde infert August. nunquam vtendum verbis ad fallaciam: & peccatum esse non iis vti ad id ad quod instituta sunt, etiamsi sia aliis prodesse possimus mentiendo, quia & prodesse possumus furando. Si pauper cui palam datur sentit commodum, & diues, cui dum tollitur, non sentit incommodum; nec ideò furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Rationem etiam reddit Bald. *in cap. mandatum, de rescript.* Quia linguæ imperator est cor. Quare plurimi fuerunt veteres in verborum exquirenda significatione. Refert Festus *vers. postliminium.* Ælij Galli librum primum & secundum *de verborum significat.* Citatur & ab eodem Festo Carei Capitonis liber Glossematon. Afferuntur & duo libri *de verbis priscis, l. Cincy:* citatur & Verr. Flaccus *lib. 4. de verborum significat.* à Gellio *lib. 5. cap. 18.* scripsit quoque Scitira libros duos *de verborum antiquitate.* Infinitos denique de simili argumento refert Festus.

2 Quia verò singulas tum artes, tum scientiæ vocabula quædam sibi propria habent, ideo qui accuratiùs eas pertractarint voces illis proprias & sæpiùs homonymas explicarunt, eatúmque indies confecerunt, maximè iurisconsulti, vnde tot lexica, dictionaria vocabularia, aliáque eiusmodi habemus à viris eruditis confecta, quibus maximè tyrones, & adhuc in ea arte rudes iuuentur, præsertim vbi de rituum antiquorum, & obsoletorum moribus agitur. Denique ipsi iuri tum canonico, tum ciuili, titulos de verborum, &, vt habet vulgaris inscriptio, rerum significatione alligarunt: & quamvis sub finem digestorum, & iuris canonici illos collocarint, non quasi vltimo loco doceri & disci debent; cùm, (vt ait Rebuff. *in comment. D. de verbor. significat.*) necessarium sit, eum qui ius profiteri cupit, ab initio illum titulum audire & memoriæ mandare, etsi vltimo loco constitutum, quod ex quadam necessitate factum fuit: non poterat enim elici verborum significatio nisi prius verbis positis, quæ primo loco scribere oportuit, & ex illis deindè ipsorum significationes colligere, & eorum certas præscribere leges, quæ deinde magnam lucem afferunt reliquæ scientiæ, & amphibologias tollunt, atque homonymias, & quæ non sunt maximè propria docebunt.

Obseruandū enim est in vniuersum, antequā hos titulos singillatim pertractemus, voces differre primò ratione significationis, & quasdā proprias esse & quodāmodo natiuę significationis, quasdā sublimes, quasdam humiles quasdam graues, quasdam leues, quasdā honestas, quasdam obscœnas. Secundò differunt ratione consuetudinis, cùm aliæ sint vsitatæ, aliæ raræ, quædam nouæ aut pridem nouatæ, quædam antiquæ nondum desitæ, aut antiquatæ. Differunt tertiò ratione sermonis, cùm quædam ligatæ, quædam solutæ orationi propriæ sint. Quartò denique ratione compositionis, siue ratione soni. Quia quædam verba sonantia sunt, quædam exilia, quædam leuia, quædam aspera, quædam tarda, quædam volubilia. Et idcircò monent qui expeditè, & concinnè, atque eleganter loquuntur, verbum quodque quasi statera auraria examinandum esse. Sapienter enim Dionys. Halicarn. ἡ ἐκλογὴ τῶν ὀνομάτων μέγα τι δύναται, *verborum delectus magnum quid prodest.* Secundò, qui vocabula propria & significantia cupit vsurpare, voluntare debet eos qui propriè loquuntur, quod accipit secundum subiectam materiam, de qua agimus: alioquin ridebitur dum se propriissimè loqui existimabit. Sic apud Tull. *Philippica* 8. & Festum Pompeium nullus dicebatur tumultus, nisi Italicus vel Gallicus: quia, inquit Vossius, vt animalia grauida tument: sic cum à domesticis aut vicinis bellum imminet, negotia siue res tument, hoc est bellum, aut perturbationem paritura videantur. Ita dicebant Dictatorem aut Flaminem propriè proditum, & Vestalem captam. In vniuersum tamen has regulas accipe.

4 Voces vulgares, ac plebeïæ, quippe sordidæ, poëticæ, & affectatæ nimis, splendidæ, & generi sermonis non accommodatæ obsoletæ, & nouatæ, cùm ferè ignotæ sint, reiiciendæ sunt, cùm λόγον λέγειν adhibere debeamus.

5 Sordidas appello, quæ vulgo sordidiori non elegantioribus hominibus sunt vsui; quamvis ex vulgi commercio viri etiam docti nonnunquam aliquibus vtantur. Dabit aliqua Voss. lit. O, §. 5. inter quæ numerat nonnulla nomina seruorum.

6 Poëticæ voces in oratione absoluta adhibendæ non sunt, quemadmodum Poëtæ abstinent in versu præsertim heroïco, ab iis, quæ illi carmini propriæ non sunt. Neque enim dixit Virgilius vnquam triticum aut panem, sed *Cererem* aut *crustam*. Sic nec orator, *squamigerum genus* dicit pro, *piscibus.* Quare Cassius Seuerus irrisit apud Quintilian. *lib.* 8. *cap.* 2. qui dixit pro Sparto Ibericas herbas; quod vt obseruauit Turnebus *libro* 14. *aduers. cap.* 9. fecit imitatione Horatij, qui *in libro Epodon.* ait: *Ibericis peruste funibus latus.* Et sanè arguitur Plato quod eius stylus poëtico similior sit: itáque visum esse nonnullis dixit Tull. lib. *de Oratore Platonis & Democriti: Locutionem etsi absit à versu, tamen quod incitatius feratur, & clarissimis verborum luminibus vtatur, potiùs poema putandum, quàm comicorum Poetarum.* Dionys. Halicarn. *Epist. ad Ammæum* reprehendit in eodem Platone schemata poëtica, crebras, longas, & intempestiuas allegorias, quòd è sua Republica poëtas abiiciat; idque factum sit

ambitiosa

ambitiosa quadam aduersus Homerum æmulatione, τὶ πρὸς ὅμηρον ζηλοτυπίας.

7 Obsoleta verba nitorem iam amiserunt: eiusmodi erant in Ianualiis, Mineru. ac Saliaribus Numæ Pompilij hymnis, qui eo quòd in axibus siue tabulis inscripti essent dicebantur axamenta. Citat aliquos Varro *lib. 6. de l...* nonnullos restituit & emendat Ioseph. Scaliger, Turneb. *lib.* 33. *cap.* 14. & alij qui adeundi erunt, cum Vossio *l. citato* §. 7. vbi agit etiam de saliaribus, hymnis, è quibus Varro, aliique adducunt voces minùs vsitatas siue glossemata, vt interpretantur Quintil. *libro primo*, *cap.* 14. Eunapius vocat λέξεις καταγλωττισμένας. Eiusmodi fuere Ἀττικαὶ λέξεις, Philemonis γλῶσσαι ἀττικαί, Aristophan. γλῶσσαι κρητικαί, Hermonis, qui aliàs Hermonax. Eodem refero eos, qui non variis dumtaxat, sed & variarum gentium vocabula sunt interpretati vti Nicander, Colophanius, Pamphilus, Amerias Macedo, Seleucus, Philemon, Timachidas, Philetas, aliique. Multa denique sunt desita & rancida in laceris illis quæ habemus Ennij, aliorúmq; reliquiis, vt & apud Plautum, olimque similia fas erat haurire è Pontificum commentariis, & vetustissimis fœderibus: & denique ex electorum auctorum chartis; quos omnes, vt ait Sueton. *in August. cap.* 86. verborum fœtores vitare solitus erat inter loquendum August. ita vt neque Tiberio voces eiusmodi aucupanti pepercerit. *Genus eloquendi secutus est elegans & temperatum* (inquit Sueton.) *vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, vt ipse dicit, fætoribus: præcipuámque curam duxit sensum animi quàm apertissimè exprimere, quod quo faciliùs efficeret, aut necubi lectorem, vel auditorem obturbaret aut moraretur, neque propositiones verbis addere, neque coniunctiones sæpiùs iterare dubitauit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos & antiquarios in diuerso genere vitiosos, pari fastidio spreuit. Exagitabat nonnunquam imprimis Mæcenatem suum, cuius μυροβρεχεῖς, vt ait, cincinnos vsquequaque persequitur, & imitando per iocum irridet: sed nec Tiberio parcit, & exoletas interdum & reconditas voces aucupanti. M. equidem Antonium vt insanum increpat quasi ea scribentem quæ mirentur potiùs homines, quàm intelligant. Deindè ludens malum & inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius, addidit hæc: Túque dubitas Cimbérne Annius, an Veranius Flaccus imitandi sint tibi? Ita vt verbis quæ Caius Sallustius excerpsit ex originibus Catonis vtaris, an potiùs Asiaticorum oratorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrorū sermonem transferenda.* Plura alia dabit Suetonius de elegantia, & cura Cæsaris Augusti in loquendo. Affectatio illa obsoleti sermonis molesta & odiosa est, quam ridet abundè Phauorinus apud Gellium *libro primo cap.* 10. monétque vitandum tanquam scopulum inauditum, atque insolens verbum Mariangelus Accursi. *in Dialogo Olscorum & Volscorum* hanc κακοζηλίαν exagitat sapienter. Denique Dionysius Halicarnass. *tractata de Isocrate* vult natura verba sententiis, non sententias verbis obsequi: quod & censet Fabius *lib.* 9. *cap.* 3. non prohibemus tamen doctè scribere: sed distinguendum est inter verba antiqua & antiquata, & prisca, quæ amplius in vsu non sunt, quamvis talia existimentur à sciolis quibusdam qui se Ciceronianos dicunt. Qua de re Vide Vossium *l. c.* §. 7. qui alios dabit. Sufficiat Fabius *lib.* 1 *cap.* 6. *Verba à vetustate repetita non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione: nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia prætermissa sunt, gratiam nouitati similem parant: sed opus modo vt neque crebra sint hæc, neque manifesta: quia nihil est odiosius affectatione: nec vtique ab vltimis & iam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt, topper, & antigerio, exanclare & prosapia, & Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta.* Et lib. 8. c. 3. *Propriis dignitatem dat antiquitas, namque & sanctiorem & magis mirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat vsus*, &c. *Sed vtendum modo nec ex vltimis tenebris repetenda.* Addit exempla. *Satis est vetus quæso, quid necesse est dicere* oppido, *que sunt vsi paululū tempore nostro superiores. Vereor vt iam non ferat quisquam: certè* antigerio, *cuius eadem significatio est, nemo nisi ambitiosius vtetur.* Ærumna *ecquid opus est, tanquam parum sit, si dicatur* labor. *Horridum reor, tolerabile* autumo: *tragicum*, prolem ducendam: vniuersam eius prosapiam *insulsum. Quid multa? totus prope mutatus est sermo.* Fabij hanc censuram paulò seueriorem esse demonstrat Voss. §. *citato*. etiam ex Tullio. Audi Senecam Epist. 114. *Multi ex alieno sæculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis aut Crassus nimis culti, & recentes sunt: ad Appium vsque & ad Coruncanam redeunt. Quidam contrà, dum nihil nisi tritum, & vsitatum volunt, in sordes incidunt: vtrumque diuerso genere corruptum est: tam mehercules, quàm si vellent splendidis vti, ac sonantibus, & poeticis; necessaria est in vsu posita vitare: tam hunc dicam peccare, quam illum, Alter se iusto plus colit, alter se iusto plus negligit: ille & crura, hic nec alas quidem vellit.*

Sunt denique verba nouata, & noua, quæ Græci πεποιημένα facta appellant; quia nisi prudenter vsurpētur, puritati, & perspicuitati sermonis æquè officiunt, cæterisque vitiis non carent, licet à magnis interdum viris recipiantur. De iis Fabius *libro primo cap.* 6. monet vt nouorum optima erunt maximè vetera, ita veterum maximè noua. De iis vide Gell. *libro* 12. *c.* 10. Fabium *lib.* 8. *capite* 3. De voce nouissimà disputat Voss. §. 3. *de indolorio*. & aliis quibusdam, & de variis nouandi modis maximè per compositionem, à Poëtis præsertim. 8

Hæc, aliáque præcepta propria Rhetorum, Oratorúmque esse videntur, quæ sermonis perspicuitati, & elegantiæ sunt accommodata, in quibus hærendum nobis non videtur, ne Oratorem potiùs instituere videamur, quàm iuris Canonici tum ciuilis doctorem, quibus aliæ Regulæ magis aptæ traduntur à commentatoribus iuris in titulos *de verbōrum significatione*, In quas obseruationes aliquas polliciti sumus. Ex Rebuffo igitur, Alciato, Budæo, & aliis ista notauimus circa hanc iuris partem, quam iuris totius quandam isagogem dixit Rebuffus, quæ etiam prouectioribus plurimum vsui fuerit ad pugnantiam legum, & iurium decisiones & conciliationes. 9

Prima igitur regula est, vt sermones vulgariter prolatos, interpretemur secundùm artem litterarum, quæ non cadit in idiotam. 10

Secunda regula. In statutis & legibus ac iure verba interpretanda sunt secundum vsum, & consuetudinem loquendi illius temporis, quo actus conceptus: quod monet ipse Vlpian. *l. librorum* §. *quod tamen. D. de legat.* 3. vbi ait plerosque in vsu, libros appellare chartas. Alia loca dabit Rebuff. *initio commenta. in D. de verbor. significat. regula secunda.* Perspicuus est Martian. *in l. legatis seruis. D. de legat.* 3. vbi scribit ex vsu cuiusque loci sumendam significationem. Quare licèt communi appellatione nomine nepotis veniant filius, filij, vel filiæ *l. Iurisconsul.* §. 1. *D. de gradib. in institu.* tamen ex communi vsu loquendi veniunt etiam filij fratrum, vel sororum, §. *similiter quibus mod. feuda amittant.* 11

Tertia regula. Quando verba homonyma sunt, & plura significant, accipienda est significatio magis tuta, & ab ea non est recedendum. Vt enim ait 12

Hilar.

Hilar. *libro 4. de Trinit. cap.5.* & refertur cap.7. *Intelligentia tit. de verborum signific. & cap.5. eodem tit. in prima compil.* intelligentia Doctorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed sermo rei est subiectus. Quare non vitiatur factum eodem modo narratum, vbi idem in substantia concluditur. Et Gregor. *libr. primo Epist. 28. Regest.* & refertur *cap. propterea 8. tit. cit. propterea si prolixam Epistolam meam ad interpretandum accipere te fortassè contigerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri, quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.* Itaque dicunt Doctores contrarium non procedere etiam vbi de contraria mente: quia tunc pro subiecta materia exponi debet. Ita glossa *in l. has caussas. D. de conditio. & demonstrat.*

13 Quarta regula. Quando in lege, ordinatione regia, vel statuto scripta est ratio legis, vel ordinationis, aut statuti, tunc complectitur omnes casus, qui sub ea ratione expressa comprehendi possunt, etiamsi correctio iuris communis inde sequeretur. Ita Glossa *in Clem. 1. de electio. vers. Eligitur* & *in cap. si postquam debet. in 6.* & licet interdum pro fauore pupillorum latior interpretatio facta videatur.

14 Quinta regula. Verba legis & statuti, etsi præcisa, & limitata; recipiunt tamen interpretationem secundùm subiectam materiam, vbi subest iusta causa ampliandi, aut restringendi, *l. filiusfamil. Digest. de procurator.*

15 Sexta regula. Nunquam ex diuersitate rerum, vel personarum quibusdam varietatem, vel diuersitatem inducentibus, varietatem quoque significationis verborum iudici necesse est. Vide Vlpian. *in leg. Iusiurandum, §. non semp. D. de iureiurando:* & Rebuff. *in proœm. comment. ad constitutiones regias,* Alciatum. *D. de verborum significatione,* & alios.

16 His in vniuersum obseruatis venio ad ipsos Titulos vtriusque iuris de verborum significatione, quos in citando iure perpetuò intelligo quoties non alium iuris locum in citando designabo. Distinguam verò ius ciuile & canonicum per legem & caput.

17 Pono igitur ex Rebuff. *initio commentar.* verbum in vniuersum sumi duobus modis. Primò pro qualibet orationis parte, siue sit proprium nomen, siue pronomen, siue quæpiam alia dictionis particula, & proinde pro qualibet voce, aut vocabulo. Sic lex 12. *Tabul.* emptionis voce quamlibet alienationem complexa est, *l. verbum oportebit. §. actionis verbo. l. plus est in restitutione. alienationis verb.* & *alibi.* Eodem sensu Iurisconsulti vtuntur verbo pro dictione & vocabulo. Quintilian. *libro primo, cap.5.* ait per verba significari omnia per quæ sermo nectitur, siue sint verba, siue nomina siue coniunctiones, & denique orationes. Secundò propriè & strictè sumitur verbum pro singulari orationis parte, sic nominata & ab aliis distincta. Sumitur & aliquando pro sermone & loquela, Gallicè, *parole,* dicimus, Vlpian. leg. si quis Vxori 52. §. 19. *Neque verbo, neque scriptura furtum facit.* Vbi verbum non capitur pro voce solitaria. Pro oratione aliquando integra sumitur. Sic dicitur verbum amplius non peti variis locis. Quare cùm lex punit dicentem verbum iniuriosum, aliqui intelligunt de oratione, aut saltem de clausula iniuriosa, quamvis verius videatur intelligi etiam de vnico vocabulo: qui enim furem, vel latronem appellarit, aliúdve vnicum verbum iniuriosum dixerit, tenebitur lege & statuto: neque ad hoc opus fuerit, vt carmen infame occentarit, vt loquitur lex XII. Tab.

18 Verbum dicitur à veritate, ex Varrone, cùm debeat nos veritatem loqui. Agimus autem de verbo prolato, aut scripto, non autem de verbo interno siue conceptu mentis, cuius verbum externum, signum est siue primò res significans, & secundariò conceptus, siue vice versa & ècontrario.

19 Quatuor verò in quolibet verbò consideranda esse monent Doctores. Primò natura, quando certa, & præcisa est vocabuli significatio.

20 Secundò, verbum plura significat: éstque æquiuocum: tunc autem aptior & rei conuenientior significatio sumenda, & retinenda est, *l. quoties. de verbor. obligat.* Quod intelligendum est secundùm subiectam materiam.

21 Tertiò, vsus & consuetudo loquendi immutat aliquando significationem, & nouam dare potest quæ tunc propria dicetur, propter vsus auctoritatem. Sic quos nos hostes nunc dicimus, veteres appellabant perduelles, & per eam adiectionem indicabant cum quibus illis bellum esset, l. 237. *duellare est bellare.* Hinc illud Plauti in Captiu. *valete, iudices iustissimi, domi bellique duellatores optimi.* Hostes verò dicebantur, quos nunc vocamus peregrinos, ex Cicerone *lib. 1. Offic.* De crimine duellionis *alibi.*

22 Quartò denique, rebus, seu figuræ & naturæ dictionis, verba coaptari debent: quod in vniuerso isto titulo intelligitur.

23 His vniuersim obseruatis, hic titulus percurrendus est, & quædam vniuersaliora, quæ toti scientiæ & sermoni vtilia esse possunt, annotanda.

24 Vlpian. *l. ex prima* ait *verbum,* si quis, *tam masculos, tam fœminas comprehendere.* Mitto notationem grammaticalem, verbum dici *siquis,* non duo verba, quia in vnum coaluëre vt & *nunquis,* pro, *aliquis,* in Basilicis est: *περὶ ῥημάτων σημασίας,* & apud Hermenip. *περὶ ὀνομάτων σημασίας.* Comprehendit verò tam masculos, quàm fœminas, quia refertur ad hominem: quæ vox vtrique sexui communis est (inquit Alciat.) Sic & *quisquis* fœminæ attribuitur à Nonio ex Liuio Andronico, *Mulier quisquis es te volumus,* & ex Cæcilio. *Quæso igitur, quisquis es mulier,* & ex Pacuvio. *Quisquis tu es mulier, quæ me* [illegible] *noncupasti nomine.* Sic *quis* quondam pro vtroq[illegible] genere positum est. *Sed quis ea est mulier:* & alibi. *Dic mihi sodes, quis ea est, quam vis ducere vxorem;* & Virgil. *Quis cum partiri curas.* Loquitur de Acca. Estque communis ille gentium vsus, vt vbi desunt communia, masculina pro communibus vsurpentur, *τὰ λεγόμενα περὶ ἄρρενος ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον, καὶ περὶ θηλείας λέγεται.* Hermenop. *Quandò masculina enuntiantur, plerúmque intelliguntur & de fœminis.* Similia habentur *l. pecuniæ nomine, in institut. De legat. §. tam autem.* & *in l. solidum D. de solutione.* Aduertit tantùm Alciatus quando nomina sunt appellatiua, vt *filius, cubicularius, equus, adoptiuus,* non propriè comprehendere fœminas, sed per extensionem communi vsu approbationis, aut per expositionem ex legis mente deductam: sicut & quandò fœmina non est conformis nomini. Sic frater non trahitur ad sororem, nec auunculus ad matertera, & pater ad matrem, nisi in numero plurali quis dixerit fratres: nam sorores quoque intelliget. Sic Paul. *l. tres fratres D. de pactis.* Excipe etiam quando de masculis expressa facta est mentio, cùm id nomen nullo modo possit ad fœminas pertinere, & cùm aliter auctorem sensisse appareat, *l. Lucius §. quæsitum. de legat. 3.* vel cùm græca

ſunt cõiecturæ, vt cùm ſeparatim de vtroq; ſexu actũ
fuit, *l. ſi ita D. de liberis & poſth.* vel quia diſpoſitin
nnn benè fœminis conuenit, vt eſſe tutores & execu-
totes, feudum acquiratut, aut hæreditas à qua lege
municipali excluduntur fœminæ, & aliæ, de quibus
ibidem Alciatus.

25 Similia vocabula adiicit Rebuff. vt *hoc iure vtimur,
hoc ita, hoc ipſo, hoc animo, hoc ideo, hoc caſu, hac ſpecie,
hoc capite, hoc calore, hoc genere, hoc homine, hoc genus ho-
minum, hac ratione, hoc articulo, huiuſmodi*, & alia quæ
& pro fœminis, atque maſculis valent, *quis, ne quis,
quiſquis, quiſque quiſpiam, quiſquam, quicumque, quilibet,
quiuis qualiſcumque, aliquis, nullus, perſona*; quæ & alia
vtrumq; ſexum comprehendunt, vnde licet vniuerſa-
lem regulam colligere, maſculinum complectens fœ-
mininum ſiue ex mente, ſiue ex extenſione, & inter-
pretatione: modum enim illum non moramur, mo-
dò rem habeamus: quæ in omni iure vera eſt: in di-
uino quidem Hierem. 11. *quis timebit. ô rex gentium*, &
Pſal. 25. *Quis aſcendet in montem Domini?* Idem in iu-
re Canonico æque certum eſt; ſi quis enim conſtruxit
Eccleſiam, ius patronatus habet, *c. nobis de iure patron.*
Quod in mulieres etiam cadit, vt habet Panorm. *in
illud cap.* Si quis clericum verberauerit, excommuni-
catur: quod idem valet in muliere. *c. ſi quis ſuadente 17.
q. 4.* Regula Cancellaria, *ſi quis in infirmitate reſignaue-
rit*, locum babet in muliere. Vide Rebuff. *in praxi be-
nefic.* Denique in iure ciuili, legibus, & ſtatutis, verùm
idem iam oſtendimus, & ex prima iſta lege quam
modò expendimus communique ſenſu conſtat.

26 Circa quaſdam tamen ambiguas voces an vtrum-
que ſexum æquè primò ſignificent, videtur quædam
difficultas vt in voce *conſanguineus*: exiſtimo tamen
æquè ſignificari conſanguineam, niſi ſit diuerſa
quædam ratio ex Vlpia. *l. 1. ſub fin. D. de ſuis & legit.
hared.* quia etiam mulieres ſanguine inter ſe coniun-
ctæ ſunt, vt vox ipſa conſanguinei præfert, & com-
munis loquendi vſus. Idem dico de nomine *coniun-
cti, & propinqui, cognati, proximi generationis*: nam ſi
ex generatione in generationem quid venire debeat,
tam venient nati ex fœminis quàm ex maribus.
Conſobrinus etiam continebit conſobrinam, niſi vel
ſeparatim ponantur, vel nominentur, vel ſit vtriuſque
diuerſa ratio, vti aliqui ex communi vſu d[illegible]i
volunt, etſi in conſtitutione regia nomen maſcu-
linum fuerit appoſitum negaui locum habere in fœ-
mina.

27 In ſtatutis etiam fœminæ comprehenduntur. Vi-
deat tamen iudex, vtrùm ſtatuti materia æquè mu-
lieribus, ac viris conueniat, ſitque eadem in ambobus
ratio: & cum ſtatuta in pluribus æquiparentur vlti-
mis voluntatibus, *l. 1. C. de his quibus vt indig.* ſtatuta
adaptari tam ad maſculos, quàm fœminas debent, &
è contrario, in his caſibus, in quibus iuriſconſulti de-
claratunt fœminas comprehendi. Nam interpretatio
facta vel à iuriſconſultis, vel ab Imperatore in lege
Imperiali, & in terris illi ſubiectis, generalis eſt, &
inſtar legis: ideóque pro lege ſeruanda, etſi in ſtatuto
probibita ſit extenſio: non cenſebitur tamen legis
extenſio prohiberi, ſed hominis, vt annotat Rebuff.
ex Doctorum mente, ex quibus

28 Infertur primò, ſtatutum de primogenito habere
locum in primogenita, niſi ſtatutum vel conſuetudo
de maſculis meminerit, vt, Dono primogenito, & pri-
mò nato meo: primò nata id non aſſequitur. Ita Guido
Papæ *in deciſ. Delphin. q. 506.* quia etiamſi eadem ra-
tio videatur: conſulenda tamen eſt conſuetudo, &
vtrùm rei, verbi gratia donatæ ſint capaces mulieres,
aut in fauorabilibus filij nomine cenſeātur in ſtatuta
filiæ, ſi detur proditorem capienti præmium, debebi-
tur mulieri. Debet verò iudex conſiderare an ſit ali-
qua peculiaris cauſa excludendi fœminas, & ſolos
viros comprehendendi, *cap. cùm omnes de conſtitution.*
an verò ſit materia indifferens, quæ vtrique conue-
niat, & in qua non differant: nam ſi aliqua qualitas
requiſita alteri non competeret: v. g. mulier vt do-
ctor, medicus, &c. Quod verò obiiciunt ſtatuta ſtricti
iuris eſſe, ac proinde non extendenda etiam ad mu-
lieres, verum eſt non eſſe extendenda ab eo, qui non
babet poteſtatem, non verò ad legis extenſionem non
eſſe accommodandum ſtatutum etiam in pœnali-
bus, in quibus tamen ſi mulier expreſsè non com-
prehendatur, minuenda erit aliquantulum pœna
pro ſexus infirmitate.

Hæc eadem vtriuſque ſexus comprehenſio valet 29
quoque in vltimis voluntatibus: nam qui filiis tu-
torem dedit, filiabus quoque dediſſe cenſetur. Ita
Vlpian. *in l. ſi quis ita D. de teſtam. tutor.* Et facit *lex
Lucius. §. quaſitum. D. de legat. 3.* Si quis filio ſuo ſine
liberis vel filiis decedat, excludetur bic ſubſtitutus,
ſi filias relinquit. Equis legatis continentur & equæ,
& nomine mulæ deſignantur & muli, niſi in his om-
nibus ex probabilibus coniecturis appareat teſtato-
rem aliud voluiſſe.

Adde etiam in priuilegiis maſculinum complecti 30
fœmininum, *cap. cum & plantare §. Eccleſias. De priui-
legiis*, ſi materia priuilegij poſſit fœminis competere,
aut niſi dicatur concedere variis Religioſis, & ſi
vtriſque priuilegium illud commodum ſit, & ſi pri-
uilegium legitimandi filios, extendatur ad filias, niſi
in præiudicium Tertij vergat.

Valet etiam doctrina hæc in contractibus, quibus 31
non eſt facta à iure differentia. Quare ſi pater ſibi &
filiis domum emat, filiæ in eius etiam partem venient.
Papinian. *in l. cùm anni D. de conditio. & demonſt.* nam
parentum votum eſt acquirendi filiis & filiabus. Ne-
que obſtat quòd contrahentes clarius non expreſſe-
rint: expreſſerunt enim prout de iure, in quo maſcu-
linum fœmininum complectitur.

In reſcriptis, quæ impetrantur contra mares, Ti- 32
tium videlicet & alios, fœminæ etiam comprehen-
dentur, *cap ſignificant de reſcript. 2. in 6.* in monitoriis
quoque ad reuelandum. Si tamen reſcriptum nomen
proprium alicuius efferret, non veniret fœmina: quia
reſcriptum non trahitur ad aliam perſonam non ex-
preſſam.

In conſuetudinibus ſeruandam eſſe eandem do- 33
ctrinam docet Chaſſan. *in conſuetudin. Burgundia. tra.
des Iuſtices §. 5.* Gloſſa, *ſi aucun*, niſi vel ratio, vel ſubiecta
materia id non patiatur.

Denique in conſtitutionibus regiis; quod oſtendit 34
Rebuff. *tom. 3. in illa tit. des reſponſes par credit, art. 2.*
& *in comm. l. 1. de verbor. ſignific. n. 10.* quod *ibidem* ait,
etiam in odioſis procedere, vt ſi contra tranſactio-
nem iuratam egerit etiam mulier infamis erit, & pu-
nietur pœna *l. ſi quis. C. de tranſactionibus*, alioquin mu-
lieres aſtutæ & ſagaces non punirentur & male-
ficia impunita manerent contra quàm velint iura.
Neque intereſt, vtrùm odium proferatur à lege, aut
ab homine, verbi gratia exhæredo filium mihi naſci-
turum: quia ſcio ex me non eſſe conceptum.
Filia, quæ naſcetur, erit exhæredata, ſi probe-
tur per annum maritum non coïſſe cum vxore.
Si tamen odium foret irrationale, vt ſi poſthumus
pro arbitrio, & ſine cauſa exhæredaretur, vt quondam
fiebat iure digeſtorum, filia non comprehenderetur:
de quo etiam ſimili & irrationabili odio loquitur
Imperat. *in l fin. §. ſed quemadmod. C. de ſecund. nupt.* Et
facit

facit *Clem. 1. de elect.* vbi gloſſa & DD. eadem de cauſa ſi pro delicto patris puniantur filij, non ponentur filiæ,niſi ſit in illis eadem omninò ratio,*l.quiſquis quoad filias. D. ad l. Iul. maieſtat.* Quare ſi exolum filij nequeant manere in ciuitate, ne poſſint patrem vlciſci, & tumultum ciere, non idcircò filiæ exulabunt tanquam minùs auſuræ. Limitat Rebuff. *in comm.* niſi illæ filiæ magnis & potentibus viris nupſiſſent,aut ſi virgo quædam ob violentiam puniretur, cùm ſcelera etiam in muliere ſagaci & violenta, impunita eſſe non debeant.

35 Vides denique in omni ferè materia maſculinum complecti fœmininum: quod probat Iulian. *in l. qui duos in fin. D. de legat.* 3. neque illa lex vllam cauſam & perſonam excipit.

36 Huic vniuerſaliſſimæ regulæ derogant quædam quæ obſeruant iuriſconſulti, & fallentias nominant. Primò quando qualitas vel officium, ratione cuius fit aut lex, aut ſtatutum, aut inducta eſt conſuetudo, non conuenit mulieri eſtque in materia differenti & diſtincta à viris, etiamſi ex ipſo iure quod illud officium vel prohibet mulieri, vel eam qualitatem in illa non agnoſcit vt ſi de ſacris ordinibus ſuſcipiendis agat: ſecus enim contingit, quando qualitas conuenire poterit mulieri, vt regia conſtitutio de mercatoribus minutatim vendentibus *art.* 1. vt intra, ſex menſes ſalarium aut mercedem petere debeant; alioquin non audientur, comprehendit mulieres.

37 Secundò quando lex, vel ſtatutum ſeparatim loquitur de maribus, & ſeparatim etiam de fœminis, aut contrarium in illis ſtatuit, aut maſculinum proprio nomine exprimit, vt, Do Titium tutorem filio meo Caio, non cenſetur illum dare aliis filiis aut filiabus.

38 Fallit regula quando fœmininum à maſculino ſeparatum, vel in vno ſtatuit aliud quàm in altero, vel ſi ad maiorem expreſſionem, vel declarationem, vel alia de cauſa id fiat, *l.* 1. §. *in poteſtate. D.de exercitat. actio.* Si inſtituatur Ioannes filius Caij, non erit idcircò inſtituta filia, niſi in caſu *l.* 3. *C.de inofficioſ. teſtament.* Quorum omnium ratio eſt: quia nomen proprium aliud non continet *l.* 1. *D.de lib.& poſthum.* Nihilominus conſtitutio propter vnum facta aut per inſtantiam vnius ligat etiam alios, niſi aliud exprimatur.

39 Tertiò fallit quando, vt dixi, diuerſa ratio eſt in fœmina.V.g.contractus factus ſine conſilio,conſenſu, vel auctoritate conſanguineorum in minoribus irritus eſt: non tamen ſine conſenſu conſanguinearum fœminarum, quia earum conſilium infirmum, & fragile eſt,*l.* 1. *de legit tut.l.filio C de inofficioſ.teſtam. l.cap.forenſ.de verbor.ſignificat.*Ratio eſt: quia auctoritas eſt propriè virorum, *l.quidam decedens.*§. *Papinian. D.de admin.tutor.*

40 Quartò fallit regula quando mens alia legis eſt tacita,vel expreſſa, & de illa voluntate conſtat, *l.Latius.*§.*quæſitum eſt.D.de legat.* 3.

41 Vltimò denique, *ſi quis*, non comprehendit ciues, *vt cap.ſcelicis de pœnit. in* 6. quia quæ ſictè intelliguntur, non veniunt expreſſo caſu vero vt vniuerſitate ceptæ ſentantur.

42 De aduerbiis *tam* & *quàm*, quàm variè accipiantur, vide Rebuffum *in l. illam primam*: nam iam piget diutiùs hærere in iſtis minutiis, quæ ſunt otioſorum ſæpè iuriſconſultorum.

43 Quintò fallit lex allata, quando lex contraria eſt, vel lata vel inducta conſuetudine, vt in hoc Regno lex Salica, quæ à Coronæ ſucceſſione fœminas reiicit, vti aliàs fuſius diximus. Minimè igitur intereſt

vtrùm ea lex vtatur verbis *ſi quis*, *ſi aliquis*, non illis non comprehendentur fœminæ ea lege.

Quamuis nomine maſculini comprehendatur fœmininum, non tamen fœminino continetur maſculinum: quia id turpiſſimum foret, & mali exempli, ait Pompon. *l.ſi ita ſcriptura. D. de legatis* 1. nec nomine Abbatiſſæ veniet Abbas aut nomine Monialium Monachi, *Clem.attendentes.de ſtatu Monach.* Vide Alciat. *libro ſecundo parerg. cap.*48. niſi ſit eadem & maior ratio in viris. Prohibitus v. g. tenere capras in vineis, & arbuſtis, prohibetur etiam tenere hircos, quia eadem eſt ratio factæ prohibitionis, aut attendatur, vti debet diſponentis volontas. 44

Neutrum comprehendit fœmininum, & maſculinum, vt ſi quis leget omnia veſtimenta quæ habet, virilia,& muliebria continet. 45

Verbum *ſi quis* etiam hermophroditum complectitur, qui de vtroque ſexu participat, *l.* 1. Paulus ait *vrbis nomine appellari quæ muris,Romæ autem quæ ædificiis continentur*; quæ ædificia coniuncta, & continua ſunt. Ex vſu tamen Galliæ præcipua prouinciæ villa vrbs dicitur,ſicut & in iure vrbs Roma,& in ordinationibus regiis vrbs Pariſiorum, niſi ſubiecta materia conueniat omnibus vrbibus: eo enim nomine vrbs quælibet ſignificabitur. Vrbes dictæ ſunt quaſi orbes: erant enim olim figuræ rotundæ. Varro deducit ab vruo, id eſt aratro, vt & vruat arare Feſto Hetruſco more ſignabantur aratro mœnia. Hinc Virgil. 46

Muros concludere ſulco.

Muti olim *mœnia n* tranſit in *v*: & è contrario *v* in *n*,& *æ* in *u* ſæpè mutantur,*mœnire* à *munire*, *cœrare* à *curare*. Ouidius.

—— Plerique tyranni:

Ædificant muros,pacti pro mœnibus aurum.

Vult igitur Paulus muris appellationem vrbis contineri,Romæ vero ædificiis coniunctis, & continentibus.

Quare ſi donem aut vendam omnia quæ habeo in Vrbe, non lego niſi quæ ſunt intra vrbem: ſi lego aut dono quæ Romæ habeo, dono etiam quæ ſunt in ſuburbiis & in continentibus ædificiis,*l.cuicumque D. de legatis.* 47

Secundò, qui poteſt eligere ciuitatem, in qua litigat domicilium, poteſt & in ſuburbiis, vt contendit Rebuff. *in tract.de domicil.elect. q.*8.§....*tomo in conſtit. regias.* 48

Tertiò, ſenator à ſenatu remotus, poteſt Romæ morari, vt Seuerus & Antoninus permiſerunt *l.* 5. *D.de ſenatu.*niſi per ſententiam exul factus ſit. 49

Quartò, excuſatur à tutela qui tres Romæ ſuperſtites haber filios *inſtit.de excuſat.tut.*§.1. 50

Quintò, cubicularius Principis, ſilentiarij, ſecretarij non cenſentur hoſpites in vrbe recipere,*l.*2.*C.de prepo. ſaccubic.* quod ibi extenditur ad alias ciuitates. Si villam tamen habeant extra ciuitatem, ad illam non extenditur hoc priuilegium. 51

Sextò, quo etiam priuilegio gaudent Clerici in prouinciis quoque & villis *l.* 1. *C. de Epiſcopis & Cleric.* quod aliqui quoque extendunt ad legum & medicinæ Profeſſores, ad Oratores, Philoſophos & Grammaticos *l. vlt. D. de muner. & honor.* 52

Septimò, ſi quis impetraoerit Eccleſiã, in ciuitate non continetur eralis: quia non eſt in ciuitate,niſi poſt illam impetrationem nouis muris ciuitas cincta foret. Nam Eccleſiæ intra illos muros clauſæ comprehenduntur, vt & capellæ, atque ipſa cœmeteria. Si teſtator intra ciuitatem conſtitui, iuſſit Eccleſiam, 53

intra illius muros consteui debet, si possit: quod si non possit, etiam extra vrbem, ne legatum pereat.

54 Octauò ciuitas non venit nomine diœcesis, neque ea priuabitur Episcopus, & in castrum transferri poterit Ecclesia: immò & sedes Episcopalis, vt factum in castro aut castello montis Pessulani. Vide alia apud Rebuffum, qui rectè monet attendendum esse vsum, beneficium Principis, exemptiones: & quandò lex inanis, aut elusora esset. Sic interdicta ciuitate, suburbia censentur interdicta, *C. si ciuitas de sentent. excomm. in 6.* & ars exerceri prohibita in ciuitate, non poterit in suburbiis exerceri, & leprosi à ciuitate & suburbiis etiam excludentur.

55 Nonò, Quando ciuitas & patria nominantur, vtrumque comprehenditur, vt si legentur quæ in patria aliqua sunt, legantur etiam montes & colles illius, & vniuersa pecora, si capi possunt. Si donentur quæ in Francia, & Hispania habet, comprehenduntur quæ habet in huiusmodi ea regione.

56 Decimò. Idem dico quandò cum ciuitate expressum est territorium adiacens: tunc enim vtrumque veniunt.

57 Vndecimò. Vrbis tamen & ciuitatis nomine non venit mare, nec portus adiacens ciuitati in odiosis: secùs est in fauorabilibus. Quare dicunt aliqui relegatum à ciuitate, non esse à portu aut porta.

58 Duodecimò. Et quandò materia conuenitet vrbi, non suburbiis: distinguunt aliqui vtrum in his omnibus nomen ciuitatis præcedat, aut postponatur. Rebuffus verò nihil interesse putat neque inter Romanam, & alias ciuitates: & in ea re dissentit ab Alciaeo, quem allegat, sicut etiam verba transposita idem significant, & bona donata in ciuitate, complectentur etiam quæ in suburbiis.

Decimotertiò. Si Vicarius tantùm sit constitutus ad conferenda beneficia vacantia in ciuitate, non poterit vacantia in suburbiis, quia limitata est eius facultas, & Vicarius non debet mandatum excedere, *c. cum dilect. de rescriptis.* Quod si sit creatus, vt conferat, talis Episcopatus Lugdunensis verbi gratia, poterit vbicumque vacent, vbicumque possit Episcopus.

59 Decimoquartò. Quandò ciuitas accipitur pro ciuibus, censetur mandatum omnibus ciuibus, qui sunt illius ciues. *l. dilecti. de foro competenti*, & qui sunt de illius iurisdictione siue *de la Balliene*: nam etiam consuetudo ciuitatis extenditur ad oppida, & vicos illi subiectos, nisi fuerit in illis contraria consuetudo, qua gaudent; non tamen in odiosis. Nam si fuerint repræsaliæ contra ciues Parisienses concessæ, non venient accolæ & alij ciues licet in districtu Parisiensi habitent: quia odio vnius, alter prægrauari non debet. *l. si quis in suo. C. de officios. testament.*

60 An verò nomine comitatensium veniant ciues, disputat Rebuff. nam fisco addictæ res applicantur dominis, in cuius loco & iurisdictione bona sita sunt.

61 Eadem secunda lege continetur & alia pars hoc modo, *cuiusque diei maior pars horarum est septem primarum non supremarum.* Sic Iuuenalis,

Iuque diem septenis aderit horis.

62 Quod intelligendum est in legibus ad negotia spectantibus: nam à septima hora incipiebant gestari, lauari, epulari. Indè vetus epigramma Græcum,

ἓξ ὧραι. &c.

& ibi vetus Scholiastes, &c.

63 Hinc disputant aliqui de die naturali, ciuili, & artificiali, & aliis diuisionibus, quas in præsens omitto, sicut & an numerari debeant continui, & computari debeant de momento ad momentum, aut tantùm in diebus & casibus in iure expressis, quamvis requiratur, vt dies vltimus ex notatia cõputetur. Plura de dieі diuisionibus apud Alciaeum *l. 3.* Vlpian. ibi: *In itinere faciẽdo viginti millia passuum sat in dies singulos sic sunt accipienda, vt si post eam dinumerationem minùs quàm viginti millia supersint, integrum diem occupent.* Lex viginti millia passuum dat in dies singulos, vt tutoribus se excusaturis *l. scire §. aliud. de excusationibus tutor. l. institur. §. qui autem, eodem titulo.* & in eo qui ex citatione sistendus est *l. 1. D. si quis cautionibus*, in bonorum possessione admittenda *l. vtile §. si præses. D. quis ordo in possessione seruetur.* Vbi verò nihil definit, viri boni æstimabunt, quanto tempore diligens paterfamilias conficere iter possit, *l. continuus, D. de verbor. obligat.* Solent autem iudices in talibus plerumque id sequi, quod lex in aliis definit. *l. sicut iamdiu. D. ex quibus causis.* Maiores millia passuum incipiebant à continentibus ædificiis & viæ milliaribus per lapides signabantur. Passus hic etiam accipiuntur geometrici, & pedum quinque. Addit tertia lex, eius, qui apud hostes decessit, hæreditatem dici non posse quia apud hostes decessit, nempè ex veteri iure. Serui enim decessores non habent, *l. seruus C. communia de legat.* sed lex Cornelia facit, vt eius sit hæreditas, rem ita sumendo quasi is decessisset quo tempore captus est.

L. III. IV. & V.

Explicat pecuniæ, rei, & nominis significationem.

Pecuniæ quidem appellatione rem designamus, id 64
est substantiam & ad ea referũtur, quæ in patrimonio nostro sunt: quia vetustissima possessio pecora erant, vt notat Columella qui addit apud multas gentes hoc vnum vsurpari genus diuitiarum. Quare pecuniæ vox apud nostros auctores comprehendit tantum non numeratam pecuniam, vt *l. mutuum creditum D. de rebus creditis l. 1. D. de S. C. Macedoniano. l. si verò. D. soluto matrimonio.* sed & ipsa corpora, *l. pecuniæ verbum. hoc tit.* & iura *l. pecuniæ nomine, tit. eod.* & fructus *l. Ballista D. ad S. C. Trebellian.* Quod vero dicitur *l. receptitia*, sub pecuniæ nomine omnes res exigi, ex hoc loco intelligendum est, quæ sunt in patrimonio. Quare Horatius;

Et genus & formam regina pecunia donat.

& alibi,

———— abstinens

Ducentis ad se cuncta pecunia.

& in Glossis pecuniosus πολυχρήματος.

Rei appellatio etiã quæ extra computationẽ patri- 65
monij nostri sunt, inquit *lex. 5.* Latiùs igitur accipitur quàm pecuniæ vox: etiam comprehendit opus: addit enim *ibidem* Paulus ex Labeone *opere locato vel conducto, his* (ait Labeo) *id opus, quod Græci ἀποτέλεσμα vocant, significari*, id est, ex opere facto, corpus aliquod perfectum fieri, vt domum, nauim, columnam, statuam, basin, balneum, theatrum, stadium, *l. si is, §. quædam. D. ad l. falcidiam.* Vocem hanc ἀποτέλεσμα, vsurpant Plutarch. & Polyb. Aristoteles verò ἔργον eodem sensu, *initio Nicomachiorum*, atque vbi finis aliquis prætetponitur, ibi opera esse præstantiora ἐνεργῶν, id est, operis: nam qui opus facere debet, is propriam formam dare debet, quæ non nisi ex consummatione contingit. V. g. perfecisse ædificium is demùm videtur, qui ita consummauit vt vsui,

vsui esse possit, *l. ædificia*, §. *perfecisse*, *hoc eodem titulo* argentum cœptum fabricari, factum aliquatenùs dicitur, quia planè ἄεργον, id est, infectum non est, *leg. cùm autem.* §. *infecti. D. de auro argento mundo.* Sed perfectum opus dici non potest. Plinius minor in Epigrammate.

Vt laus est cera, mollis cedensque sequatur:
Sic doctos iussaque, &c.

L. VI.

Nominis & rei appellatio ad omnem contractum & obligationem pertinet.

66 Prima expositio est: nomen ex quocunque contractu & obligatione fieri: nomen enim pro debito accipitur. Requiritur verò quasi contractus, & obligatio; nam si vendidero & præsenti pecunia soluetis, non videtur nomen.

Secundò intelligi potest lex, quia de nomine fieri potest quilibet contractus. Vendi enim potest, oppignorari, distrahi, dari in solutum, & in basilicis, γράμματα sunt rationes, inde γραμματεῖα & nomina in Codicem relata Ciceroni, & Ascanio. Quare hinc factum vt pro cautione nomen poneretur, *leg. si mulier. Cod. de pactis*, & frequenter pro debitore: quare Cicero, nomen bonum & Columella optima nomina non appellando fieri mala; & in senatusconsulto Macedoniano dicitur nullius filiifamilias fieri nomen bonum expectata morte patris. Scholiastes Horatij nomina recta interpretatur idoneos debitores.

67 Res quam comparat cum nomine Lex v. & porrigit ad omnem contractum & obligationem, est id quod debetur τὸ χειρογραφούμενον πρᾶγμα in Basilicis, si quis nomen legauerit, id quod in actionibus est, intelligitur legatum, non tabulæ tantùm, *l. qui chirographum. Dig. de legatis 3.* Tabulas intellige, in quibus scripta nomina. Cicero in nominibus & in tabulis esse pro eodem vsurpat, opponitque pecuniæ numeratæ.

68 Eadem *l.* additur verbum ex legibus sic accipiendum tam ex legum sententia, quàm ex verbis, quibus declaratur, quando aliquid ex legibus fieri dicatur, scilicet tam ex verbis quàm ex legum sententia. Quare *leg. scirem. Digest. de legibus* monemur, scire leges, non hoc est verba *tenere*, sed vim ac potestatem. Hinc illud Cassiodori, *Legem facere non est verba legis exterius sequi, sed mentem & intentionem legis obedienter implere.* & Hieronym. ad Galat. 1. *Ne putemus in verbis scripturarum esse Euangelium; sed in sensu: non in superficie, sed in medullis: non in sermonum folijs, sed in codice rationis.* Hinc Rebuff. in commentario quandónam quis facere censeatur contra legem, & quando non.

L. VII.

69 Definit sponsionem non fieri per solam sponsi interrogationem, sed per omnem stipulationem, promissionémque: quomodocunque enim fiat promisso, aliáve stipulatio, erit promissio, *vt dabis, dabo.* Non requiruntur verò verba *spondes, spondeo:* quia olim sponsi sic contrahebant. Inter Alciatum & Rebuffum de illo verbo in hac lege, an idem sit cum promissione, aliqua lis est, sed valde leuis.

L. VIII.

Verbum, *oportebit*, tam præsens quàm futurum 70
tempus significat.

Id est verbum, *oportebit*, vbi additur vocibus *quidquid*, *siquid*, solet sumi ἀορίστως. Sic & infrà *l. verbum abfuturum esse*, *l. nouissimè. Digest. rem ratam haberi:* at è contrario verbum *oportet* ad futurum non refertur. Ideò addi solet *oportebitne*, *leg. si stipulatus*, §. *cum stipulamur. leg. si à colono. Digest. de verborum obligat.*

Addit eadem lex *Actionis verbo non continetur excep-* 71
tio: quia hæc duo contraria sunt. Nam exceptio excludit actionem: &, vt vulgò dicitur, actio datur per *si*, & exceptio per *ni*. Rectè tamen in exceptione Reus dicitur actor esse, siue fungi partibus actoris, quia suum *ni* probare debet.

L. IX.

Marcellus apud Iulianum notat verba rapuisse, scissum, *&* fractum, *contineri, vt & verbo* periisse.

Ratio est: quia *fio*, *veneo*, *pereo*, & alia sunt qui- 72
dem sono neutra; sed significant passiua, & opposita actiuis, *facio*, *vendo*, *perdo*. Pereunt absolutè res si suam formam amittant; quod fit in rebus artefactis scindendo, & frangendo, ita vt vbi id euenerit, abesse res dicatur, *l. mulieris*, *l. habet infrà*, *eodem titulo*. Pereunt nobis, si extra potestatem nostram fiant, & sit desperata persecutio.

Rapina dupliciter fit: aliquando enim res ipsa ra- 73
pitur, aliàs res ipsi eripitur. Hîc Rebuffus notat tres casus infandos: primus est raptus: secundus homicidium, per industriam factum, quod vocant malitiæ: tertius incendium: quartus sodomia, & cum vir nubit in fœminam; qui omnes raptus dici possunt.

L. X. XI. & XII.

Agit de creditoribus, & quinam verè & propriè eo nomine censeantur, aut non.

Igitur l. x. creditores dici vult quibus ex quacun- 74
que actione, vel persecutione, vel iure ciuili debetur, sine vlla exceptionis perpetuæ remotione, vel honorario iure, vel extraordinario, siue purè, siue in diem, vel sub conditione. Ille igitur is est cui debent aliquid, ex quacunque actione debeatur, siue in rem, siue personam, siue ex persecutione. Singula verba legis sunt accuratiùs pensitanda: dicuntur autem persecutiones vbi ius ordinarium deficit, vt in fideicommissis, *leg. pecuniæ*, §. *actionis. hoc tit.* ait lex siue iure ciuili siue iure gentium, quod comprehenditur sub ciuili, quatenus à iure ciuili firmatur. Addit sine vlla exceptionis perpetuæ remotione: nam qui exceptione perpetua remoueri potest; non est creditor, qui exceptione temporali similis est conditionali creditori. Ita docet Paulus infrà *leg. creditori autem.* paria verò sunt nomen suum non obtinere, aut vim nominis. Sic Vlpianus vt cùm quis exceptione summoueri potest, esse quasi nullam actionem haberet, *leg. & eleganter*, §. *seruus pactionis*, *Digest. de dolo malo.* Sic & ἀκύρως dicitur non dari actio quæ exceptione submouetur. *leg. 1. Digest. ad S. C. Macedonian.*

75 Vel honorario prætorio vt in actione de peculio, multísque aliis aut ædilitio vel extraordinario vbi agere non possumus; sed officium imploratur, vt diximus de fideicommissis, Paulus *l. quæ si. §. vltimo D. de minoribus*. Quare ex hoc edicto nulla propria actio vel cautio proficiscitur: totum hoc enim pendet ex prætoris cognitione.

76 Vel *sub conditione* nimirùm stipulata, sicque intelligenda est *l. conditionales, infra, hoc titulo*. Aliud autem dicendum est in legatariis: nam is cui, pendente conditione, debetur legatum, non est creditor; sed tunc cùm posita fuerit conditio, sed cùm conditio fuerit stipulata: tunc enim placet esse conditionem, *l. si cui. D. de obligationibus & actionibus*.

77 *Quod si natura debeatur non sum loco creditorum.* Est restrictio legis vniuersalis κατὰ κυριολεξίαν: quia lege eos destituente exigere nihil possunt. Sicut autem debitor intelligitur is à quo inuito exigi potest, *l. debitor, infrà, hoc titulo*, ita creditor qui potest exigere ab inuito. Is tamen cui natura aliquid debetur creditor per *καταχρήσει per abusionem*, vt loquitur Iulianus *l. fideiussor. §. naturalis D. de fideiussoribus*. Itaque in dubio & nisi res & verba ad aliud cogant, creditum intelligitur, cuius ex legibus petitio est, *l. si is qui §. fratius, de solutionibus & liberat*. Vbi tamen in illis natura debitis quid soluetur, solutio est, non donatio, *l. hoc iure §. si quis seruo. D. de donationibus*, quia visum est legibus Romanis, talibus debitis accommodate ius non plenum, sed dimidiatū, aut minus dimidiato. Sic nec locupletior censetur qui sua liberalitate ad remunerandum, sibi aliquem naturaliter obligauerit nisi reipsa acceperit.

78 *Sed si non sit mutuatitia pecunia, sed contractus, creditores accipiuntur*, sunt etiam creditores qui vel ex mutuo data pecunia, vel ex alio contracto debent: in his enim omnibus fidem alienam sequuntur; vt si quis gesserit mea negotia, & ego ei sim obligatus, vel ipse mihi, creditor, & debitor dicimur, quanquam initio creditum dici cœperit in mutuu. Neque tamen vocis origo obstat, neque vsus impediuit hactenùs: quamuis & in aliis contractibus idem nomen vsurparetur, quod in sequentibus legibus explicatur.

79 L. XII. ait Vlpian. *si cui ex delicto videatur creditoris loco accipi posse: quod si ex populari causa ante litis contestationem, rectè dicetur creditoris loco non esse.* Basilicæ malè legunt *Pupillari ἀπὸ τῆς ὀρφανικῆς*, pro populari: quia in populari actione singulis quidem est ius agendi, sed non ideò creditores dicuntur ante litem contestatam, aut etiam locupletiores, *l. populares §. item D. de populari actione*; alioquin res iret in infinitum, & nemo de populo non esset creditor: ideóque pro talibus actionibus non placuit fideiussorem accipi. Simile quid habemus alibi, quia à populo manumissus populum in ius vocare sine venia prætoris non potest, & singulos de populo potest, *l. sed si hoc 1. §. qui manumittitur. D. de in ius vocando. l. in tantum. § vniuersitatis D. de diuisione rerum.* Litis porrò contestatio hoc idem facit quod occupatio in littore aut in theatro: de communi enim facit proprium.

80 Clauditur lex hoc epiphonemate, *Minus soluit qui tardiùs soluit*: & è contrario, *qui tardiùs soluit, quàm soluere deberet, minus soluere intelligitur.* Eadem ratione qui præmaturè petit, plus petere videtur. *l. ius §. si quis agens. D. de actionibus.* si indebitum purè legetur, vtile est legatum, *Inst. de legatis. §. ex contrario. & de fideiuss. §. fideiussores l. solidum. D. de solutionibus.* multò etiam minùs soluere dicitur qui nihil soluit: *infrà, hoc titulo, l. illud quoque §. soluens.* Denique propriè minus cui aliquid deest, vt fiat solidum, nihilo nihil deest, itáque voluere leges. Nam si minus est, quàm suum recipienti consultum voluere, quantò magis totum perdituro.

L. XIII.

Mulieris appellatione etiam viripotens continetur.

Tertullian. *libro de velandis virginibus*, dicit, *Non* 81
expectandum dum virum passæ sint: neque verò statim vt natæ sunt dicer mulieres: sed ex quo se intelligere cœperunt, & sensum naturæ suæ intrare, & de virginibus exire, & pati nouum illud quod alterius ætatis est, vbi caro transfigurata est, vel vox obsoleta, membra completa, pudor vbique vestitus, vbi menses tributa dependunt, vbi & muliebria pati dicuntur. Quare vox mulieris in vsu πολύσημος, & pro materia distinguenda. Potest autem hoc nomen sumi aut de potentia remota, & puellas quasuis comprehendit, *l. seruus. D. de legatis 3.* & sic mulieres dicuntur quæcumque sunt sexus fœminini *l. argumenti. §. muliebre. D. de auro & argento.* aut de potentia propiore, vt intelligitur ὡραῖος ἔφηβος, vt loquuntur Basilicæ, viripotens, *l. hac autem §. an prætor. D. ex quibus causis in possessionem eatur. Inst. de nuptiis*, & nubilia vt loquitur *l. Hæc conditio. D. de conditionibus, & demonstrat.* & Virgilius,

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Aut capitur non de potentia, sed de actu ipso: & sic 82
mulier opponitur virgini, vt *l. alioquin. D. de contrah. emptio. l. ex empto. §. si quis virginem. D. de actionibus empt. & vendit. l. si collactaneis. D. de manumissis vindict.* Quo sensu Cicero irrisus quod Setogenetiua virginem duxisset, respondit, *cras mulier erit.*

Eadem lex ex Sabino & Pedio dicit, *res abesse*, quarum corpus manet mutata forma: ideo si corruptæ vel transfiguratæ redditæ sunt, videntur abesse. Et rationem reddit, quia plerumque plus est in manuspretio, quàm in re.

Difficultas est in multiplici significatione vocis 83
abesse: quæ in rebus humanis non sunt, absunt omninò, & qui non est eo loco in quo petitur. *l. absentem hoc eodem titulo.* Et qui extra continentia vrbia est, *l. collegarum §. infrà, hoc titulo. & citata l. absentem.* nam pro subiecta materia verborum significationes variant.

Abesse porrò dicuntur, quorum forma, &, vt loquuntur, species mutata, licet idem maneat corpus. Corpus dicit quod Græcis ὕλη vetustioribus Latinis, seu Senecæ, vel Ciceroni materia, quia nomen οὐσίας potius formæ quàm materiæ conuenit: quod censet Aristot. qui eam ἐντελέχειαν & ἐνέργειαν, vocat. Mutatam itaque internam rei substantiam dixit Iurisconsultus *l. Iulianus. §. sed si quis. D. ad exhibendum.*

Sapienter dicit lex, non res quæ corruptæ, aut 84
transfiguratæ redditæ sunt, vt si seruo venerint, totum est, *l. & eleganter §. non solùm. D. de dolo malo.* Si pecunia quæ soluta est, sit improba *leg. eleganter D. de pignorat. actione & alibi*; quod ait transfiguratas redditas adhuc abesse, vt si vniones, & hyacinthi in nouum ornamentū additis margaritis & gemmis sint conuersi; quia non durat quod in specie sua non permanet; sed quodammodo extinctum est, *l. si re ab herede. D. de auro & argento.* Substantia quidem rei partim est in silua, partim in specie, sed præualet species, cuius ergò data est silua. Quare res commutata, & deterior facta videtur, quamuis in meliorem statum conuersa sit. Nam re-

uerà

terà eadem non est, *l. vlt. D. de vsu & habitat.* Atque, vt vulgò dicunt, omnis γένεσις præcedentem habet φθορὰ, quod in naturalibus verius, in artefactis minùs propriè dicitur.

85 Ait denique lex, quoniam plerumque plus est *in manuspretio quàm in re*, pro opere & artefacto sæpiùs vsurpatur manus, & manuspretium apud Petronium, Solin. Tertullianum, & Iurisconsultos, vt *l. qui insulam §. qui ædem. Pro lapide, & manuspretio dominus redemptori in pedes singulos septem dabit.* Vide eandem vocem apud Varronem, Ciceron. Ascanium, & alios.

86 Vt verò lex illa explicuit quid sit abesse, ita etiam addit quid sit desinere, & quid redire in potestatem. *Desinere*, inquit, *tum abesse videtur cum sic redit in potestatem ne amittere eius possessionem possimus*: respicit ad *l. subst antia*, quæ rem furtiuam non ante vult posse vsucapi, quam in potestatem eius, cui subrepta est, reuersa sit, *l. sequitur §. quid autem D. de vsucapionibus*, nimitùm postquam ad dominum redierit, vt ait *l. inter omnes, D. de furtis*: debet autem dominus recuperasse possessionem rei suæ iustè, vt eam amittere non possit. Si enim non potest retinere, non videtur iam nactus. Nam si dominus fundi possessionem vi deiecerit, non videtur in eius potestatem rediisse: quandoquidem interdicto *vnde vi* restituturus est possessionem.

L. XIV.

87 Explicat quod *lege superiori* dixerat, quomodo res abesse dicatur, cuius corpus manet, forma tamen mutata, subiicitque exemplum. Si vestimentum scissum reddator, si commodauero scyphos, & tu collisos & fractos reddideris. Si tabulam pictam deposuerim, tu rasa pictura illam reddas, quia eius & similium rerum pretium non in substantia, & materia positum est, sed in arte Apellis & Parrhasij.

88 Addit; rem amisisse videtur, qui aduersùs mutatam eius persequendi actionem habet: quia qui actionem habet ad recuperandum, rem ipsam habere videtur, *l. Is qui. D. de Regulis iuris*: ac proindè non penitùs amisisse videtur id, de quo quis habet actionem & habetur quod peti potest *infrà, l. id apud, hoc titulo*. Quia actio proximè ad naturam rei accedit, reipsà tamen minus est actio quàm res, *l. minus. D. de Regulis iuris.* Actio etiam ipsa res est, & in bonis esse dicitur, *l. rem in bonis. D. de acquir. rerum domin.* & actionem habenti par est is quem se prætor in integrum restituturum pollicetur, *l. nemo D. de integrum restitutionibus*

L. XV. XVI. XVII.

Bona Ciuitatis publica abusiuè dicta sunt: sola enim publica sunt quæ populi Romani sunt.

89 Igitur ait l. XV. bona quæ ad populum Romanum spectant, propriè dici bona publica: quia olim supremum imperium, & ius penes populum erat: postea per legem Rhemniam in Augustum Cæsarem translata, quæ ad Rempublicam Romanam pertinebant, merito publica quasi populica dicta sunt. Vnde & concludũt aliqui propriè bona alterius Ciuitatis publica non esse, quia ad statum Romanæ Reipublicæ non pertinent, & ideò habentur loco priuatorum, vt dicitur *l. seq.* In iure itaque Romano, cùm Populus dicitur, intelligitur Romanus, & in eodem iure, vox *publici* de eo intelligitur, quod populi Romani est. Quod ostendunt duæ leges sequentes XVI. & XVII. Est igitur abusio non contra vocis originem, sed contra vsum magis receptum, quoties in eodem iure aliarum Ciuitatum bona dicuntur publica. *l. Iulia*, peculatus aduersùs eos qui rem aliquam publicam subripuissent, *l. 1. D. ad Iuliam peculat.* lege ea tenebantur qui rem Ciuitatis subripuissent, non quidem vi vocis, sed ex nouis constitutionibus Traiani & Adriani, *l. Iulia §. sed etsi D. eod.* Hinc quoque apparet Rempublicam & Ciuitatem opponi *l. sed etsi § item inquit. D. ex quibus causis maiores.* Quam tamen aliquando Respublica maiores vocentur. *l. 1. §. tamen D. de Ædilitio edicto. l. ad Rempublicam. D. de minoribus. l. bonis §. Respublica. D. de priuilegio creditorum*, & sic Rempublicam Bysantiorum legimus apud Plinium *lib. 10. Epist. 5 a.* Hinc etiam legimus opera publica *l. si in alium §. ædes D. de officio proconsulis*, bona publica *l. 1. D. de rerum diuisione*, & *l. vsucapionem D. de vsucapione*. Prudenter itaque Can. *l. 16.* hoc loco publicam appellationem in complutibus causis respicere populum Romanum non dixit in omnibus.

90 L. XVI. ait publicanum dici hominem, eò quòd publicum vectigal populi Romani redimit: nam ipsum vectigal eximiè publicum dicitur. Cicero *publicis redemptis.*

91 L. XVII. Ait inter publica non haberi non sacra, nec Religiosa, nec quæ publicis vsibus destinata sunt, quod tamen minus generaliter est intelligendum, cùm ipse Vlpian. *l. 1. D. de iust. & iust. publicis* sacra annumeret; & Ascanius dicit peculatorem, eum qui furtum facit publicæ pecuniæ, & in Basilicis *titul. de peculatu*, inscribitur Περὶ τῶν τὰ δημόσια χρήματα ὑφελομένων, & in Glossis depeculatio definitur νοσφισμὸς δημοσίων πραγμάτων. Tenetur etiam peculatûs, qui rem sacram & religiosam furto sustulit, *l. Iulia.*

92 Quæ *ibidem* addit de vectigali portûs, metallorum, salinarum, diximus fusè *in oper. de vniuersa negotiatione*, dum de oneribus mercium disputaremus

L. XVIII.

***Cùm vox* muneris *variè sumatur, varias eius significationes assignat Paulus* in hac l. munus tribus modis.**

93 Tribus igitur modis munus dicitur, primò pro dono. Secundò pro onere. Hinc suum onus, sua munia exequi. Tertiò pro officio: est verò officium actus cuique personæ congruens, dictum ab efficiendo eadem mutatione quæ officinam fecit dici, in qua res efficiuntur, sicut tabernæ sunt, in quibus res veneunt. Actus porrò ille congruens interdum ipsum vitæ genus respicit. Sic dicimus hoc esse munus medici, grammatici, interdum respicit alterum, putà amicos, quibus officia debemus, id est beneficia: vnde officiosi, qui libenter præstant talia, & quia dona in hoc genere magnam partem obtinent, inde dona dicta sunt munera & ij qui libenter donant munera & munifici. Munera militaria, vacationem muneris, munus personale, mixtum, patrimoniale, spectacula gladiatoria apud Sueton. & alios dicta sunt munera, & qui ea munera exhibet munerarius; Martiali. Actus etiam nobis congruens patriam aliquando respicit. Sic ædilitatem, præturam, consulatum, & alia eiusmodi, modò munera, modò officia dicimus: aliqui tamen distinguunt, & munus volunt esse cum magna dignitate coniunctum, sine sumptu *l. honor. D. de muner.* Ideo Modestinus ait honorem deferri posse. *l. honorem D. de munerib.* Hinc etiam municipes qui in sua patria munia capere possunt, oppositi sunt incolis. Immunes dicuntur qui liberi

sunt à tributis, & vectigalibus, quæ patriæ debemus id est vacantea munere vt Festus interpretatur, sine damno, vt Scholiastea Horatij, quia munia debent milites: inde dicti sunt munifices, quia ait Veget. *lib.* 11. *cap.* 7. munia facere coguntur. *Fascicularia tamen,* inquit. *id est lignum, fœnum, aquam, stramen, etiam legitimi milites in castra portabant, munifices enim ab eo appellantur, quòd hac munia faciunt.* Sozipater, *munifex munere fungitur.* Vide de his muneribus Tacitum *annal. primo.* Ab his qui erant liberi dicebantur principales, aut etiam beneficiarij, quos Festus interpretatur qui vacabant muneribus, beneficio nimirùm Imperatoris, vt ex Cæsare, & Suetonio constat. Festus á contraria ait munificea vocabantur, qui non vacabant, sed munus Reipublicæ *faciebant* Significatus igitur trious huius vocis connexus est, vt vides.

L. XIX. XX.

Discrimen inter agere, gerere, & contrahere, *assignant.*

94 Nam, vt dicit Labeo *l.* 19. agere, verbum generale est, siue enim re, siue verbis aliquid agi dicitur, vt stipulatione, & numeratione. Idem sensus Varronis est: contrahere significat vltroque, citroque obligationem; quod Græci *συνάλλαγμα*, de quo & nos, & de ipsi opposito *διάλλαγμα* fusissimè *in opere de negotiatione,* & vbi de pactis, & contractibus diximus. Gerere autem est sine verbis facere: verùm etiam sine verbis onus aliquid suscipi potest.

Eæ tamen voces, vt dicitur *l.* 20. *sequenti*, non sunt propriæ testamenti: qui enim testatur, facit testamentum, agit aliquid, non gerit: neque onus sustinet, sed onere se leuat.

L. XXI.

Princeps bona concedendo videtur & obligationes concedere.

95 Quia beneficia Principum amplissimè licet interpretari, & bonorum appellatio generalis est, continent actiones, & obligationes, *l. bonorum, infra D. eodem.*

Dices, deportato aliquo extinctæ erant obligationes, ergò renasci, nec restitui possunt: verùm cùm bonorum appellatione contineantur actiones & obligationes, vt dixi, princeps bona concedendo, & quæ bona consequuntur videtur concedere, quia res cum sua causa transit, & falsò supponitur obligationes extinctas esse, quia in fiscum translatæ fuerant, & redeunt rursùm in restitutum per principis concessionem: atque ita hæc lex intelligenda est, quæ valet, licet Princeps tantùm bona concedat, nulla facta obligationis mentione.

96 Quare si Princeps bona deportato, aut bannito, concedat, censetur etiam obligationes restituisse *l. si deportationem, & l. seq. C. de sentent. pass.* Nihil verò interest an Princeps, concessionis an restitutionis voce vtatur, quia restitutio ita facienda est, vt vnusquisque ius suum recipiat in integrum, *l. quod si minor §. restitutio. de minoribus.*

97 Si fiscus bona exulis occupauit ad tempus, tempore finito ei bona restituuntur à lege, & simul obligationes: & in Gallia post bonorum confiscationem creditores impetrant litteras regias, quibus imperatur iudici vt aut creditoribus litteras impetrantibus ius dicat, & administret iustitiam: & quamvis à commissariis vix pecunia possit extorqueri, id perperàm fit, vt inquit Rebuff. *in eam l.* quia fiscus non vult retinere debita aliena, vt censuit Senatus an. 1361. die 21. Augusti pro Ioanne & Petro Iosse minoribus contra tutorem eorum, cuius bona fuerunt confiscata.

Quomodò verò si perueniant ad diuersos dominos, debita soluantur, fusè tradit Benedictus *in c. Raynutius. vers. & vxorem, numero* 851. *de testament.*

L. XXII.

Assignat quàm ampla sit restitutionis significatio: atque plus esse in restitutione, quàm in exhibitione.

Nam restitui dicitur non is tantùm qui in integrum, aut in antiquum statum restituitur, sed is qui rei possessor fit, & fructus, aliáque omnia ei redduntur, & qui recipit quidquid habiturus erat, si ei controuersia mota non fuisset. Aut iuxta Pomponium, ille alium restituit qui non solum corpus, sed etiam qui omnem rem, conditionémque reddita causa præstat, *l. vlt. infrà hoc. D.* & sapienter fructus nominat. Nam verbum *restituat* plenam habet significationem, vt fructus quoque restituantur: quod in Fauiana. & in Pauliana obseruari ait Paulus *l. videamus §. in Fauiana. D. de vsuris.* 98

Verè igitur dicit lex, quam tractamus, vocem *restituendi* latiùs patere, quam *exhibendi*: nam *exhibere,* nihil aliud est, quàm corporis præsentiam facere, inquit ista lex; aut, vt loquitur *vltima huius tituli,* præstare, de quo agitur, præsentiam, & l. locum habet §. *quod sic D. de tabulis aperiendis,* materiæ apprehendendæ copiam facere: de homine verò est in publicum producere, & videndi tangendíque eius facultatem præbere. Ita Vlpianus *l. quod & lex. §. ait prætor. D. de homine libero exhibendo,* vbi & originem vocis indicat; atque propriè *exhibere,* esse extra secretum habere; & Paulus, facere in publico potestatem, *l. exhibere est D. ad exhibendum.* Sed de his vocibus vide Rebuff. *in commentar.* 99

L. XXIII.

Superiùs hoc eodem titulo dictum fuerat rei appellationem generalem esse, & plus continere quàm pecunia.

Nunc verò Vlpianus fusius rei nomen prosequitur, atque rei appellationem, & causas, & iura contineri. Itaque si quis teneatur rem restituere, non liberatur eam restituendo, nisi & causam rei restituat, ita vt omne habeat petitor, quod habiturus fuisset, si eo tempore, quo iudicium acceptum est, restituta res illi fuisset, *l. prætereà D. de rei vindicatione. l. fundus, initio. D. si certum petat.* Si post litem contestatam iumenta, aut mancipia perierint, aut pecora, damnari debebit possessor, quia potuisset petitori, restituta v. g. hæreditate, & vendere & distrahere. Si quis teneatur hominem restituere, id faciet cum omni causa: ideo partus, & partuum fructus veniet in restitutionem, & adeò hæ causæ veniunt, vt si per seruum possessor acquisierit, legis Aquiliæ actione restituere cogendus sit, *l. Iulianus. §. 1. D. de rei vindicatione. l. si de possessione C. vnde vi.* 100

Causa etiam hic dicitur partitio per partum, partus, & fructus fructuum, ex solemni Glossa *in l. sed & partus. D. quod metus causâ,* quam affert Felin. *in cap. dilect. de fide instrument.* 101

Iura

Iura quoque rei appellatione contineri dicuntur, in ſeruitute & cum re ſimul reſtitui debent.

L. XXIV.

102 Caius definit hæreditatem nihil eſſe aliud quàm ſucceſſionem in vniuerſum ius quod defunctus habuit: quam ſimilem definitionem attulit Iulianus *l. Hereditas. Dig. de Regul. iuris.* Origo nominis eſt quod veteri linguâ Latinâ *heres* idem eſt quod *herus*, quamquam in hac voce corripitur, in altera producitur prior ſyllaba, ſolemni ſatis mutatione Græcis dialectis, *l. & heres eſt dominus*, & *in Gloſſario* hæres eſt κύριος, vide & Plautus de Palla,

Abſtuli hanc, enim heres nunquam erit poſt hanc diem.

Hæreditas igitur imprimis dicitur *ſucceſſio*, quia non ſignificat res ſingulares, ſed vniuerſitatem quandam ac ius ſucceſſionis *leg. bonorum appellatio. leg. heredis appellatio eod. tit.* Succeſſio vocabulum Iuriſt. & ideò bonorum poſſeſſor propriè hæres, & prætor qui mittit in poſſeſſionem, non facit hæredem *inſtit. de bonorum poſſeſſionibus, §. quos autem, & de auctoritate tutorum. §.* neque tamen cenſetur pro hærede, *leg. in conditionibus, §. ſi patronus. D. de conditio. & demonſtrat.* Quare contra natiuam ſignificationem, hæreditatis appellatione ſæpè bonorum poſſeſſio continetur.

103 Eſt verò hæreditas ſucceſſio, non ipſa corpora quæ in bonorū ſucceſſione ſunt. Succeſſioni illud ius, quia hæres eiuſdem poteſtatis iuriſque eius eſt, cuius fuit defunctus *l. Heredem. D. de Reg. iuris.* Et hæredes ſæpiùs iuris ſucceſſores, eſt enim hæreditas iuris nomen *leg. hereditatis, leg. pecunia, §. hereditatis hoc titulo.*

104 Non dicitur ſimpliciter ſucceſſio in ius, ſed in ius vniuerſum, quia rerum ſingularum non eſt hæreditas *leg. bonorum appellatio* infrà *& in Baſilicis* additur ὁλόκληρος, & ideò hæres in vniuerſum ius ſuccedere dicitur, & qui in vniuerſum ius ſuccedunt, hæredis loco habentur. Quæ omnia perſpicua ſunt, vbi vnus eſt hæres, vbi verò plures inſtituti ſunt, qui particulares vocantur apud Nonium in vniuerſum ius ſuccedunt pro partibus indiuiſis: certæ enim rei & cauſæ hæres inſtitui non poteſt, neque ius Quiritium patitur, vt quis pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedat. *Inſtit. de herede incip. §. hereditas.* Alia permulta de hæreditatibus quæri poſſent hoc loco ad quæ digredi non vacat, & quæ magnam partem tomo de vniuerſa negotiatione, vbi fuſè de hærede diſputauimus.

L. XXV.

105 De voce *Totus* agit, aitque Paul. rectè dici totum fundum noſtrum, in quo alius habet vſumfructum; quod idem dicitur de ſeruo *l. ſi quis ſuos ſeruos. Dig. de legatis 3.* Dominus enim cenſetur qui proprietatem habet etſi vſusfructus ſit alienus *leg. 1. §. 1. ad S.C. Sillan.* & ideo facta ſeruo munia ei facta videntur qui in eo proprietatem habebat non qui vſumfructum *Inſt. de iniuriis, §. quod ſi. Rationem* reddit in noſtra *leg.* Paul. *quia vſusfructus non dominij pars, ſed ſeruitutis ſit*, aut vt habent alij codices *ſeruitus*, id eſt, vſusfructus eſt ſeruitutis genus, vſusfructus in iure non in parte conſiſtit, *l. Meuius, §. fundi. Digeſt. de Legatis 2.* alicubi tamen dicitur dominij pars, ſunt enim partes duorum generum: aliquæ ὑπόστασις, ſine quibus res eſſe non poteſt, vt hominis partes ſunt corpus, & animæ: aliæ συντελεστικαί, quæ efficiunt vt aliquid integrum, & perfectum ſit, digitus & pes eſt hominis pars. Ita quidem dominium poteſt eſſe ſine vſufructu illud tamen integrum & plenum non eſt: in dominij plenitudine eſt iure ſua quovis modo vtendi & abutendi. Regula eſt, qui accepto facit totum, vel partem eius quod ſtipulatus eſt, accepto facere debet, qui verò fundum ſtipulatus eſt vſumfructum accepto facere non poteſt, ait Vlpian. *leg. & per §. illud certum eſt. Digeſt. de acceptationibus*, & cauſam reddit, quia non eſt pars fundi, non magis cœmenta vel paries pars domus: vbi vides ſumi pro parte ὑπόστασις: in alio tamen ſignificatu vſusfructus pars dominij dictum, nimirum vbi ea, quæ rei de qua agitur connexa ſunt, aut benignior interpretatio, vt in teſtamentis illud ita exigat.

Si quis igitur alij fundum, alij vſumfructum le- 106
gauerit, vſusfructus inter eos communicandus erit, *leg. ſi alij. Digeſt. de vſu, & vſufructu legato:* nempè quia vt fundus & fundi dominium plenum ſit, vſumfructum etiam requirit. Si quis fundum legauerit, vſusfructus ſed alterius ſit, legatarius etiam vſumfructum rectè petet, qui ab hærede erit redimendus *leg. Meuius, §. fundo. Digeſt. de legatis 2.* Indè etiam plurima alia colligit Hugo Grotius & Rebuff. in huius tituli commentario, addebat Paul. fundum, de quo agimus, rectè noſtrum, aut meum dici, & non falsò, quia non falsò dicitur meum cuius nulla pars dici poteſt alterius eſſe.

Ibidem addit Quintus Mutius, qui pro diuiſo 107
poſſederunt partem poſſidere, ſed totum dici, quod Seruius negat, & partem tantùm poſſidere, quos ita conciliat Alciat. vt Seruij ſententia vera ſit, cum ſpectatur tempus, in quo nihil adhuc diuiſum erat, aut cùm rei conſtitutio à domini voluntate pendet, & apparet eum velle vt pars ſit; cuius exemplum ponit in fundo, vt domi. Deindè putat Seruij ſententiam veram eſſe, cùm vnius partem vendit, aut illam veluti interiecto pariete ſeparat, fundum, cuius pars pro indiuiſo ſit mea, fundum meum appellare poſſum, D. eodem cum iuris intellectu, non diuiſione corporum in eo partes habeam.

L. XXVI.

Definit Vlpian. partum non eſſe rei furtiuæ par- 108
tem: quare cùm res furtiua vſucapi non poſſit; ancillæ furtiuæ, aut vaccæ partus vſucapi non poterit qualiter nequeat vſucapi qua de re fuſiùs Rebuffus.

L. XXVII.

Vlpianus definit agrum, locum, ſine villa, ſine ædi- 109
ficio, vt Varro, & conſentit Alciat. nomen agri & fundi pro eodem ſumi exiſtimat Rebuff. qui addit aliquando ratione materiæ agrum nominari, etiam vbi eſt ædificium & villa. Sic dicitur domus extrà vrbem in agris facta. Villa nominatur quod in ea omnia viliora ſint quam in vrbe, inde villici nominati.

Addit eadem lege Vlpian. quid ſit ſtipendium & 110
vnde dictum, an à ſtipe, quod per ſtipem, id eſt, per modica æra colligitur, ideóque dici quoque tributum, verùm de ſtipe, & de tributis alias fusè diximus *tomo 1. de vniuerſa negotiatione*, vbi de omnibus tributis & vectigalibus.

L. XXVIII.

Paulus alienationis verbum explicat, & quid illo 111
propriè in iure ſignificetur, aitq; imprimis nomen eſſe

vni

vniuersalem, & continere omnem dominij translationem, etiam vsucapionem, vix enim vt non videatur alienare, qui patitur vsucapi, nam si voluisset res vsucapta non fuisset, quia egisset: igitur patiendo videtur etiam rem alienare, quare statutum, vel lex prohibens alienationem locum habet in vsucaptone, & quia vsucapionis nomine continetur præscriptio, quia & vna definitione notantur, & ita vsurpant iurisconsulti, ideò qui patitur rem immobilem præscribi, eam dicitur alienare. Sed de vsucapione, & de præscriptione alibi dictum à nobis *in opere de negotiatione vniuersa*. Secundò ille alienat qui non vtendo amittit seruitutem, siue expressa, siue tacita sit alienatio. Tertiò qui non vtitur iure acquirendi tenetur alienare, vt qui hæreditatem amittit, aut optionem, & ita certum tempus datum non amplectitur.

112 Vltima legis particula agit quomodò sit explicanda oratio quæ neque coniunctionem, neque disiunctionem habet, atque ex mente pronuntiantis, vt coniunctam, vel disiunctam accipiendam esse, eámque vel ex ipsis verbis, vel ex coniecturis esse eliciendam. Ait Testator, Mæuius, Titius hæredes sint, ita duo coniunctim hæredes sunt pro dimidia parte, ex ipsis verbis, aut ex coniecturis, *l. non aliter. D. de legat. 3. l. si seruus plurium fuit. D. de legat. 1.* quod si necdum mens testatoris elici possit, ordinariè & regulariter habebitur pro coniuncta, ac si copula habita fuisset ex Glossa singulari *in Clement. sæpè. de verborum significatione. D. figura.* quia punctus est loco copulæ.

113 Verba neque disiuncta, neque coniuncta, dicuntur soluta: verba quæ non sunt coniuncta, sunt alternatiua, & disiunctiua quæ facere notat Reboff. ad intellectum plurium iurium: obseruat quoque ea verba intelligi secundùm mentem proferentis, siue in statutis & ordinationibus, siue iudiciis & sententiis, non autem in contractibus.

L. XXIX.

114 Lex consequens firmat nostrum vltimum dictum, cùm ait ex Labeone, coniūctionem aliquando pro disiunctione accipi. V.g. mihi hæredíque meo, te hæredémq; tuum. Si igitur centum aureos, quos mihi hæredíque meo fueris stipulatus, dederis, non teneberis iterùm dare hæredi meo, nequidem dimidiū. Debet enim ita intelligi, si mihi non dederis, & sic mihi, aut hæredi meo dare teneris, si pollicitus fuero me hæredemq; daturum centum, si ego dedero, ipse hæres ampliùs non tenetur, & ideò particula *que*, & ibi disiunctiuè capitur. Si ego non dedero, hæres meus dabit.

115 Coniunctio tamen regulariter coniungit, aliud enim *in l. 29.* quam explicauimus, ait tantùm disiunctiuè capi nonnunquam.

L. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. *ad* XL.

116 Quia leges istæ, & aliæ quædam nonnisi vulgares vocum quarundam definitiones continent, eas omnes & alias similes, quoties occurrent, paucis exponemus, neque in iis explicandis fusius hærebimus, alioquin totum ius commentaremur hoc loco.

117 L. igitur XXX. Silua cædua, quæ ad hoc habetur vt cædatur, vel ex Seruio quæ succisa rursus ex stirpibus, aut radicibus nascitur: alias definitiones tradit Rebuff. quidquid statuatur siluam cæduam vsufructuarius cædere poterit eáque vti vt bonus paterfamilias solebat, & maritus vxoris similem siluam constante matrimonio.

Ibidem stipulæ sunt spicæ in messe deiectæ non- 118
dum lectæ, quas rustici cum vacauerint colligunt. Aleiat. legit spicas in messe relictas & non deiectæ: quod improbat Rebuffus: controuersia leuis est circa eum textum.

Nonalis est terra præcisa quæ anno cessauit, quam 119
Græci *νεάσαι vocant*: in Basilicis legitur *νέασιν*: in Glossis *νέασις*. Varro: qui intermittitur à nouandis, noualis ager. Festus: noualis ager nouo relictus sementi. Pluit nouale quod alterius seritur. Isidor. noualis ager est primum proscissus, siue alterius vacat nouandorum sibi variorum causa: noualia enim semel cum fructu erant, & semel vacua.

Terra integra est in quam nondum dominus pecus 120
pascendi causa immisit, & satis est, si immisisse probetur animalia, nam ibi pauisse præsumitur. De varia significatione integri consule in comment. Rebuffus.

Glans caduca est, quæ ex arbore cecidit, inde competit interdictum *de glande legenda*, hanc expositionem negat Alciat. esse ex proprietate sermonis quia caducus non est qui cecidit, sed qui facilè casurus est ruinámque minatur. Inde caducus paries. Glandem tamen caducam dixit *l. vnica. de glande legenda.* Rebuffus vtramque caduci significationem tuetur.

Pascua silua est, quæ pascuis pecudum destinata 121
est. Hoc est in ius est pascendi causa pecora mittere. Quod si vicini pecora in agro meo deprehendi, mihi *l. Aquilia* licebit agere, *l. Quintus. D. ad L. Aquil.* non autem iure pignoris pecus retinendum, nisi illud diu aluerim, *l. Hoc ampliùs. D. de his. D. de damno infecto*, cum dominum ignorem: videtur enim quia in rei vtilitatem alimenta versa sunt, eorum ratione retineri pecus posse, *l. si non §. centum. D. de condic. indeb.*

L. XXXI. Vlpianus pratum dici vult quasi para- 122
tum ad fructuum perceptionem, aut vt ait Varro ad fructuum constitutionem: modico enim opere paratum est quod neque aratio, neque annuo semente indiget. Legatis itaque pratis inculta legata sunt, ex quibus aliquid fœni testator colligeret, non verò si in ipsis pascere tantùm solebat, ea enim pascua non prata dicuntur, quæ si ad pagum aliquem in vniuersum pertineant, vulgò dicuntur vicanalia, vicani enim rustici sunt. An verò qui in arboribus in prato consentis damnum fecerint pœna lege municipali sancita iis qui pratis damnum tulerint, teneantur: quandoquidem arbores prati partes sunt, non existimat Alciat ex vi verborum teneri; aliud vult Rebuff. & agi posse pro damno dato.

L. XXXII.

Ex Vlpiano minus solutum intelligitur si nihil sit 123
solutum: quia (inquit Alciat.) in sermone latino *minus* quandoque vim comparatiui non habet. Quare si non accepi, rectè dico me minus recepisse, & minus tribuit, qui nihil tribuit. Hinc infert, si transactione annuos ciuilium annonarum reditus tibi concesserim addita lege, vt si plus vel minus exigeretur, tuo periculo esset, quamvis nihil exigatur, me non teneri: quia verum est te minus exigere, si nihil exigis. Addit tamen idem Alciatus id esse potiùs ex interpretatione quam ex proprietate sermonis. Itaque videndum an fuerit alia mens contrahentium.

L. XXXIII.

124 Vocis *palam* plures ſignificationes varij afferunt: communior, vulgatiórque eſt quam affert Vlpian. *l.* 33. quam habemus præ manibus. *Palam eſt coram pluribus:* nam qui coram teſtibus, qui paſſim & ſine delectu ait, qui apertis verbis, palam facere dicitur, quod euidens eſt, notorium, manifeſtum & clarum, liquidum, palam eſſe dicitur, non ſemper tamen publicè, & coram populo.

L. XXXIV.

125 Actionis verbo etiam perſecutio continetur. Ratio videtur, quia actio eſt ius perſequendi in iudicio, quid ſibi videtur, *l. nihil. D. de action. d.* §. 1. *& inſt. de actionib.* & ideò actio perſecutionem continet, éſtque generale verbum. Præciſè verbum *actio* in perſonam confertur: petitio in rem: perſequutio tam in rem, quàm in perſonam. Cùm igitur perſecutione rem & perſonam perſequamur, mediante actione id facimus.

L. XXXV.

126 Paulus explicat quid ſit reſtituere; id enim facit qui ſimul rem & cauſam actori reddit, quam is habiturus eſſet, ſi ſtatim iudicij accepti tempore res ei reddita fuiſſet. Igitur qui condemnatus eſt vt rem reſtituat, is fructus reſtituere debet à tempore litis conteſtatę perceptos, & actorem in eam cauſam quam habiturus eſſet, ſi ſtatim ante litis conteſtationem reſtituiſſet, *l. eum fundum. D. ſi certum petatur.* Quare ſi actor ideo non vſucapit, quia ſibi eo tempore reſtituta non eſt, reus quanti ea res erit tenebitur, *l. Iulianus.* §. *fin. D. ad exhibendum.* In hac l. rem principalem accipimus, cauſam verò pro acceſſione, & omni eo quod habuiſſet actor ſi res fuiſſet ei reddita tempore iudicij accepti.

L. XXXVI.

127 Vlpianus, *litis omnem actionem ſignificat*, ſiue in rem quam realem dicimus, ſiue in perſonam, quam perſonalem, atque ita actionem omnem, etiam mixtam, & officium iudicis, id eſt, controuerſiam.

L. XXXVII.

128 Vlpianus. Verbum *oportere* non ad facultatem iudicis pertinet, qui poteſt, vel pluris, vel minoris condemnare, ſed ad veritatem refertur. Solemnia verba actionum erant, *aio te mihi dare oportere*, vt eſt apud Valerium Probum *opuſculo de notis antiquis.* Si quis igitur in ſuo libello hæc verba poſuerit, exiſtimat Vlpian. interprete Alciato, tametſi ea vere mihi videantur, licere iudici vel pluris, vel maioris condemnare: atque adeò arbitrium iudicis protendi, vt ab eo quod verè debetur recedere poſſit, & ex cauſa condemnationem augere, vel minuere. Auget quidem in arbitrariis, *l.* 1. *D. de in litem iuram.* vel in his quæ ex infitiatione duplantur, *inſt. de pæn. tem. lit.* §. *at.* quod & expenſarum vel eius quod intereſt ratione fieri poteſt, *l. terminato. C. de fruct. & lit. exp.* minuit, ſi totius ſummæ actor capax non eſt, vel ſi pars aliqua poſt iudicium cœpit non deberi: multáque eandem in rem habet Alciat. quem intellectum contra textum eſſe dicit, qui dicit hoc verbum non referri ad facultatem iudicis, ſed ad veritatem, quæ non adeſt, ſi iudex damnet partem, ad id quod verè non debet.

L. XXXVIII.

Vlpianus ex Labeone definit oſtentum, quod factum, genitúmque contra naturam eſt, duóque illius facit genera. Primum illud contra naturam, vt cum tribus manibus, aut pedibus natum: alterum quod prodigioſum eſt, & quidpiam mali præſagit addit & tertium, quod Græcis eſt φάσμα ſpectrum quod prodigij cauſa oſtenditur, & vocant τέρας τεράστιον. Inde τερατεύειν mentiri dicunt Græci. Diſputant aliqui de diſcrimine inter oſtenta, portenta, prodigia, & monſtra. De quibus etiam vide *in comment.* Rebuff. nos neque commentatorem agimus, neque iſta minuta proſequimur, quibus ſatis eſt rudem aliquem ad iuris Eccleſiaſtici adyta inſtituere, ne iu obuiis quibuſque excutiat. 129

L. XXXIX. & XL.

Plurimas voces explicat Paul. atque imprimis quid ſit, ſubſignare: aitque ex veteri more eſſe ſubſcribere, eò quòd veteres ſubſignationis voce pro ſubſcriptione vterentur, cùm & *alibi* vſurpetur pro ſigillare, atque etiam pro obligari. In quam rem iuris loca dabit Rebuff. qui ſapienter infert tantùm operari ſubſcriptionem & ſubſignationem, & tantum ſubſcribere chirographo, quantum ſubſcribere totum chirographum. 130

Eadem l. bona intelliguntur cuiuſque, quæ deducto ære alieno ſupereſſunt. Si quis igitur tibi dimidiam bonorum partem dederit, primò omnia debita debent deduci, & ex iis deinde quæ ſupererunt, dimidia pars tua fuerit; quod etiam in bonis Regi confiſcatis verum eſt: deducendæ enim erunt expenſæ proceſſûs, & æs alienum. 131

§. I.

Atteſtari eſt abſenti denuntiare. Id intellige ſiue per nuntium fiat, ſiue per procuratorem, ſiue per epiſtolam Horatius: 132

Licet atteſtari? ego verò oppono auriculam rapit in ius.

Quâ verò ratione fieri debeant abſenti atteſtationes vt ſint iuridicæ, docent pragmatici.

§. II.

Incertus poſſeſſor eſt, quem ignoramus poſſidere: nam poſſidere eſt res facti: & huiuſmodi ignorantia probabilis eſt. Reſpectu autem ſuipſius nemo omninò incertus eſt poſſeſſor, & incertam rem nemo poſſeſſionis causâ acquirere poteſt, *l.* 3. §. 1. *D. de acquir. poſſeſſ.* Sed ambiguitas tolli poteſt, aut poſſeſſio à lege dari.

L. XL.

Deteſtatio eſt denuntiatio facta cum teſtatione. Hæc eſt prima huius legis pars, in qua pergit Vlpianus teſtationis ſignificationem explanare, cùm ait, deteſtationem eſſe denuntiationem factam cum teſtibus. Teſtationem eam eſſe ſupponit nomen generale, quo quis ſui animi ſententiam declarat: deteſtatio autem eſt, quæ cum teſtibus fuit, & ad abſentem mittitur, cuius natura eſt augere, & efficaciorem actum reddere: atteſtatio autem quæ præſenti tantum 133

tantum declarandi animi sui causâ, quæ est mens Alciati, quam inde Rebuffus arguis, quòd Vlpianus dicis, quamcunque denuntiationem cum testibus factam, vocet denuntiationem, neque requirat fieri debere absenti. Quare si fiat etiam præsenti cum testibus dicetur detestatio, ex Vlpian. Quare denuntiatio tum absenti, tum præsenti fieri potest, modò cum testibus fias. Quod si denuntiatio fiat absenti etiam sine testibus per nuntium, aut epistolam, poterit attestatio vocari. Lis mihi leuis videtur apud Rebuffum, vbi & de aliis vocibus *protestari, contestari nunciare, denuntiare.*

134 Eadem *l. §. serui appellatio etiam ad ancillam refertur* Itaque serui nomen commune est, *l. inter stuprum. § fin. D. eod.* quod facit ad intellectum regiæ in Gallia constitutionis *des loyers & gages des seruiteurs.* Qua de re vide Rebuffum *tomo secundo constitut. regiar. art. vnico*, vbi loquitur de seruis, & eorum etiam mercede; qua constitutione ancillas quoque contineri docet, vt intra annum, quo domino valedixerunt, salarium postulare possint.

135 §. 2. Eadem lege *familiæ appellatione, liberi quoque continentur.* Hoc est, inquit Rebuff. qui in seruitio nostro sunt, etiam liberi homines qui in seruitio nostro sunt, & qui bona fide seruiunt, siue liberi sint homines, siue in potestate nostra, siue non. Familia Æolicè φαμυδία quod sint vna ὁμοῦ; familiare dicimus, quocum sæpè sumus: quod etiam nomen seruis benignitate quâdam cõmunicatũ est. Quare Macrob. *lib. 1. Saturnal. Tu modò viue cum seruo clementer*, comiter *quoque & in sermonem illum & nonnunquam in necessarium admitte consilium: nam & maiores nostri omnem dominis iniuriam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum patremfamiliâs seruos familiares appellauerunt.* Ex eo contractum, inquis, famil. apud Ennium. & famuliari. Quare Festus familia anteà in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur pater, & materfamiliâs. Vnde familiæ nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum, & familiares ex eadem familia, posteà hoc homine etiam famuli appellari cœperunt, permutata i cum u littera in glossis familia οἰκεία γένος.

136 §. 3. *Vnicus seruus familiæ appellatione non continetur, nec duo quidem familiam faciunt.* Videtur hæc quædam exceptio superioris §. Ratio est: quia familia corporis significationem habet, ideoque continet omnes de familia. Continet igitur vnum, duos plures, & omnes, qui sunt de familia, & de illo corpore. Quare si quælibet familia debet dare vnum hominem ad custodiam suæ familiæ, & omnes extra vnum perierunt, ille vnus tenebitur, & ius familiæ in vno retinetur, & ille solus habet totum patrimonium familiæ, ac proinde tenetur magis quàm si essent duo, quia maius habet commodum, & vbi nominatur familia comprehenditur tota, & quælibet eius pars, & si familia prohibeatur deiicere, prohibetur tota, & vnus etiam in ea prohibitione continetur: & si rebelles de ciuitate cum familia expellendi sunt, nequidem vnus seruus remanere debet: alioquin familia non expelleretur, quandiu vnus esset, vel si eius vxor remaneat. Siquis ad legatum, vel fideicommissum vocetur cum sua familia, omnes, qui in ea familia continentur vocantur ex *l. fin. C. de verb. signif.* Qui habet immunitatem habitandi alicubi cum sua familia, si cum vno habitet non consequetur immunitatem, quia ibi non est cum sua familia, si alibi vxorem & alibi alius ex sua familia habeat.

L. XLI. XLII. XLIII. ad L.

Vlpianus, & Caius varia significata exponunt.

L. XLI. Caius non scuta dumtaxat gladios & galeas, sed & fustes & lapides arma nominari dicit. Est itaque vox armorum generalis, quod etiam habetur *§. recuperandæ inst. de interdict.* & *in l. 3. §. armis. D. de vi, & vi arma.* De singulis armis Rebuff. & quis de armorum vsu, & portu cognuscat, de armario & armamentario. 137

L. XLII.

Vlpianus de probro, & opprobrio: idem sunt quatenùs ignominiam significant. Quædam naturâ turpia sunt, vt furtum, & adulterium: quædam ciuiliter & more ciuitatis, vt tutelæ damnatio: & licet apud Lacedæmones & Ægyptios, furtum non damnatetur: inde tamen non sequitur, non esse natura probrum, vti contra Alciatum ostendis Rebuffus: satis enim est, si pugnent cum naturali ratione, neque Princeps aut ciuitatis mores quæ natura probra sunt permittere, & facere non probra possunt, quamvis ea non punire valeant, & infamiam remittere. 138

L. XLIII.

Nomine victûs quæ ad esum, potum, cultúmque corporis necessaria sunt, significari ait Vlpianus: immò & ipsam vestem ait Labeo. Quare si alicui victus debebuntur, quæ ad edendum, & bibendum necessaria sunt ad corporis cultum, & curam, vt ignis, candelæ, & alia necessaria ad viuendum veniens, vt vestimenta & habitatio: in his tamen omnibus consuetudo inspicienda est, & personarum qualitas. 139

L. XLIV.

Caius cætera omnia quibus curandi corporis nostri gratia vtimur, ea appellatione significari dicit. Addit igitur aliquid superiori legi quam magis saltem explicat, cui tamen addenda est, vti modò dicebamus, limitatio ex consuetudine regionis, & qualitate personarum. 140

L. LXV.

Vlpianus explicat in strati nomine omne vestimentum, contineri quod sternitur, siue iniicitur: & nomine stragulæ vestimentum omne, pallium ad sternendum paratum, quod Græcis περίστρωμα: quare inter victum, & stratum discrimen est; quia victûs nomine non venit stragula, id est omne quod sternitur, strati verò nomine omnis stragula vestis significatur. Varro in stragula contineri vult quidquid sternebant. Qui itaque legat stragulam, vel stratum, legat omne quod sternitur, non autem vestem, quæ non sternitur. Aliqua verò dissensio est in textu, ex variâ lectione huius legis inter Alciat. & Rebuff. quam diiudicare nostrûm non est. Cui legatum est stratum, debentur tapeta, lodices, lecti copertoria, & alia quæ solent sterni, siue in terra, siue iuxta parietes, siue supra mensam, & scamna, & alio modo, inspecta personarum conditione. 141

L.XLVI.

L. XLVI.

242 Idem ait Vlpian. pronuntiatum & ſtatutum eſſe quod eos qui facultatem habent cognoſcendi: dicuntur enim pronuntiare & ſtatuere, quod ex pluribus iuribus oſtendit Rebuff. Quare pronuntiatum pro ſententia vſurpatur. Quid verò ſententiæ, & ſtatuta ſint, docet idem *ibidem*.

243 §. 2. Definit matremfamiliâs, quam neque nuptiæ, neque natales, ſed boni mores faciunt, ſi nimirùm honeſtè domi vixit. Itaque nihil intereſt, nupta ſit, an vidua: ingenua, an libertina: nam moribus à cæteris fœminis ſeparatur. Si domi benè, ſi extrà domum peruerſè, κακῶς, vixerit luxorioſè & turpiter, materfamiliâs non eſt, neque nominatur. Ita ferebant huius æui mores. Quare Gellius ait matronam eſſe, quæ quóuis modo in matrimonio ſit, ſiue liberos habeat, ſiue non: matremfamilias quæ in mariti manu, mancipióque eſt, quia in familiam viri veniſſet. Ita *libro* 18. *cap.* 6. idem habet Nonius Marcellus: Feſta matrimonia ſunt, quibus ſtolæ geſtandæ ius, matresfamiliâs nuptæ liberos habent.

L. XLVII.

244 Paulus ait liberationis vocem idem eſſe quod ſolutionis. Quare liberatus à creditore ſuo habetur, atque ſi ſoluiſſet, quia nempè liberatur ab obligatione quâ tenebatur, ſicut ſi ſoluit: quod etiam conuenit fideiuſſori, & liberatur etiàm ad non petendum: qui non poteſt obligari, aut obligari, non poteſt etiam illum liberare. De variis ſolutionibus, & liberationibus agunt hoc loco quidam commentatores, atque ita facilè omnia in hunc titulum *de verborum ſignificatione* coniiciunt.

L. XLVIII.

245 In duo illa Caij verba *qui neque ſequantur, neque ducantur*, varij ſunt interpretum intellectus, qui neque probantur, neque probari poſſunt non exhibitis Caïj ſcriptis, cum ea duo verba de variis rebus ad arbitrium intelligi facilè, & accommodari poſſint.

§. 1. *Solutum*, illum qui vinculis liberatus eſt & manibus tenetur non dici ſolutum, neque eum qui in publico cuſtoditur, & ſeruatur quamvis ſine vinculis. Vnde ſequitur eum qui neque vinculis, neque manibus tenetur, neque in publico cuſtoditur, ſolutum dici: quia liberè diſcedere poteſt.

L. XLIX.

246 Vlpianus quid, & quintuplicia bona ſint, & quid in bonis noſtris eſſe dicatur. Bona imprimis dicuntur, quia beant & beatos faciunt. Alia ſunt naturalia, alia ciuilia: in bonis verò noſtris ſunt, primò quæ ſunt in dominio noſtro. Secundò quæ bonâ fide à nobis poſſidentur. Tertiò quæ ſuperficiaria ſunt. Quartò quæ ſunt in actionibus, petitionibus, & perſecutionibus.

L. LI. LII. LIII.

247 Vocum quarumdam affinium, aut cognatarum explicatio datur. *Nam l. LI.* ex Vlpiano nurus appellatio ad pronurum, & vltrà porrigenda eſt: propriè quidem nurus eſt vxor filij, pronurus vxor nepotis, vel pronepotis, vt declaratur *l. adoptiuus, fin. D. de ritu nuptiarum*, & *l. non facilè. §. affines. D. de gradibus affinita.*

Excipiunt tamen volgò materiam odioſam: tunc enim nurus non porrigetur ad pronurum, neque quando nurus perſona reſpicitur, aut ex proprio nomine deſignatur.

L. LII. Pater, auus proauus, pater, & deinceps omnes ſuperiores cõtinentur, ſicut & mater, auia, & proauis, & in infinitum aſcendentes ex vtroque ſexu conſentaneè *legi alienationis. §. fin. & l. ſeq. ſuprà* & manifeſta *l. 4. §. 1. D. de in ius voc. Parentes*, hic vtriuſque ſexus accipe, ſed in infinitum quæritur. Quidam volunt parentes vſque ad tritauom appellari; ſuperiores autem maiores dici. Hoc veteres exiſtimaſſe Pomponius refert: ſed & Caius Caſſius omnes in infinitum parentes dicit; quod & honeſtius eſt, & meritò obtinuit, & quia honeſtum eſt quod veniant ex vtroque ſexu, &c. parentis tamen nomine non venit mater in materia non congruente mulieribus. Quare, licet parens poſſit pupillariter ſuccedere impuberi, *l. coheredi §. cùm filia. D. de vulgari. l. quamvis. C. de impuberibus. §. 1. D. de pupill.* tamen non poteſt ſubſtituere filio pupillariter, *l. 2. D. de vulgari*. quia non habet filios in poteſtate. Parentes itaque vel parentum nomine non veniet tunc mater, neque alij ex fœmineo ſexu. Alias exceptiones dabit Rebuff. 248

L. LIII. Patroni appellatione, & patrona continetur. Ratio eſt quia maſculinum comprehendit fœmininum, vti iam diximus. De patroni & patrocinatî ſignificationibus vide Rebuff. & quæ iura de patrono loquuntur, eadem de patrona poſſunt exponi. 249

L. LIV. LV.

Cùm dixerit iam coniunctionem pro disiunctione aliquando capi, explicat in hac *l. LII.* Paul. quandónam coniuncta pro disiunctis, & ſoluta pro ſeparatis accipiantur, & amborum exempla affert, vt apud veteres agnatorum, gentiliúmque. Illa enim dictio *que* coniuncta pro disiuncta accipitur, id eſt, pro vel: disiuncta pro coniunctis. Si detur pupilli tutor pro pecunia ſua, cõiunctim accipitur, quia tutor ſeparatim dari non poteſt ſuper bonis ſine defenſione perſonæ: & cum dicitur, ſi donum, munus, operas redemerit, certum eſt omnia eſſe redimenda. Denique ſummuntur ſoluta pro ſeparatis, vt quod eum facere oportere promitto, ſatis erit probare, quod ille dare vel facere tenebatur. 250

De alternatiua *alibi* longæ ambages, de quibus quidpiam dictum *ſuperiùs* circa iuris Regulas: & quod ad illatum veritatem, ſufficit alteram partem eſſe veram, quæ quando reſpicit perſonas, vtraque pars vera erit. Vterque v.g. hæres ad negatiuam, alternatiuam, ſi hoc aut illud non feceris, vtrumque requiritur. Inde tamen non debet quidpiam iniqui ſequi. 251

§. 2. Explicatur quid ſit ope, conſilio, commonitet, an ſeparatim ſint accipienda. Ea Labeo quidem ſeparatim accipit: quia aliud factum eſt eius, qui ope, aliud eius qui conſilio furtum facit. Nam alij condici poteſt, alij non poteſt. Poſt veterum tamen auctoritatem, nemo videtur furtum facere niſi habeat conſilium malignum, id eſt, niſi malè ſibi conſultus fuerit, à ſe videlicet, & non ab alio: quia nullus ei ſuaſit, nullum quoque habuiſſe conſilium nocendi, vel vt noceat, niſi factum ſequatur: quia nemo plectitur ex ſolo conſilio, niſi conſultum illud executioni mandatum fuerit. Sicque fieri poteſt furtum ope, ſi quis alium iuuet ad furandum: conſilio verò, cùm quis conſulit. Vt furtum fiat, etſi factum fuerit, tenebitur conſulens: non tenebitur tamen de illo conſilio niſi conſultum factum fuerit. Opem etiam quis præſtare poterit ſine conſilio, videlicet ignarus 252

furti faciendi, & furti actione tenebitur. Quare opem ferre, & consilium dare tunc nocet cùm furtum, vel alienæ rei contrectatio sequuta fuerit.

L. LIV. & L V.

253 De voce creditoris. Conditionalis creditor est cui nondum competit actio, sed competitura est, vel spem habet vt competat, quia videlicet illi debetur aliquid sub conditione, qua posita dicetur creditor simpliciter antea, & non tantùm erit secundùm quid.

254 L. LV. Ex Paulo creditor is est, qui non potest exceptione perpetua repelli: si enim possit, similis erit conditionali creditori. An verò quis illo iure creditor dici possit, disputant hîc Alciatus & Rebuff. quidquid statuas fine effectu creditor erit.

L. LVI.

De voce, cognoscere, dispungere, & liberare.

255 Vlpianus ait primò cognoscere instrumenta & ea relegere & recognoscere, v. g. recognoscit instrumenta, chirographum, schedulam qui fatetur à se scriptam, licèt fortassis in ea contenta neget, vera esse. Secundò est iterum recognoscere. Tertiò est approbare, éstque vsitatius recognoscere, quàm cognoscere, quod pars facit quando ei sua scriptura exhibetur. Ea de re vide fusè Rebuff. *tom. 1. in ordinat. Gallic.*

§. 2. Dispungere est conferre accepta & data, inde fit vt dispunctio, sit exacta, & diligens examinatio, eò quòd transuerso calamo rationes cancellentur. Expungere pro eodem vsurpatur: inde rationes subscriptæ & expunctæ.

256 §. 3. Liberorum appellatione continentur & qui sunt in potestate, & qui sui iuris sunt, siue virilis, siue fœminei sexûs sint, siue ex fœmineo sexu descendant. Quare si quis ita testetur vt velit bona sua venire ad suos liberos, ea appellatio comprehendit tam filios in potestate, quàm emancipatos, & sui iuris existentes, tum masculos, tum fœminas, & ex iis descendentes: immò & eodem liberorum nomine, tum legitimi, tum naturales comprehendentur, *l. liberos D. de senat. l. ex facto. §. si quis. D. ad Trebell.*

L. LVII.

Vlpianus agit de nomine magistri.

257 Quo donari ait primò cui præcipua cura rerum incumbit. Secundò qui maiorem diligentiam, & sollicitudinem debent rebus quibus præsunt. Tertiò, magistratus à magistris per deriuationem cognominantur. Quartò, cuiusvis disciplinæ præceptores magistri dicuntur, à monendo vel monstrando.

258 §. Persequi videtur, & qui satis accepit, id est, pignora & fideiussores pro re: quia satisdatio, solutio non est, *l. 4. ait Prætor. D. de re iudic.* neque propterea liti renuntiauit, & adhuc non est rem aut debitum consequutus. Vnde nondum plenè creditori satisfactum est.

L. LVIII.

259 Reiicitur à Caïo subtilis differentia inter gestum, factum & inter illa nihil interesse dicitur. Vide Alciat. *libro primo, dispu. cap. 4.* Et colliges subtilitates inutiles & sine vtilitate non esse recipiendas, ne quem plerumque in errorem perniciosè inducant, *l. si seru. §. sequitur. D. de verbor. obligat. & l. mulier. §. mulier existe. D. de iure dotium. & l. lege C. de legitim. hered. & alibi.*

§. Paternos libertos rectè videmur dicere nostros libertos: libertorum nostrorum, non rectè libertos nostros dicimus. 260

Vides hîc agi de liberti nomine. De libertis agit in persona filiorum, & patrum, quia filij rectè dicere possunt libertos patris, libertos suos: quia quodammodò filij sunt domini bonorum paternorum, etiam in vita patris, & continuatur dominium in eos, *l. in suis. D. de liber. & posthum.* libertorum autem nomine intelligimus eos, quos quis ex seruitute ad ciuitatem Romanam, & libertatem perduxit, *l. 3. §. 1. D. de suis & legit. hæredib.*

L. LIX.

De nomine portûs. Vlpian.

Portus appellatur locus conclusus, in quem importantur & exportantur merces: in eo est statio conclusa, & munita, indéque angiportus dictus est. Quod vltimum non inde sumitur vt aliqui existimant cum Varrone alicubi, quòd in eo nihil agatur, aut agi possit, sed ab augendo & portu, voce *portus* sumpta pro loco concluso, vt hîc ait Vlpian. Qua de causa etiam in XII. Tabulis domus portus vocatur, teste Festo, qui etiam explicat angiportum, angustum portum. 261

L. LX.

Loci, & fundi distinctio.

Cùm Vlpianus superiori l. dixisset portum esse locum conclusum, nunc affert inter locum, & fundum differentiam; quia locus est aliqua fundi portio; fundus autem est totum quid integrum: & ordinariè locus sine villa & ædificio, qui fundus dicitur, siue sit modicus locus, siue magnus, quem si pro fundo habuerimus, & nomine fundi, fundus erit. Itaque affectio patrisfamiliâs volentis fundum constituere, eum fundum efficit, & si vnum fundum alij fundo adiunxerit, locum fundi facit. Quare locus est pars fundi, fundus autem est totus ager, qui comprehendit non solùm prædia rustica, verùm etiam vrbana. Fundus suos habet fines destinatione patrisfamiliâs constitutos: locus verò latere potest quantùm protendatur, donec determinetur & definiatur. Inde Chrys. *in 1. Cor. capite tertio*, οὐ γεώργιον ἐπὶ διαιρέσεως χρὴ, ἀλλ' ἑνὶ φραγμῷ τῆς ὁμονοίας τειχίζεσθαι, si fundus diuidi non debet, sed vno septo concordiæ communiri. Fundus autem à fundendo potiùs, quàm quòd sit fundamentum pecudum, & pecuniæ. 262

L. LXI.

Paulus. Appellatione satisdationis continetur aliquando repromissio quâ contentus fuit is, cui satisdatio debebatur. Non solùm igitur nomine satisdationis veniunt pignora & fideiussores, sed interdum repromissio: vnde si quis promisit satisdare, tenetur dare vel pignora, vel fideiussores: si tamen creditor velit alterius partis obligationem & repromissionem, & ea sit contentus, sufficiet Reo repromittere, & se obligare. Satisdationem Græci vocant *ἱκανοδοσίαν*, ab *ἱκανῶ*, quod idoneum facio, & satisdo significat *ἱκανὸς* idoneus dicitur *ἱκανοδοσία* sufficiens datio ἀπὸ τοῦ ἱκανοῦ, καὶ δόσις: satis enim dat & sufficienter qui pignora, vel fideiussores præstat. Ideò Vlpianus ait satisdationē eodem modo appellatam esse quo satisfactio, & nos satisfacimus ei, cuius desiderium implemus. Ita satisdare dicimur cui 263

pro

pro eo quod à nobis petit, ita cauemus, vt eum hoc nomine ſecurum faciamus, datis fideiuſſoribus. Quando verò fideiuſſores teneamur dare explicat *ibidem* Rebuff.

L. LXII.

264 Caius tigni appellatione *in l. XII. Tabular.* intelligit omne genus materiæ, ex qua conſtant ædificia. Vnde intelliges *l. 1. D. de tigno iuncto*, quia ex *l. 12. Tabular.* deſumpta eſt, & tegulam, lapides, lateres cæmenta, calcem, arenam, gypſum, cæteráq; ſi qua ſunt ædificiis vtilia, appellatione tigni comprehenduntur. Tignum verò à tegendo dictum, quod tecto tegi ſoleant. In vineis quoque tigni nomine omnia vineis neceſſaria palos, perticam, pedamenta & alia eiuſmodi, *l. 1. D. de tigno iuncto*.

L. LXIII.

265 Vlpianus diſtinguit inter *per te*, & *apud te*, quia prius illud aliquid amplius eſt: nam *apud te* eſt quod qualitercunque à te tenetur: *penes te* quod quodammodò à te poſſidetur. Quæ vtraque ſignificatio frequens in iure oſtenditur à Commentatore, ſicut & ſignificatio vocis *apud*.

L. LXIV.

266 Inteſtatus dicitur non modo is, qui teſtamentum non fecit, ſed is etiam, ex cuius teſtamento non eſt adita hæreditas. Quia inſtitutus vel non potuit vel noluit illam adire, quia vel viuo teſtatore deceſſit, vel conditio appoſita defecit, vt ſi iure teſtatus non eſt, & ſeruatis ſolemniis, vel ruptum eſt teſtamentum, aliiſve modis.

L. LXV.

267 Vlpian. hæredis nomẽ non ſolum ad proximum, ſed etiam ad vlteriores & ad hæredis hæredes refert & in omni ſucceſſione: ideo Theophyl. *inſt. de hæred. qualit. & differen.* idem ait, ὁ κληρόνομος ὄνομα ἐπὶ γένους, idque valebit etiamſi de ſcriptis hæredibus agatur & adiiciatur nomen proprium, poſt nomen hæredis: & in hærede hæredis poterit etiam impleri conditio: & hæc regula procedit tam in ſuo hærede, quàm in externo, ſiue ex teſtamento, ſiue ex inteſtato hæres ſit.

268 Ad hanc l. Robuffus refert illique ſubiungit *l. ſciendum eſt*, quæ eſt tamen *l. XX.* ex Paulo hæredem permultas ſucceſſiones accipere & in paucis ſpeciebus hæredis appellatione proximum contineri, veluti in ſubſtitutione impuberis. Quiſquis mihi hæres erit, idem filio meo hæres eſto: vbi hæres hæredis non continetur; quia incertus eſt. Hæc igitur *l.* prioris *leg. LXV.* exceptionem affert, primò quia in ſubſtitutione impuberis modo relato facta, hæres incertus eſt, quia alioquin hæreditas teſtatoris poſſet ad inimicum ipſius peruenire, aut ad eos, ad quos ipſe diſponens affectionem non videtur habuiſſe.

269 §. 1. *In lege Ælia Sentia* filius hæres proximus poteſt libertum paternum vt ingratum accuſare, non etiam ſi hæredi hæres extiterit. Quia enim odioſum eſt vt libertus in ſeruitutem reuocetur, ideò ad vlteriores hæredes non extenditur odium, *l. cum quidem. D. de liberis & poſthumis*. Quia etiam ſi proximus hæres non egit aduerſus libertum, videtur ingratitudinem remiſiſſe. *Lex* autem *Ælia Sentia* ab Ælio Sentio lata, cuius etiam meminit Tullius *in topicis*, permittit proximum hæredem, ingratitudinis libertum accuſare, atque in fraudem creditorum ſeruum manumittere, modò tamen ne iniuria defunctus afficiatur.

§. 3. Exceptio etiam eſt in ratione operarum, vt filius hæres poſſit exigere, non ex ſucceſſione effectus. Filius igitur hæres patris operas officiales exigere poteſt à liberto paterno, *l. ſi operarum. D. de oper. libert.* qui ad extraneos non tranſeunt. Si fabriles promiſſæ ſint per ſtipulationem, eas hæres primus habet non hæredis hæres. Officiales operæ ſunt quæ maximè circa perſonam domini præſtantur: fabriles verò quæ in rem domini potiſſimè fiunt, fabriles nominatæ, quia ad fabros pertinent. Fabri autem nomen generale eſt ad operarios, & artifices, *l. ſer. §. fin. D. eodem.* Dicuntur, & artificiales ab artificibus, *l. ſi non hoſtem. §. libertus. D. de condit. indebit.* 270

§. 4. Hæc verba, *is ad quem ea res pertinet*, ita debent intelligi, vt qui in vniuerſum dominium vel iure ciuili, vel iure prætorio ſuccedit, contineatur. Itaque intelliguntur de ſucceſſore vniuerſali ſiue iure ciuili, ſiue prætorio ſuccedat, vti traditur *l. 1. §. 1. D. de ædilitio edicto.* 271

L. LXVI.

Ex Vlpiano mercis appellatio ad res mobiles tantùm pertinet. Itaque non dicimus merces pratorum, aut fundorum, ſed vini, ligni, panni, & aliarum rerum mobilium. 272

L. LXVII.

Idem alienatum non propriè dicitur quod adhuc manet in dominio venditoris: dicitur tamen venditum. Hæc lex & Regula ex iis quæ *in opere de negotiatione* diximus de venditione ſatis perſpicua manet. 273

L. LXVIII.

Verba illa, *arbitratu Lucij Titij*, fieri ius ſignificant, & in ſeruum non cadunt. Significatur enim quod Lucius Titius erit arbiter: ideoque non cadunt in ſeruum, qui in talibus pro nullo habetur. 274

L. LXIX.

Et hæc quoque verba, *cui rei dolus malus aberit, abfuerit*, generaliter comprehendunt omnem dolum quicunque admiſſus fuerit in rem, de qua ſtipulatio eſt interpoſita. 275

Hæc clauſula, *cui rei dolus malus aberit*, apud veteres frequens erat in contractibus præſertim, & omnem dolum comprehendebant, tam promittentis, quàm hæredis eius; quod teſtatur Vlpian. *l. ſtipulatio. §. ſi quis. D. de verborum obligation.* Si quis dolum malum promiſſoris, eiúſque hæredis abeſſe velit, ſufficere & dicimus abeſſe, abfuturúmque ſtipulari. Si verò de plurium dolo cauere velit, neceſſarium eſſe adiicit, *cui rei dolus malus ſi non abeſt.* Verùm abfuerit quanti res erit, tantam pecuniam *dare ſpondes?* quæ omnia declarat Venuleïus *D. iudic. ſolui.* Hæc itaque verba comprehendunt generaliter omnem dolum præteritum, præſentem, & futurum, manifeſtum & præſumptum, ac latam culpam, quæ dolo comparatur, *l. quod nemo. D. depoſit.* & *alibi.* Quandónam verò detur actio de dolo, hîc non inquiro. Vide Rebuff. *in comment.*

L. LXX.

De hærede hæredis. An nomine hæredis intelligatur, & ad multas ſucceſſiones protendatur: & an *in l. Ælia Sentia*, filius hæres paternum libertum tanquam ingratum accuſare poſſit, nuper dictum. 276

L. LXXI.

277 Iurisconsultus ponit differentiam inter, *capere & accipere*: capere enim est cum effectu, vt quis sibi habeat. Equum v.g. donatum capere dicor, quando cum effectu eum habeo, vt à me non possit auferri sine meo facto. Accipere dicitur quis, si est restituetus, vel qui sic capit vt sibi non habeat, vt commodati causâ, ita & peruenisse dicitur ad aliquem quod apud illum est remansurum

Clausula quoque, His rebus rectè præstari, adhibetur, ne quod periculum, vel damnum ex ea re stipulator sentiat.

L. LXXII.

Paul. *Appellatione rei & pars continetur.*

278 Nempè rei appellatio totam rem, & quamlibet eius partem significat, quod satis significat Vlpianus *l. 4. §. 1. D. de damno infecto*. Cui concessum fuerit testamentum facere possit, poterit in eo singulas partes testamenti facere, nempe instituere, & exhæredare: tutorem, & executorem date, & alia ad testamentum pertinentia facere, *l. 3. §. quamvis. D. de administ. tutor.*

L. LXXIII.

279 Hæc verba in stipulatione posita, *eam rectè restitui fructus continent*. *Rectè* enim verbum booi viri arbitrio est.

V.g. quis promisit pratum rectè restituere, pratum & fructus, si quos recepit, restituet, nempè boni viri arbitrio. Hîc distinguunt Aleiat. & Rebuff. inter *rectè & ritè*, quæ aliqui malè sæpiùs confundunt.

L. LXXIV.

280 Signatorius annulus ornamenti appellatione non continetur. Ita Paul. quia eiusmodi annuli primario dabantur ad signandum, non ad ornandum, quamvis ea de causa interdum deferrentur. Ideoque inter ornamenta non numerabantur, quamvis & aliis modis signarentur, & sigillarentur; sicut etiam hodiè variis characteribus fit.

L. LXXV.

281 Restituere videtur is qui restituit id quod habiturus esset, actor si controuersia ei facta non esset.

Hac de re & de vocis *restituendi* significatione super diximus: de variis eiusmodi apud Iurisconsultos significationibus plurima hic Rebuff.

L. LXXVI.

282 Dedisse intelligendus est qui permutauit, aut compensauit, ex Paulo. Tenebaris mihi date domum legatam, & dedisti mibi fundum Cornelianum, & ego consensi, intelligitur mihi data domus. Debebas mihi centum aureos pro quibus emi à te domum, atque ita permutauimus, aut tu compensasti centum aureos mihi debitos. Ratio est: quia aliud pro alio volente creditore solui potest, *l. 2. §. mutua datio. D. si certū petatur.* Si consanguineus retrahat rem venditam, debet restituere quod emptor dedit, & datum illud censetur, quod permutauit, vel compensauit, & quidquid explicandarum actionum causa impenditur, *l. quantitas. D. ad l. falcidiam.*

L. LXXVII.

Tria vocabula explicat Vlpianus frumentum, & lupinum: & frugis quidem nomine venit omis redditus ex fructibus terræ siue consistant in frumento, leguminibus, vino, syluis cæduis, cretariis, lapidicinis, & denique quidquid vtilitatis habeo ex fundo, omnésq; fructus, vocare possum. Varroni fruges à fruendo potiùs quàm à ferendo. Seruius & Donatus à frumine. Verum ipsa vox *frumen* à fruēdo, id est, edendo venit. Sapienter Iulianus scribit falsum esse fruges omnes esse quibus homo vescitur. Non enim carnes aut aues, aut feras, aut poma fruges dicimus. 283

Frumentum dicitur quòd aristia se teneat, & eius appellatione generali omnia ad victum necessaria comprehenduntur, vt docet Glossa *in rubric. c. canon. frument. vrbis Romæ.* Sed hæc appellatio generalior est, vt patet ex ista lege. Quare non nisi ea quæ arista continentur, veniunt vt triticum, ordeum siligo, spelta, & alia id genus. Gloss. *in l. 1. C. de cond. in publicis horreis.* Aliquando etiam strictior est eius significatio pro nobili tritici specie, quod vulgò *froment*, dicimus, vel aliis etiam nobilibus speciebus: non tamen (inquit Rebuff.) in communi huius legis oriza, Gallicè, *du ris*, quia non ad panem & pultem seritur, & seruatur in Gallia. 284

Lupinum & faba, fruges potius dicuntur, quàm frumentum, quia non arista, sed siliqua continentur. Lupinum dicitur quod terram appetat, & voret tanquam lupus, θέρμος ἥμερος lupinus satiuus.

L. LXXVIII.

Possessio interdum proprietatem significat, vti responsum est in eo, qui suas possessiones legasset. 285

Quod obseruandum videtur: quia possessio pro vsu communiùs accipitur, & pro iure insistendi rei non prohibitæ possideri vt DD. & CC. *de acquir. possess.*

L. LXXIX.

Impensas diuidit in necessarias, vtiles, & voluptuarias.

Necessariæ existunt quæ si factæ non sint res aut peritura aut deterior futura est, vt si cum domus vitium aut ruinam minaretur, trabes quibus sustentaretur refecerit. Sic appellantur, quia necessitatem impendendi habent, vt res sarta & tecta remaneat. De differentia inter impensas, & expensas vide commentatorem Rebuffum, sicut & quando, quibúsve in casibus debeantur, & à quo. 286

§. 1. vtiles sunt quæ rem vtiliorem & meliorem faciunt & quibus efficitur vt res non fiat deterior, vt agrum stercorare, pecora prædiis imponere: in illis non censetur arbustum pastinatio vltrà quàm necesse fuerat. Doctrina puerorum in hac lege, quæ exempla eam non restringunt, sed declarant, sicut neque quod additur inter vtiles impensas numerari pistrinum & molendinum adiectum domui. Idem dic de furno & stabulo: illis enim domus melioratur, plurísque æstimatur. Ita Glossa *in l. cum de Lanionis §. 1. de fundo instructo.* Idem dicitur *in hac l.* de horreo insulæ dotali adiecto. Insula verò varias haber significationes, sed capienda pro subiecta materia erit, vt si loquamur de aquis, sumetur pro loco circumcincto aquis, si de domo & ædificio, sumetur pro domo, vt cum quis promittit insulam ædificare *l. 2. §. si quis.* 287

§. 2. Voluptariæ impensæ speciem dumtaxat ornant, non fructum augent. Vt aquæ salientes, viridia 288

ndaria, incrustationes, loricationes, picturæ: denique alia, quæ ad voluptatem, & animi tantùm gratiâ fiunt, & non repetuntur. Permittitur tamen ei qui eas erogavit, vt salua rei substantia, & absque vlla iniuria eas abradat, vel tollat. *l. 3. §. sed etsi. D. de in rem verso.* Quam regulam, eiusque exceptiones interpretatur. Rebuff. *in comment.*

L. LXXX.

De legatis.

289 In generali petitione legatorum datæ libertates competunt ex mente XII. Tabul. sic enim ait: *vt quisque legassit sua rei, ita ius esto, l. 5. D. ad l. falcid.* quamvis enim ibi nullum verbum dicat de libertatibus: ita tamen Iurisconsultus in hac lege interpretatur. Poterunt igitur hæ libertates peti, sicut & alia legata. Et sanè veniebant illæ legatorum nomine, quia olim legabantur: quod satis ostendit Titul. *de fidei. liberta.*

L. LXXXI.

290 Vlpianus. Verbo restitutionis, omnis vtilitas actionis continetur. Itaque cum Prætor iubet opus factum restitui, etiam donum datum actor consequi debet. Hæc formula, quam explicat Vlpianus, sæpiùs vsurpatur in iudiciis, vt *l. 15. l. pen. Digestis de noui operis nuntiat.* Sensus igitur est, non solùm opus restituendum esse, & ad pristinum statum reducendum, sed omne etiam donum ex eo profectū restituendum esse. Rationem reddit Vlpianus: quia verbo restitutionis omnis vtilitas actionis siue actoris, sine quam habiturus fuisset, si rem habuisset, continetur. Vtilitatis verò nomine commodum, & lucrum venit, ac damni euitatio. Quare si seruum occidisti, quem sub pœna tradendum promisi, vtilitas venit in hoc iudicium, *D. ad l. Aquiliam.*

L. LXXXII.

291 Verbum *amplius* refertur etiam ad eum, cui nihil debetur: minus solutum videtur, etiamsi nihil esset exactum. Quare si tibi legauero ampliùs quam Seio decem, etsi nihil Seio legauerim, decem tibi debebuntur, *l. si seruus legatus. §. si ita scriptum. D. de legatis 1.* & si legatarius promiserit restituere quod debitum, aut quod solutum fuerit ampliùs quam per *l. Falcidiam* licuerit. Si nihil ei licebat soluere, quia totum legatum exhaustum erat, ære alieno totum legatum repeteretur *l. 1. §. hoc verb. D. si cui plus quàm per l. falcidiam.*

L. LXXXIII.

292 Propriè bona dici non possunt quæ plus incommodi, quàm commodi habent. Inde fit vt bona dici non possint quæ plus æris alieni, vel tributorum habeant, quàm redditûs, cùm potiùs onerent, quàm beent: & qui ea habet, non dicatur locupletior, & eiusmodi bona licebit tutori alienare, sine decreto, quia plus incommodi, quàm commodi afferrent. Indéque plurima alia ad praxin colligit Rebuff.

L. LXXXIV.

293 Liberi omnes filij appellatione intelliguntur. Hoc est, tum masculi, tum fœminæ, maiores, minores, naturales, legitimi emancipati, sui iuris, & alij: quia qui totum dicit, nihil excludit. Excludunt tamen aliqui spurios quos filiorum nomine non contineri volunt plures DD.

L. LXXXV.

Tres facere collegium Neratius Priscus dixit: idque 294 tenendum ait Marcellus. Quare grauatus fundare collegium, tres minimùm collegiatos exhibere debet.

L. LXXXVI.

Iura prædiorum sunt æqualiter se habentia, vt bo- 295 nitas, salubritas, amplitudo. Quare, qui fundum cum suis iuribus restituere debet, eiusdem æqualitatis, siue eiusdem bonitatis, salubritatis & amplitudinis restituere debet. Si vendam tibi fundum cum suis iuribus intelligendum est, vt sit bonus, & salubris, non pestilens, & amplus in formam fundi, & non tantùm v. g. vnum contineat pedem: alioquin non esset emptus. Quare si fundus cum suis iuribus venditus, sit steril- aut pestileos, tenebitur venditor redhibere, *l. etiam. D. de ædilitio edicto.*

L. LXXXVII.

Roma est non tantùm quæ muro cingitur, sed 296 etiam quanta sunt ædificia continentia, quod vulgaris sermo docet: Romam enim ire dicimus, licet extra vrbem habitemus. Itaque Roma non solis muris finitur.

L. LXXXVIII.

Tantùm quisque pecuniæ relinquit, quantùm ex 297 bonis eius refici potest. Probatur ea vulgi consuetudine: dicimus enim centum aureos habere eum qui tantùm in prædiis, cæterisq; rebus similibus habet. Idem in fundo alieno legato non continget: quamvis enim Is hæreditaria pecunia parati possit: neque enim quisquam eum, qui pecuniam numeratam habet, habere dicit quidquid ex ea præstari potest.

Hanc legem sic exponit Alciat. vt licet quæcun- 298 que res secundum pecuniam recipiant æstimationem non autem pecunia secundùm res: si enim tu 10. habeas, & pro bis totidem modios tritici fide mea esse iubeam, & tanquam de alia re promiserim, fideiussio non valet: nec enim res pecuniæ loco succedit, sed pecunia quibusdam casibus loco rei, *l. Imperator, in fin de legat. 2.*

Dubitatur verò cùm quis in censu habere dicatur, 299 quantùm pecuniæ ea bonis refici potest, quomodo inenda sit ratio, an ducto valore secundùm communē æstimationem, an secundùm reditus, vt tanti res censeatur, quantum viginti annorum reditus conferunt, *l. Aub perpetua C. de sacros. Eccl.* an quanti res vendi potest: quod verius putat Alciat. Cùm enim res in pecunia functionem recipiant, tanti æstimari debent, quantum pecuniæ reperitur, nisi de rescissione propter læsionem agatur: tunc enim Is censetur læsus qui à communi cursu aberrat. Sed quoties rem æstimamos eius respectu qui eam acquisiuit siue titulo hæreditario, siue ex contractu, tantùm eam adeptum dicimus, quantum communi æstimatione vendi potest. Nec enim affectionis ipsius ratio est habenda, nec etiam quid alius tunc sit oblaturus, cùm is qui eam adeptus est, ne licitantis affectio deinde minuatur, non sit compellendus eam quàm primùm vendere. Vnde prima ratio est, vt tali casu communem valorem potiùs æstimemus: in qua æstimatione reditūū quoq; ratio habebitur. Gloss. *in authent. perpet.* Quod autem communiter reperitur, id iustum pretium est, vtpote

quod ex valore rei, non ea affectu constituatur: quapropter cùm in lege iusti pretij fit mentio, de eo quod communiter perciperetur intelligemus, *l. qui Romæ cohæredes. D. de verbor. obligat.*

L. LXXXIX.

300 Explicat trium vocum significationem, nimirùm quid sint *boues, nuptiæ, edere & reddere rationes.*

Et boues quidem magis vocantur armenta quàm iumenta. Armentum, ex Festo, est pecoris genus armis idoneum, vt equi & boues: nam equis curritur in bellum & clypei boum coriis armantur: boum cornibus faces addidit Annibal ex Liuio. Armenta etiam dicuntur quasi aramenta ad arandum, subtracta tertia littera. Quare quod armento, aut grege legato contineatur. Nuptiarum vox ita sonat, vt dum dicitur, dum nupta erit, primæ nuptiæ significentur; quod Alciatus intelligit donec nupta erit. Itaque moriente marito, non habebit, domum v.g. donatam. Rebuff. verò explicat quàm primùm nupta erit & si secundò nubat non debebitur ei altera dos, & de nomine primi, & quid illo veniat plurima dabit.

301 Inter *edere & reddere rationes* differt: nam ex Alciat. & Rebuff. reddere rationes duo continet, primo computare, secundò aliqua restituere: & ait, qui non tenetur ad reliqua, neque rationes reddere debere. Vide Rebuff. vbi plurima de reddendis rationibus habet.

Edere verò rationes, est illas exhibere, legendas & computandas præstare. Plura autem alia, eáque diuersa significat edere, de quibus Rebuff.

L. XC.

302 Vlpianus. Qui tradit ædes vti optimæ, maximæque sunt, non dicit seruitutem illis deberi, sed illas liberas esse, & nulli seruire. Hæc clausula in alienationibus rerum immobilium significat nihil de earum bonitate, & amplitudine, prædij, v.g. imminutum esse: & ideò liberum esse: quia si seruitutem aliquam deberet, de eius iure diceretur esse diminutum.

L. XCI.

303 *Meorum & tuorum* appellatione, actiones quoque contineri dicendum est ex Paulo.

304 Quod idem de pronomine *suorum* dicendum esse contendit Rebuff. quia ista inter se pronomina æquiparantur ex Glossa *in c. quo iure 8. dist. in verbo mea,* quam vt singularem notat Corset. *in singul.* Vnde fit, vt si legem, donem, aut vendam *mea* nullo adiuncto, iura & actiones comprehendantur, quæ omnia tamen intelligenda sunt pro ratione personæ donantis, legantis aut vendentis: si enim colonus vendat suum fundum, intelligi debet fundum, cuius curam & sollicitudinem habet, non proprietatem.

L. XCII.

305 Proximus est quem nemo antecedit, supremus quem nemo sequitur: quare agnatus proximus ad bona consanguinei intestati admittitur ex l. XII. Tabul. quæ sic habet: *Intestatorum hereditates primo suorum heredum, velint, noluntve sumpto. His deficientibus agnatus proximus familiam habeto.* Quamvis autem proximus dicatur ex pluribus, etiam qui solus est, proximus etiam dicitur, & licet longius distet ab eo, de quo agitur, si cum nemo præcedat, & ex generali Franciæ consuetudine, *Le mort saisit le vif.* de proximo consanguineo est intelligendum. Quod si sic testator, si Filius meus decedat sine proximis, bona mea veniant ad talem extraneum, Appellatione proximorum, venient omnes coniuncti ratione sanguinis.

L. XCIII.

Mouentium & mobilium appellatione idem significamus ex Celso: licet enim mouentia actiuam: mobilia passiuam significationem propriè habeant, pro eodem tamen accipiuntur, nisi aliter constet de mente loquentis vt in edicto prætoris, *l. à diuo. §. 2. Digestis de re iudic.* vbi dicitur executionem rei iudicatæ, non priùs fieri debere in mouentibus, vt equis, mulis, asinis, bobus, quàm in mobilibus facta sit, dum tamen creditori id commodum videatur. An debita & alia quædam iura mobilium, aut immobilium nomine significentur, disputant DD. Vide Rebuffum & Alciatum. 306

L. XCIV.

Duplicem verbi *credo* significationem assignat hic Celsus. Primam communem, vt pro restitutione capiatur quando retraditur, vt idem Celsus declarat, *in l. cum quoddam. Digestis de legat. 1.* & Callistratus *in l. Diuus. in fin. D. de fals.* Alteram pro dare, nempè de nouo, vt si testator vxori mancipia legauerit, & cauerit annullos, & vestes eidem ab hæredibus reddi. & si non fuerint, nihilominus præstari debebunt ab hæredibus causâ legati, quia legandi animo dedisse videtur, per *l. qui vxori. D. de auro. & argento legat.* 307

L. XCV.

Potest *reliquorum* appellatio vniuersos significare. Ita Marcellus. Quare dictio *reliquorum* non solum significat partem restantem, sed & totum. Quare si quis duorum seruorum optionem Titio dederit & reliquos Mœuio, si Titius non optet, omnes seruos habebit Mœuius, *l. cum optio. Digestis de option. legat.* & hæc vi verbi, & non ex iure accrescendi: propriè tamen ad partem restantem hæc dictio refertur; à qua sermonis proprietate in dubio nunquam recedimus (inquit Alciat.) Vnde si ex fideiussoribus alter decem promiserit: alter reliquum, si primus soluere nequeat, non tamen secundus in totum condemnabitur. Testator qui illud quod residuum est pecuniarum, apud argentarium Ecclesiæ legat, si deinde nouis lucris eam summam auxerit, non tamen totam legasse videtur. Paul. *l. cum stipulamur. Digestis de verbor. obligat.* Recedimus tamen à proprietate sermonis: quia id materia suadet, vel narrantis intentio. Quare eo casu residuum quandoque totum, quandoque nihil indocit. Hæc exempla profert Alciat. finge testatorem ex semisse spurium instituisse, ex residuo Titium, cum spurius sit incapax, videtur Titius in vniuersum institutus: nam nequidem pro parte solùm voluit testatus decedere. Si quis partem domus vxori leget, quam viuens ipse solebat inhabitare, si integram inhabitabat, tota debebitur, *l. vxori de legat. 3.* quia vel videtur partem dixisse respectu aliarum domuum, siue quia prævalet intentio ex aliis verbis coniuncta proprietati verborum. Finge etiam Titium ex asse institutum, Sempronium in residuo, nihil ei debetur cui nihil superest, *lege item quod. §. sed si,* & *lege qui*

non

non. de hæred. instit. Denique non recedimus à priore significatione, nisi ex coniectura voluntatis, atque sic communiter dici consueant.

L. XCIV.

309 Explicat quid sit littus & prædia. Et quidem quoad littus, illud est quousque fluctus maximus peruenit: quod probat auctoritate Ciceronis, qui ita censuit eum arbiter esset, nam veteres de quacunque extremitate vsurpatunt. Virgil. *Iacet ingens littore truncus.* Sunt autem hiberni fluctus maximi, quod eo tempore circa Vergiliarum occasum tempestatibus maria contineantur. Quare ex tertio Iduum Nouembris vsque ad sextum Iduum Martis, maria clauduntur, vt notat Veger. *lib. 1 rei milit.*

§. Prædia non dicuntur esse alicuius quandò sunt communia, sed cum illorum quilibet habet dominium etiam partis diuisæ, veluti si quispiam habet vnum prædium, alter aliud, poterunt duoe illorum dici prædia: quamdiu verò commune est, non potest dici alicuius illorum: nec enim proprium illud dicitur, quod est commune, *cap. sicut in 47 distinct.*

L. XCVII.

310 Cùm stipulamur quanta pecunia ex hæreditate Lucij Titij ad te peruenit, res ipsas, quæ peruenerunt, non pretia earum spectare videmur. Ita Celsus. Sensus est: si emptor hæreditatis stipuletur sibi restitui quanta pecunia ex hæreditate peruenerit, res ipsas videtur, quas ex hæreditate consecutus fuerit, stipulari, non earum pretia, nempe verbum non solum refertur ad numeratam pecuniam, sed ad corpora. Igitur si quis promiserit restituare quanta pecunia peruenerit ad eum ex bonis Titij, si res ad stipulatorem peruenerint, has res restituere tenebitur, per hanc legem.

L. XCVIII.

311 Agit de Calendis, & an priore, an posteriore die quis natus sit: quia post sextum Calendas natus est. Sensus itaque legis est, quod cum bissextus est in Calendis, id est intra Calendas, vt solet (neque enim intra Idus vult Nonas id est quando erit bissextus,) nihil refert vtrùm priore, an posteriore bisseati die quis natus sit: nam sexto Calendas erit natalis eius dies, cum biduum pro vno die habeatur. Et ideò bissextilis, quia non erit bissextus, dicitur natus sexto anno non Calendas: cum verò bisseatus est, natus erit VI. Cal. Igitur natus anno bissextili anno reuoluto in priori die sexto Calendarum dicetur habere annum. Idem & in aliis sequentibus, & in anno bissextili, primus sextus Calendarum, erit dies natalis eius. Quæ ibidem ex Catone & Quintio de bissextiii adduntur. Quædam de anno alibi explicanda sunt.

L. XCIX.

312 Quid sit notio quid prouincia, quid continentes, quid instrumenta, cum hæ voces variè accipiantur, explicat Vlpianus ea lege, quid illæ sint & primò quidem ait notionem accipi pro cognitione, & pro iurisdictione: nam notio non solum pertinet ad eos qui iurisdictionem habent; sed qui simplicem cognoscendi facultatem. Quare assessores siue amici qui in consilium proconsulum adhibentur, cùm etiam ipsi cognoscant, dicuntur habere notionem. Arbitri quoque quos ex compromisso adimus, habent notionem: cùm enim ex pacto priuatorum iurisdictio conferri nequeat, consequens est, vt saltem notionem habere dicantur. Itaque dicit *l. ait D. de re iudic.* exequendas esse sententias, qui notionem habent, quod etiam de arbitris intellexisse videtur, quorum sententiæ vel per pœnæ petitionem, vel exceptionem, vel etiam per actionem factum, sibi arbiter à iudice datus sit, executionem sortiuntur, *l. ab arbitro. D. qui satisda.* & alia de notione, & iurisdictione apud Alciat. & Rebuff.

313 §. De prouinciis. Prouinciæ dictæ sunt, quod procul ab Italia armis victæ fuerunt, in quas & legati mittebantur, qui ius redderent, & tributa exigerent. Aliæ erant continentes, aliæ trausmarinæ, vt Asia, Africa, Syria, Cyprus, Acaïa. De Sicilia dubitatur, quia mari dirimitur ab Italia. Quia tamen fretum modicũ est, Iurisconsultus inter continentes numerat, & cùm sit insula Italiæ vicina, pars potiùs Italiæ existimanda quàm prouincia. *l. Insula D. de iud.* Sed cum in eam prætor destinaretur, sicut in cæteras prouincias, essétque amplissima, maior æstimata est quàm vt insula appellaretur.

314 Refert porrò plurimùm continentes, an transmarinæ prouinciæ sint propter dilationes, quæ in illis breuiores, in his prolixiores concedi debent *l. 1. C. de dilat.* Scribit Dio edixisse Augustum, ne senatores iniustè principes extra terram Italicam peregrinarẽtur, præterquàm in Siciliam & Prouinciam Narbonensem: illam, quia Italiæ continens est & propinqua: in hanc, quia bellis & nouandis rebus minimè apta. Tacitus tamen *lib. 12.* ait Narbonensium reuerentiæ id tributum à Claudio. In iure Pontificio decem, vel vndecim ciuitates quibus quis dominatur, rex dici potest.

315 Quoad instrumenta, difficile ait Vlpianus eorum varias significationes separare, id est, diuidere. Accipit tamen hoc loco omnia quæ ad causam instruendam facere possunt, atque ita tam testimonia, quàm personas comprehendit.

L. C.

De titulis honorum & dignitatum.

316 Speciosas personas accipere debemus, clarissimas vtriusque sexus: item eas quæ ornamentis Senatoriis vtuntur. Quare quæ speciosæ vocarentur clarissimæ personæ variè fingunt Alciat. & Rebuff. Senatoria ornamenta distinguebant à cæteris etiam Equitibus, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen, gratia, toga, prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, prouinciæ. De variis dignitatum ordinibus vide hic Alciatum: nos ad alia properamus, quàm vt ad ista digrediamur.

L. CI.

De voce stupri, *&* adulterij, diuortij, *&* repudij, morbi *&* vitij: *& de voce,* serui. *Modestin.*

317 Adulterium in nupta, stuprum in vidua committi vulgò dicitur. Sed tamen lex Iulia de adulteriis, eiusmodi verbo promiscuè, & indifferenter vtitur.

318 Diuortium fieri dicitur inter virum, & vxorem: repudium sponsæ datur. Morbus est temporalis infirmitas: vitium perpetuum corporis impedimentum. Serui comprehendunt ancillas, & seruis legatis an-

cillæ comprehenduntur. Atque hæ significationes communes & magis propriæ sunt: cæteræ tamen quandoque in iure vsurpantur.

L. CII.

Derogatur legi, cùm pars detrahitur: abrogatur legi, cùm prorsùs tollitur.

319 Ferebantur olim leges per populi rogationem; quia Quirites vel à consulibus, vel à tribunis rogabantur, vellent, iuberéntne quid fieri, qui sciuissent, id est, confirmassent, lata sancitáque lex erat. Quæ alio nomine rogatio dici potest. Vndè & adoptionis species est arrogatio, quia vt A. Sellius scribit non nisi lege lata, & per populi rogationem fieri poterat. Hodie rescripto principis opus est, *l. 1. D. de mandat. Princip.* postquam Populus Romanus omne imperium in Augustum contulit. Quamvis aliter sentiant *l. 2. D. de adoptione*. Simili ratione dicitur derogatio, per quam aliquid diminuitur de vi, & effectu rogationis, id est, legis: sicut abrogatio cùm penitùs tollitur.

L. CIII.

320 Capitalis Latinè loquentibus omnis causa æstimationis videtur: pœnæ tamen appellatio capitalis, vel mortis, vel amissionis ciuitatis intelligenda est ex Modestino.

Nihil peculiariùs obseruandum videtur, quàm ipse vsus pœnæ capitalis.

L. CIV.

321 Natorum nomen ad nepotes etiam extenditur ex Modestino ἡ τῶν τέκνων προσηγορία, καὶ γὰρ τοὺς ἐκγόνους ἐκτείνεται. Obseruat Alciat. Herennium Modestinum sex libros de excusationibus Græco sermone scripsisse, quorum bonam partem in Digesta referri iussit Iustinianus, quorum pleraque excerpta *lib. 27.* leguntur: sed ab indocto homine in Latinũ translati. Hinc vides per extensionem, filios nepotes appellari in Græco etiam sermone, atque etiam in nostro vulgari, prognatorum etiam & progenitorum verbo nepotes, & deinceps intelliguntur ex eodem Alciato. De nati significatione Rebuff.

L. CV.

322 Idem Modestinus his verbis *libertatis libertatibusque meis*. libertum liberta non comprehendit.

Ratio est: quia liberti, vel libertæ meæ, non est meus libertus, neque ita censeri debet, nisi testator eos quoque libertos suos consueuerit appellare; quod tum ex eius epistolis, tum ex verbis nuntiatiuè prolatis probari solet. *C. aliment. de alimentis legatis*, ve si scriptum sit φρείνῳ ἡμετέρῳ ἀπελευθέρῳ. Hæc & similia probantur: quia verba de eo quod prius est propriè accipiuntur, non de eo, quod posterius, quæ per alienam personam assumuntur, *l. qui liberis. §. 1. D. de vulg.* Quare socius mei socij non est meus socius. *l. socius tit. 1.* Inimicus mei amici, non est mihi inimicus, neque clientis mei cliens, clientulus meus.

L. CVI.

323 Quid sint dimissoriæ litteræ? Sunt eæ quæ vulgò dicuntur apostoli, & quibus ad eum qui appellatus est, causa dimittitur. Nomen apostoli nuntios significat ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν, quod est remittere. Sunt & Demostheni naues quædam de Lemborum genere ita dictæ: & denique dimissoriæ litteræ. Cùm igitur sententia iudicis appellatur, debet is, qui appellat instanter ab eo petere huiusmodi litteras, quibus secundus iudex de causa instrui possit, tenetúrque is à quo petuntur Apostolo dare, qui si appellationi detulit, dicuntur dimissores, *l. fuit. C. de appellatio.* si non detulit refutatorij; omnes autem obsequiũ aduersùs superiorem præstant: vnde etsi dubitetur an deferendum sit, dari debent, *cap. 1. de appellat. in 6.* & ideo reuerentiales à quibusdam appellantur. Qui apostolos non petit, appellationi renunciare intelligitur. *Clem. quamuis. de appellat.* sicut & si in termino, quem sibi iudex eorum accipiendorum causa statuerit, non compareant. Succurri tamen quidam putant posse in his casibus rusticitati. Vide quid Paponius *quæst. 46.* quod non audet affirmare Alciat.

L. CVII.

Assignare libertum est testari, cuius ex liberis libertum esse voluit.

Obserua verbum, *assignare*, esse ambiguum & 324
tum ad translationem dominij referri posse, *l. 4. de euicto*, & ad solam pignoris, vel custodiæ concessionem, *l. 1. §. antepen. D. de ven. in possessio.* Quare igitur vis assignationis obseruanda est, hoc casu est assignare cuinam ex liberis velit esse libertum: nam Velleio Russo, & Hostorio Scapula Coss. senatusconsulto concessum est parenti plures habenti liberos cui voluerit libertos suos assignare *l. 1. D. de assignat. lib.* quæ assignatio neque legis, neque fideicommissi vim habet. Quæritur tamen ius patronatus filio, cui est assignatum.

L. CVIII.

Debitor est is, à quo inuito exigi pecunia potest.

Sic definitur debitor strictè & propriè loquendo. 325
Quare qui sub conditione, vel in diem debet, propriè debitor non est, sed videndum quæ sit illa conditio.

L. CIX.

Quid sit sequester? Is est apud quem plures rem 326
eandem, de qua controuertitur, deposuerunt. Rationem etymologiæ reddit: quia occurrenti & quasi sequenti eos, qui contendunt dimittitur. Quam etymologiam duriorem ait Alciat. Vide Rebuff. vbi & de sequestri officio.

L. CX.

Bonæ fidei emptor qui rem alienam esse ignora- 327
uit, aut eum, qui vendidit putauit, ius vendendi habere.

Ad quid obligetur tum bonæ, tum malæ fidei emptor, fusè disputauimus *in opere de vniuersa rerum humanarum negotiatione, in disputatione de emptione & venditione*. Notandum tamen aliud esse malæ fidei, aliud bonæ, aliud non malæ fidei possessorem: quæ eo loco distinximus.

L. CXI.

L. CXI.

328 Varia vocis *censere* significatio est. Primò enim est præcipere, & constituere. Hinc dicimus senatum censuisse, vt habet hæc lex & Glossa *in Clement. vnic. vers. censemus, de concess. prabend.* Secundò significat opinari. Ita Budæ. *in annot. in Pand. ad l. vltim. D. de senatu.* Prædia censeri dicuntur quæ censum præbent, *l. omne territorium. C. de censibus & censitis.* De varia census acceptione Rebuff. *hoc loco.*

L. CXII.

329 Litus publicum dicitur quatenus maximus fluctus exæstuat; quod idem dicitur de lacu, nisi totus priuatus sit, quatenus protenditur iam littus dictum superiùs. Vnde non licet alicui illud occupare.

L. CXIII.

Morbus sonticus qui cuique rei nocet.

330 L. XII. Tabular. Qui morbo laborabat in iudicium venire non cogebatur, nisi aduersarios equum vel plaustrum, quo veheretur daret. Morbus quidem quæpiam est imbecillitas, vel inualentia: morbum sonticum quasi maiorem vim nocendi habentem vocat; qui hoc morbo laborabat nec in ius venire, nec procuratorem mittere cogebatur, *l. fin. §. si quis in iudic. D. si quis caut.* sententia in illum lata nullius erat momenti, *l. quæsitum. D. de re iudic.* iubebat enim lex iudicij diem diffisum, id est, interprete Seruio *in 6. Æneid.* qui partim religiosus, partim fastus est, qui & intercisus à Macrobio appellatur. Cùm itaque aliqua negotia propter religionem differre oportebat, dies definiebatur, id est, scindebatur in sequentem; cuius vocis meminit Liuius, Gall. Horat. Itaque tritum illud, Nihil hic dissentire possum, quominus pronuntiem. A pluribus porrò aliis impedit aut excusat morbus sonticus, & grauis, quàm à iudicio, de quibus Rebuff. vbi etiam obseruat, sumi pro vehementi, & grauissima ægritudine, sonticam causam pro iusta & legitima, stylum sonticum pro noxio. Vox antiqua sontite significat obesse & grauiter nocere.

L. CXIV.

331 Soluendo non est, qui solidum soluere nequit. Hoc est totum quod debet, etiam si bonam partem soluere possit; quod intelligendum est vt possit per se, vel per alium soluere & quacumque tandem ratione. Dicitur solidum, id est, totum in sorte & vsuris, siue integrum.

L. CXV.

Distinguit Lex fundum, possessionem, agrum, *&* prædium.

332 Fundus est quidquid solo comparatur. Ager species fundi, quæ ad vsum hominis comparatur, vox Græca; quod monet quoque Varro ἀπὸ τοῦ ἄγειν: Latini dicunt agere, & actum. Possessio iuris proprietate ab agro differt: siue, possessio vsus est, & ager proprietas loci. Prædium est generale nomen ad possessionem, & agros. Itaque si quis per vsum & possessionem, vel per proprietatem rem acquisierit, rectè suum prædium dicere poterit, *l. 5. D. de vsufructu.* Vide Rebuff.

L. CXVI.

Testator vnum ex filiis hæredem fecit: alios verò, 333
etiam posthumos hac clausula instituit, *quisquis mihi alius, filij, filiúsve heres sit.* Dubitatur an etiam filiæ contineantur. Labeo existimat ex proprietate verbi non contineri: Proculus ex mente. Quare si ex aliquibus coniecturis de contraria testatoris mente appareat tenenda erit Labeonis sententia, vt si testator propriis filiabus exclusis filium proprium instituit, & si sine filiis decesserit, Sempronium. De aliis quibusdam coniecturis agit Alciatus.

L. CXVII.

Non potest videri minus soluisse is, aduersùs 334
quem maioris summæ actio non competit.

Sensus est: Debebas soluere decem Calendis Iulij, quæ non soluisti, eris in mora, ratione cuius possum petere interesse: si tamen accipiam decem, non diceris minus soluisse, quam deberes, quia nulla actio competit amplioris summæ: extincto enim principali, accessorium censetur extinctum, *l. cum principal. D. de regul. iur.* & *regula accessorium, in 6.* Hinc plures casus apud Rebuff.

L. CXVIII.

Hostes ij sunt nobis aut quibus nos publicè bel- 335
lum decreuimus: cæteri latrones, aut prædones, ex Pomponio.

More Romano loquitur cui nationes aliquæ subditæ erant: aliæ Romanorum hostes: aliæ nec Romanis hostiles, nec coniunctæ. Reliquarum vnum differentiam, quæ hîc additur, vix hodiè notat Rebuff. obseruari.

L. CXIX.

Hæreditatis nomen continet etiam damnosam 336
hæreditatem, quia est iuris nomen, sicuti bonorum possessio ex eodem Pomponio.

Continet igitur hæreditas & lucrosam & damnosam hæreditatem; quia iuris nomen est, hoc est, in iure consistit; succeditur siquidem in ius mortuis sicut in honorum possessione, *l. 3. D. de bonorum possessione,* & nihil aliud est hæreditas: quia successio est in vniuersum ius quod defunctus habebat tempore mortis: vel est nomen iuris à iure introductum, & & immutatum & absque vllo corpore iuris intellectum habet, quia etsi nihil in ea sit, repræsentat personam defuncti. Possessio bonorum est nomen iuris prætorij sicut hæreditas ciuilis.

L. CXX.

Pomponius exponit verba XII. Tabular. *vti quis-* 337
que legassit suæ rei, ita ius esto. Hæc verba liberam testatori facultatem relinquunt ad legata, hæredis constitutionem, & tutelarum, & libertatum dationem: legare enim ex frequentiore quidem vsu intelligitur de his, quæ particulariter verbis directis in testamento relinquuntur: latiorem tamen significationem habet; idémque est legare, quod decernere, & mandare: in testamentis tamen, in quibus verba secundùm testatorum consuetudinem accipiuntur, verbum

legandi

legandi obliquum est verbum, vt multis probat Alciat. Quidcunque igitur de re sua quis decreuisset, ex duodecim Tabularum verbis obseruandum fuerit.

338 Coangustata tamen fuit hæc potestas, vt ait lex, ex variis senatusconsultis, & legibus: nam Augusti tempore C. Falcidius Tribunus plebis legem tulit ne quis plus testamento legaret, quàm vt quarta pars hæredibus superesset, vti testatur Dionys. & Hieron. *in Chron.* ait quartam partem hæredibus necessariò relinqui, si quatuor minùs essent; si autem plus quatuor medietatem, eo tenore, vt siue liberis, siue propinquis dei extremis pater sua legaret, illa pars, quam Falcidius constituit, nisi pars interdiaerit, & legatis ruentibus & iisdem carentibus æqualiter diuideretur. Ælius quoq; Sentius, & Fusius Caninius libertatum conferendarum ius retinuerunt, *Inst. qui mand. non poss.* Nam in fraudem creditorum manumitti vetuit, & minoribus vigintiquinque annis nisi causâ cognitâ hoc ius concessit. Alias limitationes affert *hoc loco* Alciat.

L. CXXI.

339 Definit vsuram pecuniæ non esse in fructu, quia non est ex ipso corpore: sed ex alia causa & noua obligatione ex qua nascitur. De vsuris quomodò debeantur, & ex quibus rebus, & de aliis, quæ ad totam illam pertinent, fusissimè disputauimus *toto ingenti opere de vsuris & commercijs*, quæ hoc loco denuò tractanda non sunt.

L. CXXII.

340 Sensus est: si quis tutores filio suisque filiis dederit, Heteonius dicebat filiabus non datos, quia testator à singulari casu filio & masculo videretur transisse ad pluralem eundem sexum continentem. Sed hæc quæstio facti videtur, non iuris, an testator voluerit transire ad pluralem cum eodem sexu, quod fieri potuit, vt ait lex, quod in singulari sexsetit de filio masculo, & postea in plurali de omnibus liberis, vt sic etiam filiabus prospexisse videatur, cùm haberet vnum filium & plures filias; & filiorum appellatione fœminæ veniunt: quod tenendum videtur.

L. CXXIII.

341 Verbum, *erit*, interdum præteritum tempus demonstrat, sicut & verbum *est*, non solùm præsens; sed & præteritum demonstrat. *Ita subreptum erit* in lege Atinia, tam præteritum tempus ostendit, quàm futurum, auctoribus Scæuola, Bruto, & Manilio apud Gellium *libro 17. cap. 7.* Id verò Nigidios verum esse dicit vbi vox, *erit*, verbo passiuo iungitur. Sic apud Aristotelem *ἀνθρώπους ἰσόμενα*, quod propter codicillos obseruandum, & ex variis adiunctis coniicienda est mens testatoris.

L. CXXIV.

342 Hæc verba *ille, aut ille*, non solùm disiunctiuæ, sed etiam subdisiunctiuæ orationes sunt, quatum vna posita necesse est tolli alteram; qua simili ratione, *aut*, potest esse subdisiunctiuum. Subdisiunctiuorum duo sunt genera: vnum cùm ex propositis finibus ita non potest vtrumque esse, vt possit neutrum esse, veluti cùm dicimus, Aut sedet, aut ambulat: nam vt nemo potest vtrumque facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is qui accumbit. Alterius generis est, cùm ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, vt possit vtrumque esse; veluti cùm dicimus, omne animal, aut facit, aut patitur: nullum enim animal est, quod nec faciat, nec patiatur: at potest simul, & pati & facere.

Legis huius, quæ orationem disiunctiuam, & subdisiunctiuam facit, sensus perspicuus est.

L. CXXV.

Veras dotalium promissionum formulas explicat.

Sensus est: quod si quis promiserit marito centum 343 aureos nomine dotis filiæ suæ cùm commodum erit, illa verba intelliguntur quando sine incommodo poterit, deducto ære alieno, saluáque dignitate, quando non constaret de alia dispoenntis mente; quo casu ad id, quod actum est, interpretatio redigenda est. Vnde intellectum ad varias promissiones colligit Rebuffus.

L. CXXVI.

De venditione fundi vti optimus maximúsque est.

Sensus est: Si ego tibi donem, aut vendam fundum, vti optimus, maximúsque est, debeo eum præstare liberum: non enim dicitur esse optimus, nisi sit liber, si tamen adiecero ius fundi deterius non esse factum per me dominum, tunc sufficiet me non imposuisse seruitutem, aut quod ius fundi fecero deterius. Vide Rebuffum in *l. qui vt optimus. D. de verbor. significat.* 344

L. CXXVII.

Vestis generale nomen est, & omne genus vestis 345 continet, ex Paul. viriles, muliebres, scenicas, tragicas, cytharedicas & alias ludorum gratia contextas.

L. CXXVIII.

Spadonum nomen comprehendit tum eos qui à 346 natura tales sunt, tum thiblias, & thlasias ex Vlpiano, de quibus omnibus latè diximus *libro de irregularitate, cap. 3. q. 2. confect. 4.*

L. CXXIX.

Nati non videntur neque procreati, aut progeniti, 347 qui mortui nascuntur, quia nunquam liberi appellari potuerunt ex Paulo. Inde fit, in agnatione talis posthumi mortui non rumpatur testamentum. Quod si viuos natus fuisset, rumperetur *l. 2. C. de bonor. possessione contra Tabul. l. 3. D. de posthum. hæredib. inst. & l. posthumus. D. de iniusto rupt. & irrit. fact. testament.*

L. CXXX.

Hæreditas lege obuenit quæ ex testamento defer- 348 tur ex Vlpiano, quia Lex 12. Tabul. eiusmodi confirmat hæreditates, quæ proindè dici poterunt legitimæ Propriæ, an impropriæ an minùs impropriæ lxigant DD.

L. CXXXI.

L. CXXXI.

349 Fraudis, & pœnæ distinctio. Fraudem pro pœna sumebant veteres, *l. cum autem §. excipitur. l. magistratibus de iniuriis.* Pœna à Græco *ποινή*, qood à *ποινο*, vnde *πόνος* & *ποινή*. Vlpianus tamen fraudem distingoit: quia pœna sine fraude esse non potest: sed fraus sine pœna. Pœna est noxæ vindicta: fraus & ipsa noxa dicitur, quasi quædam pœnæ præparatio. Fraus etiam pro periculo. Virgil. *Quis Deus in fraudem egit?* & Horat. *Iuuit ardentem sine fraude Troiam.*

350 Differunt fallacis, calliditas, machinatio, impostura: suntque fraudis species, quas accuratiùs distinguere non est operæpretium: sufficit pœnam & mulctam sic ab Vlpiano distingui, quia mulcta est nomen generale, & omnium delictorum coërcitio. Mulcta est specialis peccati, cuius animaduersionem dicit esse pecuniariam sua ætate Vlpian. Pœna autem & pecuniaria est, & capitis, & æstimationis: lege, aut speciali iure imponitur. Mulcta ex arbitrio eius qui illam dicit. Differunt etiam ratione imponentis, vt *ibidem* ait Vlpianus.

L. CXXXII.

Anniculus est qui extremo anni die moritur Vlpian.

351 Decima dies mensis significatur, cùm dicitur ante, vel post decimum Kalendarum. Ea non peperit, cui mortuus filius exsectus est. Quæ omnia satis aperta sunt: neque explanatione indigent, sicut neque subsequens eiusdem Vlpiani.

L. CXXXIV.

352 Anniculus quis non dicitur statim natus, sed trecentesimus sexagesimo quinto die: incipiente tamen & nondum exacto die, quia annum ciuiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.

L. CXXXV.

De partu monstroso. Vlpian.

353 Quæritur, an si quæ mulier portentosum, vel debilem, & denique non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis quàm hominis partum ediderit an quia enixa est ei prodesse debeat, & respondet Iurisconsultus magis esse vt hæc quoque parentibus prosint: nec enim est quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt statutis obtemperauerunt: neque id quod fataliter accessit matri, damnum iniungere debet. Itaque si quis illi mulieri reliquerit, si enixa fuerit, illud capiet, & talis mulier legatum consequetur & parentibus etiam, vt debeant loco partus succedere.

L. CXXXVI.

354 Appellatione generi continetur ex Vlpiano maritus non solùm filiæ, sed & neptis, & proneptis tam genitæ ex filio, qoam ex filia, necnon mariti aliarum. Quæ manifesta sunt.

L. CXXXVII.

Quæ tergeminos peperit, ter enixa videtur. Vlpian.

Quia in quolibet partu, niti eam oportuit, & co- 355
nari illos edere, & illi prodeeunt patri ad tutelæ excusationem.

L. LXXXVIII.

Hæreditatis appellatione bonorum quoque pos- 356
sessio continetur. Vlpian. Ratio est: quia vtriusque idem est effectus, vti diximus nuper, & solo nomine differunt.

L. CXXXIX. *ad* L. CLXIV.

His omnibus legibus traduntur valdè vulgares 357
vocum definitiones, quæ non indigent explicatione, nisi velimus ad plura alia digredi, quod modò facere non vacat. Quare illa annotasse & adduxisse satis fuerit.

L. CXL.

Ædificia Romæ fieri dicuntur, quæ in continen- 358
tibus Romæ ædificiis fiunt, cùm Dionys. scribat indictum esse senatorij ordinis viris quatuor obolos soluerent, in singulas quasque regulas ædificiorum, quæ Romæ incolerent, vt inde pecuniæ aduersùs Antonium in Mutina absidione belligerantem conficerentur, & eadem de causa compulsos esse à triumviris ciues Romanos, vt pensionea ædificiorum, quæ Romæ haberent penderent. Quod murus Colonorum à Tullio & Cæsare vocatum fuisse existimat Alciatus. Hinc dubitatum fuit quænam ædificia intelligantur Romæ esse. Quare Vlpianus tradit illa Romæ ædificia censeri quæ extra muros in continentibus vrbis fiunt: quia, vt iam diximus, Roma muris non terminatur, sed continentibus ædificiis.

Eadem lege additur perfecisse ædificium qui ita 359
consummauit, vt iam in vsu esse possit. Quid Clarius? Intelligendum enim est de vsu, ad quem primò destinatum est, & de quo inter partes conuenit.

L. CLI.

Vlpianus. Aliquis cepisse dicitur, qui aliis tantùm 360
acquisiuit; V. g. filio, vel seruo quidpiam relictum vel præstitum est, cuius dominium ad patrem, vel dominum incontinenti transfertur: ipse tamen filius, vel seruus cepisse videtur, & dicitur: & quamvis qui restituturus est, cepisse non videatur *l. aliud est capere. D. de verb. signif.* quia quem tanquam principium acquirendi consideramus, & in quem purè & simpliciter fuit translatum dominium absque vllo grauamine restituendi, ille reuera cepisse dici debet, quamvis lege disponente quæsita à filio, & seruo, patri & domino acquirantur & breui quadam manu transferantur breui saltem momento purè domini permanserunt.

L. CXLII.

Idem Vlpianus tradit duo, quibus mulier tempore 361
mortis filium habere potest: primo quidem si exsecto ventre nascitur illi filius, de quo plurima dis-

seruit

serui hoc ipso opere *libro secundo* vbi de dissectione Cæsarea, alique dissect. Hermenop. cùm ait: etiam ea mulier cùm moreretur creditur habere filium, ex qua secta prodiit infans, habet siquidem filium, sed nondum editum. Secundò si moriente matre filius erat apud hostes captiuus, illáque mortua rediit, Si igitur facta fuit donatio mulieri si habeat filios tempore mortis, eos præfatis casibus censeri habere & donationem lucrari.

L. CXLII.

362 Paul. explicat quot modis in iure accipiatur coniunctio quam triplicem facit. Alciatus reducit ad duo genera, nempè ad coniunctũ re, & verbis, ea quibus fit tertium genus cùm re & verbis coniunguntur: verbis quidem, qui vna structura in eiusdem rei partibus coniunguntur, Titio lego fundum Seianom, Seio eundem fundum æquis portionibus. Re autem & verbis, vti Mœuius & Titius ex dimidia parte hæredes sumpto. De his coniunctionibus multæ ambages apud Alciat & Rebuff.

L. CXLIII.

363 Is videtur habere rem pro quà actionem habet: nam illud quod peti potest habetur, fictione iuris: nobis enim quodammodo affectum est. Et sanè amissum videtur cuius nollam habeo actionem aut quam habere desino.

L. CXLIV.

364 Ex Paulo discrimen pellicis, amicæ & concubinæ. Hodie vocamus quæ cùm vxor non sit, cum aliquo vxoris instar habitat. De iis omnibus diximus *tractatu de omnimoda negotiatione*, maximè vbi de illa quæ fit ex lupanari.

L. CXLV.

365 Vlpianus. Virilis appellatione tota interdum continetur hæreditas: nam virilis portio pro æquali accipitur. Quare si Titium & Seium io viriles partes instituero, æqualiter admittentur, *l. virilis D. de leg. præst.* & si Titius hæres esse non possit, totum Seius habebit: quam quæstionem elucidat Alciat.

L. CXLVI.

366 Terentius vult soceri & socrûs appellatione auum quoque & mariti vel vxoris appellatione contineri: sicut præterea nomine soceri, socer magnus vel prosocer continetur. Nisi quid aliud suadeat, ita dicendum est de patruo saltem in fauorabilibus, in quibus fauorabilior. & amplior fit interpretatio.

L. CXLVII.

367 Idem ait Vlpian. Qui in continentibus vrbis nati sunt, Romæ natos dici: nam continentia dicuntur suburbia. Quod si lex eum, qui Romæ natus non sit, à dignitatibus excludit, an is qui extra domicilium peregrè natus est, recipiendus erit: certum est enim verbis legis excludi Interpretationem modò non motor.

L. CXLVIII.

Caïus ait non esse sine liberis, & habere liberos 368 qui vel vnum filium aut vnam filiam habet, quia dicimus liberos in numero plurali sicut pugillares aut codicillos. Quare dictio liberi, de vnico filio dici solet. Quæstio est grammaticalis, sed Caïo antiquiores fauent. Idem afferre videtur L. cxlix.

L. CL.

Si à te stipulatus fuero quantò minùs à tutore 369 consequutus fuero, certum est si à Titio nihil fuero consequutus, totum debeas quod Titius debuerit. Sensus est: Seius promisit mihi soluere quantò minous à Titio fuero consequutus, si nihil à Titio consequar, ad totum quod Titius debet, tenetur Seius: quia minus solutum dicitur, etiamsi nihil solutum est, *l. minus. D. de verbor. significat.*

L. CLI.

Terentius. Delata hæreditas dicitur, quam quis 370 potest adeundo consequi. Hæc igitur hæreditas mihi delata est, id est, allata & obuenta, quam possum adeundo consequi siue per me, siue per alium, inquit Glossa. Quid verò sit adire hæreditatem, & quid illam repudiare, vide *tomo 2. de negotiatione*, vbi de testamentis, & hæreditatibus.

L. CLII.

Hominis appellatione tam masculum, quàm fœminam appellari, & contineri ait Caïus. 371

L. CLIII.

Terentius. Intelligendus est mortis tempore fuisse 372 qui in vtero relictus est. Quare qui in vtero est, in sui fauorem pro nato habetur per fictionem legis, licet per naturam impossibile sit eum ante septimum mensem nasci & viuere. Quare falsò dicitur legem nonquam fingere impossibilia: fingit enim dum subsit æquitas, quare qui in vtero est, cùm de suo commodo agitur, natus existimator. Si tamen nullum damnum patrui infertur, si natiuitas expectetur, tunc illa maxima non procedit: cur enim lex finget, cùm nulla sit fictionis necessitas? Quare posthomo non confertur antequam sit natus, & ad partem hæreditatis interim non admittitur, *l. antiqui D. de petit. hæred.* nec præteritus rumpit testamentum, nec propter incertitudinem suus est hæres.

L. CLIV.

Mille passus non à muro vrbis, sed à continenti- 373 bus ædificiis numerantur. Hinc fit, vt cùm Præfectus vrbis de his quæ intra centesimum lapidem perpetrata sunt, cognoscat, *l. 1. D. de officio præfect.* inhibitur computatio à continentibus: aut distinguendum est, quomodò concepta sunt verba.

L. CLV.

Proximi appellatione etiam ille continetur, qui 374 solus est ex Licinio Rufino. Quare si proximus ex linea paterna debeat succedere, & illo deficiente alii

alij ex linea materna : ſi vnus tantùm ſit ex linea paterna, is ſuccedet, excluſis aliis per hanc legem.

L. CLVI. *ad* CLXI.

375 Et hæ quoque ſignificationes perſpicuæ ſunt, vt quod *l.* 156. Lucinius Rufinus : dicit enim maiore anni parte poſſediſſe ſi duobus menſibus poſſedit, ſi eius aduerſarius, vel omninò non poſſederit, aut non niſi paucioribus menſibus.

376 Ælius Gallus vult parietem ſignificare murum & ſimul maceriam, cuius plures numerantur ſpecies, de quibus Commentator *in hanc leg.* 157. & contra Alciatum exponit tum de pariete priuato, cum de mœnibus vrbis : vtrumque enim murus ſignificat, *ibidem* §. 1. via & ſemita & iter : neque ſubtiliores earum vocum diſtinctiones placet modò diſtinguere.

L. CLVIII.

377 Celſus ait ex Caſcillo antiquo Iuriſconſulto, in iure numerum ſingularem vſurpari pro plurali maximè quandò res ſunt eiuſdem generis. Sic diximus multum hominem veniſſe Romam, piſcem vilem eſſe, ſi ſecundum me hæredémve res iudicata ſit : quibus exemplis ſuam aſſertionem Celſus probat.

L. CLIX.

378 Vlpianus. Nummos aureos aliquando æs dicimus, quia nempè æs pro nummis generale nomen eſt, cùm in ære antiquiſſimo more ſculpta, & ſignata ſit pecunia.

L. CLX.

379 Idem Vlpianus *cæterorum* & *reliquorum* appellatione contineri omnes ait, ex Marcello. Quare legata Titio optione ſeruorum, & cæteris Sempronio relictis, ſi Titius non *optet*, vel modo quopiam excludatur à legato, omnes ad Sempronium pertinebunt vi verborum. Vnde colliges dictionem *& cætera* & Græca ϗ ἕτερα cum abbreuiationis cauſa apponitur, cenſentur alia repetita, quæ ex conſuetudine & natura actus requirebantur ; in re verò dubia non licebit abſque Iudicis mandato eam dictionem extendere : vbi de iure ſcriptura neceſſaria eſt, illius inuolucro neceſſariò non implicantur.

L. CLXI. CLXII. & CLXIII.

380 Verba *optimus maximus* circa edictum prætoris etiam circa vnum ſolum, vera ſunt ; quod exemplo edicti Prætoria & Fabij probat Alciatus. Idem Paulus nomine pueri puellas indicari ait, quia & fœminas puerperas nominamus ex partu recentes, & Græcis παῖς vtriuſque generis ſitquas rationea impugnat Alciatus.

381 Idem Paul. *l. ſeq.* negat dicendum pupillum qui in vtero eſt : quia (inquit Alciat.) eſt adhuc viſcerum matris portio, ideoque ancilla prægnante, ſi partus euincatur, non agitur duplæ, quia in contractu non magis eſt habitus reſpectus ad partum quàm ad quodlibet aliud inteſtinum & ancilla prægnans non eſt pretioſior, quia & ſi ſit aliqua ſpes lucri ; eſt tamen periculum abortus ; & in lege Falcidia *leg. placuit* propter ancillæ ventrem hæreditas non augetur. Quod ſi quis eadem cauſa carius ancillam euicit, quod ex illa naſcetur, habebit titulo oneroſo, *leg. quod ſi ex Pamphylo. D. de legat.* 2. Si fur matrem ſuſtulerit, partum apud eum conceptum contraxiſſe videtur, neque vllo tempore per poſſeſſionem illam acquirere. Mulier prægnans in exilium acta, filius inde natus non erit exul. *leg. in ſeruorum. Digeſt. de ſtatu homin.* Lex Cornelia in homicidis, non procedit in eo qui abortionem procurauit. In vectigalibus pro eo quod in vtero eſt, non debetur.

L. CLXIII.

Pomponius vult in vulgari ſubſtitutione etiam qui ſubſtituitur & qui ſupremus morietur, etiamſi vnicus fuerit, rectè ſubſtitutum eſſe. Vide Alciatum. 382

Sicut & illam clauſulam probat, *Si quid filio meo acciderit, Damas ſeruus meus liber eſto.* Mortuo filio Damas liber erit. Itaque de morte illa conditio erit intelligenda, de morte, inquam, naturali, & non ciuili.

L. CLXIV.

Vlpianus filiorum nomen etiam poſthumis conuenire vult. Portionis nomen dimidiam partem non ſemper ſignificat, quamlibet partem ex variis conſectatis prout libuerit diſponenti. 383

Habere dicitur quod quis cum effectu habet, eſtque regula generalis, verba cum effectu accipienda eſſe, *leg. aliud. leg. cepiſſe D. de...* 384

L. CLXV.

Pomponius. Veniſſe ad hæredem nihil intelligitur niſi deducto ære alieno. Hinc regulam generalem colligunt Doctores eatenus habuiſſe quemlibet videri, quatenus ſeductis oneribus remanet. 385

L. CLXVI.

Pomponius diſcrimen vrbanæ & ruſticæ familiæ aſſignat : differunt enim non loco, ſed genere & conditione eius qui adminiſtrationi præeſt : olim namque dominus vni familiam vrbanam legare, vel dare voluit, alteri ruſticam : vſu igitur & miniſterio differunt, vbicumque degant, ſiue rure, ſiue in vrbe, eo modo quo vrbanus ſeruus & ruſticus : quare conſulendus eſt ipſe dominus quo quemque numero & loco habeat & in qua etiam familia computetur, an in vrbana, an in ruſtica. 386

Inſularius ex vrbanorum numero cuſtos ille eſt inſulæ & domus : nos *Concierge*, nominamus. 387

§. Pernoctare extra vrbem intelligendus eſt qui nulla parte noctis in vrbe eſt : *per* enim totam noctem ſignificat. Quare ita intelliges quod dicitur *illud Digeſt. de offic. præſid.* non liceat præſidi extra vrbem niſi gratia ſoluendi vota. Maritus vxorem ſe inuito foris pernoctantem repudiare poteſt iure Codicis *l. conſenſu.* §. *Vir quoque Codic. de repud.*

L. CLXVII.

388 Vlpianus. Appellatione carbonum non continetur materia siue lignum ex quo fiunt carbones. Nec etiam lignorum nomine ipsi carbones, sed genus habent proprium: quare qui donat aut vendit carbones, non intelligit de lignis. Sicut neque libri nomine chartarum, ea quibus fiunt. Qui legauerit ligna siue in nemore sint siue extrà, non intelliget nisi ea quæ comburendi causâ succisa sunt, non verò arbores quæ alicuius operis gratia in ædificiis succisæ sunt, & euulsæ: ligni etiam nomine non veniunt nisi ea quibus ad comburendum vtimur; licet & ipsa proprium nomen habeant, ligno tamen ex nemore legato veniunt etiam arbores conscissæ & ad lignum faciendum destinatæ. In hac verò voce & eius significatione regionis, eiusque consuetudo seruanda & mens ac voluntas disponentis.

389 Addit Vlpianus *in paragrapho, sulpharata*, Galliè, *des allumetes*, aut vt de carbonibus desiuiendum esse & ea quæ ad faces parata sunt non venire lignorum appellatione, nisi aliter de voluntate disponentis constiterit; quod idem sequenti de nucleis oliuarum, & de balanis definit. Aliud censet de pini integri strobili ligni appellatione contineri. Nucem igitur pineam & strobilum si integra sit lignis annumerat. De va[illegible]nucum pinearum generibus vide Plin. *lib.* 15. *vel* 16.*c.*10. qui quatuor facit.

L. CLXVIII.

390 Paulus. Palos & perticas innumerum materiæ redigit & ideò lignorum appellatione non comprehendi. Si quis igitur mihi ex suo nemore donauerit ligna quibus domi vtitur, non potero præcidere palos vineis affigendos, nec perticas.

L. CLXIX.

391 De vocibus *vti optimus maximusque est*, quæ traditionibus, emptionibus stipulationibus, testamentis adiiciuntur, quidnam oprentur, agit Vlpianus: faciunt nempè vt liberum præstetur prædium, non verò vt seruitutes ei debeantur; quod etiam nuper ex eodem Vlpiano monuetamus. Facit igitur tantùm regulam negatiuam.

L. CLXX.

392 Vlpianus ait omnem successorem hæredem appellari, licet aliàs verbis propriis non fuerit expressus, siue quis succedat iure ciuili, siue iure prætorio: non tamen venit eo nomine fideicommissarius nisi illa materia conueniat fideicommissario, & in eo sit eadem ratio quæ in hærede, vt obligatio faciendi inuentarium & valida possessio sine apprehensione, atque continuatio possessionis defuncti ex generali Franciæ consuetudine. Vide alia apud Rebuffum.

L. CLXXI.

393 Pomponius. Ad te peruenit quod ad te per alium: duo affert exempla. Hæreditas censetur peruenisse, quæ patri adoptiuo fuit acquisita. Quare solutâ adoptione paterfamilias illam hæreditatem filio adoptiuo restituere tenetur.

L. CLXXII.

Vlpianus. Lex perspicua est, liberti appellatione libertam quoque contineri. Ratio iam sæpiùs insinuata est: quia masculinum comprehendit fœmininum; quod ex dictis iam constat. 394

L. CLXXIII.

Neque minus perspicua est eiusdem lex sequens, collegarum nomine significari eos, qui sunt eiusdem potestatis, Græcis συνάρχοντας. De eiusmodi collegis *alibi* dicendi locus erit. 395

L. CLXXIV.

Vlpianus quoque distinguit inter furem non esse, & furto, noxáque solutum esse. Quare qui vnum affirmat, non affirmat alterum: hominis enim propositum affirmat qui dicit non esse furem; qui furto & noxa solutum, dicit nemini furti nomine teneri. Vtrumque tamen olim in venditione seruorum cauere solebant, vnde illa distinguit Iurisconsultus, & qui promittit non esse furem, tenetur suâ promissione, si seruus furetur siue suo domino, siue extraneo, qui verò promittit furto noxáque solutum, id est nemini esse obligatum promittit, furti, vel alterius noxæ nomine liberabitur tamen dando seruum pro noxa. 396

L. CLXXV.

Pomponius. *Faciendi verbo reddendi causâ continetur.* Quare in edicto Prætoris in fraudem creditorum facta quæ restitui debent, significant etiam quæ in fraudem creditorum reddita sunt; illa etiam restitui debent. Vir v.g. vxori ante tempus dotem in fraudem creditorum reddidit, edicto Prætoris continetur. 397

L. CLXXVI.

Vlpianus. Soluit qui facit quod promisit & solutionis verbo omnis, & quælibet satisfactio accipitur, nimitùm liberatio, satisdatio, satisfactio & alia quæcumque, licet inter, eas, vt nuper diximus, aliqui subtilius distinguant: ex qua lege plurima deducit Rebuff. pro foro externo. 398

L. CLXXVII.

Quid sit cauillatio describit Vlpianus, quam ait dici à Græcis σώρειμα. Augustin. *libro* 4. *emendat. iuris c.*16. legit, σωρείτην; alij σοφισμόν. Definit Vlpianus, cùm ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatas ad euidenter falsa perducitur. Varios cauillandi modos dabit Alciatus ex Rebuff. & Hugo Grotius *in hanc legem*. Olim disputabatur per interrogationes, & ibi maior fallacia multiplicatis interrogationibus. Inde Plato κατὰ σμικρὸν, κατὰ βάλλων μᾶλλον λήσεις, quò minores facies adjectiones, eò falles faciliùs. Galen. *lib.* 9. *de dogmatis Hippocratis, & Platonis*. Exemplum dabit Horatius aliud *libro* 2. *Epistolâ primâ*, dum quærit qui scriptores habendi sint antiqui. 399

Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus,
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veterésque referri debet? an inter
Viles, atque nouos? excludat iurgia finis.
Est vetus, atque probus centum qui perficit annos,
Quid? qui deperiit, minor vno mense vel anno,

Inter

Inter quos referendus erit? veteréſque Poëtas?
An quos & præſens & poſtera reſpuet ætas?
Iſte quidem veteres inter ponetur honeſtè,
Qui vel menſe breui, vel toto eſt iunior anno.
Vtor permiſſo, caudæque pilos vt equinæ,
Paulatim vello & demo vnum: demo etiam vnum
Dum cadat eluſus ratione ruentis acerui.

Vocem *acerui* Grotius exponit ſoritem. Ait Perſius:

Rem duplica: feci, iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. Depinge vbi ſiſtam,
Inuentus Chryſippe tui finitor acerui.

Academici, & Pyrrhonici hoc argumento vrgebant valde Stoïcos. Vide Tullium *lib. 4. Academicorum*, ad has fallacias vitandas leges definiunt voces, quæ ſua natura definitæ non ſunt.

L. CLXXVIII.

401 Quod facit Vlpianus ea lege in voce pecuniæ, hæreditatis, actionis & verbi *debet*. Pecunia quidem non tantum numeratam, ſed & omnem cenſum ſignificat etiam in corporibus, aut ea illis prouenientem.

402 Hæreditatem verò dicit nomen iuris, nimirùm ciuilis: nam iuris Prætorij eſt poſſeſſio. Quare hæreditas intelligitur etiam abſque corpore: eſt enim ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus habuit tempore mortis. Hæreditas recipit acceſſionem & deceſſionem, & maximè fructibus augetur. Itaque quidpiam accedere poteſt hæreditati, & decedere; poteſt enim variis caſibus minui.

403 Actionis verbum & generale, & ſpeciale eſt, nam & actiones in perſonam, quas dicimus perſonales, & actiones quoque reales quas petitiones nominamus, comprehendit. Perſecutionis verbo continentur extraordinariæ perſecutiones fideicommiſſorum & aliæ, quæ non habent iuris ordinarij executionem.

404 Verbum denique, *debet*, omnem omninò actionem comprehendit, ſiue ciuilis, ſiue honoraria, ſiue fideicommiſſoria ſit. Perſecutio itaque quacumque actione quis teneatur, debere dicitur.

L. CLXXIX.

405 Explicat Vlpianus has clauſulas, *quanti ea res erit: & quanti eam rem eſſe apparet*, & nihil inter illas intereſſe dicit, & in vtraque veram rei æſtimationem fieri, ita vt ad illam æſtimationem referatur, non ad id quod intereſt.

L. CLXXX.

406 Tugurium vult Pomponius omne ædificium, quod rei ruſticæ cuſtodiendæ conuenit, non propriè vrbanis ædibus. Offilius deriuat à tecto tanquam tegularium dictum, vt toga quod ea tegamur. Vide & Feſtum: leuis eſt diſputatio Alciati.

L. CLXXXI.

407 De voce *pertinere*: quæ latiſſimè patet: ea enim vtimur & in petendis rebus quæ dominij noſtri ſunt, & quæ aliquo iure poſſidemus, & quæ aliqua eiuſmodi cauſa eſſe noſtra poſſunt.

L. CLXXXII.

408 Peculium latam habet ſignificationem: nam & pro omni patrimonio accipitur, *l. cogi. D. ad Trebellian.* Secundò pro pecunia, quam quis repoſitam habet in ſubitos caſus. Tertiò quod his qui in aliena poteſtate ſunt, quæritur, & cùm extra poteſtatē mittuntur, amplius peculium non eſt. In filiisfamilias profectitium dicitur, quod habent propter patrem: aduentitium, quod aliunde: caſtrenſe, quod militibus acquiritur: quaſi caſtrenſe, quod priuilegia militum habet. Seruis ſuum etiam eſt peculium, quod illis adminiſtrandum permittunt domini, præter quod nulla bona habent. An verò iure gentium aliquid poſſidere poſſint, diſputat hoc loco Alciat. Ait verò Vlpianus hîc patremfamilias non poſſe habere peculium, ſicut neque ſeruus poteſt habere bona: & ex oppoſitione inter illos patet ratio legis.

L. CLXXXIII. & IV. & V.

Vlpianus tabernas appellat omne vtile ædificium 409
ad habitandum, non ea eo quòd tabulis clauditur. Grotius legi vult *nam ex eo quod*: indéque dicta tabernacula & contubernales: Feſtus contubernalia habitator continuæ tabernæ; quod genus domicilij antiquiſſimè Romanis fuiſſe teſtimonio ſunt exteræ gentes, quæ adhuc tabulatis vtuntur ædificiis. Vnde etiam tecta caſtrenſia, quamuis pellibus contegantur, tabernacula dicuntur. Itaque ſic Vlpianum interpretare, retenta vulgata lectione, dici tabernacula non quòd tabulis claudantur, ſed quod olim ea tabulis fierent.

Inde Paulus *l.* 184. deducit dictos contubernales 410
& *ſequenti l.* 185. Vlpián. inſtructam tabernam, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem parata conſtat.

L. CLXXXVI. CLXXXVII. CLXXXVIII. & CXXXIX.

Has omnes leges ſimul expono, quia voces, quas 411
explicat in illis Iuriſconſultus, nihil habent reconditi.

Lege enim 186. quæritur an commendare ſit deponere. Qui igitur rerum tibi commendat, vſuras nequit exigere, quia tunc depoſiti terminos excederet, & commendatio, etiam verbis generalibus facta non obligat.

L. CLXXXVII.

Verbum exactæ pecuniæ non ad ſolam ſolutio- 412
nem refertur, ſed etiam ad delegationem, quia delegatio vicem ſolutionis habet, *l. quamuis §. interdum D. ad Velleian.*

L. CLXXXVIII.

Habere dicimur tum iure dominij, tum ſine inter- 413
pellatione, quod quis emendo obtinuerit. Solebant enim olim in venditionibus promittere emptori habere licere, id eſt vt liceret ſine interpellatione emptum obtinere, & habere: & hæc ſtipulatio diuiſionem non recipit, *l. cum ex cauſa D. de verbor. obligationibus*, accedit enim contractui venditionis, qui pro parte valere non poteſt. Si autem rei diuiduæ accederet, aliud fortaſſis dicendum foret.

Eadem lege additur cautum intelligi ſiue rebus, ſiue 414
perſonis cautum ſit: quia ſiue quis fideiuſſorem dederit, ſiue pignora, cauit ſufficienter; quia debitorem ſecurum reddidit, quod cauere ſignificat.

L. CLXXXIX.

415 Explicatur hæc clausula *facere non oportere*, vt nimirum abstineat à facto, quo cootta conuentionem ficret, & vt caret ne fiar.

L. CXC.

416 Prouinciales fuot qui in prouincia domicilium habent, noo qoi ex prouincia fuot oriuodi. Sic Apollonius, Rhodius dictus est; patria tamen Alexandrinus. Ratio est: qoia iure domicilij patria acquiritur. Circa textum tamen mouet dubitationem Alciatus an ex prouiocia oriundus idem fit quod ex prouincia ortus. Negat Alciatus, & oriundum dici respectu maiorum originis, & non respectu suæ vult. Leuis est dissensio.

L. CXCI. CXCII. CXCIII. CXCIV. CXCV. & CXCVI.

417 Paulus distinguit diuortium à repudio, quòd hoc etiam futurum matrimonium respiciat, sponsa non rectè dicitur diuertisse: eo enim dicitur diuortium quòd eant io diuersas partes qui prius in vnum conuenerant.

L. CXCII.

418 Vlpianus. Hæc adiectio, *plurisve*, modicam pecuniam, non infinitam significat. v.g. adiectio solidorum decem, *plurisve* ad minuscula summa refertur. Quoties igitur certo numero adijcitur ea clausula, modica summam denotat sicut etiam cùm qois plus minus dicit; qoàm clausulam p, & m designabant antiqui. Hinc colligit Alciat. si quis fundum emit centum aureis, & si plus valet, reliquum donare se asserit, non intelligitur donasse nisi cum modicum plus valet: nam si multò pluris valeat poterit rescindi contractus. Ait etiam in testimonijs eam clausulam non valere; & eandem rationem harum dictionum vltra, circa, circiter.

L. CXCIII.

419 Vlpianus. Hæc verba *quanti apparet rem esse*, non ad id quod interest, sed ad rei æstimationem refert: qoia nempè verbum *esse* ad veritatem refertur. Quare si prætor det actionem quanti res sit, de ea quantitate, quæ veram æstimationem complectatur, intelligendus est, non autem de eo qood præterea interest siue singulariter, siue communiter, siue ex cooventione: quibus tribus modis nostra interest.

L. CXCIV.

420 Ioter donum & munus interest quod inter genus, & speciem. Itaque donum latios patet: erant enim antiquis varia munerum genera ratione causarum, propter quas fiebant. Plura eiusmodi enumerat Alciatus, quem adi.

L. CXCV.

421 De familiæ voce plurima habet Vlpianus, illa tum ad personas, tum ad respectus aliquando pro hæreditate sumitur ab ipso etiam Tullio. qui *ad Heren. cap.* 16. legem XII. Tabul. sic refert. *Paterfamiliâs vti super familia pecunia ve sua leganerit, ita ius esto. Si intestatus moritur, familia pecuniaque eius agnatorum gentiliúmque esto.*

Vides igitur familiæ vocem ambiguam esse. Octo eius acceptiones designat Iurisconsultus. Primò enim res & personas, vt dixi, designat. Secundò non de singularibus dumtaxat persouis, sed etiam corpus significat, id est, multitudinem & societatem persoaarum siue iure proprio, siue communi vniuersæ cognationis contineatur: proprio varijs modis vel à natura, vel à iure: oam diuersimodè ptovt diuersæ sunt personæ cum adiectione nominis familiæ nominaotur, vt pater & materfamilias, filius & filiafamilias & cæteri deinceps. Paterfamilias in domo dominium habet, id est, auctoritatem, & præeminentiam, & potestatem, & domus sic accipitur pro familia. Quare nomine patrisfamiliâs appellator, quamvis filium non habeat quia noo solum personam eius attendimus, sed eius ius demonstramus, quare & pupillum sic vocamus. Cùm verò paterfamilias moritur quot capita subiecta illi erant incipiunt habere singulas familias, & singuli patresfamilias dicuntur: quod contingit etiā in eo qui emancipatus est, & sui iuris: nam & hic propriam familiam habet. Dicitur & familia publicanorum, siue liberæ, siue seruæ conditiooís: est etiam familia plures personæ ab vltimo sanguinis & generis auctore, vt familia Iulia. Addit mulierem familiæ suæ & caput & finem effici, quia in ea finitur agnatio, neque vltra illam extenditor prior familia ex qua fuit progenita, simúlque est initium nouæ familiæ. Inde quæritur, an priuilegium concessum alicui ex sua descendentibus masculis & fœmiois, extendatur ad filias nuptas. Vide Rebuffum.

L. CXCVI.

Familiæ appellatione ipsum etiam principem familiæ continere dixit Caius, nempe quia familia nomen est collectiuum, qood constat capite & membris. 423

Addit in eadem lege fœminarum liberos in earum familia non esse: quia qui nascuntur, familiam patris sequuntur, non matris. Vnde plurima circa liberos, eorúmque nobilitatem, conditionem, & statum deducit Rebuff. 424

L. CXCVII. CXCVIII. CXCIX. & CC.

Pergo io explicationibus obuiis quarumdam vocum, quæ etiam facile poteram omitti. 425

Igitur *l.* 197. indicasse est detulisse, arguisse, accusasse & conuicisse, quia nimirùm indicare est indicere, demonstrare, denuntiare, arguere, accusare, conuincere. Quæ singula varijs iuribus demonstrantur à Rebuff. qui etiam de iudicij pretio, & mercede disputat.

L. CXCVIII.

De significatione vrbani prædij, quod ex Vlpiano locus noo facit, sed materia. Itaq; vrbana prædia sunt omnia ædificia non tantùm quæ in oppidis sunt, sed alia quæcumque, sed etiam stabula, & alia meritoria in villis, & io vicis, vel si sunt prætoria voluptati tantùm deseruientia. Itaque omnia ædificia tam in ciuitatibus quàm in oppidis, vel villis necessitatis, vel voluptatis gratia constructa, dicuntur vrbana prædia, vt hor i in ædificio superstructi, noo autem si horti consistant in reditu, vt linarij & olitorij, vt mooet §. *proindè hortos*. 426

L. CXCIX.

L. CXCIX.

427 Paulus vocem abſentia interpretatur, qui non eſt in loco in quo petitur, vt ſi extra vrbis continentia non ſit, alioquin non abeſſe videtur, qui ab hoſtibus captus eſt, ſed qui à latronibus detinetur. Rationem reddit Gloſſa: quia captos ab hoſtibos pro mortuo habetur, cùm ſit hoſtium ſeruus. Impugnat hanc rationem Alciatus: aliam reddit etiam Rebuff. quia fictionis iure captus ab hoſtibus, cùm redit ratiooe poſtliminij fingitur ſemper fuiſſe in ciuitate.

L. CC.

428 Noxæ appellatio in ſtipulationibus de priuata, non de publica accipitur, vt cùm qois dicit alium noxis ſolutum præſtar, v.g. qui ſeruum vendidit, promiſitque noxis ſolutum eſſe, tenebitur de noxis priuatis: illud enim, noxa ſolutus eſt, id eſt, noxali iudicio. Noxæ priuatæ ſunt, quæ committuntur ex delictis, oon publicis criminibus, ex quibus agitur iudiciis noxalibus, *l. quis ſit fugitiuus, § quod amant D. ædilitio edicto.* Priuata delicta ſuot in quibus id quod noſtra intereſt proſequimur, nobiſque aliqoid aut dari aut applicari debere pro delicto in nos commiſſo petimus.

L. CCI. *ad* CCXI.

429 Iulianus ait nepotem filij appellatione, ſicut & in nomine patris demonſtrare: hánceque eſſe iuſtam interpretationem, id eſt, non eſſe impropriam eam interpretationem. Et ſanè impropria interpretatio iniuſta non eſt, atque ita omnes iuriſconſultorum interpretationes accipiendæ ſunt, niſi fortè in pœnalibus, & odioſis, vel ex mente legis & ſtatuti contrarium appareat.

L. CCII.

430 Si hæredes grauati in monumento aut funere centum aureos faciunt contra teſtamentum, ſi minus conſumant, non verò ſi amplius. Ita Alphenus quia in maiori ſumma minor ineſt, atque hanc Alpheni interpretationem etiam in iudiciis ſeruari dicit Rebuff. valere tamen negat Alciatus, niſi tamen teſtator plus expendi prohibuiſſet. Plurimas alias exceptiones eius Regulæ *ibidem*, & *alibi* numerat Rebuffus.

L. CCIII.

431 Dicitur ea lege cenſoria portorium non debere ſolui de ſeruis qui domum ducebantur ad ſuum vſum. Domus autem exiſtimari debet vbi quis ſedes habet, & tabulas & ſuarum rerum conſtitutionem fecit. Suo etiam vſu docere videtur quando ſui victus cauſa quis ducit, vel quando ſerui docentur qui vſus gratia patrifamiliâs parati ſunt. Erat verò lex cenſoria vel quæ ſuper cenſu lata erat, vel quæ à cenſoribus lata. Agebatur in illa de portu Siciliæ. *Seruos quos quis domum duceret vſu ſuo pro his portorium ne dato.* In ea lege duas diſtinguit quæſtiones; prima eſt quid ſit domum ducere, altera quid vſu ſuo ducere, quam vtramque in expoſitione legis comprehendit. Hos ſeruos enumerat Comment. diſpenſatores, inſularios, villarum operarios, ruſticos, agrorum cultores: omnes denique ſeruos quos ad ſui vſum quis emerit non vt venderet. Vide Commentorem Rebuff.

L. CCIV.

Paulus de pueri explicatione agit. Ea triplex eſt: 432
nam primò ſeruos omnes pueros appellamus. Secundò ſexum ſignificat, & puellæ opponitur. Tertiò ætatem denotat.

L. CCV.

De nomine pomi. Quidam fundum vendidit po- 433
mis exceptis, omnes fructus ex arboribus euellendo, vtiles excepiſſe videtur etiam nuces, & omnes denique, vt dixi, fructus ex arboribus ſiue molles ſiue duros, quos Græci τρωξίμα. Ita Alphenus: pomi enim vox etiam generalis eſt. De ea Rebuff. & de variis eius ſpeciebus.

L. CCVI.

Vinaria vaſa ſunt tum torcularia, tum dolia, & ſe- 434
riæ quandiu maximè vinum habent, tum amphoræ eodem modo ex Iuliano, quamvis & in alium vſum transferri valeant, vt frumento vel aliis rebus recondendis.

L. CCVII.

Mercis nomine non ſignificantur homines. Qua- 435
re mangones non mercatores, ſed venalitij dicuntur. Ita Mela apud Aphricanum. De mercis nomine nos *alibi in opere de vniuerſa negotiatione*, & Rebuffus *hic*.

L. CCVIII.

Ex eodem Aphricano, bonorum appellatio ſignifi- 436
cat vniuerſa bona, & non ſingulas res ſecum, ſed vt vniuerſitas quædam.

L. CCIX.

Quid ſit facere coram aliquo, explicat Florenti- 537
nus: non eſt enim facere eo præſente, niſi ita intelligat & ſciat te facere. Nam ſi furioſus ſit, aut infans, aut dormitet, non feciſti coram eo. Sciat igitur & intelligat te facere quamvis id nolit & inuitus ſit.

L. CCX.

Natus ex mancipiis vrbanis miſſus in villam nu- 438
triendus inter ſeruos vrbanos cenſetur ex Martiano: alioquin nobiliſſimi & Pariſienſes ſic nutriti, ruſtici dicerentur.

L. CCXI. *ad* CCXX.

Neque hæ leges expoſitione egent.

LCCXI. fundi nomine omne ædificium contine- 439
tur, omniſque ager: in vſu tamen cottidiano vrbana ædificia ædes dicuntur; ruſtica autem villæ. Locus dicit aream in vrbe ſine ædificio; rure autem ager, qui ſi ædificium habeat, dicetur fundus. Ita Florentinus.

L. CCXII.

440 Vlpianus prævaricatores à varicando. Quare qui causam suis aduersariis donauit & exactores in partem rei transferunt, prævaricatores nominantur.

L. CCXIII.

441 Vlpianus. Dies cedit quando incipit deberi pecunia evenit, cum pecunia peti potest. Itaque distinguendum est vtrum quis purè stipulatus fuit, an in diem, an sub conditione: nam in pura stipulatione statim cedit, & venit dies, quia statim peti potest pecunia, alioqui si in diem eorum fuerit stipulatus, statim cedit dies: sed non venit ante diem designatum. Ita de legatis, & aliis debitis. Eadem lege explicatur quid sit æs alienum, quod nimirum aliis debemus: æs autem suum quod nobis alij debent.

442 Ibidem latam culpam definit, nimiam negligentiam, hoc est non intelligere quod omnes intelliguntur. Supponitur autem quod nos illud intelligere debeamus.

L. CCXIV.

443 Marcianus distinguit donum à munere. Nam donum est quod sponte præstatur, munus ex aliqua necessitate fit.

L. CCXV.

444 Potestatis voce plurima significantur: quorúmque significationem indicat Paul. hac lege, in Magistratu imperium: in liberis patriam potestatem, in persona serui, dominium heri in illum. Quando verò agitur de noxæ deditione, est facultas seu copia, & in lege Attinia id apparet, quæ iubet rem furtiuam non vsucapi, nisi venerit in potestatem eius, cui subrepta est.

L. CCXVI.

445 Vlpianus. Qui carcere clauditur, neque vinctus, neque in vinculis est, si ipsi vincula non fuerint adhibita, illísque succurri potest.

L. CCXVII.

446 Iabolenus distinguit has clausulas, *cùm fari poterit*, &, *postquam fari poterit*. Hæc enim vltima vberior est, prima strictior: significat enim tantum tempus quo primum fari potuerit. Itaque legatum factum Titio cùm hæres infans fari potuerit, si fari possit ante septem annos, debetur: si postquam fari potuerit, debetur quidem legatum non ipso statim primo momento fandi, sed inde iudicis arbitrio.

Ea verò conditio *facito in diebus*, nullo adiecto, non obligat nisi in biduo, id est, post duos dies.

L. CCXVIII.

447 Papinianus. Verbum *facere* omnem faciendi causam complectitur dandi, soluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi, quibus alia perplura comprehenduntur. Neque ista fusiori indigent expositione.

L. CCXIX.

In contractibus mens contrahentium potiùs quàm verba contractus inspici debent. Ita Papinian. quam maximam omnium sapientum vsus confirmat. 448

L. CCXX.

Callistratus. L. XII. Tabul. *suorum* appellatione, nepotes pronepotes omnes, qui ex his descendunt contineri ait. Quare ipse eos omnes liberorum appellatione comprehendit, atque ita legem XII. Tabular. exponit: additque rationem; quia idcircò filios & filias suscipimus, vt ex prole eorum, earúmve memoriam diuturnitatis in æuum nobis relinquamus. 449

L. CCXXIX. ad CCXXX.

Plurima quæ his legibus explicantur vel in superioribus dicta sunt, vel passim obuia, quæ proindè à nobis duntaxat indicari debent. 450

L. CCXXI.

Paulus. Falsus tutor dicitur, qui verè tutor non est, siue datus sit, siue non sit, vt falsum testamentum, quod non est testamentum. 451

L. CCXXII.

Pecuniæ nomine pecunia non solùm numerata, sed omnes res tum soli, tum mobiles, tum iura, tum corpora continentur. Ita Hermogenianus; quod etiam *l. pecuniæ* monuimus. 452

L. CCXXIII.

Paulus definit latam culpam, vti iam fecerat, non intelligere quod omnes intelligunt, subaudi, si intelligere id ipsum tenemur. 453

L. CCXXIV.

Venuleius vinculorum appellatione, tum publica, tum priuata comprehendit; custodia non nisi publica intelligitur. 454

L. CCXXV.

Triphonius ex solo animo, aut consilio negat dici furem, neque si se falsò de eo iactauerit, neque etiam adulter aut aleator, nisi etiam ex ipso opere externo saltem inchoato, quod in cæteris omnibus maleficiis verum est; quod tamen intelligendum est in foro externo: nam coram Deo ex sola voluntate, animo, aut proposito reus erit, & damnabitur. 455

L. CCXXVI.

Magna negligentia culpa est, & magna culpa dolus, ex Paolo. 456

L. CCXXVII.

De hærede illo significari in edicto semper proximum, non verò hæredis hæredem: etiam quis in substitutione dicatur. 457

L. CCXXVIII.

.L CCXXVIII.

458 Municipes iotellige eos qui in eodem municipio nati ſunt.

.L CCXXIX.

459 Tranſacta & finita intelligimus tum ea, de quibus fuit conttouerſia, tum etiam ea quæ ſine controuerſia ſopita ſunt.

460 Id ipſum magis explicatur ſequenti lege CCXXX. quæ vel iudicio terminata ſunt, vel tranſactione compoſita, vel longioris temporis ſilentio finita.

Reliquæ leges ad finem huius tituli vix patiuntur alicuius momenti difficultatem.

L. CCXXXI.

461 Is qui in vtero eſt, & naſci ſpetatur, pro nato habetur quoad ſuam vtilitatem: quandiu tamen in vtero exiſtit natus non, cenſetur quoad alios, & eorum commodum.

L. CCXXXII.

462 Hæc eountiatio: Bona Titij valent plus aureorum triginta, & quantitatem & æſtimationem ſimul ſignificant, ex Caïo, & illa bona tanti fuiſſe æſtimata.

L. CCXXXIII.

463 Idem Caïus, Si calumnietur, & moretur, & fruſtretur: colligit inde eos, qid per fraudem & fruſtrationem, litibus alios vexant, dici calumniatores; indéque etiam dictam cauillationem.

464 Ibidem agit de teli ſignificatione, quod eſt propriè id quod ab arcu mittitur; in vſu tamen id omne quod mittitur manu. Quod ex Xenophonte & Græcis oſtendit Caïus ibid. Idem in ibid. quod nos hoſtes, perduelles dicebant veteres, quâ etiam voce deſignabant qoibuſcum nobis bellum eſſet.

465 Locuples, eſt qui ſatis, & idoneè haboerit pro magnitudine rei quam actor reſtituendam petit. Verbum *viuere*, non tantùm ad cibum; ſed & veſtimenta, & ſtramenta Offilius refert.

L. CCXXXIV.

466 Ferri propriè dicuntur quæ quis ſuo corpore bajulat, portari quæ quis iumento ducit, agit, quæ animalia ſunt.

Ibidem, fabri lignarij ſunt, & qui ligna dolaot, & omnes qui ædificant.

L. CCXXXV.

467 Venenum omne medicamentum ſignificat, & bonum & malum; quare adiectione aliqua diſtingui debet: probat ex Homero & Græcis.

468 Ibidem. Glandis nomine omnem fructum contineri dicit Caios, ex Iauoleno, more Græcorum, qui omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα vocant.

L. CCXXXVI.

469 Duobus negatiuis verbis quaſi permitti lex magis, quàm prohibet; quia duæ negationes magis affirmant quàm negant.

L. CCXXXVII.

470 Plebs ſunt cæteri ciues, ſine Senatoribus: inde plebiſcitum, plebis ſtatutum. Populus autem Romanus conſtabat olim Senatu, Equite & plebe. Vide hîc Alciatum.

Ibidem. Pignus deriuat à pugno; quia qood traditur pignori, manudatur: ideoque paſſim in re mobili conſtituitur.

Ibid. Noxij appellatione continetur omne delictum.

L. CCXXXVIII.

Pomponius. Pupillus eſt qui adhuc impubes deſiit eſſe in patris poteſtate, ſiue morte, ſiue emancipatione. 471

Ibid. Serui appellantur; quia Imperatores iubebant captiuos vendere; ac proinde ſeruare, & ne occiderent, vti ſolebant.

Ibid. Incola dicitor qui in aliqua regione domicilium habet, ſiue in aliquo oppido moretur, vel in oppidi finibus agrum habeat, vt in eum quaſi in ſedem ſe recipiat. Græci πάροικον dicunt.

Ibid. Munus publicum eſt officium priuati hominis, ex quo commodum ad cæteros ciues peruenit imperio magiſtratûs.

Aduena eſt quem Græci ἄποικον dicunt. 472

Decuriones, quia cùm coloniæ deducerentur decima pars illorum conſilij publici gratia conſcribi ſolita ſit.

Vrbs nominata eſt ab vrbo vrbare, aratro definire: vrbum eſt aratri curuatura.

Oppidum ab ope quod eius rei causâ mœnia ſunt conſtituta. 473

Territorium eſt vniuerſitas agrorum intra fines cuiuſque ciuitatis; quia intra eos magiſtratus ius habent terrendi.

L. CCXXXIX.

Paul. *ſoluto matrimonio* voluit Imperator, vt ſiue morte, ſiue diuortio ea ſolutio fieret, nullo caſu dos apud maritum remaneret. 474

L. CCXL.

Ex Quinto Mutio, ea quæ terra non tenentur, neque opere ſtructili tectoriúve ruptis & cæſis ſignificantur. 475

L. CCXLI.

Malum pars naois eſt, non artemoni, quia ſine malo nauea inutiles ſunt, & ideò pars nauis. Artemoo additamentum potius ex Labeone, qui *ibid.* diſtinguit proiectum & immiſſum: illud qood vltra parietem extenditur, & in nullo alio loco requieſcit. 476

Plumbum quod pro tegulis ponitur ædificij eſſe, ait Labeo; noo verò quod in ripa hypæthrij tegendi cauſa.

Structuram verò ex tabulis, quæ hyeme ponitur æſtate tollitur, partem ædificij dicit Labeo; quia patantur perpetui vſus cauſa.

L. CCXLII.

Liberti dicuntur qui eodem teſtamento, vel poſteriore manomittuntur, niſi manifeſta ſit contraria defuncti voluntas. Ita ex Scæuolæ reſponſis refertur. 477

L. CCXLIII.

Paolus reiicit quod aliqui pœnam cum mulcta confundebant, inter quas ille diſcrimen ponit: quia 478

de pœna noo prouocatur; sed vbi est statuta statim debetur: mulctæ verò prouocatio est; oec ante debetur, quàm aut non est prouocatum, aut prouocator victus est. Deinde singulis delictis suæ pœnæ sunt statutæ, non mulctæ, quæ ex prudentis iudicio pendent, nisi earum quantitatem lex definierit.

L. CCXLIV.

479 Statuæ basibus affixæ tabulæ ligatæ catenis, aut parietibus affixæ, aut qoæ cohærent lignis non sunt ædificiij, sed ornatûs causa parantur. Ideò vendita, vel alienata domo non veoduntur, aut alienantur.

L. CCXLV.

480 Ex Labeone eahibet qoi eius, de quo agitur, præsentiam præstar, non tamen mutum aut furiosum, aut infantem, quia illi omnes præsentes esse dici non possunt.

Hæc pauca percurrere placuit, ne rudis omninò quis ad scientiam siue iuris ciuilis, siue canonici quæ in his omnibus consentiunt, & omninò imparatus accedat.



Notæ in titulum IV.

Lib.5.Decretalium, & in Titulum XII. *lib.6. Decretalium de verborum significatione.*

1 NON est animus singillatim singula titulorum istorum capita percurrere, aut commentari breuibus etiam notis: id enim præstitimus in similem titulum iuris ciuilis: sed solùm, quæ in his capitibus difficilia occurrent, aot ea, in quibus à legibus iam explicatis dissident, annotare, aut ea, de quibus leges non meminerunt, & de quibus monent, capita Decretalium obseruare. Ordior igitur *à lib.V. Decretalium* titui. XL.

2 *Capite* igitur *primo*. Nouale dicitur ager præcisus tuoc primùm, ex *Osee* 1. vt etiam dicitur *l. silua de verbor. signific.* vti diximus.

3 *Cap. II.* Parentum appellatione vtriusque sexûs ascendentes ad tritauũ vsque designantur, sicot & filiorum appellatione nepotes, non quidem ex proprietate sermonis, sed ex ipsa iusta interpretatione. Vide Menoch. *lib.4. de præsumpt. præs.94 num.3.*

4 *Cap. III. Nam & ego.* Puer qui statim moritur, atque natus est, habetur atque si nonquam vel oatus, vel fuisset: ideoque secuodo loco genitos habetur pro vnigenito. Vide Tiraq. *in l. si vnquam. vers. susceperit num.67.* & Saoch. *lib.3. de matrim. disp.18. n.66.* Vnde colligunt non dici factum quod factum oon durat, nimirùm si non haber tractum successiuum, vti obseruat Menoch. *consil.334. n.19.* aut si non habuit effectum, vt ait Surd. *consil.36. n.14.* aut si non stet per auctorem facti, quomious duret, vt Ioannes Baptista Costa *de inspect.11. num.9.*

5 *Cap. quod dicitur IV.* Obseruandum dictionem, *antequam*, non semper implicare ex scriptura: vnde etiam colliguor dictiones negantes actum certo tempore oon ponere implicitiue actum alio tempore. Quare qui dixit, Antequam Titius veniret ad prandium, filium eius percussisse Sempronium, noo arguitur falsi, nisi probetur ea die Sempronium non venisse.

6 *Cap. Ioseph. V.* In scriptutis primus dicitur primogenitus, etiamsi illum nullus alius consequatur. Vide Tiraquell. *de iure primog. in præfat. num.74.* Vnde colligunt reseruationem de maioribus dignitatibus per regulam Cancellatiæ valere vbi etiam vna tantùm dignitas est, vt contra Goanzium & Imolam habet Garcia *4.p. de benefic. cap.1. num.267.* qui & Rotam refert pro Archipresbytero Turretano.

Cap. intelligentia VI. Verba non sunt intelligenda 7
vt sonant, sed secuodùm mentem iotelligentis, & causam: quia res non sermoni, sed sermo rei sobiectus est. Tiraquell. *in l. si vnquam vers. libertatis num.47. & de retractu tit.1. §.32. Glossa 1. num.34. & 35.*

Cap. nihil obstat VII. Dioersitas narrandi non of- 8
ficit si res eadem sit: quod in ipsis Euangeliis euidens est.

Cap. propterea VIII. Interpres epistolæ sensum 9
sensui, non verbum reddere debet; oe sensus ipse pereat. Quando verò de mente auctoris dubitatur, non est recedendum à verborum proprietate, & in potiori significatu, atque secundùm sensum grammaticalem interpretandum.

Cap. quamvis IX. Qui quaodam sopra alios curam 10
habet, verè præpositus diei potest.

Cap. forus X. Locus litium est, à fando, sioe à Rege 11
quodam Græcorum Foreo. Iudicium potiò omne coostat causa, lege & iudicio: quid inter has voces propriè intersit non leuis est controoersia, sicut & quid sit negotium, quid iurgium, quid etiam sint, & quot esse debeant testes, quásque conditiones nancisci debeant, vt eorum testimonia valeant. Quæ omnia siogillatim expendere neque vacat, oeque expedit tam alieno loco.

Cap. pactum XI. Pactum à pace, quæ inter partes 12
eo medio componitur. De eo *alibi* diximus *tractatu de negotiatione.*

Cap. ius XII. Ius deriuat à Iure. Ius est quod iustè possidetur.

Cap. XIII. ait decimas primitias, & oblationes 13
præcipuè in solis bonis Ecclesiarum numerari. Quare quicumque ea potestati sæculari tradit, contra Deum & sanctos facit, eósque violat.

Cap. quæsiuit XIV. Sacerdos vel vno præsente Cle- 14
rico vel etiam solus infirmum vngere potest ex ordinatione Alexand. Hinc respondetur huius sacramenti ministrum ordinarium esse Sacerdotem; quod definiuit quoque Trident. *sess.14. cap.3.* De hac re *alibi*. Qualis verò sufficiat, & an debeat iurisdictione in infirmum esse præditus, vt Parochus, eo loco dicetur.

Ibidem iubet idem Alexand. vt festum S. Matthiæ 15
aliáque eodem die etiam in anno bissexto celebretur, modò præcedat vigilia, & ieiuniom, & duo dies pro vno eo anoo computentur. Sic in anno probationis qui debet esse dies ciuilis, & politicus 24. horarum, non solaris annus 365. Vide Emanuel. *qq. regul. tom.3. q.15. art.6.* in mense itaque bissextili duo dies pro vno cedunt, non tamen in odiosis. Sanch. *lib.2. de matrim. disp.24. num.18.*

Cap. in hisce verba statuo & præcipio. Definitiua sen- 16
tentia ferri potest cùm ea verba illius capacia sint.

Cap. olim XIV. Beneficiom principis latissimè in- 17
terpretandum est. Qua de re vide Tiraquell. *de nobilit. cap.17. num.59.* Innoc. III. qui iubet dari præbendam Canonico etiam absenti sicut aliis residentibus, quæ in victo & vestitu de communi confertur, neque aliter, ait, strictius mandatum illud explicari potest: dictio enim illa, *sicut vni*, omnimodam similitudinem designat, vt obseruat Tiraquell. *de iure primog. q. 40. num. 30.* Quomodo debeantur distributiooes an absenti, & an absenti vel in Papæ, aut Episcopi obsequio, haber aliquid Glossa hîc, & nos fusiùs *alibi*. Nomine verò distributionum, victualia, vt panes Canonici, qui olim in commune erogabantur, de quibus Iuo Carnot. *Ep.219.* & vestes de qoibus Innoc. III. lib.1. ep.40. *Cappas nigras singuli de mantelario habeant.*

Cap. in partibus XVII. Quomodò tempore inter- 18

dicti sacra & diuina audiri & celebrari possint, an in interdicto generali, an locali, aut quid vtrumque sit quidve significet, explicant hîc aliqui. quam vniuersam materiam latè explicuimus *opere nostro de censuris*, quod adire poteris.

19 *Cap. XVIII. cùm tibi.* Papa concedens Episcopo facultatem de bonis Clericorum decedentium ab intestato etiam Canonicò, intelligit etiam Canonicos S. Augustini ex S. Thom. 2. 2. q. 18. *art.* 4. Cur verò Episcopi hac indigeant facultate, cur ipsi eam non habeãt, non quæro hoc loco, in Francia testantur; & si decedant ab intestato, qui proximiores, sunt hæredes vt obseruat Abbas hîc. De Anglia habet Matth. Paris. & Matthæus Vestmonaster. ad annum 1246.

20 *Cap. cum Clerici XIX.* Explicat Innocent. III. iuramentum præstari à Clericis Placentinis de fidelitate & obedientia exhibenda Episcopo suo, Capitulo, & Clericis. De Clericis Cathedralibus solis, non reliquæ Diœcesis, & de solo Capitulo Cathedrali, Episcopo verò præcipua cura tanquam Capiti debet esse fidelis & obediens.

21 *Cap. quærenti XX* Innocentius respondet quid nomine censuræ intelligatur in Iure, quæve eius sit significatio: an aliquid aliud præter tres vulgatas excommunicationem, suspensionem, interdictum; de qua re ex Innocentij mente fusè disputauimus *in nostro opere de censuris*, & maximè an ea voce possit comprehendi irregularitas cõtra Barbosam hoc loco.

Cap. quid per nouale XXI. Innoc. etiam repetit hoc, quod *superius* dixerat, agrum ad nouum cultum redactũ: an verò ex illo soluendæ sint decimæ à conuentu.

22 *Capite venerabilis XXII.* Priuilegium solet concedi saluo iure matricis Ecclesiæ, non de Romana intelligitur, sed de cathedrali quæ dicitur quasi aliarum ædicularum & capellarum mater. Azor. 2. *part. instit. lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 13. & *lib.* . . *cap.* 3. *q.* 14.

23 *Cap. ex parte XXIII.* In hoc capitulo agitur an excommunicatus possit absolui à legato, nondum satisfacta parte, aut emenda. In qua quæstione plurima de absolutione iniunguntur, *alibi in opere de censuris* disputata. Quæstio verò erat inter Comitissam Blesensem, & Capitulum Carnotense, quia Præpositus Comitissæ latronem ceperat, quem Capitulum in sua terra captum affirmabat, & eum requirebant: quod cum recusasset Comitissa, & ea de causa actionem offerebat, qua oblatione non contenti Canonici terram Comitissæ interdicto supponi curarunt, quod laxari noluerunt nisi priùs solueretur emenda; quod ita in suis priuilegiis haberetur. Distinguit verò pontifex an quis fuerit excommunicatus vel quia citatus stare noluit iudici, & pro contumelia, vel quia iussus noluit maleficium emendare & officium. In primo caso congruè sententia relaxatur vbi priùs cautio standi iuri tribuitur. In secundo verò casu non congruè relaxatur, nisi priùs detur emenda. Si denique bis est offensa, sufficit si mandato Ecclesiæ competens satisfactio præbeatur. Vnde vides quomodò satisfactio ante relaxationem censuræ præstari debeat.

24 *Cap. cùm olim XXIV.* Declarat Innocentius offensam illam esse manifestam, quæ per confessionem, vel probationem legitimè nota fuerit, aut ea rei euidentia quæ nulla possit tergiuersatione celari.

25 *Cap. Abbati S. Siluani XXV.* Definit Innocent. controuersiam de electione Abbatis S. Siluani Alciacensis, qui ex consuetudine 40. annorum, & ex priuilegiis Paschalis II. & Calixti Pontificum debebat assumi de gremio Monasterij S. Bertini, itáque indicat Innocent. Sic etiam ex Monasterio S. Audoeni Rhotomagensis eligitur Abbas S. Leofredi de Cruce. Aliáque sunt quorundam Monasteriorum iura.

26 *Cap. Super quibusdam XXVI.* Cùm Narbonensis Prouincia hæresi Albigentium fœdè laboraret & Raymundus Comes Tholosanus eorum patrocinium suscepisset, eáque de causa, & quòd noua pedagia & vectigalia induxisset, fuisset excommunicatus, pœnitudinem simulans, ab eodem legato apud S. Ægidium absolutus est, his conditionibus, ne ampliùs foueret hæreticos & à nouis vectigalibus abstineret. Immemor tamen promissorum noua pedagia voluit à Rege obtinere, à quo repulsam passus, Innocentium adiit à quo canonicè super crimine hæresis & necè fratris purgari iussus est, denuóque à Milone legato in Synodo Auenionensi; ideoque se velle mandato Ecclesiæ parere, ne vniuersa eius ditio signatorum militiæ prædæ esset, & Pontificem super mandatis quæ pro conditione absolutionis acceperat à Legato, adiit, vt illa explicaret, maximè quinam censerentur manifesti hæretici, quænam pedagia forent interdicta, & quid ferret mandatum exhibendi iustitiam de se conquerentibus ad legatum aut iudicem ordinarium. Quibus omnibus satisfacit Innocent. & quòd manifestos hæreticos eos esse dicit, qui palam & publicè profitentur vel docent hæresin, vel tuentur, vel coram Episcopo fuere conuicti vel confessi, vel palam damnati, publicatis bonis, aliísque solitis pœnis secundum sanctiones Ecclesiasticas. Pedagia verò guidagia, salinaria, & alia eiusmodi vetita esse quæ neque Imperatorum, neque Regum, neque Concilij Lateranensis largitione concessa, neque denique immemoriali consuetudine indicta. Hæc enim omnia & similia sunt iura fiscalia quæ sine principis auctoritate indici nequeunt, quamvis etiam vel præscriptione, vel aliis modis legitimis acquiri ab inferioribus possint, maximè consuetudine immemoriali. Inter illa etiam numerat Innocentius quæ à Concilio Lateranensi sunt instituta: quibus verbis non significat Innocent. auctoritate Concilij, vel Apostolica concedi posse eiusmodi regalia, sed dumtaxat vult ea vectigalia & iusta & rata censeri, quæ aliquando indicuntur Ecclesiæ leuandæ necessitatis causa, vbi reliquæ plebis facultates exhaustæ; modò adsit Episcopi consensus. Eáque est Concilij Lateranensis mens sub Alexand. III. *Canon.* 53. Mandat etiam Comiti Pontifex vt de se conquerentibus rationem reddat apud Legatum, aut Iudicem ordinarium, & non aliud iubet quam vt in causis quæ ratione rerum aut personarum ad forum Ecclesiasticum pertinuerent, & in capitulis quæ pro pace tuenda à Legato aut auctoritate Apostolica essent statuta, aut pro viduis, pupillis, orphanis & miserabilibus personis in iudicio Ecclesiastico responderet. Causæ enim pacis & treugæ ad iudicem Ecclesiasticum pertinebant *cap.* 1 *de treuga & pace. cap. illi qui* 24. *quæst.* 3. & in Concilio Claromontano. Vide Glabrum *lib.* 5. *cap.* 1. qui notat eam treugam omnium consensu treugam Domini dictam fuisse. Causæ verò viduarum, pupillorum, & miserabilium personarum semper fuere fori ecclesiastici *cap. ex parte de foro competenti, & cap. nouit. de iudiciis.*

Cap. nouimus XXVII. Agit de degradatione cle- 27
ricali, & quomodò tradendus sit curiæ sæculari grauibus & enormibus peccatis damnatus, vt illum suum forum recipiat quem Ecclesia à suo reiecit: intercedere tamen debet ne mortis periculum: fieri debet præsente iudice. De ea nos egimus tom *opere de censuris*, & iterum agemus *tertia parte huius operis*, vbi de personis sacris, vbi etiam quomodo possint à Clero reiici aut ad Curiam reuocari, vti olim aliquando fiebat, etiam post longiorem clericatum. Interim vide Altaserram *in notis ad hoc ipsum caput*. quæ nos ex antiqua disciplina obseruabimus: Monet verò *hoc capite*, Innoc. falsarium potiùs perpetuo carcere includendum esse cum pane doloris & angustiæ,

Cap.

28 *Cap. Dilecto XXVIII.* Honorius III. ſuo indulto alterius ius tollere non intendit; ſed concedit indulgentiam peccatori ſecundùm ius commune, vt ſi vno nequeat præſcribere, ſequenti non impedito præſcribat. Semper enim ad intentionem concedentis recurrendum eſt.

29 *Cap. cùm inter vos XXIX.* Oblationis nomine ſignificatur quidquid Deo, Eccleſiæ eiúſve miniſtris pietatis intuitu exhibetur: de quibus omnibus Moneta *capite ſecundo de decimis num. 9. & cap. 5. num. 2. & alibi* alij qui de oblationibus, de quibus & nos fusè dicemus *4. part. huius Scientiæ Canonicæ*: cui autem debeantur oblationes vel aliqua earum pars, & de omnibus iſtis, quocunque etiam die offerantur & donentur.

30 *Cap. ex parte 2. XXX.* Tempus motûs litis eſt de tempore litis conteſtatæ, póſtque illud *cap. ex parte 3. XXXI.* dum tertia pars mortuariorum ſiue eorum, quæ pro defunctis donantur Eccleſiæ, ſiue ad fabricæ neceſſaria, aut ad luminaria, aut anniuerſaria. Septimum, vigeſimum, aut trigeſimum non debent capi de ornamentis Eccleſiæ, aut ſpecialibus quibuſdam perſonis: ſed de aliis omnibus prout habetur in iura communi.

31 *Cap. tria nobis XXXII.* Quoties Pontifex concedit Epiſcopo vt æri alieno ſatisfacere poſſit, percipiat fructus primi anni beneficiorum, nomine generali beneficiorum non maiora ſolùm, ſed & minora, ipſáſque præbendas intelligit. Ita ſuam mentem interpretatur Honorius III. *hoc capite*, & ita paſſim ſentiunt omnes Interpretes.

32 *Cap. transmiſſi XXXIII.* Gregorius IX. iubet Collegio Xantonenſi quod non habebat ſufficientes facultates ad numerum 40. præbendarum, illas moderaretur pro ratione facultatum.

Non imperat, ſi facultates excreuerint, vt numerum ideireò augeant, ſed vt in eorum [illegible] illorum numerum ſolitum relinquant.

❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦

NOTÆ IN TITVLVM

De verborum ſignificatione *in VI. Decretal. lib. 5. tit. XII.*

1 *AP. I. veniens*, Innocentius IV. explicat quid ferant in priuilegiis, *recipimus vos in ſpeciales & proprios filios Romanæ Eccleſiæ.* Operantur enim vt non eximantur à propria iuriſdictione ordinarij. Sed ne poſſint excommunicari, ſuſpendi, aut interdici niſi vel à Papa, vel ab huius legato, cui omninò ſubiecti manent.

Priuilegium ædificandi Eccleſias in deſertis locis. Per loca deſerta intelliguntur quæ vltra hominum memoriam à Chriſtianis culta non ſunt, aut à Saracenis fuere occupata: non intendit Pontifex alius iuribus particularium derogare & eximendo à poteſtate ordinarij non eximit à poteſtate legati à latere. Ita Nauarr. *de datis & promiſſis pro iuſtitia not. 4. n. 10.*

Cap. II. conſtitutionem ſecundam. Nicolaus III. explicat conſtitutionem Gregorij in Concilio Lugdunenſi latam, atque imprimis *manifeſtum & euidens* eſſe ſynonyma. Secundò canonicos qui ſtatuunt non recipere in Canonicum quempiam etiam mandante Papa, conſpiratores ſunt contra Romanam Eccleſiam & Pontificem, & vt tales puniendi, & ſtatutum illud ſimile eſt conſpirationi & commotioni in Papam & Eccleſiam Romanam. Tertiò ait priùs de defectu ſcientiæ, obiecto, electo & promouendo cognoſcatur, & falsò opponens omnino excludatur.

Cap. exiit III. Nicolaus III. benè longam conſtitutionem edidit *cap. Nicolaus*, circa Regulam S. Franciſci, circa quam vel declarationem, vel nouam conſtitutionem cum plurimæ ſint difficultates & Doctorum diſſidia circa eorum paupertatem, cum præſertim non benè conſentire videatur Nicolaus cum Ioanne XX. totam controuerſiam nos *alibi* commodè, ni fallor, definimus *hoc ipſo opere*. Quare illic ex ſingulis quæ agitantur iam diu magna contentione difficultatibus, & præſertim circa pugnam duorum pontificum *alibi* dicta ſufficient: neque tam leui labore hoc loco defungi poſſumus.

Cap. priuilegium IV. Per priuilegium conceſſum ne Monachi vel fratres demorantes in cellis ad monaſterium ſpectantibus excommunicari vel interdici poſſint, ſicut neque ipſæ cellæ, non intelliguntur loca ſolitaria ab hominum conuerſatione, aut prioratus, aut capellæ, in eiſve commorantes. Ita exponit ipſemet Bonifacius VIII.

Cap. ſicut nobis V. quandò concederet alicui vt poſſit ſuorum Clericorum decedentium aut cedentium beneficia conferre: nomine ſuorum clericorum intelliguntur Clerici, qui ſunt Clerici domeſtici, qui eius ſumptibus viuunt & commenſales ſunt eius cui fit priuilegium. Familiaris de præterito cenſetur, & præſumitur in futuro. Familiaritas probatur per teſtes apud Farin. 2. *p. recentior. deciſio.*

INDEX



I N D E X
RERVM ET VERBORVM,
quæ in hoc tertio volumine continentur.

Primus numerus paginam, secundus columnam, tertius marginis numerum designat.

A

Actus

Adam.

Aduena.

Adulterium.

Ædes.

B

Baptisma. Baptismus.

Boni

B

Baptisma. Baptismus.

damnom Ecclesiæ p. 234.col.1
crebrò PP. & fa- p.107.col.1.n.25.

p.51.c.1.n.22

fulminasse?

.n.4

sint de fide
p.258.

itum, pagin.270. col.1.

ibid. n.4. vsus eius in Gallia
eficiatis, ibid.

piscentia.

p.13.c.1.n.19
te potest voluntarium, ibid.
ex est, ibid.
mens minuit quandoque libe- p.26.c.2.n.12
oërcitio an sequatur ex eleuatione
naturalem? p.153.c.2.n.38
uomodò dicatur mouere peccatum?

rnis quid? p.133.c.1.n.5
oculorum, ibid.
peccati causa, pagin. 132. col.2.

Concursus.

ei actualis quid? p.15.col.1.n.7
diuinus in actu primo, & in actu secundo
itus, pag.15.c.1.n.7.

Conditio.

possidentis potior est in pari delicto, vel
p.231.col.2
quandónam habeatur pro impleta? ibid.
omodo, in actu quid præstet? pag.76.c.2.
13
io sola operantis non facit veniale mor-
p.106.c.1.n.20
o prohibentis potior est in re communi, pag.
ol.2
iones nonnumquam ponuntur in testamen-
quæ tolluntur à iure, p.245.c.1.n.16

Confessarius.

rius aut quilibet alius cui quis vouit obe-
tiam, an suo mandato constituat nouam ma-
in violatione actus imperati? pag.95. c. 2.
5
rius an sit superior respectu pœnitentiæ?

Conformitas.

itas cum ratione in actu quid sit? pag.67.
12

Coniectatio.

tio ex physiognomia non semper inanis,
ol.1.n.15

de pœna non prouocatur; sed vbi est statuta statim debetur: mulctæ verò prouocatio est;nec ante debetur, quàm aut non est prouocatum, aut prouocator victus est. Deinde singulis delictis suæ pœnæ sunt statutæ,non mulctæ, quæ ex prudentis iudicio pendent, nisi earum quantitatem lex definierit.

L. CCXLIV.

479 Statuæ basibus affixæ tabulæ ligatæ catenis, aut parietibus affixæ,aut quæ cohærent lignis non sunt ædificij, sed ornatûs causa parantur. Ideò vendita, vel alienata domo non venduntur, aut alienantur.

L. CCXLV.

480 Ex Labeone exhiber qui eius,de quo agitur, præsentiam præstat,non tamen motum aut furiosum, aut infantem, quia illi omnes præsentes esse dici non possunt.

Hæc pauca percurrere placuit, ne rudis omninò quis ad scientiam siue iuris ciuilis,siue canonici quæ in his omnibus consentiunt, & omninò imparatus accedat.



NOTÆ IN TITVLVM IV.

Lib.5.Decretalium,& in Titulum XII. *lib.6. Decretalium de verborum significatione.*

1 NON est animus singillatim singula titulorum istorum capita percurrere, aut commentari breuibus etiam notis: id enim præstitimus in similem titulum iuris ciuilis: sed solùm,quæ in his capitibus difficilia occurrent,ant ea,in quibus à legibus iam explicatis diffident,annotare,aut ea,de quibus leges non meminerunt,& de quibus monent,capita Decretalium obseruare. Ordior igitur *à lib.V. Decretalium* titul. XL.

2 *Capite* igitur *primo.* Nouale dicitur ager præcisus tunc primùm, ex *Osee* 1.vt etiam dicitur *l.silua de verbor.signific.* vti diximus.

3 *Cap.II.* Parentum appellatione vtriusque sexus ascendentes ad triauũ vsque designantur,sicut & filiorum appellatione nepotes,non quidem ex proprietate sermonis, sed ex ipsa iusta interpretatione. Vide Menoch.*lib.4.de præsumpt.præs.94.num.3.*

4 *Cap. III. Nam & ego.* Puer qui statim moritur, atque natus est, habetur atque si nunquam vel natus, vel fuisset:ideoque secundo loco genitus habetur pro vnigenito. Vide Titaq. *in l.si vnquam. verf. susceperit num.67.*& Saneb.*lib.3.de matrim.disp.18.n.66.* Vnde colligunt non dici factum quod factum non durat,nimirum si non habet tractum successiuum,vti obseruat Menoch.*consil.334.n.19.* aut si non habuit effectum, vt ait Surd. *consil.36. n.14.* aut si non stet per auctorem facti,quominus duret, vt Ioannes Baptista Costa *de inspect.11.num.9.*

5 *Cap. quod dicitur IV.* Obseruandum dictionem,*antequam*, non semper implicare ex scriptura: vnde etiam colligunt dictiones negantes actum certo tempore non ponere impliciriuè actum alio tempore. Quare qui dixit, Antequam Titius veniret ad prandium,filium eius percussisse Sempronium, non arguitur falsi, nisi probetur ea die Sempronium non venisse.

6 *Cap. Ioseph. V.* In scripturis primus dicitur primogenitus, etiamsi illum nullus alius consequatur. Vide Titaquell.*de iure primog.in præfat.num.74.* Vnde colligunt reseruationem de maioribus dignitatibus per regulam Cancellariæ valere vbi etiam vna tantùm dignitas est,vt contra Goanzium & Imolam habet Garcia *4.p. de benefic. cap.1. num.267.* qui & Rotam refert pro Archipresbytero Turretano.

Cap. intelligentia VI. Verba non sunt intelligenda vt sonant, sed secundùm mentem intelligentis,& causam: quia res non sermoni, sed sermo rei subiectus est. Tiraquell. *in l.si vnquam verf.libertatis num.47. & de retractu tit.1.§.32.Glossa 1.num.34.& 35.* 7

Cap. nihil obstat VII. Diuersitas narrandi non officit si res eadem sit: quod in ipsis Euangeliis euidens est. 8

Cap. propterea VIII. Interpres epistolæ sensum sensui, non verbum reddere debet; ne sensus ipse pereat. Quando verò de mente auctoris dubitatur, non est recedendum à verborum proprietate, & in potiori significatu,atque secundùm sensum grammaticalem interpretandum. 9

Cap. quamuis IX. Qui quandam supra alios curam habet,verè præpositus dici potest. 10

Cap.forus X. Locus litium est, à fando,siue à Rege quodam Græcorum Foteo. Iudicium porrò omne constat causa, lege & iudicio: quid inter has voces propriè intersit non leuis est controuersia, sicut & quid sit negotium, quid iurgium, qoid etiam sint,& quot esse debeant testes, quásque conditiones nancisci debeant, vt eorum testimonia valeant.Quæ omnia singillatim expendere neque vacat, neque expedit tam alieno loco. 11

Cap. pactum XI. Pactum à pace, quæ inter partes eo medio componitur. De eo *alibi* diximus *tractatu de negotiatione.* 12

Cap. ius XII. Ius deriuat à iure. Ius est quod iustè possidetur.

Cap.XIII. ait decimas primitias, & oblationes præcipuè in solis bonis Ecclesiarum numerari. Quare quicumque ea potestati sæculari tradit,contra Deum & sanctos facit,eósque violat. 13

Cap.quæsiuit XIV. Sacerdos vel vno præsente Clerico vel etiam solus infirmum vngere potest ex ordinatione Alexand. Hinc respondetur huius sacramenti ministrum ordinarium esse Sacerdotem; quod definiuit quoque Trident.*sess.14.cap.3.* De hac re *alibi.* Qualis verò sufficiat, & an debeat iurisdictione in infirmum esse prædiius,vt Parochus,eo loco dicetur. 14

Ibidem iubet idem Alexand. vt festum S. Matthiæ aliáque eodem die etiam in anno bissexto celebretur, modò præcedat vigilia,& ieiunium, & duo dies pro vno eo anno computentur. Sic in anno probationis qui debet esse dies ciuilis, & politicus 24. horarum, non solaris annus 365. Vide Emanuel.*qq.regul.tom.3. q.15.art.6.* in mense itaque bissextili duo dies pro vno ceduut,non tamen in odiosis. Saneb. *lib.2.de matrim. disp.14.num.18.* 15

Cap.in his ce verba statuo & præcipio. Definitiua sententia ferri potest cùm ea verba illius capacia sint. 16

Cap. olim XIV. Beneficium principis latissimè interpretandum est. Qua de re vide Tiraquell. *de nobilit. cap.27.num.59.* Innoc.III. qui iubet dari præbendam Canonico etiam absenti sicut aliis residentibus, quæ in victu & vestitu de communi confertur,neque aliter, ait,strictius mandatum illud explicari potest:dictio enim illa,*sicut vni*, omnimodam similitudinem designat, vt obseruat Tiraquell. *de iure primog. q. 40. num. 30.* Quomodo debeantur distributiones an absenti, & an absenti vel in Papæ, aut Episcopi obsequio,habet aliquid Glossa hic,& nos fusiùs *alibi.* Nomine verò distributionum, victualia,vt panes Canonici, qui olim in commune erogabantur, de quibus Iuo Carnot. *Ep.*219. & vestes de quibus Innoc.III. lib.1.ep.40.*Cappas nigras singuli de mantellario habeant.* 17

Cap.in partibus XVII. Quomodò tempore interdicti 18

dicti ſacra & diuina audiri & celebrari poſſint, an in interdicto generali, an locali, aut quid vtrumque ſit quidve ſignificet, explicant hîc aliqui, quam vniuerſam materiam latè explicuimus *opere noſtro de cenſuris*, quod adire poteris.

19 *Cap. XVIII. cum tibi.* Papa concedens Epiſcopo facultatem de bonis Clericorum decedentium ab inteſtato etiam Canonicò, intelligit etiam Canonicos S. Auguſtini ex S. Thom. 1. 2. *q.* 18. *art.* 4. Cur verò Epiſcopi hac indigeant facultate, cur ipſi eam non habeant, non quæro hoc loco, in Francia teſtantur; & ſi decedant ab inteſtato, qui proximiores, ſunt hæredes vt obſeruat Abbas hîc. De Anglia habet Matth. Pariſ. & Matthæus Veſtmonaſter. ad annum 1246.

20 *Cap. cum Clerici XIX.* Explicat Innocent. III. iuramentum præſtari à Clericis Placentinis de fidelitate & obedientia exhibenda Epiſcopo ſuo, Capitulo, & Clericis. De Clericis Cathedralibus ſolis, non reliquæ Diœceſis, & de ſolo Capitulo Cathedrali, Epiſcopo verò præcipua cura tanquam Capiti debet eſſe fidelis & obediens.

21 *Cap. quærenti XX* Innocentius reſpondet quid nomine cenſuræ intelligatur in iure, quæve eius ſit ſignificatio: an aliquid aliud præter tres vulgatas excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum; de qua re ex Innocentij mente fusè diſputauimus *in noſtro opere de cenſuris*, & maximè an ea voce poſſit comprehendi irregularitas cõtra Barboſam hoc loco.

Cap. quid per nouale XXI. Innoc. etiam repetit hoc, quod *ſuperius* dixerat, agrum ad nouum cultum redactũ, an verò ex illo ſoluendæ ſint decimæ à conuentu.

22 *Capite venerabilis XXII.* Priuilegium ſolet concedi ſaluo iure matricis Eccleſiæ; non de Romana intelligitur, ſed de cathedrali quæ dicitur quaſi aliarum ædicularum & capellarum mater. Azor. 2. *part. inſtit. lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 13. & *lib.*.. *cap.* 3. *q.* 14.

23 *Cap. ex parte XXIII.* In hoc capitulo agitur an excommunicatus poſſit abſolui à legato, nondum ſatisfacta parte, aut emenda. In qua quæſtione plurima de abſolutione inuoluuntur, *alibi in opere de cenſuris* diſputata. Quæſtio verò erat inter Comitiſſam Bleſenſem, & Capitulum Carnotenſe, quia Præpoſitus Comitiſſæ latronem ceperat, quem Capitulum in ſua terra captum affirmabat, & eum requirebant: quod cum recuſaſſet Comitiſſa, & ea de cauſa actionem offerebat, qua oblatione non contenti Canonici terram Comitiſſæ interdicto ſupponi curarunt, quod laxari noluerunt niſi priùs ſolueret the emenda; quod ita in ſuis priuilegiis haberetur. Diſtinguit verò pontifex an quis fuerit excommunicatus vel quia citatus ſtare noluit iudici, & pro contumelia, vel quia iuſſus noluit maleficium emendare & officium. In primo caſu congruè ſententia relaxatur, vbi priùs cautio ſtandi iuri tribuitur. In ſecundo verò caſu non congruè relaxatur, niſi priùs detur emenda. Si denique bis eſt offenſa, ſufficit ſi mandato Eccleſiæ competens ſatisfactio præbeatur. Vnde vides quomodò ſatisfactio ante relaxationem cenſuræ præſtari debeat.

24 *Cap. cùm olim XXIV.* Declarat Innocentius offenſam illam eſſe manifeſtam, quæ per confeſſionem, vel probationem legitimè nota fuerit, aut ea rei euidentia quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari.

25 *Cap. Abbati S. Siluani XXV.* Definit Innocent. controuerſiam de electione Abbatis S. Siluani Alciatenſis, qui ex conſuetudine 40. annorum, & ex priuilegiis Paſchalis II. & Calixti Pontificum debebat aſſumi de gremio Monaſterij S. Bertini, itáque indicat Innocent. Sic etiam ex Monaſterio S. Audoeni Rhotomagenſis eligitur Abbas S. Leufredi de Cruce. Aliáque ſunt quorundam Monaſteriorum iura.

26 *Cap. Super quibuſdam XXVI.* Cùm Narbonenſis Prouincia hæreſi Albigentium fœdè laboraret & Raymundus Comes Tholoſanus eorum patrocinium ſuſcepiſſet, eáque de cauſa, & quòd noua pedagia & vectigalia induxiſſet, fuiſſet excommunicatus, pœnitudinem ſimulans, ab eodem legato apud S. Ægidium abſolutus eſt, his conditionibus, ne ampliùs foueret hæreticos & à nouis vectigalibus abſtineret. Immemor tamen promiſſorum noua pedagia voluit à Rege obtinere, à quo repulſam paſſus, Innocentium adiit à quo canonicè ſuper crimine hæreſis & nece fratris purgari iuſſus eſt, denuóque à Milone legato in Synodo Aueniouenſi; ideoque ſe velle mandato Eccleſiæ parere, ne vniuerſa eius ditio ſiguariorum militiæ prædæ eſſet, & Pontificem ſuper mandatis quæ pro conditione abſolutionis acceperat à Legato, adiit, vt illa explicaret, maximè quinam cenſerentur manifeſti hæretici, quænam pedagia forent interdicta, & quid ferret mandatum exhibendi iuſtitiam de ſe conquerentibus ad legatum aut iudicem ordinarium. Quibus omnibus ſatisfacit Innocent. & quòd manifeſtos hæreticos eos eſſe dicit, qui palam & publicè profitentur vel docent hæreſin, vel tuentur, vel coram Epiſcopo fuere conuicti vel confeſſi, vel palam damnati, publicatis bonis, aliiſque ſolitis pœnis ſecundum ſanctiones Eccleſiaſticas. Pedagia verò guidagia, ſalinaria, & alia eiuſmodi vetita eſſe quæ neque Imperatorum, neque Regum, neque Concilij Lateranenſis largitione conceſſa, neque denique immemoriali conſuetudine indicta. Hæc enim omnia & ſimilia ſunt iura fiſcalia quæ ſine principis auctoritate induci nequeunt, quamuis etiam vel præſcriptione, vel aliis modis legitimis acquiri ab inferioribus poſſint, maximè conſuetudine immemoriali. Inter illa etiam numerat Innocentius quæ à Concilio Lateranenſi ſunt inſtituta: quibus verbis non ſignificat Innocent. auctoritate Concilij, vel Apoſtolica concedi poſſe eiuſmodi regalia, ſed dumtaxat vult ea vectigalia & iuſta & rata cenſeri, quæ aliquando indicuntur Eccleſiæ leuandæ neceſſitatis cauſa, vbi reliquæ plebis facultates exhauſtæ; modò adſit Epiſcopi conſenſus. Eáque eſt Concilij Lateranenſis mens ſub Alexand. III. *Canon.* 23. Mandat etiam Comiti Pontifex vt de ſe conquerentibus rationem reddat apud Legatum, aut Iudicem ordinarium, & non aliud iubet quam vt in cauſis quæ ratione rerum aut perſonarum ad forum Eccleſiaſticum pertinerent, & in capitulis quæ pro pace tuenda à Legato aut auctoritate Apoſtolica eſſent ſtatuta, aut pro viduis, pupillis, orphanis & miſerabilibus perſonis in iudicio Eccleſiaſtico reſponderet. Cauſæ enim pacis & treugæ ad iudicem Eccleſiaſticum pertinebant *cap.* 1 *de treuga, & pace. cap. illi qui* 24. *quæſt.* 3. & in Concilio Claromontano. Vide Glabrum *lib.* 5. *cap.* 1. qui notat eam treugam omnium conſenſu treugam Domini dictam fuiſſe. Cauſæ verò viduarum, pupillorum, & miſerabilium perſonarum ſemper fuere fori eccleſiaſtici *cap. ex parte. de foro competenti, & cap. nouit. de iudiciis.*

Cap. nouimus XXVII. Agit de degradatione clericali, & quomodò tradendus ſit curiæ ſæculari grauibus & enormibus peccatis damnatus, vt illum ſuum forum recepit quem Eccleſia à ſuo reiecit: intercedere tamen debet ne morte puniatur: fieri debet præſente iudice. De ea nos egimus tum *opere de cenſuris*, & iterum agemus *tertia parte huius operis*, vbi de perſonis ſacris, vbi etiam quomodo poſſint à Clero reiici aut ad Curiam reuocari, vti olim aliquando fiebat, etiam poſt longiorem clericatum. Interim vide Altaſertam *in notis ad hoc ipſum caput*. quæ nos ex antiqua diſciplina obſeruabimus. Monet verò *hoc capite*, Innoc. falſarium potiùs perpetuo carcere includendum eſſe cum pane doloris & anguſtiæ, 27

Cap.

28 *Cap. Dilecto XXVIII.* Honorius III. suo indulto alterius ius tollere non intendit; sed concedit indulgentiam peccatori secundùm ius commune, vt si vnus nequeat præscribere, sequenti non impedito præscribat. Semper enim ad intentionem concedentis recurrendum est.

29 *Cap. cùm inter vos XXIX.* Oblationis nomine significatur quidquid Deo, Ecclesiæ eiúsve ministris pietatis intuitu exhibetur: de quibus omnibus Moneta *capite secundo de decimis num. 9. & cap. 5. num. 2. & alibi* alij qui de oblationibus, de quibus & nos fusè dicemus *4. part. huius Scientiæ Canonicæ*: cui autem debeantur oblationes vel aliqua earum pars, & de omnibus istis, quocunque etiam die offerantur & donentur.

30 *Cap. ex parte 2. XXX.* Tempus motûs litis est de tempore litis contestatæ, póstque illud *cap. ex parte 3. XXXI.* dum tertia pars mortuariorum siue eorum, quæ pro defunctis donantur Ecclesiæ, siue ad fabricæ necessaria, aut ad luminaria, aut anniuersaria. Septimum, vigesimum, aut trigesimum non debent capi de ornamentis Ecclesiæ, aut specialibus quibusdam personis: sed de aliis omnibus prout habetur in iure communi.

31 *Cap. tria nobis XXXII.* Quoties Pontifex concedit Episcopo vt æri alieno satisfacere possit, percipiat fructus primi anni beneficiorum, nomine generali beneficiorum non maiora solùm, sed & minora, ipsásque præbendas intelligit. Ita suam mentem interpretatur Honorius III. *hoc capite*, & ita passim sentiunt omnes Interpretes.

32 *Cap. transmissi XXXIII.* Gregorius IX. iubet Collegio Xantonensi quod non habebat sufficientes facultates ad numerum 40. præbendatorum, illas moderaretur pro ratione facultatum.

Non imperat, si facultates excreuerint, vt numerum idcircò augeant, sed vt in eorum [illegible] illorum numerum solitum relinquant.



NOTÆ IN TITVLVM

De verborum significatione *in VI. Decretal. lib. 5. tit. XII.*

1  *AP. I. veniens*, Innocentius IV. explicat quid ferant in priuilegiis, *recipimus vos in speciales & proprios filios Romanæ Ecclesiæ*. Operantur enim vt non eximantur à propria iurisdictione ordinarij. Sed ne possint excommunicati, suspendi, aut interdici nisi vel à Papa, vel ab huius legato, cui omninò subiecti manent.

Priuilegium ædificandi Ecclesias in desertis locis. 2
Per loca deserta intelliguntur quæ vltra hominum memoriam à Christianis culta non sunt, aut à Saracenis fuere occupata: non intendit Pontifex aliis iuribus particularium derogare & eximendo à potestate ordinarij non eximit à potestate legati à latere. Ita Nauarr. *de datis & promissis pro iustitia not. 4. n. 10.* 3

Cap. II. constitutionem secundam. Nicolaus III. explicat constitutionem Gregorij in Concilio Lugdunensi latam, atque imprimis *manifestum & euidens* esse synonyma. Secundò canonicos qui statuunt non recipere in Canonicum quempiam etiam mandante Papa, conspiratores sunt contra Romanam Ecclesiam & Pontificem, & vt tales puniendi, & statutum illud simile est conspirationi & commotioni in Papam & Ecclesiam Romanam. Tertiò ait prius de defectu scientiæ, obiecto, electo & promouendo cognoscatur, & falsò opponens omninò excludatur.

Cap. ex his III. Nicolaus III. benè longam constitutionem edidit *cap. Nicolaus*, circa Regulam S. Francisci, circa quam vel declarationem, vel omnem constitutionem eum plurimæ fiot difficultates & Doctorum dissidia circa earum paupertatem, cum præsertim non benè consentire videatur Nicolaus cum Ioanne xx. totam controuersiam nos *alibi* commodè, ni fallor, definimus *hoc ipso opere*. Quare illic ex singulis quæ agitantur iam diu magna contentione difficultatibus, & præsertim circa pugnam duorum pontificum *alibi* dicta sufficient: neque tam leui labore hoc loco defungi possumus. 4

Cap. priuilegium IV. Per priuilegium concessum ne Monachi vel fratres demorantes in cellis ad monasterium spectantibus excommunicari vel interdici possint, sicut neque ipsæ cellæ, non intelliguntur loca solitaria ab hominum conuersatione, aut prioratus, aut capellæ, in eisve commorantes. Ita exponit ipsemet Bonifacius VIII. 5

Cap. sicut nobis V. quandò conceditur alicui vt possit suorum Clericorum decedentium aut cedentium beneficia conferre: nomine suorum clericorum intelliguntur Clerici, qui sunt Clerici domestici, qui eius sumptibus viuunt & commensales sunt eius cui fit priuilegium. Familiaris de præterito censetur, & præsumitur in futuro. Familiaritas probatur per testes apud Farin. 2. *p. recentior. decisio.* 6

INDEX



INDEX

RERVM ET VERBORVM, quæ in hoc tertio volumine continentur.

Primus numerus paginam, secundus columnam, tertius marginis numerum designat.

A

Actus

Index Rerum,

Adam.

Aduena.

Adulterium.

Ædes.

Index Rerum,

Dæmon,

D

Hæretici

Index Rerum,

Iudicia

M

Magister.

Passionum

Pupil

Index Rerum,

Soter.

Timor.

Vsus

Virtutes

F I N I S.



ERRATA.

PAgina 2. columna 2. linea 60. *ercarum*, lege *Atticarum*. p.4.c.1.l.24. *lecticanorum*, leg. *lecticariorum*. p.1?. c.2.l.31. *non*, leg. *enim*. p.18. c. 1.l.70. *tantum*, leg. *tamen*. p. 30. c.1.l.4. *propositio*, leg. *proposito*. p.31. c.2. l.51. *asserverat*, leg. *asseverat*. p.39.c.2.l.7. *fine*;, leg. *fine*. p.54. c.2. l.30. *ignaria*, leg. *ignauia*. p.54. c.2.l.43. *quos*, leg. *quamvis*. p.61.c.2.l.10. *timor*, leg. *timore*. p.97.c.2.l.4. *enim aliqui*, leg. *vt aliquis*. p. 126.c. 1. l. 1. *aliquos*, leg. *aliquos*. p.134.c.1.l.38. *Ericthonem*, leg. *Ericthonium*. p.134.c.2.l.3. *luculento*, leg. *lutulento*. p. 139. c.1. l.37. *calictibus*, leg. *tactilibus*. p. 145.c.1.l.16. *bicis*, leg. *cibis*. p.152.c.2.l.63. *congeris*, leg. *congeries*. p.155. c.1. l.1. *contrahisse*, leg. *contraxisse*. p.163.c.2.l.64. *Layman*, leg. *Lainius*. p.181. c.1.l.30. *Thargumi*, leg. *Thargum*. p.184.c.1.l.47. *verna*, leg. *verus*. p.187.c.2.l.31. *Vviltacker*, leg. *Vvittaker*. p. 201.c.1.l.12. *diuite*, lege *diuidite*. p.204.c.1.l.24. *memis*, leg. *mensis*. p.285. ad titulum, *introsecis*, leg. *intrinsecus*. p.287.c.1.l.25. *iconncula*, leg. *iconcula*. p.287.c.2. l.53. *Pota*, leg. *Poeta*. p.293.c.1.l.7. *laus*, leg. *laus*. p. 308.c.1.l.40. *libertatis*, leg. *libertis*.



Virtutes

F I N I S.



ERRATA.

PAgina 2. columna 2. linea 60. *arearum*, lege *Atticarum*. p.4.c.1.l.24. *lecticanorum*, leg. *lecticariorum*. p.15. c.2.l.31. *non*, leg. *enim*. p.18. c. 1.l.70. *tantum*, leg. *tamen*. p. 30. c.1.l.4. *propositio*, leg. *proposito*. p.31. c.2. l.51. *asseruerat*, leg. *asseuerat*. p.39.c. 2.l.7. *fine;*, leg. *fine*. p.54. c.2. l.30. *ignaria*, leg. *ignania*. p.54. c.2.l.43. *quis*, leg. *quamvis*. p.61.c. 2.l.10. *timor*, leg. *timore*. p.97.c.2.l.4. *enim aliqui*, leg. *vt aliquis*. p. 126.c. 1. l. 1. *aliquos*, leg. *aliquos*. p.134.c.1.l.38. *Ericthonem*, leg. *Ericthonium*. p.134.c.2.l.3. *luculento*, leg. *lutulento*. p. 139. c.1. l.37. *talictibus*, leg. *tactilibus*. p. 143.c.2.l.16. *bicis*, leg. *cibis*. p.152.c.2.l.63. *congeris*, leg. *congeries*. p.153. c.1. l.1. *contrabisse*, leg. *contraxisse*. p.163.c.2.l.64. *Layman*, leg. *Lainius*. p.181. c.1.l.30. *Thargumi*, leg. *Thargum*. p.184.c.1.l.47. *verua*, leg. *verus*. p.187.c.2.l.31. *Vuiltacker*, leg. *Vuittaker*. p. 201.c.1.l.12. *diuite*, lege *diuidite*. p.204.c.1.l.24. *mentis*, leg. *mensis*. p.285. ad titulum, *introsecus*, leg. *intrinsecus*. p.287.c.1.l.25. *icouncula*, leg. *iconcula*. p.287.c.2. l.53. *Pota*, leg. *Poeta*. p.293.c.1.l.7. *laut*, leg. *laus*. p. 308.c.1.l.40. *libertatis*, leg. *libertis*.

